Vlyßis temperantia ab ira. 147.a.b
Vlyßis odium. 229.a
Vlyſſe charior ſuis fuit Alexander. 108.d
Vmbra hominis propter res fortes non creſcit. 60.a
Vmbræ comparatus adulator omnia imitans. 112.c
Vmbræ ſomnium, hominis uita. 85.a.b
Vmbilicus tanquam anchora. 186.a
Vnctionum uſus. 126.b
Vnctionum & balnearum mollities. 74.a
Vngi ſub dio, quare Flamini diali nefas. 74.a
Vnguentum Lycurgus expulit. 62.d
Vnguenti fragrantia. 113.a
Vnguenta hyeme minus redolent. 266.e
Vnguentorum uſus. 188.a
Vnguentarios luxus inuenit. 233.d
Vnguis leonini nota haud temerè inueniatur. 148.a
Vnguium generatio. 262.b
Vngulæ aſininæ firmitas. 240.a
Vngularū debilitati ſumma boum cornua peruncta proſunt. 230.a
Vnicus fœtus feruentius diligitur. 159.c
Vnitas, numeri principium. 72.c
Vniuerſum an unum. 251.c
Vniuerſi ac totius differentia. 254.a
Vnum ad bonum duobus detrimentis ueſcuntur mortales. 86.a
Vnum ſe pro omnibus ciuibus uir uerè ciuilis diſcrimini obijcit. 8.c
Vnum quid ſit. 251.c
Vno modo perficitur officium, pluribus ab eo diſceditur. 14.b
Vnoculi irriſi ultio. 43.d
Vocabula rebus ſeruiant. 163.d
Vocabulis abutūtur aſſentatores. 113.c
Vocationem quiſque ſuam ſequi debet. 97.a.b
Vociferationes nimiæ fugiendæ. 126.a
Voconij filiæ deformi facie. 55.c.d
Volatilia, ſubtilioris cibi. 126 c
Voluntas etiam, non ſolum factum hoſtis puniendum. 117.c
Voluntas magis in donante expendenda, quàm donum. 45.a
Voluntas regum celerrimè effectū conſequitur. 119.c. & deinceps
Voluptas bonum, ſed non finis. 242.c
Voluptas et ſanitas nō ſunt bona. 243.b
Voluptas ex animi uirtute comparanda. 158.d
Voluptas orationis magis perſuadet. 26.d
Voluptas uenerea grauis acerbaq; domina. 133.c
Voluptatis breuis cauſa, magna depoſita fœlicitas. 48.d.124.d
Voluptatis ratio. 262.d
Voluptatem ſequentibus, corporis ſanitas negligenda. 124.c
Voluptates abdicandæ philoſophiæ ſtudioſis. 170.c.d
Voluptates ab animo in corpus ſcatentes, pernicioſiſsimæ. 124.a
Voluptates an omnes corpori permittendæ. 124.a
Voluptates maximas ſanis obtingere, non ægrotis. 125.b
Voluptates & appetentiæ unde ſint animalibus. 262.d
Voluptates maximæ è reipublicæ adminiſtratione capiuntur. 180.a
Voluptates animi præſtantiores quàm corporis. 179.d.180.a
Voluptates honeſtiſsimæ. 180.d
Voluptates ſuperare ratione, ſapientis eſt. 42.d
Voluptatum ſpecies tres belluinæ. 143.b
Voluptatum illecebras natura ſponte ſuggerit. 174.e
Voluptatum amorem, dolores ſequuntur. 136.b
Voluptatibus deſinentibus elegans eſt & earum cupiditatē deſinere. 133.c
Voluptuoſa uita. 42.d
Vomitus encomium. 176.d
Vomitus incommoda. 127.b
Vomitus pharmacis extorti malū. 127.c
Vorago terræ uelut humanam animam deſiderans. 36.a b
Vox, agitatio ſpiritus uelut in ipſo fonte. 126.a
Vox Græcis unde dicta. 259.c
Vox quibus non ſit acrius intendenda. 125.d
Vox an incorporea ſit. 259.d
Vox in muſica quæ gratiſsima. 14.c
Vox quid ſit. 259.c.260.a
Vox ſine numero eſſe non poteſt. 269.b
Vox una multos ſonos efficit. 259.d
Vocis exercitij commoda. 126.a
Vocis conſideratio. 259.c
Vocis definitio. 20.a
Vocē ut exercuerit Demoſthenes. 192.d
Vocum modi antiqui. 25.c
Vocum muſicarū diuiſio triplex. 24.b
Vocum interualla qualitates eſſe, non magnitudines. 269.c
Vrbs quæ ſit ubi tutò habitetur. 61.d
Vrbis gloria claritatē ciuib. affert. 49.b
Vrbis euerſio facilior quàm conſtructio. 58.d
Vrbes naſſam ingredientes pictæ. 49.d
Vrbium condendarum pars potiſsima principium. 100.d
Vrbanitates ut dicendæ. 121.b
Vrinātes cur oleū ore cōtineant. 265.a
Vrſus ægrotans formicis manſis curatur. 266.c
Vrſus in caſſes collapſus cur eos non arrodat. 266.d
Vrſi fœtus informis. 185.c
Vrſi mirum ingenium. 150.a. eius aſtutia in aluo adſtricta laxanda. 150.d
Vrſi manus cur dulciſsimā carnem habeat. 266.a
Vrſarum & aquilonis eleuatio. 254.c
Vſque ad aras amico cōmodandum. 5.a.49.c
Vſura multi merguntur. 254.b

Vſura propter neceſſarias res non contrahitur. 234.a
Vſuræ deteſtatio. 233.a. & dein per totum librum.
Vſuræ fœcunditas. 235.c
Vſuræ quibus in rebus contrahantur. 233.a
Vſus diuitiarum qui ſit. 155.c
Vſui eſſe quæ cuiquam poßint, non corrumpenda. 76.c
Vteros ſuos nudos uiris ſuis in urbem è prælio fugientibus mulieres cum exprobratione oſtendunt. 28.a. 67.b
Vtilia magis quàm delectabilia eligenda ciborum genera. 128.b
Vtilium & inutilium dignotio in brutis, à ratione eſt. 146.a
Vtilitas etiam ab inimicis capi poteſt. 175.a
Vtilitas ex conuiciando. 49.b
Vtrius ſit ſomnus & mors, animæ, an corporis. 262.b
Vua ante æquinoctium autumnale nō guſtanda. 74.a
Vuæ ſapor. 264.b. 266.b
Vulcanus artium inuentor. 136.d
Vulcani nomine Deus intellectus. 163.d ignis nonnunquam. 164.a
Vulcani ædes cur extra Romam. 74.e
Vulgus, uelut fera natura ſuſpicioſa & uaria. 2.a
Vulgus commotum ut ſedetur. 7.b
Vulgus maximè largitione capitur. 11.b
Vulgi iudicium non ſequendum. 42.a
Vulgi & multitudinis rationes uiuendi mutare difficile. 2.a
Vulpes Telmeſia. 68.d
Vulpes à riemis ſemeſa, abigi illos cur nollet. 181.d
Vulpes ut hamum eijciat. 151.d
Vulpes gruē conuiuio excipiens. 157.b
Vulpis cum pardali contentio. 151.b
Vulpis aſtutia in glaciato flumine trāſeundo. 149.a
Vulpina pellis aſſuenda, quò leonina non peruenit. 51.a
Vultur in augurio. 78.a
Vultur uiſcera euomens, nihil alienum facit. 134.b
Vulture cur potißimum in augurijs utantur Romani. 78.a
Vultures omnes fœminæ. 78.b
Vultures ad cadauera odore trahuntur. 166.c
Vulturibus comparati alienorū incommodorum exploratores. 120.d
Vxor qualis legenda. 18.b. 40.e. 44.d
Vxor, uiri moribus conſonet. 17.d. 18.a
Vxor nullum proprium nec amicū nec affectum habere debet, ſed cum uiro communem. 17.d
Vxor legitima ut ſe maximè gratam uiro reddat. 18.b
Vxor ſplendeat uiro, non alijs. 17.a
Vxor maritum imitetur. 18.a
Vxor detractrices caueat. 19.a
Vxor uiro loquente ſileat, & ſilente loquatur. 18.d. 19.a
Vxor ne ſit amicæ ſimilis. 18.c
Vxor uiro pareat. 18.c
Vxor læta ſit coram uiro. 18.e
Vxor, mariti parentes ſuis præferat. 18.d
Vxor freno regenda. 17.c
Vxor non oculis aut digitis capienda, & cur ſpeculo utatur. 18.a.b
Vxor non habeat amicos proprios, ſed cum uiro communes. 18.a
Vxor uirum exhilarare debet. 18.c
Vxor ſterilis uiro permittit undecunque poßit prolem ſuſcipere. 35.b
Vxor cur repudiari non poßit. 74.d. 181.b
Vxor nuà cum uiro conſecratur. 74.d
Vxor ficut numerus cubus. 79.a
Vxor uiri amantior in ſyluis à canibus laniata. 38.a.b
Vxor abſente marito fornicata, reducem maritum dolo tollens, à filio poſtea uindicata. 39.d
Vxor Pittaci menſam conuiuij euertens. 96.b
Vxor Phocionis, uiri res claras mundum ſuum muliebrem ducebat. 19.d
Vxoris ducendæ ratio. 15.d
Vxoris Ariſtotimi ſuſpendium. 31.a
Vxoris puſillæ ductæ ergô mulctatus à ſuis Archidamus rex. 40.e
Vxoris in uirum imperium turpe. 158.d
Vxoris ſuæ famæ conſulit Piſiſtratus. 50.e
Vxoris peccata ut leuanda. 97.d. 142.a
Vxoris Plutarchi frugalitas. 187.e
Vxoris ſuæ accuſationem ut redemerit Lycurgus. 192.a
Vxori flenti ſiccis oculis aßidens, canis morti illachrymans Vlyſſes. 98.a
Vxori domus cuſtodienda. 18.a
Vxori opus eſt Gratijs. 18.b.e
Vxori, uir dominetur. 17.e
Vxorem propriam eijciens, ut ſua imitatione alter etiam ſuam eijceret, quam deperibat. 112.d
Vxorem præſente filia oſculatus, ſenatu motus. 17.d
Vxorem ducant laſciui, & qualis ſit uxor ducenda. 44.d
Vxorem ducentium comæ cur haſta diſcriminentur. 77.d
Vxorem repudiare quare non liceat. 74.d
Vxorem cur Maio menſe non ducant. 77.d
Vxorem reuereri debet maritus. 19.e
Vxorē qui modò duxiſſet, ab exactione publica immunis præteritus. 7.d
Vxore eadem & amica uti non poſſumus. 18.e
Vxore orbatus, infelicior eo qui nunquam uxorem duxit. 74.d
Vxores filijs noſtris quales deſpondere debeamus. 44.d
Vxores ſecum eſſe ac bibere iubere uiri debent. 17.d
Vxores uiris ſubditæ, honorē ſibi conciliant. 18.c.d
Vxores uiros ſuos ne iritent. 19.b
Vxores fucatæ, faſtidiuntur. 124.b
Vxores caſtæ, alienarum mulierū conſortium habere uiros ſuos peßimè ferunt. 19.b
Vxores literis eſſe deditas cōuenit. 19.e
Vxores alienæ ijs ſolum notæ eſſe debent, quibuſcum uiuunt. 59.d
Vxores Romanæ cur nec molant, nec coquant. 77.d
Vxores non dotibus legendæ, ſed uirtute. 62.d
Vxores imperantes. 96.b.c
Vxores duntaxat duas habebat Alexander, idq; uelut neceßitate urgente. 107.a
Vxorum propriarū etiam formoſarum neglectores ſtulti. 124.a. 131.b
Vxorum dignitas ut conſeruanda. 17.c
Vxorum loco ancillæ hoſtibus ad abutendum datæ. 38.d
Vxorū offenſæ ut excipiēdæ. 97.d. 142.a
Vxorum amor ut accreſcat. 15.d
Vxorum honor apud Perſas. 156.b.e
Vxoribus aduētus ſui nuncios cur præmittant qui peregrè redeunt. 71.a
Vxoribus proprijs nonnunquam abſtinendum. 144.d
Vxoriæ oblectationes ſecretæ ſint. 17.a

X

XAntippe Socrati prandenti cum amicis menſam ſubuertit. 141.a.b
Xanthiorū ingratitudo ac ultio. 29.a
Xenænethi imperatoris urbanitas. 3.b
Xenocrates ſolo intuitu Polemonem in alium hominem uertit. 119.a
Xenocrates philoſophus quinquaginta talenta ab Alexandro recipere non uult. 48.a
Xenocrates poëta. 11.a
Xenocrates unico tantùm die toto anno ab Academia aberat. 92.a
Xenocrates Locrenſis muſicus. 21.a
Xenocrates philoſophus ab Eudæmenida irriſus. 61.b
Xenocratis tarditas in rudimentis diſcendis. 178.a
Xenocratis conſilium de ſepiendis auribus. 174.b
Xenocratis ſeueritas. 18.b.e. 136.c
Xenocratis de diſciplinis ſentētia. 17.a
Xenocratis de philoſophantibus ſententia. 15.a.b
Xenocrati munus accipere recuſanti

quid

quid reſponſum ſit. 48.a
Xenocratem philoſophum Lycurgus liberat. 192.a
Xenocritus Locrẽſis muſicus.20.d.21.a
Xenocritæ Cumææ uirtus. 54.c
Xenodamus Cytherius muſicus. 20.d. 21.a
Xenophanes Colophonius Homeromaſtix ab Hierone tyrãno irriſus.46.a
Xenophanes Lagi meticuloſus ad talos. 135.c
Xenophanes pauper. 46.a
Xenophon de principe. 9.c
Xenophon Socraticus de filij obitu. 89.c
Xenophon ad quid legendus. 171.b
Xenophon in Ageſilai comitatu. 58.a
Xenophontis cõſtantia in nuncio mortis filij. 89.c
Xerxes & Ageſilaus. 35.c.d
Xerxes Leonidam ſolicitans. 62.a
Xerxes etiam mari ac monti minatus. 138.d
Xerxes animi ſolicitudine moriens. 272.b
Xerxis amicus unicus Demarat⁹.178.b
Xerxis humanitas. 65.c
Xerxis probè dicta & facta. 45.b.c
Xerxis ſtoliditas. 203.d
Xerxis aduerſus Græcos copiæ.35.c.d
Xerxis felicitatem conſiderans, conſideret & ſubditorum illius miſerias. 96.b
Xerxis & Ariamenis fratrum inſigne concordiæ exemplum. 270.d

Z

Zariadræ & Odatidis mirus amoris ortus. 270.b
Zelia Lyciorum colonia. 28.d
Zelotypæ mulieri diuortium quærenti conſilium. 19.a
Zelotypia, amoris uenerei comes.173.b
Zelotypiæ infelix exitus. 58.a
Zelotypis mulieribus obtrectatrices non admittendæ. 19.a
Zeno generationem corruptionemq́; quare ſuſtulit. 235.c
Zeno Citieus theatrum geſtorum Antigoni ſecundi. 48.d. idem cãtu Amœbei commotus. 14.a
Zeno Citieus moritur. 48.d
Zeno cithara motus. 14.a
Zenonis de Theophraſto dictum. 171.a
item in naufragio. 120.d
Zenonis Mnaſei Citienſis filij opinio de rerum principijs. 251.b
Zenonis reſpublica. 103.c
Zenonis æquanimitas in aduerſitate. 92.b
Zenonis in rerum amiſsione conſtantia. 92.b
Zenonis opinio de ſpermate. 141.d
Zenoni Citieo philoſophandi occaſio. 95.a
Zephyrus & alij uenti, unde dicti. 257.a
Zephyrus, uentorum omnium celerrimus. 267.b
Zepoëtus Bithyniorum rex. 83.d
Zeuxidami apophthegmata. 64.b
Zeuxis cur tardè pingeret. 159.d
Zodiacus circulus. 251.d
Zoilus ſacerdos mulierem occidens. 82.d
Zonæ quinque. 254.b.d
Zopyrus Darij amicus nares ſibi & aures pro illo amputauit. 45.b
Zopyrus Byzantius hiſtoricus. 39.d

FINIS.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

PLVTARCHI CHAERONEI POLITICORVM, SEV DE CIVILI inſtitutione, opus, ad Traianum Imperatorem.

NICOLAO SAGVNTINO INTERPRETE.

A

SI QVAM ad rem poëticum illud accõmodari poteſt, ô Menemache, Ex Achæis nemo reprehendet uerba, nec obloquetur, uerùm res exitum inuenit nullum: haud abſurdè ijs quoq; philoſophis mihi conuenire uidetur, qui ut aliquam rem adeas adhortantur quidem, ſed nihil ipſi ſuggerere, nullámue rationẽ, quonam pacto id fieri oporteat, afferre uidentur. Sanè non illis abſimiles, qui lucernæ ut ardeat lychnum emungunt, & manu contrectant, cæterùm olei nihil omnino infundunt. Equidem te iampridem ratione atq; conſilio uideo ad rempub. capeſſendam impulſum, uolentẽ pro domeſtica nobilitate & gloria, in rebus patriæ cum dignitate uerſari, atq; iuxtà & uerborũ oratorem, & rerum actorẽ effici. Verùm quòd per ætatem tibi philoſophiæ nauare operam minus licuit, neq; in aperto & ſub dio, ut aiunt, negocijs te publicis, atq; rei adminiſtratione ciuilis exercere quiuiſti, & facta conſpicere, unde non tam oratione & uerbis, quàm ipſis rebus exempla capere poſſes: proinde petis à me, ut tibi præcepta dem aliqua, quę ad rempublicã adminiſtrandam, atq; dignitatem tuendam attineant. Id quicquid eſt operæ, tibi negare periniquum equidem duxi: opus uerò ipſum diligentia & deſiderio tuo, uoluntate item erga te mea dignũ ut euaderet, uehementer optaui. Demũ, ut tu popoſciſti, uarietate ſum exemplorũ paulò accuratius uſus: quippe qui ex induſtria multa undiq; congeſsi. Principiò itaq; uoluntas & propoſitũ ipſum reipub. capeſſendæ ueluti fundamentũ aliquod firmũ atq; præualidũ

Propoſitum reipub. capeſſendæ quale eſſe conueniat.

B

iaciendum eſt, ut ratione id atque iudicio proficiſci, non trepidationem animo, ſolicitudinémue inijcere uideatur, æquè ac ſi res tanta inanis ſtudio gloriæ, contentionéue ulla, poſtremò ceſſatione & ocij gratia ſuſcipi uideretur. Nam ut quibus domi nil boni uſui eſt, libenter hi foris degunt, atq; nullo rerum uſu maximã partem temporis in foro abſumunt: ſic quoq; nõnulli, quòd ſibi nihil operæpretium domi priuatimq; exhibetur curandum, publicis ſe propterea implicare negocijs pergunt, nõ ſecus atque ſi terendi ocij gratia ſibi duntaxat eò diuertendum eſſet. Pleriq; alij fortefortuna rempub. attigere, qui mox faſtidio & rerum ſatietate affecti, inde auerſi ad ocium ſe à negocio uindicare percupierunt: quod facilè ſibi efficere nequiuerunt, ut quibus idem accidit, quòd ijs qui geſtationis, ac paulùm exercendi ſui cauſa nauem ingreſsi, leuem futurã ac facilem nauigationẽ rati, porrò tempeſtate ſubita in pelagus tracti, terram uerſus identidem ſpectant: qui etſi factu à ſe pœnitet, at nihilominus inuiti & anxij nauſea uertigineq; affecti manent in naui. Et hos candida in tranquillitate pulchellæ nauis curſu ſulcandi maris per iniuriam numinis cupido uana inceſsit. Hi mihi uidentũ cùm pœnitentia facti, tum uerò mœrore animi, maximæ rei detrahere, quando aut aſſequendæ gloriæ ſpe adducti, poſtea in ignominiã incidunt, aut terrori ſe alijs futuros opum ingenti ui rati, demum periculoſis ipſi negocijs impliciti perturbantur. Enimuerò qui ut ſibi maximè cõuenit, & rationis & conſilij ductu pulcherrimũ hoc reipub. gubernandæ negocium capeſſunt, nulla hos harum rerum à propoſito abſterrere poteſt, nec pœnitet, nec piget cœptorũ, ut retrò cogitatione cogantur reſpicere. Nec enim tanquam ad nundinas & lucella eundum eſt ijs, qui ſibi gubernacula reipublicæ cõmitti uolunt, quemadmodũ Stratoclem illum & Dromoclidem accepimus ſolitos ſeſe mutuò ad meſſem aureã inuitare: ſic enim ioco tribunal & curiam appellitare conſueuerunt. Neq; perturbatione cõmotum animi, atq; affectu impulſum, in adminiſtrationem reipub. uadere quenquam oportet, ſubitario utique impetu ueluti numine raptum. Quemadmodum C. Graccho uſu ueniſſe accepimus, qui ſub recentem fratris calamitatẽ à muneribus reipublicæ ſeſe abdicauit, mox contumelia maledictiſq; percitus, aliquorũ inflammatus ira, in munus publicum ſe rurſus recepit. Non multò poſt negociorum faſtidio, & honorũ ſatietate affectus, eiuſcemodi onus & ſarcinam ponere cupiebat, quietis et ocij inops: cæterùm id conſequi ob magnitudinem contractæ iam potentiæ haud potuit,

Curia à Stratocle & Dromocli de meſsis aurea uocitata.

A

C ut inde ad extremum perierit. Qui uerò æmulatione ambitioneq́; ducti, fingere ſe, atque
hiſtrionum in morem ad ſpectaculum componere pergunt, hos rerum ſuarum tædium
capiat demũ neceſſe eſt: quandoquidem aut ijs, quibus imperitare cupiũt, ſeruire cogun-
tur: aut hos, quibus obſequi maximè & placere uolunt, offendunt. Mihi quidem uidetur,
eos cœpti mox pœnitere, & animo perturbari, qui ſe in aliquem puteũ temerè & ab re de
mittunt: ijs uerò rectè euenire, ut & rebus ſemper modicè atque modeſtè utantur, & nihil
contingat, quod ulla eos moleſtia & difficultate implicitos habeat, qui freti conſilio, per
ocium, non præcipites, ſed ex inſtituto eò deſcendunt: quippe qui actionum omniũ, atq;
uitæ totius finem honeſtum ſibi cõſtituunt & proponũt, nihil præterea aliud. Hac uolun-
tate, his artibus, hoc firmo incõmutabiliq́; innixum iudicio, uertere ſe inde ad mores ciuiũ
cognoſcendos oportet, atq; eorum penitus exploranda atq; pertractanda ingenia. Quæ
res temperamẽtis optimis atq; rationibus cõſtituta eiuſmodi eſt, ut appareat plurimũ, ua
leatq; longè neceſſe ſit. Etenim ſtatim mores & ingenia conari mutare populi, nouiſq; ea
legibus moderari extemplò uelle, nõ modò non facilè, uerùm ne tutum quidem omnino
eſt, ut res quæ multo tempore, & ingentibus uiribus indiget. Proinde quemadmodũ uini
uſus initiò quidem in arbitrio atq; lege bibentis regitur, ubi uerò ſenſim ac placidè calefece
rit hominẽ, immutare cõtinuò incipit, atq; nouis imbuere moribus: hac ratione decet ui-
Quouſq; deceat uirũ politicũ, ciuium ſe moribus accommodare.
rum ciuilem, & rempub. tractare incipientẽ, tandiu ciuiũ moribus cõſentaneè uiuere, &
ſe ad eorũ naturam accõmodare, atq; ſcitè cõiectura ſectari ea & aſſequi, quibus populus
ſoleat delectari, & quibus adduci facilè, donec opinione uirtutis, & fide iam cõparata, au
toritate inniti poſsit. Varij enim ſunt populorũ mores, uaria ciuitatũ ingenia. Athenien-
ſis populus facilè concitatur ad iram, at idem facilè ad miſericordiam flectitur: celeriter ſu
ſpicari, quàm tardè & leniter edoceri mauult. Vt ad opem ferendam inglorijs & humili-
bus promptior eſt, ita iocos atq; ridicula libenter amplectitur. Eum coràm ſi laudes, dele-
ctatur: hunc ipſum ſi reprehendas, grauatè nõ fert. Formidabilis eſt uel principibus: idem
dehinc humanus, & clemens etiã hoſtibus. Alia Carthaginenſiũ eſt natura, alia morũ &
uitæ ratio. Acerbi ſunt, triſtes, facilè magiſtratibus parent: ijdem ſubditis ſunt moleſti &
D graues, ignaui aduerſus pericula, immanes & truces ira perciti, perſtãt pertinaciter in ſen
tentijs, ad iocos & urbanitatẽ duriores, quàm quos ulla ridicula mollire gratia poſsis. Iis nun
quam probari poſſet illud Cleonis, qui iam coacto ſenatu, dijs ſe inquit rem ſacrã feciſſe,
hoſpites lautè accepturũ, precari perinde ſenatũ in præſens dimitti, atq; in diem inſequen
tem reijci. Id riſu Athenienſes excipientes, cõtinuò cœtũ ſoluerũt. Multò minus Alcibia-
dem tolerandum cenſuiſſent Carthaginenſes, cuius, dum ſententiã frequenti ſenatu de re
ſeria dicit, coturnix euolauit è ſinu. Eam Athenienſes auiculam ſtudioſe per curiã curſitan
tes aucupati, Alcibiadi reddiderũt. Vtrunq; Carthaginenſes necaſſent, utputa corruptos
delicijs, atq; per laſciuiã molliter contumeliantes. Quandoquidẽ Hannoni, uiro inſigni,
quòd leonis in expeditione opera uſus eſſet ad utenſilia cõuectanda, inſimulãtes affecta-
tæ tyrannidis, pœnã exilij irrogarũt. Equidẽ arbitror ne Thebanos quidẽ deſtituros fuiſ-
ſe, quò minus hoſtium literæ, quę in eorũ manus ueniſſent, reſignatæ perlegerent. Atqui
Philippi tabellarijs captis, qui literas ad Olympiadẽ datas deferrent, Athenienſes nõ reſi
gnarũt, mariti peregrinantis arcanã uxoriam comitatẽ detegendam omnino atq; reſeran
dam minimè arbitrari. Rurſus mihi nõ uident laturi fuiſſe Athenienſes fiduciã atq; liber-
tatem Epaminõdæ, cui dies dicta cùm eſſet, cauſam ad populũ dicere noluit: quin è thea-
tro per concionẽ incedens, ſeſe in gymnaſiũ omnibus ſpectantibus cõtulit. Multò minus
Spartiatas æquanimiter accepturos fuiſſe puto Stratoclis ſcurrilitatẽ, atque adeo inſolen
tiam: is enim perinde ac re optimè geſta uictorię partæ nuntiũ accepiſſet, ſupplicatio dijs
immortalib. ut publicè decerneret retulit perſuaſitq́;. Non multò poſt cladis acceptæ cer-
to nuncio, proq́; eo, illius factum populo, ut par erat, indignè ferente, ſingulos rogitabat,
num iacturæ quippiã feciſſent, quòd totũ triduũ per ſe illa fuiſſent lætitia & opinione affe
Paraſiti aulici.
cti. Enimuerò aulici, & ut ſic dicam, cortales adulatores, uelut aucupes uoces imitant aui
cularũ, cæteriſq́; rebus ſimiles ſe fingunt, nempe ut hiſce artibus regibus ſe maximè inſi-
nuent atq; cõmendent. Sanè ciuẽ, qui rempub. rectè adminiſtrare uelit, mores & uias uul
gi effingere atq; imitari minimè decet, ſcire duntaxat ac probè tenere, qua quiſq; maximè
ratione capi adduciq́; poſsit. Ignoratio enim eorũ, quibus cum tibi uiuendũ eſt, ut opinio
ne & ſpe fruſtreris, ac cœptis ſæpenumero decidas, in cauſa eſt: quod nõ minus in ciuita-
bus, quàm in amicitijs regum uſu uenit. Mores proinde ciuium tum leniter atq; ſcitè tra-
ctandos moderãdoſq́;, meliores efficiendos aggredi debes, cùm tibi iam uires ſunt, & au
toritas

A toritas cõparata apparet. Vulgi enim & multitudinis rationes uiuendi derepentè immu-
tare, atq; aliorſum traducere, difficilè nimirũ & nimis arduum eſt. Cæterũ teipſum ita ex-
colere, ita mores exornare tuos, ſic uitã omnẽ tuam tueri debes, ut qui in aperto medioq;
ſpectaculo, ante omniũ oculos uitam acturus ſis, neminẽ celaturus. Quòd ſi tibi non tam
facilè fortè fuerit uniuerſa omnino, ſi quæ ſunt, animi extergere uitia, penitusq; emacula-
re, illa certè tibi tollenda, minuendáue ſunt, quæ apparent maximè, primoq; cõſpectu oc
currunt. Auditui & memoriæ proditũ eſt, Themiſtoclem, ut animũ ad rempub. capeſſen-
dam appulit, cõpotationibus comeſſationibusq; primò abſtinuiſſe, ſecundo loco uigilijs
ſe ſolicitũ & ſobrietati dediſſe, amicis dicere ſolitũ, quò minus dormiret, Miltiadæ ſolici-
tari trophæo. Pericles item rationẽ uiuendi, & cultum corporis traditur immutaſſe: inceſ-
ſu tardo, orationeq; leni uſus eſt, compoſitũ os, & uultum ſibi conſtantẽ ſolitus præ ſe fer-
re: poſtremò manu contenta intra amiculum, unam omnino uſurpaſſe uiam quæ ad forũ
& curiam duceret. Non enim cuiuſuis eſt, neq; tractatu & factu facile, uulgus & multitu-
dinem ſalutaribus allici rationibus, & in officio cõtineri. Sat erit, ſi uelut fera natura ſuſpi
cioſa & uaria, uocem atq; aſpectum rectoris minimè reformidans, regimen & frænum ad-
mittit. Vt hæc igitur præclarè curare optimũ eſt, ita quoq; uitam ſibi quiſq; & mores pul-
cherrimè excolere debet, quò prorſus omni nota uituperationeq; careat: quandò præſer-
tim eorũ qui reipub. præſunt, nõ modò ſingula uerba, nec res tantũ publicitus geſtæ ani-
maduerti notariq; ſolent, ſed uirtus quoq;, ioci ſimul & ſeria quæq;, domus, ipſa familia,
uxor, cubile, curioſius conquirunt. Quid hoc loco cõmemorare Alcibiadem attinet? quẽ
circa rem cõmunem adminiſtrandã ſolertiſsimũ habitũ, atq; inuictũ cõpertum imperato
rem, uiuendi licentia atq; animi ferocia perdidit: cuius cætera uirtus ob ſumptus immode
rationẽ, & uitæ luxuriã, parum reipub. uiſa eſt profuiſſe: quandò Athenienſes Cimoni ui-
num, populus Rom. Scipioni ſomnolentiam ſoliti exprobrare tradunt: quippe qui nihil
præterea aliud, quod illis obiectari poſſet, haberent. Verũ in Cn. Pompeiũ inimicos cauil
latos accepimus, unico digito caput ſcalpere deprehẽſum. Quẽadmodũ enim indignius
ferri, maioriq; haberi ſolent dedecori uerrucæ, ficúsue in facie, quàm notæ, næui atq; muti

Principum in republ. uirorum actiones omnes diligenter notari.

B lationes in reliquo corpore: ſic etiã ob eam, quæ pleroſq; omnes de principatu atq; ciuili-
bus magiſtratibus tenet, opinionẽ, utpote de re magna atq; digniſsima, quæ omni facino
re atq; temeritate uacare debeat, minima quæq; principũ, & rempub. adminiſtrantiũ erra
ta notantur, & pro magnis habentur. Eam ob rem Iulius Druſus Publicola haud immeri-
tò claruit, quòd domus eius ex pluribus partibus uicinis cõſpicua cùm patêret, & quinq;
eam talentorũ omnino ſumptu faber quidã auerſurũ atq; cõmodius directurũ reciperet:
Decẽ, inquit, dabo, ſi totam ita exponas conſpicuam, ut uniuerſi ciues, nedum uicini, per-
ſpicere queant, qua domi meæ ratione uiuatur. Nempe uir erat modeſtus ac frugi, nec ei
fortè eiuſcemodi domus perſpicuitate opus erat, qui uirtutis egregiæ ſpecimen, & præcla
ræ uitæ documenta eruditiſsima quotidie foris dabat. Vulgus igitur mores, uitam, actio-
nes, conſilia omnia eorũ qui reipub. præſunt, curioſiſsimè rimari atq; introſpicere ſolet, e-
tiamſi hoc altè admodũ obtegas, & tanꝗ uelamentis obnubas & abdas. Nec minus hoc
accidere amat ex priuatis, ꝗ ex publicis ſtudijs: quo fit, ut ijdem alium ament & admiren
tur, alium oderint & pro nihilo ducant. Cur igitur, dicet quiſpiam, ſceleratorũ quoq;, ne-
quiterq; uiuentiũ opera plerunq; ciuitates utuntur? Propterea, quòd ſæpe mulieres præ-
gnãtes humũ, lapilloſq;, nauſea uerò affectæ ſalſuginem, & id genus edulia perſequũtur,
ſanè non multò pòſt reſpuunt, atq; ab illis abhorrent: haud abſimili ratione ob luxuriã &
delitias populus ſeu inopia meliorũ rectorum quibuſuis utitur, mox eos abominatus ne-
gligit & minimi facit, eaq; in ſe dici ſæpenumero delectatur, cuiuſmodi ſunt quæ Plato
Comicus populum uſurpantem inducit: Apprehende, apprehende manum ꝗ celerrimè
meam, Agyrium decreturam imperatorem, & rurſus quærentẽ peluim ac pennam ſcelus
euomat. Dicentem deniq;, officit mihi linteum ad tribunal eunti, depaſcitur fœtulentum
caput morbus teterrimus. At populus Rom. pollicẽte neſcio quid Carbone, & iuriſiuran
di adiectione id affirmante, fore adiurauit contrà, aſſeuerauitq;, fidem ſe illi non habiturũ.
Lacedæmone uerò Demoſthenes quidam in ſenatu autor ſententiæ fuit ſatis ſalutaris, &
rei qua de agebatur idoneæ. Ad quam repudiandam pro indignitate autoris uiſus eſt ſe-
natus propenſior. Proinde Ephori alium ex ſenioribus delegerunt, cui id negocij ſenten-
tiæ dicendæ demandauerunt, tanꝗ ex uaſe obſoleto & ſordido ad parum bene imbutam
rem transfundendam cenſentes, quò multitudini acceptior fieret. Tantũ momenti in re-
buſpub. probitatis opinio poſsidet. Ad hæc uerò ciuile ius & gratia eloquentiæ nõ in po-

Quare ciuitates à ſceleratis plerunq; gubernentur.

Eloquentia præditos eſſe oportere rempub. præſides.

C ſtremis ducenda eſt, uirtute magiſtra & principe. Non enim rhetoricã ſuadendi opificẽ, ſed adiutricẽ eſſe debemus exiſtimare. Qua ratione illud eſt corrigendũ Menandri: Mores dicentis ſunt qui perſuadent, non oratio. Re eñ uera utrunq; eſt quod rem efficit, mores nimirũ atq; oratio: niſi quiſpiã dicere uelit, nauẽ à gubernatore duntaxat dirigi, non à clauo quoq;: & equitem eſſe qui equũ in gyros uerſet, nõ etiam frǫnum: ita ciuitatẽ quoq; oratorum uita & moribus regi, non & oratione, nempe qua ueluti gubernaculis ac frǫno utãtur, quibus maximè uerſatile animal, ut Plato inquit, tanq; è puppi regatur atq; uerſetur. Quãdò enim reges illi magni & Ioue ſati, ut inquit Homerus, tametſi ſceptris & purpura nobiles, ſatellitibus cõſtipati, deorũ demũ oraculis inflati & tumidi, uulgus territare ſoliti, ac ſibi ſubijcere, uolebãt tamen uerborũ oratores effici, gratiamq; dicendi nequaq; aſpernabantur, conciones, in quibus clari ſolent effici uiri, nõ negligebantur, nec Iouem duntaxat conſilij præſidem obſeruabant, bellicoſumq; Martem, aut militarẽ Mineruam, ſed Calliopen quoq; uenerabantur, quǫ regibus ueneranda comes accedit, ferociam atq; duritiam uulgi ſuadela leniens atq; pudore. Homo certè priuatus de ueſte atque habitu populari ciuitatẽ regere, uoluntatem populi prǫualere, multitudinis moribus modum facere nunquã poterit, ni oratione & eloquentia præditus ſit, quæ una ſuadeat, afficiat, flectat, ducatq; multitudinẽ. At uerò gubernatores nauiũ alijs utuntur iuſſoribus, qui imperata excipientes ad alios deferant: qui autem rempub. regere uult, mentem is ſecum uelut gubernatorem habere debet: orationem inſuper, quæ accepta mentis imperia demum in alios ædat, ne idem ipſe uoce extera indigere uideatur, néue ut Iphicrates Ariſtophontis ſuperatus oratione, meliorem eſſe dicat aduerſariorũ actorem, cæterùm ſuam ipſius cauſam longè potiorem: ne ſæpe quoq; Euripidis illa in mentẽ ueniant, Vtinam miſerũ mortalium genus elingue & infans ſit, reſq; ipſæ pro uoce hominibus ſint, quò qui grauitate præſtant orationis, pro nihilo habeantur. Quǫ quidem Alcameni nimirum, & Neſiotǫ, & Ictio, reliquiſq; ſordidis illiberalibuſq; opificibus dicere concedendum eſt, dicendi commoditatis expertibus: ut Athenis quondam duobus architectis propoſitis ad opus quoddam publicum affabrè faciendum, uter eſſet præſtantior cùm quæreretur, alter diſertior

D ſcilicet, & qui ad orandum ſcitior atq; comptior eſſet, orationem iam inde ab initio meditatus, ad populum eam de ædificio & opere habuit, affecit demũ & mouit. Alter uerò arte quidem longè præſtantior, cæterũ dicendi imperitus, uerborumq; inops: Viri, inquit, Athenienſes, quæ iſte pulchrè diſſeruit, equidem re efficiã. Ii ſunt, ut inquit Sophocles, qui opus omnino curandum ſuſcipiũt, uelut ferrum inanime plagis obnoxium in incude tundentes producant. At cultor ille canæ Mineruæ, atque conſultiſsimæ Themidis, quæ conciones agere, cœtuſq; dimittere nouit, oratione uſus tanquam inſtrumento, nunc confingendo res inter ſe atq; aptè conglutinando, nunc quæ obſtant operi molliendo leniendóue, & quæ ut nodi grumuliq; circunſtant ſtipitem, uel ut ferrum ferrugo, repurgando, omnino ciuitatẽ exornat. Quas ob res Periclis rempub. gubernandi ratio, uerbo quidem, ut Thucydides inquit, popularis eſſe uidebatur, re uerò, ui & facultate orationis unius omnium primi uiri regebatur imperio. Quandò Cimon erat uir ille quidem bonus, Ephialtes item atq; Thucydides: ſed ab Archidamo rege Spartiatarum idem interrogatus, uter, ipſe'ne, an Pericles lucta præſtaret, haud facilè dixerim reſpondit excipiens: ubi enim luctando illum ego proſtrauero, mox ille dicendo cecidiſſe negat, deniq; ſpectatoribus ita rem habere perſuadet, & euincit. Quæ quidem dicendi facultas & uis, nõ modò gloriam illi, uerùm quoq; ſalutem ciuitati ferebat: eius enim dicto audiens ciuitas, ſuam ipſius cõſeruabat felicitatem, alienis & exteris abſtinebat. Nicias uerò eandem rationem uoluntatemq; ſubſecutus, haudquaq; obtinuit, minimeq; adeptus eſt, propterea quòd ſuadendi cõmoditatis indigus erat, languidiore oratione tanquam obtuſo fræno conatus populũ flectere, atq; quô uellet impellere, & unde cõmodum eſſet deducere: quin ui quadam cõpulſus ipſe profectus in Siciliam, attritis penè ciuitatis opibus, ingenti reipublicæ uulnere ſeipſum perdidit. Lupum quidem aiunt auribus teneri non poſſe, populum autem inde maximè duci oportet: non hiſce artibus atque anſulis, quibus ineptè ſatis & inuenuſtè inexercitati quidam, & eloquentiæ rudes ac imperiti, gratificari multitudini quæritant, & ſibi eam conciliare, epulis inquam, largitionibus, ſaltationibus, apparatu gladiatorum, ſpectaculorum editione, magnis demum ſumptibus, quarum rerum ſtudioſos equidem ambitioſos magis, quàm populares habendos cenſeo: quandoquidem popularitas eſt, quæ ratione orationeq; perſuadet populum. Cæterùm eiuſcemodi rationibus & illecebris plebem ambire atque manſuefacere, nihilo mihi differre uidetur

ab arti-

A ab artificio uenandæ decipiendæq́ feræ. Porrò uiri ciuilis oratio ea ſit, quæ neque recens *Oratio qualis eſſe debeat.*
& theatralis, tanq́ oſtentantis cuiuſpiã, & mollibus atq́ floridis nominibus innectentis
ſerta, uideri poſsit: nec rurſus ut Pytheas dicere ſolitus tradĩ, orationẽ Demoſthenis lucer
nam olere, exquiſitis ſcilicet curioſe cõmentis, duris ambitibus examuſſim & ad perpen-
diculum exactè compoſitã: uerũ ut muſicis placet leniter atque placidè fides tractari, nõ
ui & impulſu cõcuti oportere, ſic & in eorum oratione, qui reipub. conſulunt & operam
nauant, exiſtere debet non aſtus, nõ calliditas: non ipſi aptè artificioſéq́ tum dicendi, tum
diuidendi ſibi laudem arrogẽt: quin ciuilis oratio ingenuitatis plena promatur, ferat præ
ſe ueritatem & ſimplicitatem ſententiarum, libertatem quæ patrem deceat, prouiden-
tiam, curam, prudentiam: gratificandi ſuadendíq́ modum metiatur honeſto: graui-
bus id, aptis, idoneisq́ tum uerbis, tum uerò ſententijs efficiat: admittat in cauſis foren-
ſem dicendi acrimoniã: ſententias, hiſtoriã, fabellas, translationes, quibus maximè audi-
tores mouenĩ, nõ refugiat, modò aptè id & modeſtè efficiatur: ut ille qui dixit, Ne facite
Græciam alteram captam oculo. & ut Demades naufragia reipub. dixit à ſe tractari. item
Archilochus: Ne Tantali ſaxum huic impendeat inſulæ. & Pericles, Aeginam ueluti de
oculo lemam Piræo detrahendã eſſe. Phocion uerò ſuper uictoria Leoſthenis, Pulchrum
ſibi inquit uideri ſtadium, uerùm metuendũ eſſe belli recurſum. Et ut ſemel dixerim, gra-
uitas & amplitudo orationis his qui reipub. præſunt maximè cõuenit. Huic rei exemplo
ſint orationes Philippicæ, & ex Thucydidis quam Sthenelaida Ephorus, quamq́ Archi-
damus rex Platæis habuit, quámue Pericles poſt peſtilentiæ cladem ad populum. At ue-
rò de Ephori, Theopompi, Anaximenis orationibus, quibus copias armãt, & inſtructas
in aciem ducunt, hoc dicere poſsis, præſente ferro nemo tantùm deſipit. Ad hæc non alie-
num eſt ab oratione ciuili, cauillo nõnunquam uti, atque interdum ridiculo, modò res nõ
ad contumeliam fiat, neque ſcurriliter: quin ea ratione tractetur, ut ex uſu dici & modicè
uideatur, reprehendendi alicuius detrahendíq́ ſtudio. Maximè autem eiuſmodi cõmen-
dari ſolent, quæ à laceſsitis prius, nõ ipſis incipientibus, tanquam occurrentibus aliorum
in ſe cauillis, reddi uidentur. Ex præparato enim his uti, & priorem eſſe qui mordeat, ſcur-
B ræ & riſum captantis eſſe uidetur, præterquàm quòd improbitatis etiam affert opinionẽ,
ut illa Ciceronis & ſenioris Catonis, atque Euxithei, qui Ariſtoteli familiaris fuit: hi enim
mordebant ſæpe dictis incipientes. Atqui remordentibus ueniam ſimul & gratiam ipſa
occaſio præbet: ut Demoſtheni, qui, cùm is qui ut fur male audierat, lucubrationes eius et
nocturnas ſcriptiones paulò petulantius irrideret, reſpondit excipiens: Scio me tibi mo
leſtum, qui noctu lucernam accendo. Idem ad Demadem exclamantem: Demoſthenes
me corrigere uult, nempe ſus Mineruam. At iſta, inquit, Minerua priore anno in adulte-
rio deprehenſa eſt. Lepidum etiam illud Xenæneti ad ciues ſuos. Exprobrarant ei quòd
imperator exercitus ab hoſtibus eſſet uerſus ad fugam: At uobiſcum, inquit, lepidiſsima
capita aufugi. Verùm illa uitanda uidentur in ridiculis, ut nihil nimis, ut ineptè nõ offen-
das auditores, ut teipſum non admodum deprimas, ut non ignauum & abiectiſſimũ red-
das, quemadmodum Democrates frequenti populo cõcionem habiturus pulpitum cùm
aſcendiſſet, ſic ſe inquit ut ciues ipſos parum ualere, multumq́ tumeſcere. Is clade apud
Cherroneſum accepta, proq́ eo ciuitate mœrore affecta, orationem ad populum pro ſug
geſto habiturus: Nolim, inquit, ciuitatem tanta calamitate afflictam, ut me ea de re delibe
rantem audire neceſſe haberet. ut enim puſilli animi hoc, ita ſuperius illud profectò inſa-
ni erat, quorum neutrum ciuitatem regenti uiro conuenire uideri poteſt. Phocionis deni-
que breuitatem dicendi omnes admirabantur: quippe Polyeuctus Demoſthenem aie-
bat eſſe oratorem ampliſsimum, Phocionem uerò perſuadendo grauiſsimum: breuiſsi-
ma enim eius dictione uberrimas ſententias contineri. Quamobrem Demoſthenes ipſe
cæteros non magnifaciens, ſolitus dicere traditur, ut Phocionem ſurgere conſpexiſſet,
Verborũ meorũ gladius iam ſurgit. Maximè itaque annitendum eſt, ut oratione non in-
teruacua meditatus cautè ad populum utare: quandò etiam Pericles ille priuſquàm or-
ſus eſſet orationem, precari, & uota facere conſueuerat, ne uerbum quidem ullum ſibi in
mentem ueniret, quod à rebus ipſis uideri poſſet paulò alienius. Enimuerò ad reſpon-
dendum cauillis, & remordendũ, exercitatione & uſu eſt opus, quò promptè retorqueas.
Subitæ enim ſunt occaſiones, & multa repentina in rebuſpublicis inducũt. Quo factum
eſt, ut ſuperari plerunque Demoſthenes creditus ſit, qui nactus occaſionem, rem differ-
re, quàm ex tẽpore reſpondere malle conſueuiſſet. Alcibiadem præterea memorat Theo
phraſtus inter orandum quærere ſolitum non modò quæ diceret, ſed etiam quo dictio-

C nis genere, quo denique modo ea ſibi eſſent dicenda: unde ſæpenumero hæſitare rebus,
& titubare in ipſo orationis curſu deprehenſus eſſet. Sanè qui è rebus ipſis, atqueadeo ex
ipſis occaſionibus rem opportunè aggrediuntur, auditores facilè mouent hi, & ſibi con
ciliant, poſtremò quô uolunt impellunt ſine negocio. Venit olim Athenas Leo Byzan-
tius, populo inter ſe diſsidenti de concordia ſuaſurus: ubi uiſus puſillus, deriſui habitus
eſt. Id ut ille animaduertit, per occaſionem, Quid, inquit, uiri Athenienſes, ſi uxorē meam
uideritis? quid ſi ſe ueſtris illa ſubijciat oculis? quæ tantilla eſt, ut uix me genu tenus per-
tingat. Maior hinc ſublatus eſt riſus. At, dixit excipiens, nos tantopere puſillos & breues,
ſi inter nos diſsidium eſſet, uix oppidum Byzantium capere poſſet. Cùm in ſenatu Athe-
nis de magnis honoribus Alexandro Macedoni decernendis ferretur, Pytheas orator a-
criter cōtradixit. Dicenti uerò cuidam, Tú ne Pythea iſta ætate tantis de rebus uerba pu-
blicè facere audes? reſpondit: Atqui is quem Deum uos decernere molimini, Alexan-
Vox. der, me iunior eſt. Ad hæc, oratori ciuili uoce ualida & ſpiritu opus eſt, quippe qui nō ad
quodlibet, ſed ad ingens & pugnax certamen eſt deſcenſurus, ne quādo defatigatus iam,
& ſenſim extingui incipiens, à rabula quopiam & uocali uociferatione atq; clamoribus
opprimatur. Eam ob rem Catonem accepimus tempus nequicq; terere ſolitum, & totam
diem concionari, ubi populo ſe uel ſenatui, occupato ſcilicet alicuius gratia ſtudióue, mi-
nus poſſe perſuadere arbitraretur. De apparatu orationis & uſu quę dicta hactenus ſunt,
ſatis ei futura exiſtimamus, qui hæc adeptus, uia hinc proficiſcens quæ reliqua ſunt conſe
Ad rempub. capeſſendam uiæ duæ. qui poſsit. Cæterùm ingreſſus geminos, quibus ad rempub. capeſſendam eatur, compe-
rio. Alteram quidem uiam compendiariam, ad ſplendorem & gloriam peridoneam, ſed
non ita tutam, neq; citra periculum. Longiorem alteram, & humilem illam quidem atq;
pedeſtrem, ſed ſatis ſecuram atque in tuto poſitam. Sunt enim qui de aliquo præclaro &
grandi ſoluentes facinore, uelut de promontorio quodam in altum protinus uela dent, in
mediam rempub. deferuntur, rati illud Pindari rectè dici: Inchoando operi pulchra uiſu
eſſe primordia iacienda. Videtur enim uulgus ſatietate atq; faſtidio quodam eorum qui-
bus cum iam conſueuit, ut in ſpectaculo nouum certatorem, ita eum qui recens rempub.
D capeſsit alacriter excipere. Celeritas enim incrementi comparatæ potentiæ liuorem euin
cere omnem, & inuidiæ locum nullum uidetur relinquere, & ut inquit Ariſto: Nec ignis
concipit fumum, nec gloria gignit inuidiam, ſi repentè utrunq; atq; celeriter emicuerit. Il-
la enim aliunde alius carpit atq; obtrectat, quæ paulatim & ocioſe uidet ſuccreſcere. Quo
ſæpenumero factum eſt, ut in foro pleriq; priuſquàm florere cœpiſſent, penitus elangue-
rint. Vbi uerò res ita agitur, ut de Lada memoriæ proditum eſt, cuius auribus plauſus ſpe
ctaculi, atq; ſonitus ille carcerum dies nocteſq; obſtrepere ſolitus dicitur, ut quocunq; ſi-
ue imperator, ſeu legatus profectus eſſet, corona triumphóue magnificè donaretur: ubi,
inquam, res ſic ſuccedunt, pari hîc ratione tam contemptores quàm inuidi parum ualent,
uel nihil potius. Hac uia Aratus gloriam conſecutus eſt, qui Nicoclis tyranni interitum,
gradum ſibi ad capeſſendam rempublicam fecit. Hoc pacto Alcibiades ſibi uiam muni-
uit, inductis Mannineis ut in Lacedæmonios conſpirarent. His Pompeius artibus nihil
dum ad ſenatum allectus, decernendum ſibi triumphum curauit. Syllæ uerò intercedenti
tí plures dixit eſſe qui ſolem orientem, quàm qui occidentem adorent. quæ ſimul audiuit
Sylla, ſubſtitit, atqueadeo ceſsit. Iam uerò Cornelium Scipionem nō temerè populus Ro
manus adductus præter legem Conſulem declarauit, ſed pugnam atq; uictoriam eius ad
huc adoleſcentis Hiſpanienſem maximè admiratus, non multò poſtea quæ Tribunus mi
litum apud Carthaginem geſſerat. Quibus tamen geſtis Cato ſenior exclamauit: Solus
ſapit, cæteri ut umbræ mouentur. Verumenimuerò hac tempeſtate, quandò nullæ ſunt
amplius ciuitatibus expeditiones ſumendę, nulla bella militiæq; relicta imperia, nullæ ty
rannorū cædes, nulla bella iure ſociali ſuſcipienda, quænam initia quiſpiam capere poſsit
reipub. præclarè adminiſtrandæ? Iudicia omnino legationumq; functiones ad rerum om
nium principes reliquæ ſunt: ad quæ quidem munera ſubeunda, uiris certè opus eſt inge
nio præditis, lingua, rerum deniq; uſu. Sunt pleraq; præterea ſatis honeſta & clara munia,
tametſi iandiu neglecta, & propè deſita in ciuitatibus, quæ ſi reducenda cures, gloriā ad-
ferant. Quæ corruptioribus inſtitutis, & inconſiderata licentia damno atq; dedecore ciui
tatum illata ſunt, ſi tollas corrigáſue, ciuibus uſui, honori tibi futura ſint. Iam magna ali-
qua atque difficilis cauſa pulcherrimè iudicata, integritas atque fides patroni imbecilli
clienti præſtita, præſertim aduerſus potentem litigatorem, iuris atque pudoris contra pe
tulantiam magiſtratus libera propugnatio, uiam pleriſque muniuit, atque præclarum

ape-

A aperuit aditum ad rempublicam cum dignitate & gloria egregiè tuendam & gubernandam. Permultos alios uidimus per inimicitias & contentionem auctos claruiſſe, adortos ex induſtria homines, inuidioſa & formidabili autoritate pollentes. Maiore enim cum gloria autoritas deiecti iam hominis ad eum qui deiecit transfunditur. Verũ probum ac frugi hominẽ, & uirtute præſtantẽ uirum, ob inuidiam oppugnare, ut Periclem Simmias, ut Themiſtoclem Alcmæon, ut Pompeium Clodius, & Meneclides orator Epaminondam, neq; ad gloriam eſt decorũ, neq; alioqui utile. Nam etſi decepta multitudo frugi hominẽ impugnarit, mox errato animaduerſo, & inſtigatoribus agnitis, ſi facti ſe pœnituerit, iuſtiſsimam hanc ſimulq; facillimam mulctam peccati exiſtimant, ſi autorem facinoris atq; impulſorem funditus perdant. E diuerſo improbo facinoroſoq; homini ſiue calliditate & aſtu, ſiue ſuperbia atq; faſtu rempublicã ſibi ſubijcienti, cuiuſmodi Athenis fuit Cleon, qualis Clitophon, huic omnibus officere uiribus, eius potentiam decurtare, audaciamq; reprimere, præclarum utiq; facinus, quo ad rempub. capeſſendam luculentũ patefieri aditum cernere licet. Haud me fugit, aliquando pleroſq;, qui aut ſenatui moleſto & inſolenti modum fecerunt, aut paucorum potentiam repreſſerunt, ut Ephialtes Athenis, ut Phormio apud Elienſes, autoritatem hinc continuò atq; uires adeptos: uerùm homini modò munera ciuitatis ſubire incipienti, hæc ratio ingentis eſt periculi plena. Quocirca meliora uidetur ſuſcepiſſe auſpicia Solon, qui cùm inter ſe ciuitas diſsideret, atque per factiones diuiſa trifariam eſſet, in Diacrios, Pandieos, atq; Paralios (hæc enim omnino capita partium erant) nullis ſe immiſcuit, nullis factioſe ſe dedit, quippe qui cunctis cõmunem ſe præbuit, omnia dicens agensq;, quæ ad concordiã ferrent: quãobrem cõmuni cõſulto, & diſcordiarum tranſactor, & legumlator egregiè declaratus eſt: ad extremum hac uia, his artibus ciuitatem conſtituit, & rempublicam optimis inſtitutis ac legibus temperauit. Illuſtrior itaq; ad rempublicam aditus atq; gradus exiſtit, qui eiuſcemodi principijs proficiſcitur. Alterã uerò uiam, quam tardiorem quidem, ſed tutiorẽ eſſe mõſtrauimus, pleriq; illuſtres uiri præoptauerunt, Ariſtides, Phocion, Pammenes Thebanus, Lucullus & Cato Romæ, Ageſilaus Lacedæmone. Etenim quemadmodũ hedera naſcentis alicu- *Altera ad rempub. capeſſendã uia.*

B ius futuræ præualidæ arboris ſtipitem undiq; amplexa unà conſurgit & inoleſcit, ita illorum quiſq; ſeniorem adoleſcens, & glorioſum inglorius ſubiens, ac ſe dedens, paulatim ſublatus, & ſenſim adactus, radicibus iam altè actis ſubnixus, extitit demum, atq; ad rem pub. capeſſendam & gubernandam ſeſe idoneum præbuit. Siquidem Ariſtidem Cliſthenes, Phocionem Chabrias, Sylla Lucullum, Catonẽ auxit Maximus, Pammenẽ Epaminondas, Ageſilaũ Lyſander: tametſi hic importunæ gloriæ ſtudio, improbaq; æmulatione laſciuiens, rectorem nõ multò pòſt reiecit, atq; agendorũ moderatorẽ petulantiſsimè aſpernatus eſt. Cæteri ciuiliter & honeſtè ad finẽ uſq; magiſtros obſeruauerũt, & cultu debito proſecuti ſunt, ut ſoli ſubiecta corpora, quæ cùm inde ſplendorem accipiũt, uiciſsim & reddunt, & quidem quoad eius fieri poteſt illuſtrius atq; plenius quod acceperũt. Itaq; qui Scipioni gloriam inuidebant, eiusq; obtrectabant laudibus, actorem illum quidem eſſe iactabant, poëtam uerò amicum Lælium. Lælius autem nihil hinc ſublatus, nunquã non uirtuti Scipionis atq; glorię ſtuduit. Africanus Pompeij neceſſarius, etſi admodũ humilis, uiſus eſt tamẽ Conſulatũ appetere, Pompeius uerò alijs petentibus operam dabat. Africanus ubi id comperit, petitione deſtitit, inquiens, nõ tam Conſulatum, ſi fortè adipiſcatur, futurũ gloriæ, quàm moleſtũ & triſtem, ſi Pompeio nolente, neq; opitulante, illum aſſequatur. Quare factum eſt, ut anno omnino circumacto, ſaluis amicitiæ uiribus, Pompeij ope uoti compos effectus ſit. Proinde his, qui alieno ductu ſe ad gloriam erigũt, illud quoq; uſu euenit, ut hîc una re multis ſimul mos geratur, ſi quid moleſti accidat offendatẽ nemo. Quamobrem Philippus Alexandrum ſummonere ſolitus traditur, ut patre uitam adhuc agente atque regnante, amicos ſibi conſuetudine, comitate, gratificatione, quoad licitum eſſet, comparare ſtuderet. Enimuerò eiuſcemodi is ſibi magiſtrum ac ducem deligere debet, qui ad ciuitatis munera obeunda ſe idoneum uult, cuius nõ tam opibus & potentia, quàm uirtute probitateq; inniti firmariq; poſsit. Quemadmodum enim non quæuis arbor uitis amplexus admittere & perferre uult, quin pleræq; uitem ipſam præfocant, atque eius inoleſcentis progreſſus retundunt & opprimunt: ita in ciuitatibus, qui gloriæ duntaxat & principatui omnem nauare uidentur operam, atque obnixè ſtudere, non unà quoque uirtutem excolere, iunioribus hi nullas uolunt exhiberi occaſiones rerum egregiè gerendarum, quin præclariſsimas quaſque res, tanq; futuræ gloriæ ſegetem clàm per inuidiam ſubtrahunt, & iuuentutis florem ex induſtria tabefaciunt. Hac ratione *Qualem ſibi, rei pub. operam daturus, ducem debeat proponere imitandum.*

C Marius in Libya,ruſus idem in Gallia,opera Syllæ ad facinora prçclarè patrata egregiè
uſus ſubſtitit:deniq; & ea uti amplius noluit,nempe grauatus felicitate & curſu indies au
geſcentis gloriæ eius:tametſi obtentu,atq; per cauſam anuli ſigillaris,conſuetudinē eius
eſt uiſus abhorruiſſe. Etenim Sylla Quæſtor in Libya imperatore Mario miſſus ad Boc-
chum,re feliciter geſta uinctū Iugurtham adduxit. Ea re,ut erat iuuenis, & gloriæ pauló
auidius affectator,neq; felicitatē modicè tulit, & Iugurthæ imaginē,ut fuerat traditus,in
anulo quem geſtabat inſculpſit.Eam rem crimini dans Syllæ Marius,amicitiā eius poſt-
hac aſpernatus eſt:ad Catulum ille atq; Metellū claros tum uiros,alioqui infeſtiores Ma
rio,ſeſe contulit,nec multò poſt Mariū autoritate deiecit,& opibus omnibus exuit,cōci
tato iam illo bello ciuili,ex quo parū abfuit,quo minus Romana res funditus euerſa pe-
riret.Pompeiū tamen Sylla iuuenem adhuc ipſe ſubuexit,cui aduenienti detecto capite
ſolitus memoratur aſſurgere.Multas idem imperitandi occaſiones reliquæ iuuētuti ſup-
peditauit, nonnullos aliquando uel languidiores excitando,uel inuitos inducendo, uel
denique per ſe animatos uehementius irritando. Quibus artibus militares ordines, qui-
bus ille præeſſet,ambitionis atq; cupiditatis & æmulationis cōpleuit:quippe cui nō tam
cordi erat,ut unus cunctis imperitaret,quàm ut inter multos magiſtros & claros,primus
ipſe atque maximus haberetur. Eiuſcemodi itaq; uiros ſequi oportet,& his inniti:nō ue-
lut regulus Aeſopi,qui humeris uectus aquilæ,derepentè ſubuolauit,& illam præuenit.
Neque enim ab illis ſurripienda eſt gloria,ſed beneuolentiæ ac amicitiæ ductu accipien
da:quandò præſertim ne imperare quidem quiſpiam rectè poteſt,ni prius ipſe ritè ſeruie
Circa amicos rit,ut inquit Plato.Conſequens eſt,ut de amicitia rectè atque ſanctè cōſtituatur,exploſa
quales eſſe opor ſimul cùm Themiſtoclis,tum uerò Cleonis ſentētia.Hic enim ut primū rempub.attinge-
teat. re deſtinauit,uocatis amicis omnibus,ſoluere ſe uelle dixit amicitiç uincula,ſubdiditq; ra
tionem:ſolere amicitias pleraq; recta & iuſta ſubuertere,quòd homines rempub.admini
ſtrantes,utpote affectu & mollitie occupatos quadā,ſæpenumero à uia deducit recti offi
cij.Ei longè melius fuiſſet,auaritiā & contentionē omnē animi procul eijcere, & ſeſe om
D ni prorſus inuidia atq; improbitate depurare.Neq; enim his ciuibus opus eſt,qui beneuo
los atq; amicos habeant nullos,ſed qui temperati & frugi ſint.Nunc uerò amicos fugan-
dos abigēdosq; ille quidē duxit,ſed centū ſe capitibus adulantiū,atq; quoquouerſus pal-
pantiū circundatū atq; lingentiū, ut aiūt Comici,nō intelligebat,ut qui modeſtis ac pro-
bis grauem atq; trucem ſe exhiberet,idem rurſus multitudini imperitæ ſubiectum,atq; in
gratiam inconditi uulgi ſenectutis mercenariū corruptorem præberet: & quod omnium
turpiſsimum eſt,colluuionem populi morbidam,ut aduerſus optimos quoſque per inſi-
dias conſpirarent,miris artibus cōcitaret.Themiſtocles autē ei qui rectè honeſteq; ipſum
rem cōmunem geſturum affirmarat,ut qui æquum ſe omnibus paremq; prçſtiturus eſſet,
Dic meliora, inquit: nolim equidem in magiſtratu gerēdo talem me eſſe, & ea ratione
ad hoc aſcendere ſolium,ut nihil à me amplius habituri eſſent amici quàm inimici.Nem-
pe ne is quidem rectè; nec enim debuit ciuitatē & munus cōmune,ſuis adductus ſtudijs,
ſuis ipſe obſecutus affectibus,amicis permittere, & tam perperàm priuatis obſtringere ra
tionibus.Quanq; idem petenti ab ſe Simonidi neſcio quid quod minus uideretur hone-
ſtum,Nec poëtam, inquit, ſibi uideri bonū,qui incōcinnum quippiam & abſonum cane-
Quales miniſtri ret:nec magiſtratū frugi,qui contra ius faſq; cuipiam inſeruiret.Iniquum profectò,& mi-
deligendi. ſerandum omnino uideri poteſt, ſi gubernator nauis nauitas deligit, nauis præfectus re-
ctorem qui puppi inſideat,qui clauum ſcitè pertractet,qui è re ſua nunc malum erigat, &
antennam intendat,nunc ingruente uento uela in altū det: ſi architectus item magiſterq;
operum operarios conducit,atq; redemptorū delectum habet,nō qui opus corrumpant,
diſtorqueantue, ſed qui attentè iuſſa excipiant, perq; affabrè munia exequantur: ciuilis
autem uir præſtantiſsimus opifex,ſimulatq; reipub.capeſsit gubernacula,non deliget ſi-
bi miniſtros ijſdem ſecum affectos ſtudijs,eadem uoluntate cōiunctos,eodem ueluti nu-
mine ad honeſti cultum,& uirtutis amorē impulſos. Etenim ſi eorum utetur opera, quo-
rum ſtudia atque rationes diuerſæ & diſſentaneæ ſint, quorum ad aliud alius ui & iniuria
perpetrandum pro ſtudio impellat & flectat,nihilo mihi differre uidebitur ab eo qui opi-
ficem agens, imperitè & temerè perpendiculis ac normis utatur, nō quibus opus dirigat
& pulchrè abſoluat, ſed quibus omnino deſtruat & deprauet. Amici enim habendi ſunt
his qui rempub.adminiſtrant,pro inſtrumentis animatis & ratione utentibus: quos,ſicu-
bi fortè aberrent,non tanquam comites ipſi ſequi debemus: quin maximopere attenden
dum eſt,ita eos eſſe affectos,ut ſponte ſua etiā abſentibus nobis ab officio non diſcedant.

Id enim

A Id enim fuit quod Soloni uitio datum animos ciuium pupugit, & uehementer offendit.
Animo enim cùm deſtinaſſet legem ferre, qua qui ære alieno impliciti eſſent, à ſarcina le-
uarētur, quam leniendæ rei cauſa Siſachthian, hoc eſt, nouas decretas tabulas appellauit,
cōmunicauit antea rem hanc cum amicis: illi rem nefandam protinus cōmenti ſunt, quip
pe legis ferundæ tempus præuertunt, & grande æs alienū contrahunt, ut paulò pòſt pro-
mulgata lege creditoribus ipſis imponerent, effeceruntq; facinus, ampliſsimis ædibus at-
que magnificis prædijs coëmptis ea quā modò interuertiſſent pecunia. Hinc Solon peſsi
mè audiuit, perinde ac ſi ille iniuriam intuliſſet, quæ potius ab amicis ei illata fuerat. Age-
ſilaus uerò ita ſtudioſus amicorum extitiſſe cōmemoratur, ut ſeipſum ſæpe imbecillum
atq; abiectiſsimum faceret, in morem Euripidei Pegaſi pauens, atq; longè amplius ęquo
cedens. Calamitoſis enim amicis paulò ſtudioſius & uberius opem ferendo, iniurius ipſe
ut uideretur ſæpenumero cōmittebat. Phœbidam accuſatum quòd iniuſſu ſenatus Cad-
meam demolitus eſſet, pœna exemit, & ut ſaluus fieret autor extitit, ſubdens, eiuſcemo-
di res quādoq; ex tempore ac raptim per ſe patrare neceſſe eſſe. Sphodriæ præterea, quòd
Athenienſibus, non modò per id tempus amicis, uerumetiam ſocijs & fœdere iunctis, a-
grum Atticū inuaſiſſet, in iudicio ſalute periclitanti affuit, & ut abſolueretur effecit, pue-
ri amatorijs precibus molliter atque indecorè inductus. Fertur ad hæc epiſtola quædam
eius ad tyrannum quendam pro amico Nicia in hæc uerba: Niciam, ſi inſons eſt, dimit-
te: ſin ſons, mihi dimitte: omnino uerò dimitte. At uerò Phocion ne genero quidē Cha
rillo, repetundarum dicturo cauſam, adeſſe ſuſtinuit, inquiens: Equidem mihi generum
te, ut hominem iuſtum & probum optaui. Quæ cùm dixiſſet, deſerto genero, cōtinuò in-
de ſeſe proripuit. Timoleo Corinthius, ut fratrē, quò tyrannide abſtineret, monitis atque
precibus inducere atque perſuadere nequiuit, his ſubinde nauauit operam qui illum inte
remerunt. Non igitur ara tenus, ut Pericles dixiſſe fertur, iura amicitiæ ſunt ſeruanda, ſci-
licet ne amico peieres, ſed omnibus legibus, omni iure, cunctis deniq; rebus officiū eſt ci
uis cuſtodiendū, ubi neglectum aliquid ad magnam aliquam noxam, & reipublicæ detri
mentum referri queat: ut illud referri poterit, Sphodriam atque Phœbidam Lacedæmo-
B nios Ageſilai opera debitas non luiſſe pœnas: hi enim potiſsimùm Spartam ad cladem
illam Leuctricam uiſi ſunt attraxiſſe. Verùm in amicos, leue quippiam cōmittentes, acer-
bè & grauiter ut animaduertas, ratio ciuilis non cogit: quin ſaluis rebus maximis, & in
tuto poſitis, per ciuitatem & rempublicam licet amicis adſis, & opem feras, quandò præ-
ſertim id efficere potes citra inuidiam: hoc eſt, ſi candidatis & honorem petentibus præ-
ſtò ſis, ſi adminiſtrationem ullam committas, ſi legationem ijs cures unde gloriam con-
ſequi poſsint, & humanitatis ſpecimen dare reconciliandis ciuitatibus, & diſcordiarum
tollendis ſeminibus. Verùm ubi res ulla præponitur, magna quidem illa atque illuſtris,
ſed operoſa & ardua, laborum & operis ſocium tibi aſſume amicum, ut Diomedes. Quòd
ſi alterum mihi iubetis ut adiungam, poſtea quî poſſum diui obliuiſci Vlyſsis? Cui qui-
dem Vlyſſes gratiam perquàm commodè & amicè retulit, inquiens ad Neſtorem: Quos
uides adductos equos, ô ſenex, Thracij ſunt, quorum dominum fortis Diomedes extin
xit: comites præterea omnes duodenos haud inſtrenuos. Et reuera amicis ſi tribuas lau
dem, nihil te minus quàm illos quos laudes decorare uidebere. At teipſum omnino ama-
re ſine riuali, ſolitudinis id comes eſt, autore Platone. Quamobrem cuiuſque rei huma-
niter abs te, benignè, honeſtè, comiter perpetratæ, gratiam amicis quoque impertias o-
portet, ut hi de quibus ſis benemeritus, eoſdem amicos tuos, te hortante maximè, utpo-
te adiutores & conſiliorum participes, amare, laudare, & beneuolentia pariter proſequi
animum inducant. Ex contrario, quorumuis amicorum inepta & incommoda poſtula-
ta amoueas ipſe depellasq; neceſſe eſt: non tamen acerbè & truciter, ſed placidè leni-
terq; commonefaciendo, quæ abs te petunt nō eſſe digna quæ ab illis impetrentur, quan
dò à uirtute atque exiſtimatione eorum iure abhorrere uideri poſſunt. Proinde lepidiſsi-
mè omnium Epaminondas negaſſe fertur roganti Pelopidæ, ut cauponem quendam
uinctum atque conditum ſolueret, quem idem non multò pòſt illa quam adamabat oran
te dimiſit, ſubdens, orata eiuſcemodi conuenientius meretriculas quàm uiros claros atq;
prætorios aſſequi oportere. Moleſtè Cato atq; acerbè oranti Catulo Cenſori, Catoni ipſi
conſuetudine, amicitia, familiaritate arctè coniuncto, ut quendam iudicio eius obnoxiū
(erat autem Quæſtor) dimitteret: Turpe eſt, inquit, te qui iuuentuti bene inſtituendæ au
tor eſſe debebas, à lictoribus & miniſtris irrideri noſtris. Potuit certè uerbi detracta aſperi
tate atq; amaritudine, re ipſa orata refutare amici, & ſimul oſtēdere, moleſtè ſe id atq; inuſ

Σεισάχθεια, alleuatio eſt debiti communis.

Quouſq; uiro ciuili amicitiæ iura ſeruanda.

C tum facere, ſeueritate legum coactū, & iuris ui. Præclarū profectò illud, atq; honeſti præ-
ferens ſpeciem, inter honores magiſtratuſq; publicos amicorū inopiæ per occaſionē opi
tulari. Themiſtoclem Athenienſem legimus, ubi feliciter aduerſus Barbaros pugnatū eſ-
ſet, cùm in hoſtem mortuum incurriſſet torque atq; monili & reliquo ornatu indutū, ip-
ſum quidem ſpontè prętérijſſe, ad amicum autē quendam conuerſum, accipe iſta, dixiſſe,
tu: nō enim Themiſtocles es. Plerunq; enim hanc bene de amicis merendi cōmoditatem
ratio ciuilis permittit: nec omnes ſunt Menemachi, ut alijs cauſam honeſtè defendendam
demandes, quæ ſit ſcilicet aliquam allatura mercedem: alijs diuitem quidem & opulen-
tum, ſed alioqui patrocinio & diligentia indigentem cōmendes: nonnullis opus aliquod
publicum redimere cupientibus, uel locationē curantibus operam des. Epaminondam
accepimus cuidam egeno iuſsiſſe, ab amico diuitijs affluente talentū unum peteret: à quo
petitor ille facilè impetrauit. Percontanti poſthac, quid ita? Quia is quidem, inquit, cùm
homo frugi ſit, inopia rerum premitur: tu uerò diues pleraq; de publico peculatus. Ageſi
laum Xenophon memorat ſolitū libenter amicis locupletandis operam dare, qui tamen
Circa inimicitias quomodo ſe gerendum. opes atque diuitias minimi faceret. Sed quòniam omnibus corydalibus, ut inquit Simo-
nides, criſtas enaſci neceſſe eſt, & quæuis reipublicæ adminiſtratio inimicitias & diſſidia
quædam affert, maximè de his quoque cōſiderandum uidetur ei qui in republica aliqua
ratione uerſetur. Ariſtides atque Themiſtocles uulgò laudantur, ſoliti quoties ſiue lega-
ti ſeu imperatores publicitus mitterentur, priuatam ſimultatem & omnes inimicitiarū ra
tiones in finibus agri Athenienſis deponere, reſumpturi ſi ita uideretur in reditu. Conſi-
lium etiam Cretinæ Magnetis pleriſque uehemēter probatur: cùm inter ipſum atq; Her-
miam, honorum quidem cupidum & animo promptū uirum, ſed exiguis fretum uiribus,
inimicitiæ acriter & contentioſe exercerentur, extitit Mithridaticū bellum. Animaduer-
terat Cretinas ciuitatē eiuſcemodi bello ſalute periclitari: proinde iubet Hermiæ guber-
nandam ciuitatē ſuſciperet, eaq; ſalutariter uteretur: ſe enim è medio ſummoturū, atque
aliò profecturum iam deſtinaſſe: quòd ſi alteras mallet ſuſcipere partes, ciuitate ipſe dece
deret, illi imperiū & gubernacula reipub. relinqueret: metuendū nanque ſummopere, ne
D ob ambitionē & inteſtinæ cōtentionis ſtudia, ciuitas ipſa funditus interiret. Accepit con
ditionem Hermias, & optione propoſita, Cretinam bellicoſiorē profeſſus, & magis ido-
neum cui ſalus rerum cōmitteretur, acceptaq; uxore & liberis ciuitate abijt. Quem Creti-
nas comiter & humaniter proſecutus, ijs opibus iuuit atque ornauit, quas ſolum uertenti
bus, quàm domi obſeſsis, magis uſui futuras exiſtimauit. Porrò ciuitatē, extremis iam pe
riculis proximā, pręter ſpem omniū fortiſsimè eſt tutatus. Etenim ſi hęc exclamare, Amo
liberos, ſed patriā magis amo, generoſi ac celſi animi eſſe exiſtimatur, cur nō id cuiuis fa-
cillimum dictu, Odi illum atque malè afficere cupio, ſed uehementer patriam amo? nolle
enim eas inimicitias tollere, quibus etiam amicus ſit periturus, immanis eſt nimirū & ad-
modum feri. Quare præclarè Cato & Phocion, quorū neuter inimicitias animo cōcipien
das ducebat, ſi quid in gerenda repub. diſcreparet: quin pro ſuggeſto, & in publicis certa
minibus, hòc durus uterque & inexorabilis habitus eſt, quòd præfractè nimis nuſquam
proclinandum cenſebant, unde reipub. cōmoda prodi pacto aliquo uiderentur. Cæterū
in rebus priuatis, omni ſimultate longè abiecta, eorum ipſorū cōſuetudine comiter atque
humaniter utebantur, à quorū rationibus in repub. uehemētiſsimè abhorrebant: & rectè
quidē, nullus enim ciuis pro inimico habendus eſt, niſi is ciuitati & rei cōmuni hoſtis ſit,
atq; eiuſcemodi, qualis Ariſtio, & Nabis, & Catilina, tanq; morbus aliquis & uomica rei-
pub. natus. Porrò ſi qui alicubi diſſonant atq; diſcrepare uidentur intenſione laxationeq;,
hos amicè & placidè uelut muſicum ad modum atq; concinnitatē oportet reducere: nō ſi
quis aliquatenus peccat, iracundè protinus hunc, duriter, atque per contumeliam adori-
ri, quin autore Homero mitius & morarius pertractare: Te ſcilicet equidem cæteros pru-
dentia anteire arbitror. Item: Te certè ſcio meliorem iſta oratione excogitare facilè poſſe.
His & ſimilibus eſt utendum, ubi moderatè quippiam amicus egit dixit'ue, ne aut hono-
res eorū moleſtè ipſi ferre uideamur, aut rerum præclarè ab ijs geſtarū laudes parcè attin-
gere. Hac ratione improbitatē aliquãdo deteſtantibus nobis, ubi uituperandi quippiam
locus appareat, fides habebit, ut ijs, qui uirtutis cōmendatione nunc decorē & dignitatē
Inimicos etiam à uiro politico ab iniuria uindicandos. pro ueritate exaggerare, nūc improbitatē uituperare uideri poſsimus. Equidē à uiro ciui
li alienū minimè puto, in re honeſta & iuſta uel inimicis & aduerſarijs teſtimonio præſtò
eſſe, & in iudicio aduerſus calumniatores eos tueri, & falſò obiecta refellere crimina, quę
ſcilicet ab reorum inſtitutis & rationibus abhorrere penitus uideantur. quod non multò
antè

A antè à Nerone factitatū accepimus, ꝙ Thraſean occideret. Exercebant̃ miris modis inter
ipſum atq; Thraſean inimicitiæ: uerū cuidam multa criminoſe iactanti, atq; Thraſean per
peràm iudicaſſe cauſam ſuam aienti, obſtitit Nero, tantumq́; abfuit ut criminibus de ini-
mico contra ueritatē aſſentiret̃, ut exclamarit: Vtinam tam me Thraſeas diligat, quàm iu
dex ęquus & rectus eſt. E diuerſo nō parum ciuili rationi cōducit, ſi amicū, facinus quod-
piam admittentē, liberè increpes, pręſertim ſi alicuius inimici quidem, ſed paulò integrio
re uita hominis mentionē habeas, dicasq́; At ille nō id patratū dictúmue uoluiſſet. Potes
etiam per occaſionē ijs, quos à recta ratione uiuendi ullibi uideas aberrare, patentum uir
tutis ſummonere: ut Homerus, Næ parum ſibi ſimilem Tydeus natum progenuit. Et ad
Scipionē Africanū Appius, cùm in comitijs inter eos diſceptaretur, Quàm, inquit, Paule
præ indignatione iraq; ſub terra ingemiſceres, ſi filium tuum Cenſorem agentem ſenti-
res Philonico publicano comite ad magiſtratū domo deduci, domum rurſus eodem ipſo
conſequente reduci. Iis rationibus tractata res, ut errantes corrigere, ita correctoribus or
namento eſſe atq; laudi poteſt. Ciuili proinde animo Neſtor Sophocleus laceſsitus Aia-
cis iurgijs, reſpondere uidet̃: Non incuſo, inquiens, te qui rectè agis, perperàm loquens.
Cato aduerſatus erat Pompeio, rempub. cum Cæſare, ut aiebat, labefactanti, atque ei im-
piè uim afferre conanti: at ſimul ad bellum deuentū eſt, idem iuſsit imperiū Pompeio o-
mnino demandandū eſſe, ſubdens, eorundem eſſe & magna mala ciere, & ſedare. Enim-
uerò uituperatio ſi mixta eſt cum laude, quæ ingenuitatē, nō contumeliam uideatur præ-
tendere, neq; iram & propè furorem exuſcitet, ſed pœnitentū ueluti morſum inducat, le-
ne id negociū eſt, & res obſequioſa uidetur: è contrario maledicēdi atq; obiurgandi pro-
fuſa licentia, rempub. tuentibus & principibus ciuitatis dedecori eſt. Proinde animaduer
tere licet quæ in Aeſchinem Demoſthenes, contrà quæ in eundem dixit Aeſchines, rur-
ſus quænam Hyperides in Demadem ſcripta edidit: ea certè Solon, aut Pericles, Lycur-
gus Lacedæmonius, Pittacuſue Leſbius nequaꝗ dixiſſet: quanꝗ etiam Demoſthenes
eiuſcemodi maledicentia in accuſatorijs duntaxat atq; forenſibus cauſis utitur. Cæterùm
orationes Philippicæ omni omnino ſcurrili dicacitate carere uident̃: quæ quidē res præ-

Amici errantes quomodo corrigendi.

Correctionē maledicentia atque ſcurrilitate carere debere.

B terꝗ quòd omnē cōfundit curiam, forum atq; cōciones perturbat, plus quoq; maledicto-
rum autoribus dedecoris ignominiæq; afferre uidetur, quàm ijs in quos euomūt. Præcla-
rè itaq; Phocion, maledico & dicace quodam multa aduerſus eum cōcionem habentem
iactante petulantiſsimè, intermiſſa oratione ſubſtitit, & curſum illū uerborū inhibuit, do
nec uix aliquando ille conticuit: tum imperturbato animo Phocion pulpitum rurſus con
ſcendit, inde ſuperiorē orationem cōtinenter proſecutus. De equeſtribus, inquit, atq; pe-
deſtribus copijs iam audiſtis, reliquum eſt, ut de uelitibus & leuis armaturæ milite diſſe-
ram. Et quia pleriſq; id non uidetur toleratu facilè, propterea quòd laceſſentū petulantia
opportunitate reſpōdendi haud incōmodè ſępenumero retundi poſſe atq; refutari uidet̃,
res proinde uerbo debet eſſe breuiſsima, ira excandeſcentiáq; carere, lenitatē præferre, ut
ioco atq; lepidè laceſſentē remordeas. Quemadmodū enim emiſſa ſemel tela ſi in emiſſo-
rem eadem reuehant̃, ſoliditate quadam & robore eius qui prior petitus eſt retorqueri ui
dentur: ita uirtute atq; prudentia laceſsiti & petiti, cauillū iniectum ad autorē ipſum redi-
re uideri poteſt, ut illud Epaminondæ in Calliſtratum, Oedipodis & Oreſtæ parricidiū,
Thebanis ſimul & Argiuis exprobrantem: Horum, inquit, patratores facinorum ciuita-
tibus noſtris nos quidem exagitauimus, uos uerò extorres & profugos excepiſtis. Antal
cides Spartiata Athenienſi cuidam Lacedæmonijs exprobranti, ſæpe à Cephiſo Attici a-
gri monte depulſis: At Lacedęmonij, inquit, nunquā ab Eurota depulerunt Athenienſes.
Facetiſsimè Phocion uociferanti Demadi, Perdent te Athenienſes ſi inſanierint: Te ue-
rò, reſpondit, ſi ſani ſint. Craſſus orator, obiectanti Domitio, quòd muræna mortua, quā
in piſcina nutricaret, ploraſſet, occurrit excipiēs: Atqui tu tribus elatis uxorib. ne lachry-
matus quidem es. Hæc & eiuſmodi etiam ad uitam priuatam uſui eſſe poſſunt. Quamob
rem de his hactenus. Cęterùm ſunt nonnulli ad rempub. capeſſendam ſic animati, ut eam
omnibus ex partibus amplexari uelint, nihil omnino optimo ciui prætereundum exiſti-
mantes, quod quidem aliqua ratione ad rempub. attineat, nec per eum ſtandum, quò mi-
nus cuncta curanda diligenter ſuſcipiantur: id quod Cato uiſus eſt ſentire. Laudatur per-
inde Epaminondas, qui Thebis inuidioſe atq; contemptim decretus Telearchus, nō ne-
glexit munus, inquiens, non modò magiſtratu uirum oſtendi, uerumetiam magiſtra-
tum uiro. Id itaque muneris amplitudine ipſe euexit, & clarum reddidit. Fiebat enim an-
tehac parui, & penè pro nihilo habebatur, quòd angiportus & uiam per urbem ita curare

Reſpub. an omnibus ex partib. amplexanda.

C neceſſe habebat, ut per cloacas & ſubterraneos riuulos purgamenta quæq; extergerent,
& eiuſcemodi quiſquiliarum illuuies. Nos ipſi quoq; riſum fortè mouemus prætereunti-
bus, & noſtram operam circa eiuſmodi munia uerſari quotidie inuiſentibus. Qua in re il-
lud Antiſthenis memoria repetitum, poteſt nobis nunc auxilium ferre. Admiratione qui
dam ſummopere teneri uidebatur, quòd Antiſthenes ipſe per forum obſonij & ſalſamen
ti neſcio quid deferebat. Ad quem Antiſthenes: Deſine, inquit, mirari, mihi ipſi enim hęc,
non alijs fero. Equidem è diuerſo hoc nomine me defendere poſſum ſi qui accuſant: ſi te-
gulis, inquam, dimetiendis, ſi calci lutóq; ſubigendo, ſi comportandis lapillis ipſe impen
dere uideor operam, & hiſce negociolis modum ſtatuere, nõ hęc priuatim mihi conficio,
ſed publico operi præſum, atqueadeo ipſe patriæ operam & induſtriam do. Pleraq; enim
ſunt, quæ ſi tu tibi ipſi, aut per teipſum pertractes & agas, abiectus & ſordidus meritò exi-
ſtimari poſsis: hæc eadem ſi ciuitati publicitus exhibere uidearis, non illiberalis & dege-
ner, ſed generoſus ciuis haberi queas. Magni eſt enim atq; perſtrenui animi, uel paruulas
ciuitatis res curandas ſuſcipere. Quidam Themiſtoclis illud magnificũ eſſe putant & glo
rioſum, quorum ſententiæ Critolaus Peripateticus aſtipulari uidetur. Iactaſſe enim The-
miſtoclem hæc uerba accepimus: quemadmodũ Salaminia & Paralos (ſic appellatæ na-
ues Athenis) nõ ad quodlibet opus, ſed omnino pro magnis & neceſſarijs rebus ſolitæ e-
rant è nauali produci, atque nauigationẽ aliquam initurę deduci, ita ſua ipſius opera rem-
pub. uti debere, non ad quæuis, ſed pro maximo & ampliſsimo quoque munere: hac lege
ſcilicet, qua rerum dominus Deus & mundi totius rex utitur. Magnas enim res Deũ attin
gere, paruas fortunæ cõmittere, Euripides eſt autor. Equidem ambitionem nimiam & cu
piditatem Theagenis parum probo. Certauerat ille ſæpe, atq; in publicis ludorum ſpecta
culis Græciæ uictor euaſerat, nec pugillari modò certamine, uerùm lucta & curſu. Is inui
tatus ad cœnã eam & epulum, quod de more heroum parentalibus exhiberi ſolebat, dum
ſingulis cõuiuis portio quæcunq; pro parte uirili cõtingeret, ritè proponiṫ, ſe cõtinere ne
quit, quin exurgens diſco certaret, perinde atq; nulli id factitare ipſo præſente liceret. His
artibus ad M. CC. corollas aggeſsit, quarũ pleraſq; paruo æſtimare haud iniuria poſsis.
Itaq; nihil intereſt, mea quidem ſententia, inter illum & hos qui ad omnẽ reipub. partem
ſe accinctos uolunt, nempe qui ſui ſatietate multitudinẽ citò afficiũt, & pleriſq; omnibus
D oneri atq; moleſtiæ ſunt. Ad hęc ſi concupita adipiſcuntur, inuidiam cõcitant: ſin opinio-
ne falſi, & uotis fruſtrati ſunt, facilè irridentur: & ſi quid curandum ſibi cõficiendumq; ſu-
ſceperunt, incipientibus fortè admirationem & laudem attulit idipſum, progredientibus
in ſubſannationẽ atq; contemptum mutatur, & tale fit, cuiuſmodi fuit illud Athenis. Me-
tiochus in ore omniũ erat uulgò iactantium: Metiochus ducit copias, Metiochus uias cu
rat, Metiochus exercet panariũ, Metiochus farinam tractat, Metiochus præeſt omnibus,
Metiochus ergo lugebit. Amicus is erat Periclis, cuius florente tunc autoritate & opibus,
ad inuidiam uſq; atq; faſtidium abuti ſolitus memoratur. Enimuerò operam qui reipub. *Reipub. operam dãs ſui deſideriũ apud plebem excitare debet.*
dat, populo ueluti amanti ita ſe exhibere debet, ut abſentis quandoq; deſiderium ingens
appareat: id quod Scipionem Aphricanũ ex induſtria factitaſſe legimus. Ab urbe ſæpe-
numero ſecedebat, ruſticare perdiu ſolitus, ut & inuidiæ quicq; detraheret, & reſpirandi
locum illis præſtaret, qui ſplendore uirtutis eius & gloria rerum geſtarum opprimi uide-
bantur. Timeſias quoque Clazomenius, uir cæterà frugi, & ciuis haud ineptus, ea cupidi
tate tamen, ut cuncta ipſe per ſe agere atq; curare appeteret, cõtraxerat inde odium ciuiũ:
quod ipſum tantiſper latuit, dum tale quippiam uſu euenit: Talum luſoriũ ex canali quo-
dam extundebant pueri, qui partim ipſum ſinendum eſſe dicebant. At is qui ipſum ferie-
bat, Vtinam, inquit, ita extunderem Timeſiæ cerebrum. Præteribat illac tum fortè Time-
ſias, & uerba excepit: nempe eum pueri ipſum eſſe non cognoſcebant. Reputans rem ſe-
cum diu, quorſum odia in ſe ciuium pertinerent, quandoquidem per paruulorũ ora talia
uolitarent, facilè intellexit. Conuerſus domũ rem omnẽ uxori narrat, atq; confeſtim colle
ctis ſarcinis, uxore comite rectà urbe profectus ſolũ uertit, quippe qui ſibi amplius in pa-
tria manendum nequaq; exiſtimauit. Nõ huic rei uidetur ualde abſimile, q̃d Themiſtocli
Athenis accidiſſe fertur, qui tum ad ciues ſuos cõuerſus: Quid, ô fortunati, inquit, benefi
cijs ſæpe affecti defatigamini? His dictis uerò rectè quidã ſunt uſi, alij perperàm uidenẽ
abuſi. Claro autẽ ciui, & reipub. principi, nulla ciuilis muneris pars uidetur prætermitten
da, quin conſilio omnibus, beneuolentia, diligentia attendendum, & ſumma cura & ſtu-
dio ſingula ueſtiganda, ne tanq; ſacrũ aliquod uas in naui ſepoſitus, ciuitatis nouiſsimos
caſus, atque extremos uſus operiri uideri poſsit. Et quemadmodum rectores præfecti na-
uium

A uium, alia ipſi ſuis conficiunt manibus, per alios alijs uelut inſtrumentis utuntur, atque in
puppi ſedentes omnib. modum faciunt, ſiue circunferre quippiā, ſeu mutari, alióue tranſ-
ferri ſit opus, utuntur nautis, proretis, iuſſoribus: eſt quādo nōnullos ad ſe accerſunt, qui-
bus ſcilicet clauū & gubernacula ipſa cōmittant. Hoc pacto ciuem rem cōmunem admi-
niſtrantē, omnia circunſpicere, moderari omnib. decet: cedendo nōnunq̃ pro tempore,
ut alij honores & ciuitatis munera capeſſant: uocando interdum ad hęc quos idoneos ad
res ſubeundas cōſpexerit, atq; ciuiliter & amanter hortando. Neq; enim par eſt, unum ſe
quempiam uelle, qui munera omnia ciuitatis ſuis ipſe concionibus, ſuis decretis, ſua de-
mum autoritate, ſuaſione, conſilio, conficiat & abſoluat. Plerique enim eſſe debent fide,
probitate, conſilio, uſu rerum præſtantes, quorū ſingulis munera ſingula demandentur.
Id quod Periclem uſurpaſſe accepimus. In expeditionibus foris opera potiſsimū & impe
rio Menippi uti ſolebat: Ephialtæ artibus domi Areopagi ſenatum ſenſim deprimendo
humiliorem effecit: autore Charino bellum aduerſus Megarenſes ut decerneretur obti-
nuit: Lampona ut coloniam Thurijs deduceret ipſe curauit. Etenim autoritatis & uiriū
in plures partes eiuſcemodi diſtributio, non modò inualeſcentem inuidiam minuere de-
curtareq́; ſolet, uerumetiam ut quæ reipub. uſui ſunt cōmodius peragantur, facilè efficе-
re uidetur. Vt enim manus in digitos diſtributa, nō idcirco imbecillior redditur, quin ad
omnē uſum aptior propterea eſt, & operis habilior artifex: ſic ad gerendam rempub. qui
alios quoq; munerū participes eſſe uult, efficacius is ſocietate adductus opus abſoluere
poteſt. Qui uerò inexplebili quadam cupiditate gloriæ & potentiæ ſtudiorū uniuerſam
rem ſibi arrogant, & cōmiſſam ſingulariter uolunt, his plerunq; præeſſe muneribus, atq;
modum exhibere coguntur, ad quæ ipſi nec natura idonei, nec exercitatione & uſu accō-
modati, & apti ſunt: & ut Cleonem legimus ad copias ductitandas haud aptum fuiſſe,
Philopœmenē ad rei naualis imperiū, ad concionandū Annibalem, quorū quidem erra-
ta nulla ratione excuſari poſſunt: ad quos Euripideū illud aptè accōmodari poteſt: Cùm
eſſes faber lignarius, rem ipſam lignariā minimè exercebas: cùm oratione ad perſuaden-
dum parū ualeres, legationes inibas: cùm in re familiari curāda inertia torperes, rempub.
B gubernare uolebas: calculandi ratiocinandiq́; imperitiſsimus cùm eſſes, Quæſtorem age
bas: imbecillus & ſenex, ductitandi copias & foris imperitandi ſtudio flagrabas. Atqui
Pericles Cimonem in repub. adminiſtranda aſſumpſit ſociū, quandoquidem ipſe rerum
domi potiebatur, ille autem inſtructis nauibus bellum aduerſus Barbaros gerebat: erat
enim alter ad rempub. gubernandam aptior, ad bellicas res alter natura ipſa accōmoda-
tior. Laudat̃ ſubinde Eubulus Anaphlyſtius, qui autoritate, opinione, uiribus, opibusq́;
maximè pollens, nihil quod ad bellum & imperiū pertineret, unquā curandum ſuſcepit:
ærario duntaxat locupletando penè ſe addixit, unde uectigalia publicosq́; prouentus mi
rum in modum auxit, & rem cōmunem apprimè ijs rationibus ampliorem effecit. Iphicra
tes uerò meditando declamandoq́; domi, pleriſq; audientibus deriſui habitus eſt. Nam
etſi eloquens erat, beneq́; & aptè orare ſciebat, debuit tamen gloriam eam quærere, quæ
repub. pace & bello adminiſtrāda comparari & gigni ſolet, cæterùm eiuſcemodi ſcholas
& ſtudia rhetoribus & ſophiſtis concedere. Et quoniam natura id comparatū uidetur, ut
ſuſpiciones atq; querelæ facilè conflentur ad uulgus & multitudinem, contra hos potiſsi
mum quibus autoribus reſpublica gubernetur, & pleraq; ab omni crimine atq; factione
ſummota, ſuſpicionem tamen afferant, per coniurationem atq; ſeditionem tractari, quo
fit ut ſodalitates & amicitiæ criminoſæ res uideantur ac male audiant: eas ob res inimici-
tiæ quidem reuera & aduerſus ciues diſsidia nequaquam mihi uidentur ſuſcipienda. Ne-
gocium Chij illius Onomademi, uiri ſanè popularis, qui ut ſe autore ac duce aduerſa in ci
uitate factio ſuperata & uicta fuit, omnes aduerſarios ejciendos non cenſuit, uereri ſe in-
quiens, ne aduerſæ factionis hominibus ad unum ciuitate exactis, inter amicos diſsidia
fieri inciperent: quod mihi quidem abſurdum omnino atq; conſilij inops negocium ui-
detur. Proinde ſi quam aliquando rem, magnam utiq; & reipub. ſalutarem uulgus ſuſpi-
cari uidetur, & propè formidabilem ducere, in rem tum mihi futurum uidetur, non om-
nes ueluti ex compoſito eidem aſtipulari ſententiæ, & idem ſentire uideri: quin conſultò
duobus tribúsue per diſsidij atque cōtentionis ſpeciem renitentibus, rem in diſceptatio-
nem adductā bellè & leniter in cōmune tractari: ad extremū, hos ipſos qui cōtradicerent,
uelut melioribus rationibus ſuperatos, priore deductos ſententia manus dare. Hac uia fa
cilè allicias uulgus, & tanq̃ utilitatis cōmunis habita ratione perſuaſum quocunq; uelis
inducas. In paruis autem rebus, quæ non magnopere ſummam reipublicæ contingere

Non decere unũ omnia munera ciuitatis obire uelle.

Suſpiciones ac querelæ uulgi quomodo auertendæ.

C uidentur, non erit ab re, ex ſententia animi ciues atqueadeo amicos inter ſe certare, expli
catam ſingulis, nullibi omnino diſsimulatam ſententiam afferentibus. Hinc maximis in
rebus populus inducetur, principibus ciuitatis ſentẽtias ſuas dicentibus fidẽ habere, per-
ſuaſus ſanè ſingulos ſuo fretos cõſilio ſaluti reipub. rectè proſpicere, non omnes ex com
poſito conſpiraſſe. Sanè uir optimus & ciuilis, nunquam non natura ciuitati & multitudi
ni præeſt, ea lege qua dux inter apes exiſtit: quod eum qui rempublicam adminiſtrat, ani
Magiſtratus ut non eſt affectandus, ſic idem oblatus, minimè reſpuendus. maduertere in primis oportet. Quos uerò uulgò appellant magiſtratus, & quos decer-
nunt honores, his equidem ſæpe ac nimis ſtudendum haud exiſtimo: neque enim aut pul
chrum, aut populare uidetur, ambitioſe potentiam aſſectari: ut è diuerſo ciuile non eſt,
honores publicè & de more decretos repudiare, & uocantis munera patriæ detrectare:
quandoquidem ciuis boni eſſe uidetur, quodcunque patriæ munus ritè delatum admitte
re, & id pro uirili parte curare, etiamſi humilius uideatur, quàm eius exiſtimationi cui de-
mandatur conueniat: quin hoc nomine maximè ſuſcipi debet, atque paulò ſplendidius
geri. Par enim eſt, ut qui magnis honoribus decorati ſunt, ab ijs minora munera uiciſsim
ornentur. Verùm in adipiſcendis primis & maximis magiſtratibus, ut ſunt Athenis Præ-
tores, Rhodi Prytanes, apud nos Bœotiæ principatus, cedendũ aliquando eſt, & nonni-
hil alicubi per modeſtiam remittendũ: inferioribus autẽ honoribus maieſtas & ſplendor
quidam ſtudioſe adijciẽdus, ne pari ratione aut in hiſce contemni facilè poſſe, aut in illis
Subeunti magiſtratum quæ animo ſint uerſanda. inuidiam nobis ipſi facere uideamur. Ingredientem uerò ſubeuntemq; quemuis magiſtra
tum, illa uerſare in primis animo, atqueadeo explicata habere oportet, quæ Periclem ac-
cepimus ſolitũ ſeipſum dum ueſtem indueret ſubmonere: Attende Pericles, liberi ſunt
quos ipſe regis, Græci ſunt, ciues Athenienſes. Super hæc id quoq; haud abſurdè uidetur
adijciendum: Regeris ipſe qui ciuitati præfectus es, Proconſulibus uicarijs Cæſaris ciui
tate ſubiecta: non ſunt hi campi haſta parti, non antiquæ Sardis, non illa Lydorũ poten-
tia, expeditiore tibi ueſte utendum eſt, atq; de prætorio ad tribunal & forũ ſpectandum:
non coronæ tibi eſt magnopere tribuendum, qui aliorum calceos uides capiti imminere
tuo. Hiſtriones tibi ſunt imitandi, qui actioni atq; certamini afferunt nonnihil ex ſe, affe-
D ctus, inquam, exprimendis moribus atq; uenuſtatem agendi, cæterũ dictanti ſuggeren-
tiq; uerba poëtæ ſedulò obſequunt, nihil numeri, nihil modi omnino tranſgreſsi. Hac uia
tibi finibus ab ijs præſcriptis ac traditis, qui rerum ſunt domini nõ eſt excedendũ, quãdò
exceſſus eiuſmodi nõ ſibila & riſum affert, ſed pleriſq; uelut ſæuiſsimus aſtitit tortor, ſecu
ris collum feriens: id quod Pardalæ noſtro accidiſſe ſcimus, præfinitos tranſgreſſo termi-
nos. Alius in inſulam deportatus, factus eſt, ut inquit Solon, Phelegandrius, Sicinitáue
pro Athenienſe, genitale ſolum coactus uertere. Pueros cùm uidemus parentum ſibi cõ-
niti induere calceos, ſeu corollas accõmodare capiti, rem riſu & ioco excipimus. At prin-
cipes in urbibus maiorum facta, & prudentiam, & actiones, præſentibus temporibus ac
rerum ſtatui nulla ratione congruentes, ſtolidè imitari præcipientes, concitant multitudi
nem, & ridicula facientes, non item riſu digna perpetiuntur, niſi penitus contemnantur.
Nam pleraq; adhuc extant ex factis antiquæ Græciæ, quæ temporibus hiſce haud incom
modè in uſum uenire queant, quibuſq; ætatis homines noſtræ bene inſtitui confirmariq;
poſsint. Etenim ei qui Athenis pro ſuggeſto orationem habeat, nõ abſurdè cõmemoran
dum illud ſuggerendumq; uideri poteſt, non quibus rationibus bella ſuſcepta & geſta
Amneſtia. profligata ſint, ſed qua clementia ſimul & ſapientia Amneſtia illa omniũ conſenſu decre
ta ſit, hoc eſt, iniuriarum offenſionúmue, quæ triginta uiris rempub. occupantibus ultrò
citroq; illatæ acceptæq; eſſent, obliuio. Referri etiam illud poteſt, quæ ſit mulcta irrogata
Phrynicho, quòd tragœdiam recitaſſet, qua Mileti contineretur excidium: ad hæc decre
ta pompa, quam ciues coronati egerunt, accepto nuncio, Thebas oppidum dirutum an-
tea, & prorſus collapſum, inſtaurari & refici à Caſandro cœptũ: quodq; renunciato Athe-
nis ad mille quingentos Argiuos interemptos, qui Lacedæmoniorũ fauerent partibus,
habito ſenatu, purificatorium poculum circunferri per curiam decretum eſt. Deniq; cùm
per ſingulas domos exigenda ueſtigaretur pecunia, eius domus conſultò prætenta eſt,
qui modò uxorem duxiſſet. Hæc nunc quoq; ſectari licet, atq; ſtudere his artibus ad ma-
iorum inſtituta & mores proximè accedere. Cæterùm Marathona, Eurymedontem, Pla-
tæas, & ſuperiorum exempla temporũ, quæ uulgus omnino tumoris & inertis inflatio-
nis atq; fremitus implere ſolet, prætermittenda, & ad ſcholas ſophiſtarũ reijcienda uiden
tur. Debet præterea & ſe quiſque inſontem, & crimine omni uacantem patriam quoque
principibus ac dominis rerum repræſentare, nec minore cura & ſtudio amicitiã alicuius
præpoten

A præpotentis rectè cõparare, qua uelut ſaburra firmiter cõſtitutus, eiuſq; uirtute innixus, certo patriæ præſidio ſit: præſertim quandò Romani principes ciuili quodam ſtudio, & innata quadam humanitate, nõ inuiti, optimè de amicis mereri uolunt, beneficentiæ atq; benignitati nati. Hac ratione fructus percipi poſſunt uberrimi, cuiuſmodi Polybius & Panætius reportauit, quorũ uterq; beneuolentia & cõſuetudine Scipionis maximopere patriã adiuuit, & ingenti felicitate affecit. Id Cæſar Auguſtus magnificè præ ſe tulit. Alexandria capta uictor ingreſſurus urbem, amici cuiuſdam ciuis Alexandrini manum prehendit, atq; cum eo honoris ergò familiariter cõfabulando introijt. Timentibus reliquis ciuibus extrema, & ne in direptionẽ militi darentur, proq; eo peſtem huiuſmodi ſuppliciter deprecantibus, parcere ſe, inquit Auguſtus, illis, & omne ius belli libenter condonare, cùm urbis magnitudinẽ miſeratũ, tum uerò cõditoris Alexandri habita ratione, ad extremum, in gratiam illius amici familiariſq; ſui. Num cum eiuſcemodi gratia pecunioſiſsimi quiq; magiſtratus, atq; locupletiſsimi quiq; prouinciarum proconſulatus conferri poſſunt: quibus pleriq; omnes adipiſcendis, ad aliena ueſtibula, re familiari neglecta, conſenuiſſe uidentur. An illud Euripideum mutandum, & in hanc eſt ſententiã cõuertendum? Si ulli eſt rei inuigilandum, ſi domus aliorum frequentiſsimè adeundæ, ſi ſubditũ ſe quiſpiam conſuetudini principum uult, iuuandæ decorandæq; patriæ gratia hæc facere pulcherrimum eſt, cæteris in rebus iuſtæ honeſtæq; amicitiæ tuendæ & amplectendæ. Quòd ſi patriam quiſq; pro uirili parte obſequentẽ dominis exhibere uidetur teneri, nõ tamen eam idcirco ſeruituti penitus obſtringere, & abiectæ humilitati obnoxiã efficere debet, neq; crure altero obligato, collum præterea uinculis eſt ſubmittendũ. Pleriq; enim ſimul parua ac magna, nullo rerũ diſcrimine, nullo delectu omnino habito, ad dominos referentes, probroſam patriæ ipſi aſtruere ſeruitutẽ uident̃, uel potius labefactare, & ueluti ſucceſsibus crebris euertere: quãdoquidẽ eam paulatim meticuloſam & penitus cõſternatã reddunt, & rebus omnib. irritã atq; inopẽ faciũt. Etenim quemadmodũ qui niſi adhibito medico, cõſuetudine quadã adducti, nec cœnare, nec lauare, nec aliud quicq; per ſe agere ſciũt, ij ne ualetudine quidẽ proſpera ſpõtè naturaq; data frui audent: ita qui cuicũq; reip.
B decernendæ, cuicunq; cœtui habendo, omni ſimul adminiſtrationi cenſurã atq; iudicium principis afferendũ putãt, ij dominis ſeſe & patriæ reliquã libertatẽ amplius q̃ ipſi principes uelint ſubijciũt. Qua in re cõtentioſorũ ambitio, atq; uehemens & immoderata honorum cupido potiſsimũ in cauſa eſt: aut enim humiliores oppreſſos uolunt, quoad ciuitate coacti relicta profugi abeant, aut mutuis inter ſe ipſi cõcertaminib. inflãmati, indignè ferẽtes ſicubi ſuccũbere atq; poſtputari uideant̃, principes ipſos ad res omnes adducũt, unde ſenatus, iudicia, populus, magiſtratus omnis, & reipub. ſpecies funditus euertũt. At uerò qui rectè in ciuitatib. excellere uolunt, inferiores ij ciues æquitate, facilitate, beneficentia allicere debent, potẽtiores obſequio, comitate, modeſtia lenire: omnes deniq; bonis rationibus pacatos atq; cõſentiẽtes retinere in ciuitate, ut id quod maximè cupiũt, rebus omnib. trãſigendis præeſſe meritò poſsint, hac ciuili ratione & uia uſi, tanq; medela abdita quapiã & arcana aduerſus omnes qui poſsint in ciuitatib. naſci morbos, ut beneficio atq; cõmodo reipub. quibuſdã aliquando cedere, q̃ pertinaciter & obnixè damno & incõmodo rei familiaris peruincere atq; obtinere præoptandum cenſeant, aliorum unumquenq; precando, & ſingulos condocefaciendo, q̃ pernicioſa ſit res ciuitatibus, pertinax atq; obſtinata cõtentio. Nunc uerò nonnulli ueriti ne ciuitas tribulibus uicinis atq; collegis cum honore ac bona gratia domi cedere uideantur, coguntur poſtea ad rhetorum oſtia atq; pragmaticorum in manus, haud paruo damno atq; dedecore, diſceptationes inde exortas deferre. Medici quidem morbos quos euellere penitus nequeunt, extrinſecus diuertendos ad corporis ſuperficiem putant. Principes autem ciuitatum, ſi pacatã omnino ciuitatem & peturbationibus uacuam tueri conſeruareq; haud poſſunt, in ea ipſa ciuitate ſupprimere atque abdere debent, & è repub. curandum ſuſcipere quicquid turbulenti & morbidi, quicquid ſeditioſi ineſſe compererint, non foris uocare & exteris palàm facere, ne medico alieno & aduectitijs medicamentis in re tam ſecreta reſpublica indigere uideri poſsit. Voluntas enim atque propoſitum ciuilis uiri eiuſcemodi optandum eſt, ut ciuitatis ſecuritatem, & rerum tranquillitatem omnium expetat & amplexetur, perturbationem omnẽ, & gloriæ inanis ad inſaniam uſque cupiditatẽ omnibus uiribus fugiat & declinet: uerùm ſi quæ aduerſæ res & dubiæ accidant, præſenti animo adſit, intrepida fiducia roboreq; munitus. Quæ animi affectio facilè illos ſolet ſubire, qui pro patria hoſtibus repugnare, atq; ad res difficiles & tempora dubia reniti & dimicare alacres inducun

Præpotentium amicitiæ quare comparandæ.

Vt rectè in ciuitate excellas qd faciendum.

Propoſiti uiri ciuilis finis atque effectus.

C tur. Cauendumq; nobis ſummopere eſt, & in primis optandum, ne ipſi nobis tempeſtatẽ
aliquã concitemus, & malorũ noſtrorũ autores & principes ſimus: uerũ ſi quo caſu aduer
ſitas irruperit, ulla nobis arte ab officio diſcedendũ non erit, neq; pericul oſe ciuitas cõmo
uenda, cui periclitanti atq; labanti omnibus rationibus ſuppetias ferre debemus, eamq;
opera, ſtudio, induſtria, fide noſtra maximis tempeſtatibus fluctibusq; iactatam, uelut ſa-
cra ancora ſiſtere & firmare: quales tempeſtates Pergamenis olim Nerone, Rhodijs nu-
per Domitiano, Theſſalis antehac Auguſto imperatore acciderunt, qui uiuũ Petreiũ cre-
marunt. Hoc in loco profectò uirum optimũ atq; egregium ciuem nequaq; conſpicarere
uel ſilentio caſum prætereuntẽ, uel ſibi extimeſcentem, uel deniq; ſe inſtanti periculo exi
mentem, crimen atq; facinus in alios transferendo: quin hunc ipſum nauigationẽ primũ
omniũ obeuntem, legationis onus ſuſcipientẽ, dicentemq; ingenti fiducia illa: En patra-
tores ſceleris aſſumus, auerte peſtem Apollo. Neq; hæc modò, uerũ etſi omnino facino-
ris expers ipſe ſit, paratus tamen accedat, ut unus pro omnibus, ſi in uſum ueniat, pœnas
luat, molem eiuſmodi magno ac forti animo ſuſcepturus: præclarũ mehercles facinus, &
quod ſæpenumero unius uiri uirtute, unica præſentia animi, concitam iram retundere, ul
ciſcendi & pœnas ſumendi flagrantẽ cupiditatẽ reſtinguere, deniq; acerbitatẽ atq; formi
dinem omnem fugare deijcereq; potuit. Eiuſmodi uſu eueniſſe accepimus Buli & Sper-
chi Lacedæmonijs à rege Perſarũ. Simili ratione affectũ Pompeium legimus defectionis
pœnas à Mamertinis expoſcere, atq; omnino ſumere animatũ. Aſtitit Stheno ille, & libe
ra remiſſaq; fronte uerba fecit: nõ æquè nec iuſtè conſtituturũ Pompeiũ, ſi unius ob noxã
pleroſq; inſontes damnandos capitis uelit, ſe unum eſſe qui ciuitatẽ ad defectionẽ erexit,
amicis quidẽ perſuadendo, inimicis uerò uim afferendo. His ita affecit Pompeiũ, ut & ci
uitati parcãdo, & Sthenonẽ humaniter comiterq; habendo facilè induxerit animũ. At ho
ſpes quidã Syllæ, uirtute quidẽ ille ſimili uſus eſt, ſed nõ Pompeio ſimilẽ Syllã adeptus,
fortiter atq; ingenuè mortẽ obijt. Prænetũ enim oppidũ Sylla cùm ui cepiſſet, ciueſq; ad
unũ necandos cõſtituiſſet, unũ illum qui hoſpes eius fuerat, hoſpitij nomine exemptũ uo
luit: ille contrà, Nolo, inquit, occiſori patriæ ſalutis acceptæ gratiam habere, ſimulq; ciuiũ
D ſe turbæ immiſit, & unà cum reliquis trucidatus eſt. Verùm eiuſmodi caſus deprecari ma
ximè deuouereq; meliora ſperantem oportet. Perſanctè autem perq; religioſe feceris, ſi
Magiſtratus omnes colẽdi, in primis collegæ.
quoſcunq; magiſtratus publicè gerentes, honore uenerationeq; ſumma colas. Honos ue
rò magiſtratibus ille in primis habendus eſt, concordia atq; conſenſu collegarum, & qui-
dem multò amplior, quàm qui impoſitione coronæ atq; purpura & auro contexta ueſte
cõparatur. Proinde qui eadem feciſſe ſtipendia, & eandem militiã inijſſe, demũ ijſdem
adoleuiſſe temporibus, amicitiæ hæc idonea ſatis initia eſſe putant, ſocietatem uerò magi
ſtratus atq; imperij, tanq; inimicitiarũ atq; diſsidij cauſas horrent atq; auerſantur, ijs id e-
ueniat omnino neceſſe eſt, ut unum è tribus malis effugere nequeant: aut enim collegam
parem ſibi, aut meliorem, aut inferiorem neceſſariò exiſtimabunt. Si parem, per factionẽ
diſſentire ab eo incipient, ne cedere uideantur: ſi prȩſtantiorẽ, inuidia & liuore flagrabũt:
ſi inferiorem, contemnent: quandoquidem diuerſa omnino ratione, præſtantioribus mo
rem gerere, inferiores ornare, paribus honorẽ habere deberent, cȩteros amplecti beneuo
lè, atq; omnibus amicitiæ proſequi officijs: non enim per menſam & inter pocula, nec in
ueſtibulis ipſis, ſocietatem eiuſmodi inuenerunt, ſed cõmuni ciuitatis conſulto, & publi-
ca ſuffragatione. Quo fit ut beneuolentiam hanc decernente patria, ueluti ius quoddam
hæreditarium mutua charitate complexos perpetuò ſeruare atq; tueri oporteat. Hinc Ro
mæ Scipio male dicitur audiſſe: in dedicatione nanq; ædis Herculis, epulum cùm ſplendi
dè & opiparè apparaſſet, amicos inuitauit omnes, collegam duntaxat Mumiũ præterijt.
Etenim quamuis non inter ſe cæteris rebus uidebantur amare, par erat tamen ſocietatis
atq; collegij comiter & honorificè rationem habere. Si Scipioni itaq;, uiro certè cæterà ad
mirabili, comitatis parumper prætermiſſum officium, faſtus & ſuperbiæ notam inurere
uiſum eſt, quibus quæſo artibus modeſtus quiſquam alius & frugi homo haberi poſſit,
qui exiſtimationi collegæ per inuidiam detrahat, qui alicubi aberranti per maleuolen-
tiam inſultet, qui factis præclarè geſtis per æmulationem obtrectet, uel denique in-
de laudem benefactorum per ambitionem extorquens, ſibijpſi poſtea per impuden-
tiam arroget & adſcribat? Equidem commemini iuuenem me quodam adhibito alte-
ro ſocio, legatum ad proconſulem decreto publico inſtitutum, ſocium uerò caſu quo-
dam reſtitiſſe, neq; legationis munus ad exitum uſq; proſequutum, me functum officio,
& quæ publico nomine curanda ſuſceperam ex ſententia confeciſſe: domum regreſſo,
ac lega-

A ac legationis iam abſolutæ rationẽ publicè relaturo mihi patrẽ ſecretò iuſsiſſe, ne dicerẽ:
acceſſi, dixi, feci: ſed comprehenſo collega, acceſsimus, diximus, fecimus, haud ſecus atq;
ſi rebus omnibus ipſe quoq; interfuiſſet, & operam mecũ præſens conficiendis negocijs
impendiſſet: hac enim ratione nihil nõ modeſtè atq; humaniter fieri, nec modò haud inui
dioſe rem totam tractari, uerumetiã nihil de exiſtimatione inde atq; gloria detrahi. Hinc
factum plerũq;, & à præſtantiſsimis & maximis uſurpatum eſt uiris, ut rebus præclarè ab
ſe & proſperè geſtis, ſortem fortunamq; impertire oportere cenſuerint. Sic Timoleo poſt
quàm tyrannos Siculos deiecit ac ſuſtulit, Fortunæ condidit templum q; magnificentiſsi-
mè. Sic Pytho admirantib. cum Athenienſibus & honore ac laude proſequentibus, quòd
Cottyn interemiſſet: Dijs, inquit, habenda eſt gratia, quibus autoribus patratum facinus
egregiè eſt, manu duntaxat & opera mea cõmodatò accepta. Iam uerò Theopõpus Lace
dæmoniorũ rex, affirmanti cuidam, propterea Spartam ſaluam & incolumem eſſe, quòd
regibus uterẽt imperandi gnaris: Imò, inquit, & ciuibus & populo regibus obſequente.
quanq̃ reuera ex altero alterũ fit, atq; utrunq; immutatim ſe continet. Proinde plurimorũ
hæc fertur ſententia, id maximè ad diſciplinã ciuilem inſtituendam attinere, ut principib.
ciuitatis & rempub. rectè adminiſtrantibus, ciues quoq; bene moratos & temperatos ex-
hibeas. Plures enim ubiq; inueniri qui regantur, quàm qui regunt. Rectoribus item rem-
pub. adminiſtrãdi, parui definitiq; tẽporis poteſtatẽ dari, hos uerò qui in ciuitate uerſanẽ,
per omnem fermè uitam regendos exhiberi. Pulcherrimũ itaq; & utiliſsimũ inſtitutũ ciui
lis diſciplinæ hoc eſt, ut principibus magiſtratibusq; quiſq; obtemperet, etiamſi opibus
ac natalibus inferiores eſſe aliquatenus uideanẽ. Indignũ certè & uehementer abſurdum
negocium, tragœdiarũ principem Theodorum, Polumue, hiſtrionem aliquem mercena
rium humili quandoq; oratione affari, propterea quòd diadema & ſceptrum geſtat: in gu
bernanda uerò republica, atq; rebus non confictis, ſed ueris, magiſtratum idcirco à diuite
quopiam & potente contemni & parui fieri, quòd priuatis non ualet opibus, etiamſi re-
rum anguſtia & difficultate laborare uideatur. Nempe hoc nomine dum exiſtimationi
magiſtratus per contumeliam & contemptum detrahitur, reipub. ipſius dignitas deijci ac
B premi uidetur, quandoquidem pro ſe quiſq; maximè ipſam auctam & ornatã uelle tenet
& debet, eiq; ſuam ipſius gloriam, ſuam exiſtimationẽ adijcere. In Sparta Ephoris reges
cedebant, & ſi quis è reliquis ciuibus publicitus uocabatur, non ceſsim is neq; ocioſe, ſed
curſim atq; perproperè accedebat per forum, parendi ciuitati ſtudiũ præ ſe ferens, hono-
req; ſe in eo affici ratus, quòd imperio ciuitatis obtemperare alacer uidereẽ. At uerò ſunt
alij, inſolentes profectò & prorſus agreſtes & inciuiles, qui, tanquam inde ſibi nomen at-
que potentiam uendicent, in publicis certaminibus ad oſtentationem uſq; ludorum ma-
giſtros contemnunt, & contumelia conſultò afficiunt. In Dionyſijs pomparum principes
& ductores obiurgant, prætores rident atq; ſuggillant, & præfectis gymnicorũ ludorum
inſultant: ſtulti ſanè, qui intelligere nequeunt, honorare quàm honorari quid præſter,
quàm ſæpenumero glorioſius & honorificentius ſit. Maius enim ornamentum & decus
affert homini præpotenti in ciuitate, ſi magiſtratum ipſe deducit, ac ei ſe comitẽ adhiber,
quàm ſi ipſe contrà deducatur à magiſtratu: imò hoc inuidiam parit, illud ſolidam arguit
gloriam, ut quæ à beneuolentia honorem habentium proficiſcitur, præterquàm quod e-
tiam ciuitati ipſi dignitatem addit & decus. Pulchrum profectò ſpectaculum & iucun-
dum, ſi prior is ad ueſtibulum prætorij prætorem ſalute impertiat, atq; eum amplexus ſpa
ciando per urbem deambulet. Ciuile quoque illud popularéue, maledictum aliquod per
iram perlatum æquo excipere animo, & nõ ægerrimè ferre, & uel illud Diomedis per oc-
caſionẽ ſubdere: Laus hinc & honos ſequetur. Vel illud Demoſthenis: At nõ modò De-
moſthenes eſt, ſed ſtatutorum moderator, ſed pompę agendæ princeps, ſed coronatus de
more. Itaq; ulciſcendi cupido in aliud eſt tempus reijcienda, ut alterutrũ certè uſu ueniat,
Nam aut poſteaq̃ magiſtratu perfunctus fuerit, cõmodius iniuriã ulciſci poterimus: aut
ſi intermiſsione perſequendæ iniuriæ ira interea leniatur, lucro id deputabimus. Quòd ſi
de cõmodis reipub. agatur, omni tum ſtudio, opera, cura, fide & diligentia rei cõmuni pro
ſpiciendum erit, & aduerſus quemuis magiſtratum ſolertiſsimè contendendum. Et ſi for
tè ij quibus reipub. gubernacula tradita ſunt, ea urbanitate, modeſtia, prudentia uideanẽ,
ut facilè & ſine cõtentione quæ pro cõmodo reipub. dicantur excipiant, eos horum qui-
bus ſit opus admonitos & planè edoctos oportet, quibus teipſum ita pollicitũ uelis atq;
deprõptum, ut tua rebus agendis opera uti queant: uerùm ſi quam his ſubeſſe ſegnitiẽ
& cunctationẽ intelligas, uel improbitatẽ & fraudẽ ſuſpiceris, oratione tum, ſtudio, ope-

Vniuſcuiuſq; eſt magiſtratui obtemperare, etiã ſe pauperiori.

Quando magiſtratibus aduerſari liceat.

C ra ſedulò reipub. adſis neceſſe eſt. Reliquos quoq; ciues quibus fortè res non uſque per- A
ſpecta eſt, periculi admonitos imminentis oportet: nec ulla arte eſt negligendũ, nec ciuita
tis iura ac ſalus prodenda per ſpeciẽ, ſcilicet nõ decere priuatũ ciuem principum & magi-
ſtratum gerentiũ res & munus paulò curioſius diſquirere & ſcrutari, & hoc nomine admi
niſtrationẽ alijs ritè traditã ad ſe conari transferre. Parum hæc ualere, nullum obtinere lo-
cum omnino debent, ubi de ſalute rerum, & reipub. cõmodis agitur. Pulcherrimo enim iu
re, cùm nunq̃ nõ rectè agenti, atq; ciuitatis ſaluti & cõmodis præclarè proſpicienti, primę
reipub. haud iniuria deferunt. Fuiſſe refert Xenophon in exercitu quendã, nõ imperato-
rem quidem, nõ ducem, nõ præfectũ, ſed prudentia, uirtute, conſilio, magnitudine animi
facile principẽ, qui talis extitit, ut Gręcos perſeruarit. Philopœmenes quoq; inter res præ
clarè à ſe geſtas, illo maximè facinore claruit, quòd cùm Agis Lacedęmoniorũ rex copias
ad Meſſenã oppidum admouiſſet, & Achiuorũ dux reformidans cõgreſſum ſuppetias fer
re recuſaret, ipſe iniuſſu imperatoris ſtrenuis quibuſq; uoluntarijs acceptis, atq; in aciẽ di-
rectis, hoſtes irrupit, & ciuitatẽ ſalute periclitantem hac uia metu atq; periculo liberauit.
Non tamen pro quibuſuis, exiguis ſcilicet & parui momenti rebus nouitati ſtudendũ eſt,
& ordo ac modus rerum omnium perturbandus, ſed aut pro neceſſarijs, & quæ dilationẽ
ſine pernicie ferre nõ poſsint, quale Philopœmenis fuit negocium: aut pro rebus illuſtri-
bus & præclaris, cuiuſmodi fuit Epaminondæ. Is enim cõtra legem definito ſibi imperio,
tempori quadrimeſtre ſpacium addidit, ingreſſusq; Laconicã res Meſſenæ cõfecit. His ra
tionibus extraordinariè innouandũ aliquid eſt, ut uel neceſsitatis prætextu, ſi quà occur-
rendum erit uituperationi atque querelis, accuſationẽ deprecare poſsis, uel magnitudine
atq; decore facinoris inceptũ cõmodè compenſare. Celebratur ubiq; gentium Iaſonis illa
Theſſalorum tyranni ſententia, quam uſurpaſſe in eos ſolitus traditur, quibus ullam mo-

Iaſonis tyranni ſententia.

leſtiam aut uim intuliſſet: Qui magnis in rebus iuſtitiæ ſe cultorẽ haberi uult, eum ius ali-
quãdo in paruos uiolare neceſſe eſſe. Quanq̃ eiuſmodi uerba e ueſtigiò intelligi poſſunt
præpotentis cuiuſpiam eſſe, cupiditate & ui, non ratione & lege res adminiſtrare uolen-
tis. Hoc uerò rectè ciuile præceptum eſt, parua plerunq; quibuſdam ratione cõcedenda
D eſſe, ut & maioribus reſiſtere abſtinereúe poſsis, & hos qui ad peccandum paulò petulan
tius propenſi uidentur, facilè coërceas & retardes. Is enim moroſum atq; prorſus difficilẽ

Nimiã magiſtratus aſperitatem reipub. damnoſam eſſe.

populum efficere ſolet, qui gubernacula reipub. tenens, nimiũ in omni re ſe & uehemen-
ter ſeuerum, aſperum, atq; inexorabilem exhibet, nemini unquam cedens, nihil ulli con-
donans. Aſſuefacit nimirum is & inducit populum, ut pertinaciter atq; contentioſe reni-
tatur atque repugnet. Enimuerò laxandus eſt aliquando, ut aiunt, pes, & fluctibus obſe-
quendum, quando præſertim magna uentorũ ac ingens uis, nunc properè obſecundan-
tium, nunc reflantiũ: & cùm lepidè atq; ſcitè alludendum aſſentiendumq; deorũ ſolenni-
bus ludis atq; ſpectaculis celebrandis, tum uerò diſsimulandũ, atq; conſultò nõ nihil præ-
tereundũ, tanq̃ nec uideris quicq̃, nec audiueris: id quod domi plerunq; puerorum errata
de induſtria non obſeruantes, quaſi neſciamus intelligamúſue, factitare ſolemus. Hinc
maximè obiurgandi caſtigandiq; acrimonia & loquendi libertas, non uelut medicamen-
tum identidem uſurpatum, ſeu uetus atque abolitum, proq; eo parum efficax parumq; po
tens, ſed ut uigens raritate ac fidem faciens; hos qui maiora grauioraq; cõmeriti ſunt, ue-
hementius taxat, atq; acrius mordere & pungere poteſt. Alexander ſororem cum quo-
dam honeſta iuuene forma conſueſcere quum accepiſſet, haud rem grauatè tuliſſe fertur,
dixiſſeq;, concedendum aliquatenus illi quoq; eſſe, regno ut fruatur: quanquã non rectè,
neq; pro dignitate & officio uidetur eiuſcemodi factis concedere, quem minimè opor-

Populi libidinẽ frænandam.

tuit petulantiã & perniciem, regni fruitionem exiſtimare. Porrò uir ciuilis nequaq̃ pro ui
ribus populo permittendum cenſebit, ut in ciues per contumeliã ſæuiat, aliena bona diri
piat, publica peculetur, uel perperã diſsipet, ſuadendo potius, cõdocefaciendo, terrendo
deniq; petulãtię omni atq; libidini repugnabit. Quales cupiditates ac peſtes Cleon & pa
uit & auxit, aculeatumq; fucũ, ut inquit Plato, in ciuitatẽ inuexit. Quòd ſi uulgus aliquan
do uetus aliquod & patriũ feſtum uel dei ſolenne prætendens, ſpectationẽ largitionémue
aliquã non admodum ſumptuoſam, & benignitatẽ haud abſurdã uidetur expetere, li-
cet ei tum per magiſtratus & principes ciuitatis cõmoditate hac iucunditateq; frui. Plera
que enim eiuſmodi rebus à Pericle aut Demetrio principe geſtis ineſſe cõperiuntur. Ci-
mon quoq; traditur deambulacris ſpatioſis, platanis ordine cõſitis atq; in uerſum dilatis,
forũ uariè exornaſſe. Catonẽ item accepimus, ut populũ Rom. animaduertit ad mutatio-
nem reipub. pernicioſe propenſiorẽ, Catilina rebus nouis ſtudente, & Caio Cęſare uarijs
ſtimulante

A ſtimulante artibus, retuliſſe in ſenatu, perſuaſiſſeq́;, ut largitio decerneretur, quæ inopia
& anguſtia rerum laborantibus diſtributim exhiberetur: hoc nomine tumultũ ſedatum,
hac uia ſeditionis ſuppreſſa ſemina, atq; turbulentorum ciuium inhibitum impetum. Ete
nim quemadmodum medici eſt, magna ex parte corruptiore ſanguine diminuto, parum
ægroto deinceps innocui & ſalubris cibi afferre: ſic uir ciuilis & reipub. princeps, dempta
prius ignominia, damnóue ciuitatis ſummoto, leui deinde gratia & humanitate quaſcun
que moleſtias & querelas leniet atq; ſolabitur. Erit quandoq; in rem, quod populum in-
telligas nimio flagitare ſtudio, id aliorſum traducere, quod Demadem feciſſe accepimus.
Ei Quæſtorem agenti, & prouentus ciuitatis curanti, Athenienſes uiſi ſunt ſtudio quodã
inducti, auxiliares triremes ijs uelle mittere, qui modò ab Alexandro deſciuerant. Iuben-
tibus itaque pecunias depromeret, & ſine mora repræſentaret: Sunt, inquit, uobis uiri A-
thenienſes paratæ pecuniæ, quas equidẽ in congijs depoſueram, quò ſinguli dimidiũ mi
næ acciperetis. Verùm ſi ad iſta mauultis erogari eas, per me liceat ueſtris abutamini, &
ad quæ cõplacitum eſt impendatis. Hac arte populi ſubſtitit impetus: & ne diſtributione
illa fraudaret, expeditionẽ poſthabuit, & in Alexandrũ nihil criminis cõmiſit. Pleraque
enim incõmoda nõ recta excutiendi uia amoliri atq; depellere poſsis, ut ad ea propulſan
da inſinuatione & ambiundi artificio opus ſit. Qua ratione uſum Phocionẽ accepimus.
Iuſſus enim copias in Bœotiam ducere, quæ tum expeditio nõ ei è repub. fieri uidebatur,
edixit, ut qui ex ephebis ad ſexageſimũ annum iti ciuitate eſſent, ipſum cõtinuò ſequeren
tur. Reclamãtibus uerò ſenioribus, & ætatem excuſantibus, Nihil, inquit, abſurdi edicto
cõtineri ſuo: ſiquidẽ ipſe octoginta natus annos copias ductitans unà profecturus eſſet.
Hac ratione uulgi ſtudia retundere poteris, ſi quando legationem uideris importunè fla-
gitari, eiuſmodi decernendo, qui ad munus obeundum parum tibi idonei uideãtur, easq́;
ſarcinas ac uaſa deferant iubendo, quæ impedimento magis atque de ornamento profici
ſcentibus, ꝗ uel decori uel uſui omnino futura ſint. ad hæc teipſum unà peregrè profe-
cturũ pollicebere, modò quæ conſtituiſſes in expedito ſint. Maximè uerò omniũ eos huc
puto trahendos, & ijs id quicquid eſt negocij cõmittendum, qui ſuis inducti ſtudijs, harũ
B rerum autores hortatoresq́; potiſsimũ uidebantur exiſtere: qui ſi munus recuſent, rem to
tam, cuius ſe autores uoluerunt, ipſi deſtruant: ſin ſuſcipiant, laboribus difficultatibusq́;
quoquouerſus impliciti, ſuæ ipſorum dementiæ & temeritatis pœnas primi omniũ luant.

Cupiditatẽ plebis nõnunꝗ aliò traducendam.

Quòd ſi quod opus ingens ac utile curandum proponitur, ad quod conficiendum opera
& diligentia multa opus ſit, hîc annitendum eſt, ut optimos amicorum tuorum, quibus
rem perpetrandam cõmittas, deligas, uel ex idoneis omnino eos deſumas, qui facilitate
atq; manſuetudine maximè præſtent: ut qui non per contentionẽ ſibi inuicem refragan-
do, ſed conſentientes atq; concordes negociũ ſint abſoluturi, nempe prudentia ſine ſtu-
dio æmulationis adhibita. Quinetiã tuam ipſius naturã expertus, ſi quid offeratur agen-
dum, ad quod efficiendũ alios te magis idoneos futuros intelligas, illis ut qui plus ualitu
ri, & rem commodius tractaturi ſint, adminiſtrationem & munus cõmittes. Quam uiam
Diomedem ſequutum accepimus, qui caſtra hoſtium exploratum cùm mitteretur, poſt-
habitis fortioribus, eum ſibi delegit ſocium, qui prudentia maximè præſtaret. Natu-
ra enim cõparatũ uidetur, ut inter eos æmulatio contentioſa non innaſcatur, qui diuerſa
uirtute, diuerſis uiribus, nõ eodem ſtudij genere, operã rei cuipiam dant, ac eam diſpari-
bus quidem artibus, uerũ pari diligentia uoluntateq́; curant. Quòd ſi fortè cauſam dictu-
rus, ſeu legationẽ initurus, tu teipſum ad dicendũ intelligas parum idoneũ, uirum dicen-
di peritum adiutorem tibi ſociumq́; muneris deſumere debes, ut Pelopidas Epaminon-
dam. Sin ad alliciendũ oratione populũ parum es natus, & à gratificandi ratione aliena-
tior, lepidum aliquẽ atq; obſequioſum delige tibi, ut Callicratidã facere ſolitum legimus.
Si uerò ad labores tolerandos imbecilli tu es inefficaciq́; corpore, induſtrium accipe &
robuſtum, ut quondam Lamachum Nicias. His artibus Geryonem admirandum accepi
mus: qui enim multa crura, pleraſque manus oculosq́; habere dicebatur, unico cuncta a-
nimo conſilioq́; adminiſtrabat. Itaque reipub. gubernatores non modò ad uſum ciuitatis
corpora conferre debent, uerùm quoque fortunas, uires, uniuerſas copias, concordibus
atque conſentientibus animis cõtribuere, ut pro ſe quiſque eandem rem quibus poſsit &
ſciat curãdo excellat: nõ quẽadmodũ Argonautæ relicto Hercule, coacti poſtea ſunt mu
liebri ductu ueneficijs & incantationbus ſeſe ſaluos facere, & aureum uellus furari. Ne-
que templum intrare uolentibus, foris eſt aurum omittendum, & ferrum uelut nullius
rei introferendũ: & quoniã iuris dicendi tribunal uelut cõmune omnibus templũ patet,

In opere magno ac utili curando quid agendum.

C Iouis conſiliarij, & Themidis & iuſtitiæ iudiciorum præſidis & domicilium, eueſtigió
Auaritia reijcienda. quenq; inde mouere oportet morbum auaritiæ, omnemq; comparandarũ diuitiarum ſo-
licitudinem tanq; ferrum ferrugine obſitum, ab animo amolitum, ad mercaturã & nundi
nas atq; fœneratores & caupones reijcere, & ſeipſum aliorſum uertere ad recta munera
expeditum, admonitũ prius & pro comperto habentem, eius ſemper corruptam futuram
rationem uitæ, qui ſemel depeculari rempublicã, legere ſacra, expilare ſepulchra, bona a-
micorũ ſurripere, negare credita, clientes prodere, falſò teſtimoniũ dicere animum indu-
xit: hunc inquam futurum conſiliariũ perfidum, iudicem irreligioſum, in magiſtratu ge-
rendo quæſtui & muneribus inhiantem, nullius, ut ſemel dixerim, iniuriæ omnino exper
Ambitio reipublicæ pernicies tem. Qua de re mihi haud uidetur plurib. diſſerendũ uerbis. Ambitio uerò etſi ſpecioſior
uideri poteſt auaritia & lucrifaciendi cupiditate, nihilo tamen minus mihi uiderur perni-
cioſa reipublicæ: quippe cui maior ineſt audacia, & quæ non deiectis neque ignauis inna
ſcitur animis, ſed nouis, uigentibus & iuuenilibus: accedit plerunq; obſecundatio quæ-
dam & fauor populi, quo fit ut extollantur magis & intumeſcant, nec contineri proinde
poſsint, nec facilè à quouis ſe tractari permittant. Plato quidem ait, adoleſcentes à primis
omnino annis admonendos eſſe, aurum extrinſecus uel geſtare, uel poſsidere nefas eſſe,
ei qui illud intrinſecus, & animo ipſo immixtũ natura haberet: uirtutẽ, ut mea fert opinio,
hoc nomine uolens ſignificare, cuius primordia quædam, & ueluti ſemina homini inna-
ta, ad conſummationẽ eius pertinent. Ea ratione cõmonefaciendos exiſtimo, qui cupidi-
tate honorũ, & morbo ambitionis laborant, eiuſmodi aurum ab ſe poſsideri, quod nulla
aſperſum labecula, omni peſte uacuum, nec inuidia ulla corrumpi, nec notari macula, nec
ſordibus ullis cõtaminari queat: quin memoria rerũ priuatim publiceq; honeſte geſtarũ
indies augeatur & creſcat. Quamobrem nõ depictis opus eſt imaginibus, nõ fictilibus ſi-
gnis, nõ ex ære cõflatis ſtatuis, in quibus id quod apparet probariq; poteſt, totum alienũ
& foris affictum eſt. Quandoquidẽ nõ is ab inuiſentibus laudatur, cui ſtat opus, & aut pi-
ctus uel factus, aut deniq; fabrefactus atq; compactus tubicen fortè quiſpiã uel ſatelles,
ſed is cõmendatur qui fecit. Proinde Cato referta iam urbe Roma ſignis & ſtatuis, ſuam
D ipſius ſiſti uſpiã non permiſit, malle, inquiens, cauſam cur ſibi nõ ſteterit ſtatua, quàm cur
ſtet requiri. Ii enim honores inuidioſi ſunt, arbitranturq; uulgò homines ijs ſe debere gra-
tiam, qui nõ accipiunt: è contrario eos qui acceperunt, ipſis graues eſſe, dum quaſi merce
dem ea ab ijs efflagitãt, quibus indigere ipſi uidenť. Et ut qui præteruectus Syrtes ad fre-
tum delatus & æſtuaria, poſtea nauim euertit, nihil operæprecium is feciſſe uideatur: ita
qui Quæſtor ærarium cõſeruauit, prouentus publicos auxit, Conſul deinde factus & am
pliori præfectus muneri, repetundarum peculatúſue damnatus eſt. Nam etſi ſub rupes
præaltas, celſumq; promontorium depulſus uidetur, mergitur tamen nihilominus & peſ-
ſundatur. Magnus igitur ille, qui nulla eiuſmodi rerum indigens, fugit ea & deprecatur,
& omnino pro nihilo ducit. Quòd ſi gratiam & benignitatem populi ſtudio huc prola-
pſi, repudiare facilè, & ea carere non poſsis, ſatis ſit tibi titulus & tabella, decretumq; pu-
blicum & herba, perinde atq; ſi inter ciues decertareť, nõ præmio argenteo ingentis pro-
poſito precij, ſed de re ſancta certè, & ad corollam uſq; pertinente. Cuiuſmodi Epimeni-
dem ex arce donatum accepimus, poſteaq̃ expurgarat urbem. Anaxagoras uerò publicè
decretis honoribus animo magno repudiatis, id ſibi omnino poſtulaſſe cõmemoratur, ut
quo die mortem obiret, pueris qui diſciplinis & artibus operam darent, permitteretur fe-
riatos ociari & ludere. Septem etiã Perſis qui magos interemerant, eorumq; ſoboli hono
ris cauſa illud decretũ eſt, ut anteriore capitis parte tiaram geſtarẽt: id enim ſigni facinus
patraturi inter ſe ex oppoſito dederant. Honos uerò Pittaco habitus ciuile aliquid præ ſe
fert. Iuſſus enim quantùm uellet ex eo agro ſibi acciperet, quem ipſe ciuibus uendicarat,
quantùm iaculum, quod ipſe iaculatus erat, pertranſijt, tantundem accepit. Publius uerò
Romanus tantundem agri ſibi quæſitum uoluit, quantùm ipſe qui claudus eſſet uno die
peragraſſet arando. Honos enim nõ rei præclarè geſtæ merces eſſe debet, ſed ſignum per
manendæ rei ad multũ tempus, ut illi ſuperius memorati honores diu manſerunt. Ex tre-
centis autẽ ſtatuis Demetrio Phalereo honoris erectis cauſa, nullã ærugo attigit, nullam
ſqualor ſordidauit, nullam uetuſtas attriuit, quippe quæ adhuc illo uiuente ſubuerſæ om
nes ſublatæq; ſunt. Demadis item ſtatuas deiectas, in matulas per cõtumeliam conflatas
accepimus. Pleriq; alij eiuſcemodi honores in contumeliam uerſi, moleſti odioſiq; habiti
ſunt: nec per improbitatem tantùm eorum, quibus decreti fuerant, uerumetiam uaſtitas
& amplitudo immoderata, cur antiquarenť, cauſa extitit. Proinde fortiſsimus atq; firmiſ-

ſimus

A ſimus honoribus cuſtos, modeſtia adhibenda eſt. Prægrandes enim honores, utpote ſu-
perbi & tumidi, æquè ut ſtatuæ uaſtæ & immoderatæ proceritatis, citò ſimul & facilè cor
ruunt. Appello autem nunc honores, quos uulgus ſic æſtimat: Empedocle enim autore,
quod uulgò fas dicitur, ſic ego quoꝗ; accipio. Nam honorem uerum & ſolidum, & gratiã
quæ eorum continetur beneuolentia, qui beneficiorũ memores, & gratiæ referendæ ſtu-
dioſiſsimi ſunt, ciuilis uir nequaꝗ; deſpiciet, neꝗ; cõmittet ut quaſi exiſtimari negligat, &
ne ſuis uideatur placere, honorẽ ex induſtria fugitet & deuitet: quod ſenſit Democritus,
quandò ne canum quidem alluſio, uelut ſalutatio, neꝗ; equorum propémodum beneuo-
lentię ſpecies uenatoribus equiſonibusꝗ; res omnino repudianda uidetur: quippe quam
iucundam & utilem arbitrantur, putantꝗ; affectionem eiuſmodi cicuribus animalibus in
culcandam, & penitus inſerendam eſſe: qualis cõmemoratur Lyſimachi canis, quales e-
quos Achillis in Patroclum fuiſſe poëta refert. Mihi ꝑinde præclarius cum apibus agi
uidetur, ſi cultores altoresꝗ; ſuos ſalutare, & manſuetè accipere conſueſcant, quàm ſi infe
ſtis eos aculeis petant. Nunc uerò apes quidem fumo uexatæ pœnas poſſeſſoribus teme-
ritatis atꝗ; ferociæ dant, equi laſciuiẽtes & duri fræno domant, cõtumaces canes coërcen
tur collaribus, & quocunꝗ; uel inuiti aguntur. Hominẽ uerò homini nil aliud manſuetũ
& mitem reddit, quàm beneuolentiæ fides, iuſtitiæ & probitatis certa opinio. Quocirca
rectè Demoſthenes ſenſiſſe uidetur, qui id maximè ſalutare ciuitatibus & firmũ præſidiũ
cenſet, ut tyrannis nullam liberi populi fidem habeant. Etenim pars illa animi, qua fidem
habemus alijs, & credulitate afficimur, lubrica nimirũ eſt, & facillimè falli induciꝗ; poteſt.
Et ut Caſſandrę uaticinatio propterea nihil profuit patrię, quòd erat apud ciues in gloria,
& fides ei nõ habebatur (ſic enim dicere adducitur: Incaſſum me Deus uoluit uaticinari,
quãdò ante cladẽ inſana habita, poſt calamitatẽ ſapiens ſum appellata) ſic fides Archytæ
habita, & in Batum beneuolentia ciuium magnopere ijs profuit, qui eorum opera & con
ſilio uſi ſunt. Proinde primũ & maximũ omniũ, quæ exiſtimationi bonorum ciuium attri
bui poſſunt, fides certè eſt, quæ gradum ad agendũ conſtituit, & aditum magna capeſſen-
tibus præſtat, propugnat ſecundo loco, armatꝗ; & inſtruit bonos beneuolentia ciuiũ ad-
B uerſum obtrectatores & improbos: quãdoquidem iuxta illud poëticũ, ut mater ab infan-
te ſuaui ſomno ſopito abigit muſcas, ita liuorem atꝗ; inuidiam procul propellit & amoli-
tur. Aequat præterea uires, & parem plebeium patritijs, ignobilem illuſtribus, inopem di
uitibus, & magiſtratib. priuatũ facit, atꝗ; ut ſemel dixerim, uirtute ueritateꝗ; accedẽte, reſ-
pub. certis flatibus & ſecundis gubernãda ſuſcipit. quæ res tibi, ſi animaduertas exempla,
notesꝗ; memoria rerum ratione contraria & diuerſa hominum affectione geſtarum, faci-
lè compertior apparebit & euidentior. Dionyſij uxorem ſtupratam, liberosꝗ; prius omni-
faria contumelia fœdè affectos, interemptos demum accepimus: ad extremũ concrema-
tis corporibus, in mare de naui cinerem ſparſum. At Menandro regi Bactrorum homini
frugi atꝗ; mitiſsimo, in expeditione & caſtris uita defuncto, cunctæ ciuitates regni, cun-
ctiꝗ; populi inferias de more & iuſta magnificè cõmuni conſenſu ſoluerũt. Poſtremò de
reliquijs cùm diu decertatũ eſſet quibus potiſsimũ cõmendarentur, uox tandẽ inter om-
nes cõuenit, ut æquè partitæ ſingulis diſtribuerent pro rata parte, nempe quò monumen-
tum illius uiri apud omnes pariter cum ueneratione exiſteret. Agrigentini cõtrà tyranni-
de Phalaridis liberati, publicè ſanciuerũt, nulli cęruleo colore ueſtimentũ geſtare liceret,
ideo quòd tyranni ſatellites, & corporis eius ſtipatores, eo colore ſubligaculis uti ſoliti e-
rant. Perſæ ad hanc uſꝗ; diem homines unco naſo & amant, & pulchritudine præditos ar
bitrantur, in honorẽ Cyri, qui eiuſmodi naſo fuiſſe traditur. Quo fit ut amor ille ualidiſsi-
mus atꝗ; ſanctiſsimus omniũ meritò habeatur, quẽ per uirtutẽ quiſpiam à ciuibus & po-
pularibus ſibi comparat. Honores autẽ qui ſpectaculorũ, largitionũ, atꝗ; gladiatorũ edi-
tione conſtantur, falsò quidem hi honores appellari uidentur, quippe qui à meretricijs a-
dulationib. nihil diſtant. Natura ſemper id multitudini comparatũ in promptu eſt, ut ero
ganti gratificantiꝗ; ſtatim arrideatur, & inſtabilis atꝗ; unius diei ingẽtis gloriolæ ſpecies
confeſtim exhibeatur. Rectè itaꝗ; mihi naturam multitudinis cõſpicatus uidetur qui pri-
mus dixit, largitionũ corruptelæ inductione, libertatẽ populorũ interijſſe: uis enim om-
nis & robur frangitur multitudinis cupiditate accipiendi ſuperatæ & uictæ. quanꝗ; corru
ptores uulgi admonendi mihi uidentur, ſeipſos primos ijs artibus perdere atꝗ; peſſunda-
re, quãdò magno precio honores eiuſmodi ementes, ferocius efficiũt uulgus, oſtendũtꝗ;
ipſum rerum potiri, & dandi auferendiꝗ; munera poteſtatem penes eum poſitam eſſe.
Verùm non idcirco circa munificentiam & benignitatem ciuilem ſordidè aut parcè erit

Modeſtia fortiſ-ſimus honoris cu ſtos.

Fides præcipuus ad magna capeſ ſenda aditus.

Falſi honores.

C agendum, ubi ſcilicet rebus ſuppeditantibus legum atq; morum permiſſu fieri poſsit: ma
iore enim odio diuitem populus ſuggillare & perſequi ſolet, nihil per benignitatē & gra
tiam depromentem, quàm inopem & egenum qui bona ſurripiat publica & ſuppſlet: hoc
enim neceſsitate acerba domina ſtimulante, illud malignitate atque contemptu fieri arbi
trantur. Eſto itaq; munificentia talis, quæ primò gratuitò & liberaliter, non alicuius recti
cauſa appareat: hac enim ratione ij quos affeceris beneficio, admirãtur te, & facilè capiun
tur. Secũdo loco, oblata occaſione prætẽdendę urbanitatis frugalitatiſq;, uenerate deos,
& per pietatẽ in honorẽ eorũ opibus tuis utare. Magnopere enim affici multitudo ſolet,
& in opinionẽ adduci colendos uenerandoſq; eſſe immortales deos, quando pietatẽ eo-
rum conſpiciunt, quos ipſi maximi ducunt, tam magnificè & alacriter diuina proſequen-
tium, atq; tot ſumptus haud grauatè impendentiũ. Et certè, ut inquit Plato, modulationẽ
& cantum, cùm Lydium, tum uerò Phrygium adimi adoleſcentibus oportere, quos libe-
raliter inſtitutos uelis, quòd alter luctu atque cõqueſtionibus deijcit atq; affligit animũ,
alter ad libidinem & luxuriam irritat, & præcipitem agit: ſic principem ciuitatis facere de
cet, ut ambitionem & ſumptus, quibus alitus irritatuſq; animus atrocior & ferocior fit, &
ſcurrilitate quadã prodiga luxuriari uidetur, omni ſtudio de ciuitate procul depellat atq;
eijciat. Quòd ſi minus effici fortè id poteſt, ab ijs certè abhorreat, atq; eos declinet, & ijs
refragetũ pro uiribus qui talia expetunt, & pernicioſiſsimè ſtudent. Modicos uerò tempe-
ratoſq; ſumptus ſemper putet idoneos bene moratæ ciuitati, quorum finis neceſſarius ho
neſtúsue ſit, & uſus iucũdus & gratus, modò noxa omnino atq; cõtumelia uacet. Et ſi for-
tè tibi adeò mediocres fortunæ ſunt, ut niſi centro & linea, ut aiunt, permenſæ ad ea qui-
bus tibi opus ſit ſuppeditare minimè queant, nõ erit illiberale, nõ animi omnino ſummiſ-
ſi & humilis, inuoluntariam inopiam confiteri, dehinc locupletum ſumptibus cedere, ne
contentionis inani ſtudio ad grande æs alienũ conflandum ineptè cogare, unde teipſum
nõ modò miſerandũ omnibus, uerumetiã irridendum exhibeas: difficultate enim rerum
implicitus, occultã diu & abditam inopiã tenere quî poteris? Nanq; ſiue amicis moleſtiã
& negociũ exhibueris, ſiue creditoribus adulando alluſeris, deprehendaris utcunque ne
D ceſſe eſt, indiceſq; teipſum nõ modò nullam gloriã, nullas hac uia tibi opes parare, uerùm
contemptũ & dedecus adipiſci. Cõducet itaq; rebus tuis Phocionis atq; Lamachi memo
ria ſæpenumero uſurpata: quorum alter flagitantibus quibuſdã Athenis, ut ad ſacrã rem
faciendam quippiam etiã ipſe pro uirili parte tribueret, & diu quaſi daturo applaudenti-
bus, Iniurius & impudens, inquit, profectò ſim, ſi ad rem diuinã uobis depoſcentibus ali-
quid dare animũ induxero, huic autẽ Callicli (digito creditorem oſtendens) nihil reddide
ro. Lamachus uerò in imperij expenſum referre ſolitus traditur, quantulũ ſibi in ueſtimen
tum atq; crepidulas expendiſſet. Ermoni Theſſali magiſtratũ præ inopia deprecanti, lage
nam uini ſingulis menſibus, & farinulæ modiũ de publico decreuerũt. His rationibus fit,
ut neque fateri inopiã dedecori ſit, & in ciuitatibus nõ deſint qui poſsint benignè & lautè
accipere inopes, ſi dicendi fiduciam ac fidem ex uirtute habuerint. Quamobrem cõtineat
ſe quiſq; maximè, & rebus ſic conſular, ſic modum cõſtituat, ut nec in campũ pedes aduer
ſus equites dimicaturus deſcendat, nec in ſpectaculis, epulis, & in ſcena inops, cum locu-
pletibus de magnificentia & gloria certaturus. Sanè uirtute innixus, animi præſentia ra-
tioneq; fretus, ciuitatẽ regere pergat, ut inde nõ modò dignitas & maieſtas quædã exoria
tur, uerũ gratia quoq; & beneuolentia rectè concilietur: res profectò diuitijs Crœſi opta
tior longè atq; præſtantior. Frugi nanq; moderatuſq; uir, nõ inſolens, nõ nimiũ ſui amãs,
nemini in ciuitate oneri eſſe poteſt, nulli acerbus & grauis, nulli uiſu infeſtior: nam & ſalu
tabilis eſt, & natura cõmunis, atq; adire & affari uolentibus facilis, cuius domus nõ obſe-
rata, non occluſa, ſed patens eſt omnibus, quô ſe quiſque uelut è tempeſtate & fluctibus
in portum tutò recipere poſsit. Nec humanitatem duntaxat his rebus affert, quibus curan
dis ope ſimul & opera opus eſt, uerumetiã uota proſperè adſequentibus lætum ſe & hila-
rem exhibet, rurſus offenſis & aduerſitate ulla affectis dolentẽ & mœſtũ. Nuſquã ulli mo
leſtus occurrit, nemini per importunitatẽ impedimento eſt, nõ longo ſeruorum & comi-
tum agmine inſolens, non in balneis & theatris occupatione locorum curioſus, non deli-
tijs & nimio ſumptu inſignis, & propterea inuiſus & grauis, ſed æquus & lenis: moribus,
ueſte, uictu, educatione liberorũ, uxoris atq; familię cultu, ſimul modeſtia & humanitate
rebuſq; omnibus talis, ut facilè agnoſcere poſsis popularẽ hominem, qui ſe unũ de cœtu
haberi ciuium ex animo ſtudeat, qui beneuolum ſe & fidelem conſiliarium dubitatione
æſtuantib. prębeat, afflictis patronũ ſine mercede, cõnubijs amicitijſq; cõmittendis facilẽ
aptumq;

Munificentia qualis politico conueniat.

Vir frugi ac moderatus.

A aptumq; conciliatorem. Hunc magnã partem diei in curia reipub. in foro amicis impertiri quotidie uidere licebit, reliquum uitæ ſpacium ea ratione diſpenſare, ut curas, ſolicitudinem, atq; deſideria ciuitatis ad ſe undecunq; cõuertere, atq; pro uiribus componere, & ad meliorem conditionẽ redigere prompto & alacri animo pergat; imitatus Cæciam, qui flando nubila ad ſe contrahere fertur. Non enim ceſſationẽ & ocium, quod pleriq; paſſim facere ſolent, quæritat, ſed reipub. præclarè adminiſtrandæ omnẽ operam, atque adeo uitam ipſam impendit: quibus artibus ciues ad ſe cõuertere uult, edoctos atq; bene admonitos, quæ ſit boni ciuis in rempublicam cura, qualis prudentia, rurſus cuiuſmodi aliorũ ſint falſæ adulterinæq; adulationes, & pernicioſæ illecebræ. Etenim aſſentatores Demetrij alios non appellandos reges cenſebant: quippe qui Seleucum elephantorum magiſtrum, Lyſimachum gazæ & ærarij cuſtodem, Ptolemæũ nauarchum, Agathoclem præfectum inſularum dictitare conſueuerunt. Populus certè etſi prudentẽ & bonũ ciuem initiò fortè ſpernere, atq; nonnunq; paruifacere uideatur, percognita tamen animaduerſaq; ſimplicitate ueritateq; morum eius, eum poſtea ciuilem omnino uirum, eum popularem, eum ciuitatis principem arbitrãtur. Ex reliquis chorearum atq; pomparũ ductorẽ alium, epularũ alium præbitorem, ludorũ hunc magiſtrum, & aliàs alium arbitrantur & uocant. Et ut in conuiuijs uſu uenit, Callias Alcibiadéſue epulum præbet, & ſumptũ facit, Socrates autem obſeruatur, ad Socratem omnes congerunt oculos: ſic in ſanis & liberis ciuitatibus Iſmenias erogat & largitur, Lichas apparat præbetq; cœnas, Niceratus dux eſt pomparum, & choreas aptè cõmittit: uerùm Epaminondas, Ariſtides, Lyſander magiſtratus gerunt, copias ductitant, imperijs ubiq; funguntur, domi ac foris rempub. adminiſtrant. Huc itaq; intueri oportet, nõ animis deijci, nõ expaueſcere & penè cõſternari glorioſam ſpectantẽ, quæ fauore atque applauſu uulgari, de theatris, de culina, de popina, de ſtrage hominũ repentè exorta, & fragiliter cõparata ſit. Proinde nil honorabile, nil honeſtũ, nihil præclarũ & graue in ſe, nihil ſolidum cõtinens, nõ diu manſura, parũ uictura, unà cum ludis gladiatorijs & ſcenis ipſa quoq; meritò peritura funditus eſt. Qui apiaria curant, & ipſis apibus è re & uſu nutriendis operam ſedulò dant, quas ingenti bombo & ſtrepitu de
B cellulis conſpicantur prodire, ualidas eas atq; uberes eſſe cõiectant. Quẽ uerò Deus ciuilis & ratione præditi examinis curæ atq; cultui præfecit, quiete is atq; manſuetudine populi felicitatẽ eius potiſſimũ metitur, & cõiectura conſequiť: & reliqua quidem Solonis præcepta & inſtituta amplexabiť ac admittet, poſtremò pro uiribus imitabitur. Illud autẽ admirabiť certè, & hærebit diu & dubitabit, qua tandem uir ille ratione adductus lege cauendũ duxerit, qui ſciſſa ciuitate per ſeditionẽ bifariã, neutri ſe parti addixerit, inter ignominioſos eum oportere referri. Non enim corpore aliquo affecto & morbido, de mẽbris iam morbo & uitio occupatis, initiũ conualeſcendi & ſalus ſperatur progredi poſſe: quin ubi uis ualidiorũ membrorũ præualere incœperit, inde uelut quoddã temperamentũ proficiſcens, uires ſerpentis iam morbi reprimit, & indies magis retundit. Natura dehinc opitulante immutatio fit, & membra languore iam læſa ad ſalutẽ priſtinam redeunt. Sanè populo ſeditionis uitio laboranti, nõ tamen graui & deplorato, ſed quod curari aliquatenus inhiberiq; queat, ex partibus ſanis certè & bene ualentibus temperamentũ ſalubre afferri debet, atq; in hac medendi ratione perſeuerandũ eſt, ac penitus inſiſtendũ. Etenim uis atq; uirtus bene ualentiũ partium, aptè, atq; ut ita dicam, familiariter in membra morbida influens, mirũ agit in modum. Pleræq; autẽ ciuitates omnibus perturbatæ partibus, nulla ui foris compulſæ, nullam malorũ caſtigationẽ adeptæ, radicitus ſubuerſæ interierunt. Ciuibus itaq; pereuntibus, nullo ſenſu moueri, nihil dolere, tranquillitatẽ animi atque adeo indolentiam prædicare, uitam ocioſam tanquam beatam uerbis extollere, perinde utiq; eſt ac aliorum miſerijs oblectari, & gaudere calamitatibus uideare. Imò Theramenis cothurnum induere debes, ut utriſque conuenias, neutris tamen addictus: qua ratione uideberis neutris iniuriam facere, & propterea nõ alienus: utriſq; opitulari, proinde cõmunis: nec concitabis aduerſum te ullam inuidiam, ſcilicet quia ſis ſolus expers malorũ, cæteris calamitate afflictis, quippe qui uicem utrorunq; pariter indolere uideri poſsis. Iam uerò optimũ & potiſsimũ omniũ illud eſt, longè lateq; proſpicere, ne quando ſeditio ulla erumpat, opus profectò orationis & diſciplinæ ciuilis maximũ & pulcherrimũ. Etenim ciuitatibus illa ſunt bona optanda maximè, pax, inquam, libertas, feracitas cùm agrorum, tum uerò hominum, poſtremò cõcordia. At ad pacem comparandam hac tempeſtate, nullius boni ciuis auxilio ciuitates indigere uidentur, fugato iam & de medio omni genere belli ſublato, tum inteſtini, tum barbari. Libertatis uerò tantundem poſsidetur, quantũ rerum

Seditionis tempeſtate quomodo ſeſe gerẽdũ.

Opus ciuilis diſciplinæ maximum.

Ciuitatibus quæ bona optanda.

C dominí impartiendũ populis arbitrantur: amplius autem optare, utique non eſt utile. Feracitatem atq; prouentus agrorum, anni temperiem, & clementiã cœli, mulierum partus, & parentibus ſimiles natos, prognatis incolumitatẽ & ſoſpitatem, modeſtiſsimus quiſq; ſibi ac ciuibus à dijs immortalibus poſtulabit. Reliquũ ergo eſt, quod uiro ciuili nulla re inferius exiſtimandũ uidetur, ut rebus adminiſtrationi ciuium ſubiectis ita utatur uir bonus, ſic moderetur, ut amicitiæ & conſenſus inter ciues conciliari, contentiones & inimicitiæ tolli penitus uideantur: &, quod in amicorum diſsidijs uſu uenit, qui ſe priorem iniuria affectum putat, eum priorem quoq; adeas, atq; oratione ſoleris, oſtendaſq; te unà ſecum dolere, & iniuriam æquè ferre. His iactis, mœrorem lenire incipito, hominemq; docere, non eos cõmendari ſolitos qui alijs iniuriam intulerint, quiue pertinaciter & obnixè ſuperare cõtendant, ſed qui illatam iniuriam animo ęquo, uel certè forti tuliſſe uidentũ. Hi enim non modò manſuetudine & morũ facilitate, uerũ quoq; prudentia & animi magnitudine præſtãt, propterea quòd paruis rebus cedẽtes, maximis atq; pulcherrimis obtinẽt & euincũt. Ad hæc priuatim ſingulos publiceq; uniuerſos admonitos & doctos oportet, cõditionem imbecillitatemq; rerum præſentiũ Græciæ cernere. Bene enim cum ſapientibus agi exiſtimandũ eſt, ſi quietè ac cõcorditer uitam agere liceat, quãdo quidem nil ſors præclarũ reliquum fecit, de quo in medium decertetur. Quis enim principatus, quod imperium, quæ gloriæ mateties his qui ſuperſunt relicta eſt? quæ omnino agendi poteſtas, quam quoduis decretũ Proconſulis facilè noti inuertat, & deſtruere poſsit? quæ ue, etiam ſi integra permaneat, digna haberi & idonea poſsit, cui magnopere ſtudeas, & operã naues? Enimuerò non ſemper incendia de ſacris publicisue ædibus initiũ ſumunt, ſed ſæpenumero è domuncula, lucerna parumper neglecta, ingens erumpit flamma: uel ignis ſenſim conceptus, palea deinde & fomentis refocillatus mirum in modum ardere incipit, & primis quibuſque correptis longius ſerpere, & maximam ſtragem dare. Ita ſeditiones in ciuitatibus nõ magnæ ſemper contentiones, nec de publicis rebus diſsidia incendere cõcitareq; ſolent, uerùm plerunq; priuatis creatæ offenſionibus, in publicam peſtem certando progreſſæ ſunt, ſtudijs & contentionibus mutuis auctæ. Quas ob res principem ciui-

D tatis & uirum ciuilem oportet eiuſcemodi parua futuræ cladis initia nihilo ſegnius præuenire, itaq; curanda & opprimenda ſuſcipere, ut aut nuſquã exiſtere poſsint, aut ſi qua extiterint præfocentur, ne paulatim aſſumptis uiribus luculenter ſuccreſcant, poſtremò ſuapte magnitudine rempub. taxent & occupent. Quòd ſi tolli penitus nequeant, ad eos ſaltem reijciantur, è quorũ priuatis ſtudijs & diſſenſionibus ortum ſumpſiſſe uidentur. Attendendum præterea ſibi ducat, & alijs prædicandum, ſæpe uſu uenire, priuatis & paruis neglectis rebus initiò, nulla cura, nullis medicamentis adhibitis, inde calamitates etiã publicas extitiſſe. Delphis maximam idcirco ſeditionem ortam accepimus, quòd Orgilaus Phalidis filius Cratetis ducturus filiam, dum rem ſacram de more facere uult, cratera ſtantem inter libandum ultrò forteq; derepentè ruptum animaduertit: portentum hoc deuouendum ratus, infectis nuptijs, relicta ſponſa, cum patre inde cõfeſtim abijt. Ea re Crates infenſus, Orgilaum & fratrem non multò pòſt ſacrificantes adortus, ut præcipites ſe darent peſſum iri compulit. Iterum amicos familiareſq; ſupplices in templo Prouidentię impetu dato oppreſſit. Poſtremò multis talibus factis Orgilai fratres Cratetem & factionis eius homines ex compoſito aggreſſi interemerunt, deq; pecunijs, nuncupatis Piacularibus, inferiora templa ædificarunt. Adoleſcens Syracuſis quidam amatæ adoleſcentis amici profecti peregrè, ſibi creditæ ſtuprum intulit: rediens ille reſciuit facinus, ulturuſq; iniuriam inuicem uxorem amici ſtuprauit. Re uulgari cœpta, maior natu ciuis in ſenatũ retulit, utrũq; ab urbe eliminari, priuſq; ciuitas uelut cõtagio ſceleris infecta, ad diuerſa propenſa ſtudia, & ad inteſtinas hinc profecta inimicitias ſeipſam euertat: cęterùm perſuadere ſenatum potis non fuit. Orta ſeditione, in diuerſaſq; partes ciuibus raptis, quæ fuerat egregia ciuitas, maximis implicita malis, uarijſq; agitata calamitatibus demũ corruit. Iam ipſe tu tibi domi tenes certa exempla, inimicitias (inquam) Pardali atq; Tyrrheni. Qua in re parum abfuit, quo minus urbs Sardes euerteretur, de paruis priuatiſq; cauſis, in ſeditionem & bellum inteſtinũ impulſa. Ciuilem itaq; uirum eiuſmodi tanquã in corpore aliquo uitia, quæ poſſunt emanare latius, nequaq; contemnere & floccifacere decet, ſed prouiſa eminus ſtatim opprimenda ſuſcipere. Qui enim hæc proſpicit, is ea quæ magna ſunt, parua efficere, & parua ipſa in nihilum redigere poſsit, ut inquit Cato. Ad quæ perſuadenda nulla mihi uideri poteſt potior ratio, quàm ſi inducas animum, in tuis priuatis diſceptationibus manſuetum teipſum & exorabilem exhibere, atq; in primis perſiſtere cauſis, nulla

per

Diſsidia ciuium quomodo tollenda.

Tumultuũ principia diligenter preuenienda.

A per contentionẽ concitandæ iræ gratia adiecta materia, nullis irritatis affectibus, quibus negociũ magis exaſperetur, & æquo acerbius fiat. Iam lucta cæſtibusq́ certantiũ manus loris uinciri leniter & pauxillũ prohiberi conſueuit, nempe ut ictus molliter emittant, & inflicta uulnera nõ magnũ dolorem afferant, ne certatores doloris cõmoti ſenſu, ad grauem & penè inſanabilem pugnandi excandeſcentiam proueharıtur. Simili ratione in foro, & ciuilibus controuerſijs, ſat erit nudis explicatisq́ rationibus cauſam ſimpliciter agere, non confictis ad libidinem criminibus, congeſtis maledictis undiq́, & iurgijs atq́ minis admixtis, tanq́ ueneno tela inficere, eaq́ præacuta in aduerſarium per inſidias iactitare: quo fit, ut cauſæ ſuapte natura leues atq́ priuatæ, ad publica crimina, deploratáq́ luem ſtudio & contentione trahantur. Qui uerò ſe talem in cauſis proprijs exhibere poteſt, is profectò facilè perſuadere alijs, ut ſe uolentes libentesq́ dicto eius audientes exhibeant, quandò maximè publicæ ipſæ contentiones & controuerſiæ, ſi priuatas offenſiones ſubducas ac demas, leuiores effici ſolent, nec moleſtũ quippiã inſanabileúe omnino afferre.

Plutarchi de uirtute morum lib.

CAROLO VALGVLIO BRIXIANO INTERP.

DE VIRTVTE, quæ ad mores ſpectare dicitur atque exiſtimatur, maximè uerò uti à contemplatiua differt, quòd animi affectum materiæ, & rationem formæ gerentem uices habeat, diſſerere propoſitũ eſt, quæq́ ſit eius ſubſtantia, & quomodo naturaliter ſubſiſtat, & utrum ea pars animi quæ illam ſuſcepit, propria ratione ſit compoſita & moderata, an particeps ſit alieni: idq́ ſi ita eſt, num ut ea quę cum præſtantiore uì cõmixta ſunt, an potius quòd ueluti præfectura quadam atque imperio utatur, alterius particeps eſſe principis dicitur poteſtatis. Quòd autem uirtus omninò à materia ſemota atq́ impermiſta eſſe, ac permanere poſsit, latiſsimè patere arbitror. Sed *Virtus à materia ſummota.*
B aliorum præſtat breuibus recenſere ſententias, non hiſtoriæ magis cauſa, quàm ut nõſtra clariora atq́ firmiora explicatis illis exiſtant. Menedemus itaq́ Eretrienſis multitudinem ſuſtulit uirtutũ ac differentias, quaſi una eſſet, ac pluribus nominibus uteretur. Idem enim temperantiam ac fortitudinẽ & iuſtitiam, ueluti gladiũ & enſem appellari. Ariſto Chius unam & ipſe ſubſtantiam uirtutis faciebat, eamq́ appellabat ſanitatem: ſed differentes numero ſaſq́ fieri aſſerebat, cùm aliud atq́ aliud ſpectaretur: ut ſi quis uiſum noſtrum cùm alba contuetur, albiuiſum, & cùm atra, atriuiſum appellare uelit, aut quid aliud huiuſmodi. Nam cùm uirtus quid ſit agendum, quid ue fugiendum conſiderat, prudentiam appellari contendebat: cupiditates uerò coërcentem, & modum uoluptatibus adhibentem, temperantiam: quæ autem in ſocietatibus, & rebus cum alijs cõtrectandis uerſatur, iuſtitiam. quẽadmodũ gladius cùm ſit unus, aliud aliàs ſecat: & ignis in diuerſas agit materias eadẽ utens natura. Videtur autem & Zeno Citticus in eandem deſcendere ſententiam, definiens iuſtitiam eſſe prudentiam, quæ ſuum cuiq́ tribuit, in rebusq́ aſſumendis temperantiam, & in perpetiendis fortitudinem. Et qui ipſum tuentur, cenſent in his ſcientiam à Zenone prudentiã appellari. Chryſippus uerò ſuã cuiq́ qualitati ratus uirtutẽ attributã eſſe, examen, ut inquit Plato, nec uſitatum, nec cognitum excitauit uirtutum. Vt enim à forti ac manſueto fortitudinẽ & manſuetudinẽ, & à iuſto iuſtitiã, ſic à gratioſo gratioſitates, & à bono bonitates, & à magno magnitudines, à pulchro pulchritudines, atq́ alias huiuſcemodi dexteritates, comitates & urbanitates in numero uirtutũ ponẽs, multis abſurdisq́ nominibus nihil indigentẽ referſit philoſophiã. Cõmuniter autem inter hos omnes conuenit, uirtutem eſſe principis animi diſpoſitionem, & facultatem quandam à ratione manantem, quin potius ipſam eſſe rationem: idq́ firmum & ratum, & immutabile habent, nec putant id animi quod ratione uacat, affectibusq́ perturbatur, diſcrimine ullo, naturaq́ ipſa animi ab eo quod ratione præditum eſt, eſſe diſtinctum: ſed eandem animi partem, quam intellectum principemq́ appellant, continuis mutationibus conuerſionibusq́ obnoxiam, & in affectionibus, & per uarias habitus uel diſpoſitionis mutationes uitium fieri atque uirtutem, ac nihil in ſe habentem quod ſit expers rationis, dicíq́ à ratione auerſum, quum motus animi auidè concitatus ac uehemens atq́ impotens, ad aliquid abſurdum præter delectũ rationis effertur. Affectum enim eſſe dicunt rationem improbam atq́ effrenatam & proteruam, ex prauo peccanteq́ iudicio ortam, quum uehe- *Virtus quid.* *Affectus.*

C mentiam roburq; accepit. Hi autē mihi ignoraſſe uidentur, quòd quiſq; noſtrûm uerè du
plex compoſitusq; eſt, nec illam animi duplicitatem præuidiſſe, ſed tantùm perſpicuam
illam, quæ eſt animi & corporis, cōmixtionem. Quòd uerò ipſius animi in ſeipſo compo-
ſitum ſit quiddam biforme atq; diſsimile, quaſi alio corpore rationis experte atq; partici-
pe cōmixtum & compactum, Pythagoram neſciuiſſe nō eſt conſentaneū, coniecturam fa
cientibus à ſtudio muſicæ illius uiri, quam animo pacandi ſedandiq; eius gratia adhibe-
bat, tanq; non uniuerſus præceptioni doctrinisq; obtemperaret, nec à uitio ratione diſtra
heretur, ſed alio quodam perſuadendi præſidio indigeret, & formatione atq; conciliatio-
ne, niſi omnino ad philoſophiam intractabilis atq; inobediens eſſet futurus. Sed apertiſsi
mè & cōſtanter atq; indubitatè Plato intellexit, quòd huius mundi animans nec ſimplex
eſt nec incompoſitus, nec uniformis, ſed ex eiuſdem atq; alterius poteſtate cōmixtus, tum
eodē ſemper ſe modo regens & uerſans, unoq; ac ſimili ordine utens, cōſtanti atq; præua-
lido, tum in contrarios errabundosq; motus ac circulos diuiſus, primordiū diſsidij & mu-
[Humani animi diſtinctio.] tationis, ortibus & corruptionibus quę fiunt in terra, dedit. Humanus quoq; animus pars
uel ſectum cùm ſit uniuerſi, & rationibus numerisq; ad illorum cœleſtiū exemplum com
pactus, nec eſt ſimplex, nec unius modi, ſed alterum habet intelligentiam atq; rationem,
quam præſtare naturaliter imperareq; homini cōueniens eſt: alterum uerò turbulentiam
affectuum habet, impósq; rationis eſt, & erroribus refertum, & ſua ui ſuaq; ſponte inor-
dinatum. Quo rurſus bipartito, aliud ſemper cum corpore uerſari, ipſumq; colere ſuapte
natura deſiderat, & appellatur concupiſcentia. Alia uerò pars interdum ipſi ſe dedit ap-
petentiæ, quandoque uerò rationi uim roburq; ſuppeditat, eaq; dicitur iraſcentia. Decla-
ratur autem in primis differentia compotis rationis atq; intelligentiæ partis, itinere con-
trario aduerſus cōcupiſcibilem & iraſcibilem, quòd hæ aliæ ſunt & diuerſæ, cùm ſæpe nō
obtemperare ei quod optimū eſt ac reluctari, manifeſtò deprehendant. His principijs plu
rimū uſus eſt Ariſtoteles, ut ex eius ſcriptis latè patet. Poſtea uerò iraſcibilem cōcupiſcen
tiæ attribuit, quòd ira libido quædā ſit uindictæ: perpetuoq; uſus eſt parte affectibus per-
turbata rationeq; carente, tanq; differenti ab ea quæ eſt particeps ipſius: non quia omni-
D no ſit expers rationis, quemadmodum ea animi pars qua ſentimus, nutrimentumq; ſuſci-
pimus & uegetamur: nam hæc omnino rationem non audiunt, & modo quodam ſurda
ex carne germinarūt, ac penitus in corpore ſunt demerſa. Quæ uerò affectionibus obno-
xia eſt, quanq; propria caret ratione, & eſt expers eius, alioqui tamen ut eam audiret, ad
ipſamq; ſe conuerteret, cederet, & informaretur, natura facultatem conceſsit, niſi in totum
perdita profligataq; exiſtat à uoluptate uictuq; intemperanti. Qui autē admirantur quo-
[Rationi parêre quomodo poſsit id quod ratione caret.] modo parêre rationi poſsit id quod rationem non habet, hi mihi non uidentur mente
complecti, quantæ ſint rationis uires, & quô penetrent, occupando & ducendo non du-
ris quidem nec renitentibus modis, ſed informantibus, & ad cedendum parendumq; diſ-
ponentibus: quæ res eſt omni neceſsitate ac uiolentia ad tranſigendum efficacior. quan-
doquidem ſpiritus ac nerui, & oſſa, & reliquæ corporis partes ratione carent: ſed cùm ani
mi motus oritur, quatiente quaſi habenas ratione, omnes intenduntur, & expediuntur,
& parent. Pedes ad curſum parari, manusq; ad iaciendum atq; capiendum, id animo cogi
tante, ſunt præſtò. Præclarè autē poëta id quod ratione uacat, & affectus habet turbidos,
& cum ratione conformatur, his carminibus ante oculos ponit;

Illi, dum lachrymans luget præſente marito,
Formoſæ malæ lachrymarum rore madebant.
Vxorem ſed flentem animo miſerantis Vlyſsis
Lumina palpebris ſtabant immota quietis,
Cornua ceu & ferrum, mente occulrante dolorem.

Adeò obedientem iudicio
rationis habebat, & ſpiritum, & ſanguinem, & lachrymas. Declarant id quoq; in formo-
ſis, quos tangi uetat & ratio & lex, pudendorum fugæ & receſſus, quæ iacent ac minimè
cōmouentur. Quæ res præſertim amantibus uenire ſolet uſu, cùm poſtea ſororis aut filiæ
amatores per imprudentiam fuiſſe cognouerunt: tum enim ſeſe contraxit cupiditas & in
horruit, corpusq; partes ſuas conſentientes cum iudicio præbuit. Enimuerò cibos atq; ob
ſonia ſæpe aliqui perlibenter aſſumpſerunt, qui poſtquàm ſenſerunt & didicerūt aliquid
ſe impurum & illegitimum ediſſe, non modò iram morſumq; iudicio adhibuerūt, uerùm
& corpus ad opinionem conuerſum & completum, uomitiones nauſeantesq; diſturba-
tiones occupant. Vereor autem, ne omnino friuola puerilia q; oratione exequi uidear,
pſalteria, lyras, pectidas, tibiasq; perſequens, & quæcunq; muſicæ conſona, & inde appel

pellata

A lata architectantur homines. Affectibus humanis inanimata conueniunt, ſimulq́; flent &
concinunt, & unà intemperanter feruntur, iudicia, affectiones, moresq́; utentium referen
tia. Nam & Zenonem in theatrũ ad citharam, canente Amœbeo, Eamus, dixiſſe diſcipu-
lis ferunt, ut perdiſcamus quæ inteſtina, & nerui, & ligna ac oſſa, rationis rhythmiq́; parti
cipantia, & ordinis, concentum uocemq́; edunt. Sed his prætermiſsis libenter eos interro
garem, ſi canes & equos auesq́; domeſticas uident conſuetudine quadam & educatione
ac præceptione uoces prudentes reddere, rationiq́; obtemperantes motus & habitus,
actionesq́;, moderationem quandam & utilitatem noſtram continentes, Homerumq́; di
centem audiunt, Achillem equos hominesq́; hortari ſolitum ad pugnam: cur adhuc ad-
mirantur ac dubitant, id quod iraſcitur in nobis, & cupit, & dolet, & lætatur, obedire pru-
dentiæ, ab eaq́; affici, cùm & incola ſit, nec abſciſſum, nec extrinſecus fictum, neq; ulla ne-
ceſsitate aut plagis formatum, ſed à natura dependeat, cum ea ſemper uerſetur, educetur,
& conſuetudine compleatur ac more: unde rectè appellati ſunt mores. Sunt enim mores, *Mores quid, & unde dicantur.*
(ut compreſſe dicam) qualitas animi ratione uacantis. Quod nomen inditum fuit propte
rea, quód qualitatem hanc & differentiam à more ipſe animus irrationalis à ratione con-
formatus capit. Cui quidem non eſt conſilium, commotiones animi & affectus ſtirpitus
euellere, neq; enim poteſt, nec opus eſt, nec expedit, ſed terminum quendam & ordinem
ei præſcribere, moralesq́; uirtutes conſtituere: quæ quidem ſine affectione motuq́; non
ſunt, ſed ſymmetriæ ipſorum & mediocritates. Imprimit enim & informat ipſa prudentia
commotarum affectionum uim, habitumq́; conſtituit urbanum. Tria enim hæc in animo
eſſe dicunt, potentiam, affectum, & habitum. Poteſtas principium eſt & materia affe-
ctus, ut iracundia, uerecundia, atque huiuſmodi procliuitates. Affectus eſt ipſius poten-
tiæ commotio quædam. Habitus uerò, uis & confirmatio potentiæ in parte irrationali à
conſuetudine inſita. Si perperàm à ratione ductata, & recta fuerit affectio, uitium exiſtit:
ſin probè, emergit uirtus. Sed quoniam nõ omnem uirtutem mediocritatem faciunt, nec
moralem appellant, de earum uirtutũ differentia altius repetito principio dicendum eſt.
Rerum omnium alia abſolutè quodammodo ſe habent, ut terra, & cœlum, & aſtra: alia er
B ga nos modo quodam affecta ſunt, ut bonum, malum, eligendum, fugiendum, uoluptas,
dolor. Vtrunq; ratio complectitur. Superioris generis ſcientia eſt & contemplatio. Ex al-
tero, quod uidelicet nos reſpectat, deliberandi facultas oritur & agendi. Huius uirtus eſt
prudentia, illius uerò ſapientia. A ſapientia autem differt prudentia in eo, quód à contem *Sapientia & prudentia quid differant.*
plandi genere ad actiuum affectionibusq́; agitatũ, conuerſione & reſpectu quodam fa-
cto ſecundum rationem prudentia ſubſiſtit: quapropter prudentiæ fortuna opus eſt. Sa-
pientia uerò ne conſilio quidem eget ad ſuum finem conſequendum: in æternis enim, &
eodem ſemper modo ſe habentibus uerſatur. Et quemadmodum Geometra non conſul-
tat utrũ triangulus internos angulos habeat, duobus rectis ęquales, ſed nouit: (ſunt enim
conſilia earum rerum, quæ aliàs aliter ſe habent, non autem firmarum atq; immutabiliũ)
ſic mens contemplatiua, prima & ſtabilia, unam ſempiternamq́; naturam habentia, nul-
liſq; obnoxia mutationibus exercens, à conſilio capiendo libera eſt. At prudentiam in re
bus errorũ ac turbulentiæ plenis immerſam, ſæpe cum fortuitis miſceri neceſſe eſt, & con
ſultatione in rebus dubijs uti, & ubi cõſuluerit, iam agere irrationali quoq; aſsiſtente atq;
præſente, & ſimul à iudicijs tracto: motione enim indigent animi naturali, qui quidem in
affectione mores efficit, ratione indigens moderatrice, ut ille motus mediocris adſit, nec
ultra modum citràue cõſiſtat. Quod enim uacat ratione, & affectionibus ſcatet, cõmotio-
nibus utitur tum uehementioribus & cõcitatis, tum mollioribus lentioribusq́; quàm con
ueniat: quo fit ut in omni actione noſtra officium uno modo perficiatur, & pluribus ab eo
diſcedatur. Aſſecutio enim ſigni una ſimplexq́; eſt, aberratio autem multiplex, ſiue quid
præſtet mediocritati, ſiue ab ea ſuperetur. Huius igitur quæ in rebus agendis uerſatur ra- *Rationis munus.*
tionis ſecundum naturam munus eſt, immoderatos redundantesq́; affectus & cõmotio-
nes coërcere ac reſecare. Vbi enim præ imbecillitate, atque mollitia, ac metu, uel torpore
motus refugit, officiumq́; & honeſtatem deſerit, tum præſtò eſt illum excitans & ſuble-
uans. Vbi uerò contrà ſeſe effert inſolenter plurimus atq; inconditus & inordinatus, ue-
hementiam aufert & reprimit, atq; ita affectuum cõmotionem moderans, & intra termi-
nos continens, uirtutes morum in parte animi experte rationis conſtituit, inter exceſſum
atq; defectum medium obtinentes locum. Non tamen omnem uirtutem in mediocritate
inciſſe dicendum eſt, ſed eſt quædam minimè indiga eius animi partis quæ eſt rationis im
pos, in pura conſtantiq́; mente conſtituta, ſapientia uidelicet atq; prudentia, ſuapte natu-

A & non inaffectiones uocant, rectè hoc loco nominibus utentes. Fit enim bona affectio ratione nō exturpante affectum, ſed ad modum atq; ordinē redigente. At praui & incōtinentes quid patiunt, cùm patrem matremq́; amati aut amatæ loco iudicant eſſe diligendam, & tamen diligere nō poſſunt: cùm uerò iudicant amandam eſſe meretricem, adulatorémue, continuò amant? Nam ſi in affectu eſſet iudiciū illud amandi, uel odio habendi, amor & odium ſequi oporteret. Nunc autē contrà euenit, cùm aliquibus conſilijs affectum adhæreſcere, & quædam deprecari atq; reijcere uideamus. Quapropter cùm dicunt, rebus uiolatis nō eſſe iudicium in affectu, ſed id tantùm, quod motum effrenatum & exuperantem excitat, aliud eſſe in nobis quod iudicat, & aliud quod afficitur, cōfitentur: quemadmodum quod mouet, & quod mouetur diuerſum eſt. Ipſe uerò Chryſippus multis locis definiens patientiam, & cōtinentiam, cùm eas aſſerat habitus eſſe eligenti rationi obtemperantes, perſpicuum eſt, quia rebus coactus eſt fateri aliud in nobis cui paretur, & aliud quod paret. Cùm uerò dicant omnia peccata eſſe paria, & omnes culpas æquales, ſi in alijs ueritatem non cernunt, non eſt in præſentia refellendi conſilium: nam in pleriſq; perſpicuitatem & euidentiam oratione impugnare uidentur. Omnem enim affectum uitium eſſe cōtendunt, & omnes peccarè, qui aut dolore, aut metu, uel cupiditate afficiuntur: magnæ enim affectuum differentiæ ſecundum plus & minus cernuntur. Quis enim dicat formidinem Dolonis parem timori Aiacis fuiſſe, referentis pedem, & ab hoſtibus gradatim diſcedentis, & paulùm genua alternantis? Aut quis cōferat dolori Platonis, Socratis morte ſuſcepto, ægritudinem Alexandri ob Clitum ad conſciſcendam ſibi mortem concitati? Et quod præter rationem ac ſpem accidit, maiorem inurit dolorem, quàm id quod euenire rationi erat conſentaneum. Vt ſi quis expectet ſe aliquem uiſurum proſpero rerum ſucceſſu utentem, & in admiratione habitum, & eum tormentis affectum audiat, ut in Philota Parmenioni cōtigit. Quis ira pari dicat in Anaxarchum uſum fuiſſe Nicocreontem, & Magam in Philemonem, utrunq; ab illis contumelia affectum? Alter enim piſtillis ferreis contundi, & concīdi Anaxarchum fecit: alter uerò nudum enſem à carnifice Philemonis ceruicibus imponi iuſsit, deinde abire incolumem. Quocirca neruos animi iram Plato appellabat, quia acerbitate animus intendatur, & manſuetudine remittatur. Hæc igitur & alia huiuſmodi explodentes, intentiones affectuum & uehementias non dicunt fieri ſecundum iudicium, in quo peccandi eſt facultas, ſed morſus & contractiunculas, ac animi diffuſiones eſſe, plus & minus ipſo rationali ſuſcipientes: quanq; & in ipſis iudicijs fieri uidentur differentiæ. Nam & paupertatem alij malum, alij magnum malum, nonnulli etiam ſummum malum iudicant, ut etiam eius uitandæ gratia in ſcopulos mariaq; ruant. Mortē uerò alij quia priuentur bonis, alij propter ultiones ſub terra ſempiternas, horrendaq; ſupplicia malum eſſe cenſent. Corporis ſanitas ab alijs, quia ſecundum naturam eſt & utilis, amatur, alijs maximum bonum eſſe uidetur, nec diuitiarum ullam gratiam aut liberorum, aut regnorum eſſe, demumq; uirtutes nec utiles, nec conferentes eſſe abſq; ſanitate arbitrātur. Ex quo apparet, in iudicijs ipſis alios magis, alios minus peccare. Sed hæc nunc non eſt refellendi locus. Illud autem ex eo colligendum eſt, quod & ipſi concedunt, à iudicio aliud eſſe ipſum irrationale, in eo quòd dicunt affectum maiorem ac uehementiorem fieri, uerbis diſcrepantes, in rebus autem conſentientes cum his qui affectus & irrationale à ratione atq; iudicio differre contendunt. In his uerò quæ de illegalitate Chryſippus ſcripſit, cæcam eſſe iram pronunciat, & quòd ſæpe non ſinit cernere quæ apertiſſima ſunt, & percepta ſæpe obſcuret. Ac paulò progreſſus, naſcentes, inquit, affectus extrudunt ipſas rationes, & quaſi aliter uideatur uiolenter ad contrarias actiones propellunt. Deinde teſtimonio utitur Menandri, dicentis: Hei mihi miſero, ubinam mentes noſtræ eo tempore erant in corpore, cùm non hæc, ſed illa delegimus? Rurſum Chryſippus pergens inquit: Cùm animali ratione prædito natura dederit omnibus in rebus ratione uti, & ab ea gubernari, nos illam ſæpe uiolentiore aliquo impetu utentes reijcimus: euentum probans ex diſcrepantia & contentione affectus cum ratione. Ridiculum profectò eſſet, ut Plato dicebat, aliquem eſſe ſeipſo præſtantiorem, & rurſus deteriorem: & alium eſſe continentem ſui, alium incontinentem. Quomodo enim poſſet fieri, eundem ſeipſo meliorem, & rurſus peiorem eſſe, aut ſimul uincere ac uinci, ni modo quodam eſſet cuiuſque animus natura duplex, & aliud bonum, aliud malum in ſeipſo haberet? Sic igitur qui deteriore utitur obtemperante meliori, continens ſui eſt, atq; præſtantior ſeipſo. Qui uerò per negligentiam patitur ut princeps animus irrationalem effrenatumq; ſequatur, & ei ſubminiſtret, is dicitur ſeipſo inferior, & incontinens ſui, & præter naturam affectus.

Patientia & continentia quid ſecundum Chryſippum.

Iram quare neruos animi appellet Plato.

Ira cæca.

C Nam cùm ratio ſit diuinitus homini data, conueniens eſt eam præſtare atq; imperare ei,
quæ caret ratione, tum quia originem ducit à corpore, tum quia natura ſua completur af-
fectibus, & illorum fit ſimilis, & eos induit, & cum illis cōmiſcetur. Quam rem declarant
appetitus corporis naturales, & cōmoti, & repreſsi, quando uidelicet in corporis muta-
tionibus uehementius concitantur uel remittuntur. Quare iuuenes uehementes ac teme
rarij ſunt, & in appetitibus inflammati, & furentes & rabidi, propter ſanguinis copiam &
caloris. At in ſenibus concupiſcentiæ fons, qui quidem eſt in iecinore, reſtinguitur, par-
uusq; fit & imbecillis. Viget autem magis ratio, affectibus unà cum corpore tabeſcenti-
bus. Et hoc ipſum deniq; ad affectus informat ferarum naturas. Non enim prauis, aut re-
ctis opinionibus alijs uires & impetus ad ea quæ uidētur horrenda & grauia, inſunt, & a-
lijs irreparabiles timores, & animi fugæ, ſed ſanguinis ſpiritus, & corporis uires differen-
tias affectuum efficiunt, è carne tanquam à radice affectibus germinantibus, & educenti
bus qualitatem atq; diſcrimen. Quòd autem humanū corpus cum appetitibus affectatis
conſentiat, unàq; cōmoueatur, pallores arguunt, rubores, tremores, cordisq; pauitatio-
nes, & cōtrà diffuſiones animi in ſpe atq; expectatione uoluptatū. Verum quando mens
ipſa per ſe ſine affectu mouetur, corpus agit quietē, & ſibi cōſtat, propterea quòd mentis
agitationes nihil cum corpore habent cōmune, ſi (uerbi gratia) aliquid è diſciplinis mens
attingat, in quibus nō eſt irrationali locus. Ex quo etiā patet duo eſſe, & facultatibus inter
ſe differētia. Omniū autē omnino rerū & ipſi affirmāt, & latè patet, alia habitu cōplexuq;
regi, alia natura, alia irrationali animo, quædā adhibita etiā ratione & intelligētia, quorū
ſimul omniū particeps eſt homo, & in omnibus his differētijs exiſtit. Nam & habitudine
cōtinet, & alitur natura, & ratione utitur atq; intelligentia, & coniunctū etiā habet irratio
nale ingenitumq; affectus principium nō accerſitum, nec aduocatū, ſed neceſſarium, nec
ex toto extirpandum, ſed cultu & præceptore indigens. Vnde nec Thracium nec Lycur-
geum rationis munus eſt unà cum pernicioſis excindere, ſimulq; interimere quæ in affe-
ctibus ſunt utilia, uerùm tanquam ſator bonus & urbanus agreſtia & luxuriantia ampu-
tare ac reſecare, deinde colere & ad utilitatem conſtituere. Nec enim qui temulentiam ue
D rentur uinum effundunt, neq; affectum qui perturbationes timent auellunt, ſed ei adhi-
bent modum. Bobus quoq; & equis ſaltus, & rebelliones, & contumaciam, non motus,
nec actiones auferunt, affectibusq; domitis & obedientibus ratio utitur, haud eneruata,
nec ſtirpitus exciſa ex animo miniſtrandi facultate. Curribus enim equus, aratro bos, at
apro intentanti letū animoſus eſt inueniēdus canis, inquit Pindarus. Quibus longè ſunt
utiliora affectuum iumenta, cùm uidelicet rationi auxiliantur, & concordes ad uirtutem
diriguntur: ut ira fortitudini, ſi adſit modus, iuſtitiæ odium improbitatis, indignatio in
eos qui præter dignitatem ſecunda utuntur fortuna: quandò amentia ſimul & contume-
lia inflammatus animus indiget coërctione. At ab amicitia indulgentiam, aut ab humani
tate miſericordiam, aut à cōmuni gaudio, cōmuniq; dolore, beneuolentiam ueram, nec ſi
quis cupiat, euellere aſſequetur. Quòd ſi qui amorem unà cum furioſo amore eijciūt, pec-
cant profectò. Nec illi quidem rectè faciunt, qui cupiditatem propter auaritiam uitupe-
rant: non enim diſcrepant ab illis, qui curſum propter lapſus, & iactum ne ultra metam ia
ciatur extinguūt, & qui penitus cantus propter diſſonantiam odio habent. Verùm ut in
ſonis Muſica concentum non extinctione grauis & acuti, & in corporibus medicina ſalu
tare non internicione caloris & frigoris, ſed cum ſymmetria & quantitate temperationi-
bus ipſorum perficit, ita in anima id quod uincit, quādo à ratione affectuum potentijs ac
motibus æquitas adhibetur ac moderatio. Tumenti enim corpori & inflammato ſimilis
eſt, dolore ſe uehemēter afflictantis, & lætitia effuſe geſtientis, timoreq; attoniti, animus
non lætans, nec dolens, nec metuens. Rectè igitur Homerus cùm dixit, Viri boni nō mu-
tatur color, nec timet nimis: metum non abſtulit, ſed nimiū metum, ut fortitudo, nō perui
cacia: & fiducia, non temeritas fiat. Quare in uoluptatibus nimia tollenda eſt cupiditas,
& in ultionibus nimium improbitatis odium: ita enim in illis nō ſtupidus, ſed modeſtus:
in his iuſtus, non ſæuus, nec acerbus quis erit. Quòd ſi penitus affectiones tollerentur, fie
riq; id poſſet, in multis ratio ſegnis, obtuſa & languida eſſet, ut gubernator deſtitutus à
uentis. Quam rem intelligentes latores legum, in rebuſpublicis cupiditatem gloriæ, & æ-
mulationes inter ciues ſerunt. Contra hoſtes autem tubis, alijsq; modis iram excitant, &
amorem augent pugnandi. Non modò enim in poëmatis, ut inquit Plato, artificem & e-
laboratum, qui Muſarum afflatu correptus eſt, ridiculum oſtendit eſſe, uerùm & in bello
affectus furore numinis percitos, nec poſſe ſuſtineri, & eſſe inuictos. Quos etiam uiris
deos

Iuuenes cur teme rarij, ſenes cōtrà prudentiores.

Mentis agitationes cum corpore nihil habere cōmune.

Viri boni nō mutatur color.

Aemulationes ciuium cur legum latores ſerant.

A Littoralem hamum appellat auerſum à ratione ac minimè firmum, ſed animi imbecillitate atque mollitia iudicium abijcientem. Neq; illa ſunt ab hac ſpecie remota: Ceu nauis terræ pendeo laqueis. Secundus flat uentus, ac nos non tenent rudentes. Rudentes uocat iudicia turpitudini repugnantia, deinde tanquam ab impetu uenti ab affectu concitato refracta. Et certè intemperans uelis paſsis ad uoluptates à cupiditatibus fertur, & ſeſe illis dedit, ad eaſq; dirigit. Obliquus uerò incontinens, & tanquã ſe cupiens efferre, atq; expellere affectionem effrænatam, hac demum trahitur, & in turpitudinem incidit. Qua in re Anaxarchum irridebat Timo, cui fiducia iuſta inerat, conſtantiaq; ingens:

Robore Anaxarchum dicunt uiguiſſe canino,
Qui quanquam ſic eſſet, erat miſer attamen, ut fert
Fama: trahebat enim genium ſtimulando uoluptas,
Quam pleriq; ſolent fortesq; horrere ſophiſtæ.

Non enim ſapiens eſt continens, ſed temperans: nec ſtultus incontinens, uerùm intemperans. Nam temperans rebus honeſtis gaudet: intemperans uerò ne turpibus quidem dolet. Sophiſtici igitur animi eſt incontinentia, habentis quidem rationem, ſed quæ rectè intelligit conſtanter tueri non ualentis. Taleſq; inter ſe differentias habent incontinentia & intemperantia. At continentia rurſus & temperantia eaſdem habent rata rationum comparatione contrarias. Morſus enim, & dolor, & ægritudo nondum continentiam teliquerunt. Temperatus uerò animus undique eſt æquabilis & pacatus, cõuenientia & concordia expertis animi rationis, & compotis eius, tranquillitate admirabiliq; quiete ornatus & compoſitus, in quem intuens dicas: Conciderant uenti, iam & tranquillus ſine uento pontus erat: nanq; ipſe Deus ſedauerat undas uehementes, inſanos rabidoſq; motus cupiditatum reſtinguente ratione, & quibus natura indiget eos ſibi conſentientes obtemperanteſq; in actionibus uoluntarijs parante, ut neq; rationem præcurrant, nec terga uertant, nec ordinem turbent, nec dicto non ſint audientes, uerùm ut omnis motus, quocunq; uelit ratio ducere, paratus ſequi, ceu lactens pullus cum equa ſimul currat, Xenocratis confirmans ſententiam dicentis, quòd uerè philoſophantes ſponte a-
B gunt, quæ cæteri metu legis facere ſolent inuiti, tanquam uerberibus canes, ac ſtrepitu muſtelæ, à uoluptatibus repulſi formidine ſuppliciorum. Quòd autem in animo quiddam circa cupiditates huiuſcemodi firmitatis ſenſus & differentia fiat, quaſi re quadam cum illis pugnante & contradicente, perſpicuum eſt: quanq; nonnulli aſſerunt affectum aliud à ratione non eſſe, nec inter duo diſsidium ac ſeditionem, ſed unius nominis in utranq; partem mutationem celeritate atq; uelocitate ſua noſipſos latentem, non præuidentes, quòd idem in animo eſt, quod naturaliter cupit, pœnitet, iraſcitur, timet, & ad turpitudinem fertur uoluptate ductum: & quod receptui canit, uaganſq; fuſius reuocat. Libidinem enim, iram, metum, & cætera huiuſmodi, opiniones eſſe, & iudicia peruerſa & praua, non in peculiari una parte animi, ſed totius principis animi momenta, ceſsiones, aſſenſus, & motus, & ideo operationes quaſdã eſſe paulo momento concidentes, ut puerorum curſus impetũ & concitationem ad errorum procliuitatem præ imbecillitate atq; inſtabilitate habent. Et hæc primùm quidem in operatione & ſenſu. Nemo enim, inquiunt, in ſeipſo appetentis in id quod iudicat ſentit conuerſionem, nec contrà in id quod appetit iudicantis. Nec ab amore diſcedit is qui amat, quando conſiderat, abijciendum eſſe amorem, & aduerſus ipſum eſſe pugnandum. Nec rurſus deſinit ratiocinari & iudicare, quando à cupiditate mollitus cedit: uerùm & ratione affectui cõtrait, & in ipſo adhuc eſt, ac iterum ab affectione correptus cogitatione erratum percipit, & neq; affectu rationem interimit, neq; conſiderando ac reputando ab affectione eſt liberatus: atq; ita ſe huc & illuc transferens, princeps animus utriuſq; medius & cõmunis exiſtit. Igitur hi cùm modò cupiditatem, modò cupiditati oppoſitam rationem animũ, cui natura principatũ tribuit, fieri arbitrantur, nihil mihi differre uidentur ab his qui nõ rentur aliud eſſe uenatorem, & aliud feram, ſed idem corpus mutatione utens, nunc feram eſſe, nunc uenatorẽ fieri: quorum illi in re clara hallucinantur, hi uerò teſtificantur contra ſenſum, non unius mutationem, ſed duorum inter ſe pugnam & contentionẽ percipientem. Quid ergo dicunt? nónne id hominis, quod deliberat & conſilium quærit, ſæpe in duo ſcinditur, & in contrarias diſtrahitur ſententias, cùm dubitatur an quid ſit utile? At illud eſt unũ. Rectè quidem reſpondemus, ſed euentum diſsimile eſt. Non enim ſecum ipſa pugnat prudentia, uerũ una utens facultate, diuerſa init cõſilia atq; rationes: quin potius una ratio eſt, in alijs uerſans rebus tanq; materijs differentib. Quo fit ut ægritudo in cogitationibus uacuis affectione

Affectus non in peculiari animi parte, ſed totius animi momenta ſunt.

A deos inſundere Homerus canit,

Sic fatus robur magnum inſpirauit Achiuûm Paſtori.— Et illud:
—Non hîc ſine numine diuûm Hæc furit:— affectum adhibentes rationi tanquam impetum & uehiculum. Hosq́; ipſos uidere licet iuuenes ſæpe laudibus excitare, ac ſæpe obiurgationibus caſtigare, quorũ aliud uoluptas, aliud dolor conſectatur: nam obiurgatio & uituperatio inurit pœnitentiam & pudorem, quorum aliud eſt genere dolor, aliud metus, quibus maximè ad emendationes correctionesq́; utuntur. ut Diogenes cùm laudaretur Plato: Quid uerò, inquit, habet ille grauitatis, qui tot per annos philoſophiæ operam dedit, ac nullum affecit dolore? Haud ita quidem diſciplinas quis dicat, ut Xenocrates dicere ſolebat, eſſe anſas philoſophiæ, ut iuuenum affectiones, pudor, cupiditas, pœnitentia, uoluptas, dolor, & gloriæ cupiditas, in debita cõuenienteq́; uia iuuenem expeditè perfecteq́; conſtituunt. Vt rectè dixiſſe pædagogum illum Laconem credamus, effecturum ſeſe dicentem, ut puer honeſtis gauderet, & turpibus angeretur: cùm nihil maius, nihil præſtabilius homini libero, educatione, eruditioneq́; congrua & debita, excogitari poſsit. *Præſtantius nihil educatione congrua.*

FINIS.

Plutarchi Chæronei Præcepta connubialia.

CAROLO VALGVLIO BRIXIANO INTERPRETE.

PLVTARCHVS *Poliano & Eurydice S.*

B POST legem patriam, qua uos Cereris ſacerdos connubio copulauit, orationem quoq;, quæ ſimul uos concinnet, ſimulq́; Hymenæum ope proſequatur, utilitatem aliquam arbitror allaturam, & legi conſonam fore. In Muſicis unam de legibus tibiarum Hippothoron appellabãt: is erat cantus, quo equi in certamine curuli concitabant. Philoſophia uerò cùm multas habet præclarasq́; inſtitutionum rationes, tum non minore ſtudio ea digna eſt, quæ ad nuptias connubiaq́; pertinet, qua uidelicet eos qui in ſocietatem uitæ conuenerunt, in idem coniungens, mites manſuetosq́; inter ſe, & obedientes efficit. Ex his igitur, quæ ſæpe uos in philoſophia educati audiuiſtis, Capita ſub quibuſdam breuibus ſimilitudinibus, ut facilius in theſauris memoriæ contineantur, contexta, cõmune utrique donum mitto, precans Muſas Veneri adſint ac faueant, ut nullam lyram, nullámue citharam magis ſibi conſonam præſtent, quàm quæ ad nuptias domumq́; ueſtram pertinent, apta omnia, concinna, per omnemq́; uitam concordia, ratione, harmonia, atq; philoſophia efficiantur. Nam ueteres Mercurium iuxta Venerem collocabant, quòd uoluptas nuptialis, ratione, aptoq́; ſermone maximè indigere uideatur. Perſuaſionis item deam, & Gratias, ut quæ ipſorũ fert uoluntas, ab alterutro ſine pugna & ſine cõtentione perſuaſi tranſigerent. *Veteres Mercuriũ cur iuxta Venerẽ collocarint*

I. Solon iubebat ſponſam non prius cum ſponſo concumbere, quàm malum cotoneum delibaſſet: innuens, ut uidetur, primam gratiam quæ ab ore uoceq́; ſponſæ demanat, bene compoſitã & aptam, & ſuauem eſſe oportere.

II. In Bœotia ſponſam obtectam aſparagine coronant: nam ut ea ſuauem ex aſperrima ſpina fructum fundit, ſic noua nupta primam aſperitatem difficultatemq́; ſuam non defugienti, nec indignanti marito, urbanam, iucundamq́; uitæ ſocietatẽ præſtabit. Qui uerò prima uirginũ diſsidia nõ ferunt, haud quidem ab illis differunt, qui propter uuæ acerbæ acorem, uuam alijs maturã relinquũt. Multæ quoq; nouæ nuptæ maritos propter primos congreſſus moleſtè ferentes, ſimiliter afficiuntur atq; illi qui apis ictum pertulerunt, & alijs fauum dimiſere. Principiò controuerſiæ offenſionesq́; magna cura coniugibus cauendæ ſunt, quum recenter coniuncta glutinataq́; uaſa quacunq; cauſa faciliter diſiungi, tempore uerò confirmatis commiſſuris, uix igni aut ferro diſſolui ualeant. *Initio cõiugij offenſiones omnino eſſe cauendas*

III. Quemadmodum ignis in paleis leporinisq́; pilis facilè accenditur, ocyusq́; reſtinguitur, ni aliqua materia, quæ ipſum foueat & alat, adhibeatur, ita breuem amorem nouorũ coniugum corporis forma inflammatũ nec durare poſſe, nec fir

C mum eſſe exiſtimandum eſt, ni in bonis moribus collocatus à prudentia foueatur, & ani-
matum affectum capiat. IIII. Medicamentis quæ fit piſcatio, maturè quidem & facilè
capit piſcem, ſed eum labefactat, & menſæ nō aptū reddit. Sic quæ amatorijs artibus car-
minibusq; uiros uoluptatis cauſa ſtudent ſubigere, cum attonitis dementibusq; & labefa
ctatis ætatem agunt. Neq; enim Circen ab ea potionati quicꝗ iuuerunt, nec ipſa ulla in
re illis utebatur, quum ſuum, aſinorumq; formam accepiſſent: Vlyſſem uerò mente præ-
ditum, & prudenter cum ipſa uerſantem, incredibili amore dilexit. V. Quæ malunt
ſtolidis uiris imperare, ꝗ parêre ſapientibus, ſimiles illis ſunt quæ ducere potius uolunt
cæcos, ꝗ intelligentia uiſuq; præditos ſequi. VI. Paſiphaën non credunt amore fuiſ-
ſe captam bouis cubantem cum rege, quum uideant nonnullas, graues moderatosq; ui-
ros grauatè ferentes, cum hominibus intemperantia atq; libidine fluentibus, tanꝗ cum
ſuibus & hircis, ſuauius concumbere. VII. Qui equos aſcendere imbecillitate aut
mollitia corporis impediti nequeūt, eos ſeſe flectere & procumbere docent. Ita aliqui eo-
rum qui nobiles opulentasq; uxores acceperunt, haud ſe quidem prȩſtantiores reddunt,
ſed illas comminuunt & debilitant, ut illis demiſsioribus uilioribusq; facilius imperent.
Oportet autem ut equi magnitudinem, ſic uxoris dignitatem conſeruantem uti freno.
VIII. Lunam cùm abeſt à ſole, lucidam claramq; uidemus: admota ſoli obſcuratur &
occultatur. At contrà modeſtam uxorem oportet cum uiro exiſtentem, ſeſe maximè ui-
dendam exhibere, quum uerò abeſt, ædes cuſtodire ac latêre. IX. Haud rectè qui-
dem Herodotus dixit, quòd mulier unà cum tunica pudorem exuit. Contrà enim mode-
ſta pudorem induit, ſummusq; amor, ac ſummus pudor, mutuo ſeſe teſtimonio argumen
toq; indicant. X. Quemadmodum ſi duæ uoces conſonæ capiantur, grauior is fit
cantus: ſic omnis actio in bene recta moderataq; domo, quanquam ab utroq; unanimi-
ter geritur, apparet tamen & extat imperium atq; uoluntas uiri. XI. Sol Boream
ſuperauit: homo enim quum ei uentus niteretur auferre pallium, uehementiusq; ſpiraret,
ipſum magis atq; magis conſtrinxit, & arctius continuit: feruente uerò poſt flatum uenti
ſole, incaleſcens & æſtuans exuit unà cum pallio etiam tunicam. Hoc agunt pleræq; mu-
D lieres: cum uiris enim luxum ſumptumq; detrahentibus decertant, & indignantur, quæ ſi
ratione perſuadeantur, leniter placideq; deponunt, ac moderatè ſe gerunt. XII. Ca-
Præſentibus alijs uxorem deoſculari, turpe.
to è ſenatu ciuem mouit, quòd uxorem præſente filia deoſculatus fuiſſet. Id quidem atro-
cius fortaſſe: uerùm ſi turpe eſt, ut profectò eſt, præſentibus alijs ſeſe amplexari & ſuauia-
ri, cur turpius nō eſt, coram alijs iurgijs contumelijsq; ſeſe uiciſsim laceſſere? Et cùm con-
greſſus quidem oblectationesq; cum uxore ſecretò fiāt, admonitiones uerò ac reprehen-
ſiones libera licentia, in apertoq; facias. XIII. Vt ſpeculum auro gemmisq; ornatū
utilitatem nullam affert, niſi ſimilem ſpeciem referat: ſic opulentæ uxoris nullus fructus
Vxor uiri moribus conſonet.
eſt, ni uitam moresq; præſtet cum uita & moribus uiri congruentes & conſentaneos.
XIIII. Si lætantis imaginem ſpeculum triſtem reddat, dolentis uerò & mœrentis hila-
rem & ridibundam, profectò peccat uitioſumq; eſt. Ergo & uxor mente capta, inſulſa &
inepta eſt, quæ iocante blandienteq; marito frontem contrahit, & agente aliquid ſeriò io
catur & ridet: ea enim ſunt tum triſtis, tum negligentis animi indicia. Oportet autem, ut
geometræ dicunt, lineas & ſuperficies non per ſe, ſed unà cum corpore moueri: ſic uxo-
rem nullum proprium affectum habere, ſed ſtudia, curas, cogitationes, riſum, communia
habere cum uiro. XV. Qui uxores eſſe ac bibere ſecū libenter non uident, ſolæ cùm
ſunt eas impleri docent: ita qui non hilarè cum illis concumbunt, nec iocos riſumq; com
municant, docent ſine ipſis proprias quærere uoluptates. XVI. Cum Perſarum re-
gibus legitimæ uxores ad menſam accumbunt, unaq; comeſſant: cùm uerò ludere laſci-
uireq; ac ſe pluſculum uino inuitare uolunt, dimotis illis citharistrias, meretriculas quoq;
ac pellices adhibent. Et rectè quidem uxores nō ſinunt intemperantiæ ebrietatumq; par
ticipes fieri. Igitur uir priuatus & intemperans, in uoluptatibusq; profuſior, ſi cum ſcorto
aut ancilla delinquere aliquid deprehendatur, non debet uxor ſuccenſere nec ægrè ferre,
conſiderans eum temulentiæ ſuæ, laſciuiæ & procacitatis aliam adhibere participem, ip-
ſius ductum uerecundia. XVII. Cultores Muſarum Muſicos multos reges fa-
Vitia uiri redundare in uxorem.
ciunt: qui uerò ſtudia literarum amplectuntur, multos eruditos: & qui ludis gymnicis
delectantur, athletas: ſic uir ſtudioſus corporis cultus, uxorem comptricem facit: uolu-
ptarius, meretricem & intemperantem: amator probitatis & decori, modeſtam & pudi-
cam. XVIII. Lacæna ancilla à quodam interrogata, an iam acceſsiſſet ad uirum,
Non ego, inquit, ſed ipſe ad me. Hoc mea quidem ſentētia in hera matronaq; eſſe debet,

ut neq;

A ut neq; deuitet huiuſmodi, nec ęgrè ferat incipiente marito, nec id ipſa prior tentet: ut e-
nim hoc meretricis eſt atq; impudentis, ſic & illud faſtuoſæ, nec uirum amantis.
XIX. Vxorẽ amicos proprios habere nõ oportet, ſed uti cõmunibus cum uiro. Cùm ue
rò ſit primus & maximus deus quem uir cenſet eſſe colendũ, ſolum eum cognoſcere uxo-
rem decet, curioſæq; religiones & peregrinæ ſuperſtitiones à ueſtibulo domus arcendæ
ſunt: nulli enim deo ſacra occulta & abſcondita grata ſunt, à muliere ſi fiant. XX. Pla
to beatam inquit felicemq́; ciuitatem eſſe, in qua, Meum, & non meum, qui dicant, non
audiuntur, quòd communibus quoad fieri poteſt rebus, quæ quidem aliqua æſtimatione
cenſeantur, uti ciues debeant. Sed multò magis huiuſmodi uox è connubio eximenda
eſt. Cæterùm ut medici dicunt, in ſiniſtra parte exiſtentes plagas ad dextram ſenſum re-
ferre, ſic uxorẽ uiri, & uirum uxoris ſentire dolorem magis cõuenit, ut quemadmodũ no-
di ac uincula mutuum robur uiciſſim capiunt, ita utroq; reciprocam beneuolentiam præ
ſtante, ſocietas uitæ per alterutrũ conſeruet̃. Nam & natura per corpora nos miſcet, ut ex
utroq; parte decerpta ſimulq́; confuſa, quod inde naſcitur, cõmune utriſq; præbeat, neu-
terq; ſtatuere, dijudicareq́; poſſit, proprium ſit, an alienum. Talis quoq; pecuniarum ſo- *Coniugibus communia omnia.*
cietas connubio iunctis maximè conuenit, ut unam in ſubſtantiam rebus omnibus con-
fuſis ac mixtis, ne hanc partem propriam, illam alienam, ſed omnia propria, ac nihil alie-
num arbitrentur. XXI. Vt uinum aqua temperatũ, etſi plus inſit aquæ, uinũ tamen
appellamus: ita ſubſtantiã & rem familiarẽ, q̃uis plus uxor cõtulerit, mariti dici oportet.
XXII. Helena diuitiarũ appetens, Paris uoluptatũ fuit: Vlyſſes uerò prudens, & mo-
deſta Penelope, propterea horum cõnubium felix atq; optabile: at nuptiæ Paridis & He-
lenæ malorum iliadem Græcis & Barbaris fecerunt. XXIII. Romanus quidam
cùm eum amici reprehenderent quòd pudicam uxorem, locupletem, & formoſam repu-
diaſſet, calceum protendit: nam & hic, inquit, nouus eſt & pulcher, ſed nemo ueſtrûm no
uit ubi me premat. Oportet igitur non doti, non generi, nõ formæ uxorem fidere, ſed ope
ram dare, ut quibus uir maximè tangitur, conſuetudine, moribus & obedientia, ea nõ du
ra, nec moleſta, ſed compoſita, iucunda, & grata præſtet. Enimuerò ut medici eas febres,
B quæ ab incertis cauſis paulatim collectis proueniũt, magis ſuſpectas habent, magiſq́; ue-
rentur, quàm quæ manifeſtas magnaſq́; cauſas habent: ſic latentes pleroſque paruæq;, &
frequentes ac quotidianæ uiri atq; uxoris offenſæ magis eos diſiungunt, & uitæ conſor-
tium labefactant. XXIIII. Philippus rex Theſſalam mulierẽ amabat, à qua medica
mentis magicis in amore teneri putabatur: quare Olympias uxor operam dedit, ut eam
in manibus haberet. Vbi in conſpectum uenit, liberalis forma uiſa eſt, & ſermo ingenuus *Amoris germana medicamẽta.*
ac prudens: Valeant, inquit Olympias, calumniæ, tu enim in teipſa medicamenta habes.
Inexpugnabilis igitur res eſt uxor legitima, ſi omnia in ſeipſa collocãs, dotem, genus, po-
tiones, cingulumq; ipſum, moribus atq; uirtute cõparet beneuolentiam. XXV. Rur
ſus Olympias cùm aulicus quidam adoleſcens formoſam, ſed male audientẽ duxiſſet uxo
rem: Ille, inquit, demens eſt, non enim oculis uxorem accepiſſet. Oportet autem non ocu
lis, nec digitis uxorem capere, ut aliqui facere ſolent, ſupputantes quàm grandem dotem
ferat, nõ quibus moribus ſit cum ipſis uictura. XXVI. Socrates ut ſe in ſpeculo ado-
leſcentes intuerẽtur, ſuadere cõſuerat, ut deformes uirtute corrigerent̃, pulchri ne detur-
parentur uitio. Matrona quoq; cùm in manibus ſpeculum haber, ſecum ipſa dicere debet *Speculi uſus.*
ſi deformis eſt, Quid ni temperans & pudica ſim? Pulchra uerò, quid ſi præterea ſim hone
ſta? Nam deformi, ſi propter mores, nõ propter formã diligat̃, ueneratio quædã accedit.
XXVII. Lyſandri filiabus ueſtes muliebremq́; mundũ precioſum tyrannus Siculus mi-
ſit: ea Lyſander capere noluit, fatus, hoc ornamentũ dehoneſtabit potius filias meas q̃ or
nabit. Sed ante Lyſandrũ hoc Sophocles dixit: Non eſt hic ornatus, ô infelix, uerùm de- *Ornatus nimius*
decus uidebitur, tuæq; inſania mentis. Ornamentum enim eſt, ut inquit Crates, quod or- *uitandus.*
nat. Ornat autem quod honeſtiorẽ mulierem facit: talem uerò præſtat nõ aurum, nõ ſma-
ragdus, nõ coccineus color, ſed quæcunq; grauitatis, moderationis & pudoris ſpecimen
adhibent. XXVIII. Qui nuptiali Iunoni rem faciunt diuinam, cum uictima fel non
conſecrant, ſed exemptũ poſt aram abijciũt, innuente legumlatore, nunq̃ bilem irámue *Ira in connu-*
in connubio eſſe oportere. Debet enim ut uini, ita matronæ auſteritas iucunda atq; utilis *bio abſit.*
eſſe, non amara, ut aloe, neq; medicata. XXIX. Plato Xenocratem ſeuerioribus
præditum moribus, alioqui æquum probumq́; uirum, ut Gratijs ſacrificaret hortabatur.
Pudicæ uerò continentiq; mulieri maximè erga uirum gratijs opus eſſe arbitror, ut
quemadmodum Metrodorus dicebat, iucundè, non propter continentiam iratè cum

C uiro cõuerſetur: haud enim frugalem tenuemq́; mulierẽ contemnere munditiã oportet, nec uiri amantẽ blanditias negligere: nam difficultas & moroſitas honeſtatẽ illam mulieris iniucundam atq; moleſtam facit, quemadmodũ & ſordes frugalitatem reddunt inuiſam.

Læta ſit coram uiro mulier. XXX. Quæ præſente uiro ridere, aut aliquid aliud agere ueretur, ne temeraria immodeſtaq́; uideatur, nihil ab ea differt quæ nullo ſe pacto ungit, ne odoramentis perfundere caput putetur, & quæ ſe non lauat, ne faciem fuco delinire exiſtimetur. Nam & poëtas oratoresq́; uidemus quicunq; orationẽ moleſtam, illiberalem, offendentemq́; deuitant, rebus, ordine ac moribus ducere & mouere auditorem omni arte lætari: ſic matronam omne ſuperuacuum, meretriciũ ac populare fugere, morũ uerò conſuetudinisq́; uiuendi gratijs erga uirum omni artificio uti decet, unà cum uoluptate honeſtè cum eo conuerſantem. Quòd ſi ſuapte natura ſeuerior pertinaxq́; ſit, & inſuauis, boni conſulere uirũ oportet, Phocionemq́; imitari, qui cùm ab eo Antipater rem minus honeſtã indecẽtemq́; poſtularet: Non potes me, inquit, & amico uti, & adulatore. Ita de uxore pudica quidem,

Non idem eſt uxor & amica. ſed rigida & auſtera cogitandum eſt, Non ego eadem uti & coniuge, & amica poſſum.

XXXI. Aegyptijs mulieribus uti calceamentis patrius mos non fuit, ut ſeſe domi continerent. At pleræq; fœminæ, ſi auratos calceos, & armillas, & femoralia demas, purpurãq; ac magaritas, domi manent. XXXII. Theano ueſtem induens brachium nudauit: cùm quidam dixiſſet, ô pulchrum cubitum: at nõ publicum, inquit. Pudicæ autem mulieris non cubitus modò, uerũ neq; oratio publica eſſe: nec minus ſermo quàm nudatio cor-

Animi index, ſermo. poris formidari, & ab externis caueri debet, propterea quòd affectus & mores, ac diſpoſitio animi in ſermone uehementer conſpicitur. XXXIII. Elienſibus Phidias Venerem fecit teſtudinem calcantem, indicans, mulierum eſſe munus, & ædes cuſtodire, & ſilentium. Debet autem uxor aut cum marito, aut per maritum loqui, nõ ægrè ferens ſi aliena lingua tanq; tibicen grauius loquatur. XXXIIII. Locupletes ac principes cùm honori philoſophos habent, & ſemetipſos ornant & illos. At philoſophi cùm obſeruant opulentos, haud illos quidem clariores, uerùm ſe ignobiliores faciunt. Hoc etiam uſu mu-

Vxor pareat. lieribus uenit, quæ cùm ſeſe uiris ſubijciunt atq; obtemperant, laudem cõſequuntur: cùm

D uerò præeſſe uolunt, magis eas dedecet quàm eos qui ſubiguntur. Pręſtare autem maritũ uxori par eſt, non ut dominũ pecoribus, ſed ut animã corpori, conſpiratione quadam naturali per beneuolentiam cum ipſo coniunctam. Quemadmodũ igitur procurare corpus conuenit, non ipſius ſeruiendo uoluptatibus atq; cupiditatibus, ita uxori præeſſe demul-

Triſaria corporum conſtitutio. cendo gratificandoq́; oportet. XXXV. Corpora philoſophi dicunt alia ex diſcretis conſtare, ut claſſem, ut exercitum: alia ex coniunctis, ut domũ ac nauem: quædam unita eſſe atq; concreta, ut ſingula animalia. Ferè igitur connubiũ quod ex amantibus conſtat, unitum concretumq́; eſt: quod uerò dotis liberorumq́; procreandorum gratia eſt, ex coniunctis. Concumbendi cauſa coniugium ex diſcretis, quos ſimul habitare, non ſimul uiuere arbitrari quiſpiam poſsit. XXXVI. Quemadmodũ phyſici dicunt, per omnes partes temperationem humorum fieri, ita coniugum & corpora, & pecuniam, & amicos,

Toto tit. ff. & C. de donat. int. uir. & uxorem. atq; propinquos inuicem miſceri oportet. Nam & Romanorũ legumlator munera uiciſſim dare, & capere coniuges uetuit, haud quidem ne rei cuiuſquam participes forent, uerùm ut omnia cõmunia eſſe exiſtimarent. XXXVII. In Lepta Libyæ ciuitate ritus patrius eſt, ut ſponſa poſtridie quàm celebratæ nuptiæ ſunt, ad ſponſi matrem petitũ ollam mittat. At illa nec dat, nec ſe aſſerit habere, ut uidelicet principiò cognitis in ſocru nouercalibus moribus, ſi quid grauius poſtea contingat, iniquo animo nõ ferat, neq; ſuccenſeat. Quo fit ut uxor id intelligens, occaſiones ipſas leniat ac mitiget: eſt enim naturalis æmulatio quædam inter ipſas beneuolentiæ, cuius affectus unica curandi ratio eſt, ut ſeorſum ſibi beneuolentiam uxor conciliet uiri, & matris non conuellat aut diminuat.

XXXVIII. Filios plus matres diligere uidentur, quòd ad eis ſuccurrendum opemq́; ferendam ſint aptiores: patres uerò filias amare magis, quaſi eorũ præſidio indigentes. Fortaſſe etiam honore ſe mutuò proſequentes, id quod alteri generi propinquius eſt, amplecti charitate magisq́; diligere uideri uolunt. Sed hoc eſt fortaſſe indifferẽs: illud uerò perurbanum, ſi uxor magis ad parentes mariti honorandos inclinare conſpiciatur, quàm ad ſuos: ac ſi quid doleat ad ipſos referat, & lateat ſuos: facit enim ut cùm fidem habet, fidem & ipſa uendicet, & quum diligit, diligatur. XXXIX. Græcis qui erant cum Cyro duces iubebant, ut ſi hoſtes uociferantes impetũ facerent, cum ſilentio exciperent: quòd ſi illi ſilerent, contrà ipſi inuaderent cum clamore. At mulieres, quæ quidem ſana mente ſunt, quum irati mariti clamant, ſilentium agunt: quum uerò ſilent, eos alloquuntur, &

consolantes

A conſolantes mitigant ac leniunt. XL. Rectè Euripides accuſat eos qui lyra in poculis utuntur. Ad iram enim potius luctumq́; adhibenda muſica eſt, nõ inſuper cantu ſoluere qui in uoluptatibus exiſtunt. Exiſtimate uos igitur errare eos, qui cùm gaudio uoluptateq́; geſtiunt, re uenerea utuntur: & quũ ira diſsidioq́; uexantur, ſeorſum cubant, cùm tum maximè uenerẽ, optimũ huiuſmodi malorum medicum, accerſere opus eſſet. Quam rem poëta docet dicente Iunone:

—Veſtra ego iurgia ſoluam,
Vos & amore pares iungam, thalamoq́; locabo.

Lecto ſit pax & concordia.

Cùm ſemper autẽ & ubiq; fugiendum eſt ne uir uxorem, nec uirum uxor offendat, tum in primis ne id accidat in concubitu, & dum conquieſcunt, cauendum eſt. Enimuerò quum uxor dolet & querit̃ apud autores tori, quî fieri poteſt, inquit, ut his rebus lectus medeatur, quum in ipſo lecto ea cõtigerint? nam ſimultates & cõtumelias, & iras quas torus gignit, alio loco, alióue tẽpore nõ eſt procliue diſſoluere. XLI. Hermione uerum dicere uidetur quum ait, Fœminarũ me malarum perdiderunt ingreſſus. Sed nõ fit hoc ſimpliciter, uerùm quando diſsidia & zelotypiæ aduerſus maritos exiſtunt, huiuſmodi fœminis non ianuas modò, ſed etiam auditum patefaciunt. Tunc igitur potiſsimũ ſana mente præditam uxorem occludere aures, & inſuſurrationes cauere, ne ignis addatur igni, oportet, illudq́; Philippi habere in promptu dictum. Fertur enim ille quum ab amicis contra Græcos concitaretur, quòd bene ab eo affecti ei obloquerentur, dixiſſe, Quid ſi præterea mala inferendo, ipſos prouocẽ? Quandò igitur obtrectatrices deferunt tibi, uir tuus & amanti & pudicæ iniuriã facit, quid ſi ipſum odiſſe atq; laceſſere incepero?

Obtrectatrices uitandæ.

XLII. Fugitiuum ſeruum quidam perſequens, ut ſe in piſtrinum proripuiſſe cõſpexit, Vbinam te, inquit, alibi inuenire maluiſſem? Vxor igitur propter zelotypiam diuortij libellum ſcribens, & indignata ſecum ipſa, dicat, Vbinam me potius æmula riualisq́; mea uidere gauderet, quidue agentem aliud, quàm præ dolore ſeditionẽ aduerſus maritum concitantẽ, ac domũ thalamumq́; deſerentem? XLIII. Athenienſes tres arationes ſacras dicunt. Prima in Sciro eſt, uetuſtiſsimarũ ſationum monumentũ. Secunda in Rharia. Tertia ſub
B Pelin, qui locus Buzygium appellatur. Omnium autem harum ſacratiſsima eſt nuptialis ſatio atq; aratio, quippe quæ fiat ad procreationẽ liberorũ. XLIIII. Rectè quidem Sophocles fœcundam boni fœtus Cytheream appellat: quapropter ſumma cum obſeruantia cõiugibus hac re utendum eſt, ut omni profana illegitimaq́; cum alijs cõſuetudine puri purgatiq; ſint, nec ſerant unde naſci quicq; nollent, quin ſi fructus gignat̃ pudet & celant. XLV. Gorgia oratore in Olympia Grȩcis orationem de concordia recitante, Melanthus quidam, iſte, inquit, de concordia diſputat, qui ſibi, uxori & ancillæ, tribus ſolis, ut concordes eſſent, non perſuaſit. Nam Gorgiæ amor quidam, & uxori zelotypia aduerſus ancillam eſſe uidebatur.

Familiæ adminiſtratio.

Rectè igitur domum & familiam ab eo componi oportet, qui ſit & ſenatum & amicos moderaturus. Magis enim mulierum, quàm contra mulieres peccata latêre multitudinem uidentur. XLVI. Feles olfactu unguentorũ perturbari & furere traditur. Quòd ſi uxores efferari atq; inſanire unguentis cõtingeret, profectò graue eſſet ſi ab huiuſmodi unguẽtis mariti non abſtinerent, & eas tantopere diſcruciari paruæ gratia uoluptatis paterentur. Cùm autem non ex unguentis id contingat, ſed quia cum alijs mulieribus uerſentur, certè iniuſtum eſt tanto eas dolore afficere & conturbare, ac nõ ut apibus, quia indignari atq; pugnare cum his uidentur qui cum muliere cõcubuerunt, ita ſe uxoribus admouere caſtos, integros, puroſq́; aliarum mulierũ conſuetudinis.

Viros ne irritẽt uxores.

XLVII. Qui elephantis ſe admouent, ueſtem claram non geſtant, nec puniceam qui tauris, quòd huiuſmodi coloribus illa animalia maximè efferantur. Tigres uerò in tantum aguntur ſonitu tympanorũ furorem, ut ſemetipſas dilaniẽt. Cùm igitur alij uiri coccineam aut purpureã ueſtem cùm uident moleſtè ferant, alij tympanis ac cymbalis indignentur, quid (malùm) grauari uxores debent, ſi ab huiuſmodi abſtineant, ne perturbent uiros irritentue, ſed cum manſuetudine atq; cõſtantia unà cum ipſis uitã agant?

Mulierum nullum in tenebris diſcrimen.

XLVIII. Mulier quædã cùm à Philippo inuita traheretur, Dimitte me, inquit: omnis enim mulier ſublata lucerna eadem eſt. Hoc aduerſus natura adulteros intemperanteſq́; homines rectè dicitur. Nuptam autem decet remoto lumine nõ cuiuſq; mulieris ſimilem eſſe, ſed tum maximè, cùm corpus non uidetur, modeſtiam, moderationẽ, amorem & charitatem erga uirum præ ſe ferre, ac ſe illius eſſe propriam oſtendere. XLIX. Plato ſenes hortatur ut iuuenes uererentur, ut & illi erga ipſos uerecundiam conſeruarent: ubi enim pudorem ſenes abijciunt, nulla in eos uerecundia iuuenibus reſidet. Huius igitur memor maritus, ni-

C hil minus uereri uxorẽ debet, quàm ſi thalamus officina modeſtiæ, nõ intemperantiæ, ſit
futurus. Qui uerò uoluptatibus ijs fruitur, à quibus illã coërcet, nihil ab eo differt qui uxo
rem cum hoſtibus iubet pugnare, quibus ipſe ſe dedidit. Tibi itaque danda opera eſt, ô
Eurydice, ut ea legas quæ ad Ariſtillam à Timoxene de moderatione atque modeſtia &
pudicitia ſcripta ſunt, in memoriáq; contineas. Tuq́; Polliane ne putes à ſuperfluis profu
ſisq́; ſumptibus uxorem temperaturam, ſi te hæc minimè in alijs contemnentem conſpi-
ciat, quin potius auratis poculis, pictisq́; cubiculis, mularum & equorũ phaleris gauden-
tem uideat: nõ enim fieri poteſt, ut à mulieribus luxus remoueatur, quo uiri circunfluũt.
Quare igitur tempus habens in ea ſtudia incumbendi quę demõſtrationibus probantur,
mores compone, cum his conuerſans qui plurimum prodeſſe poſſe uideantur. Coniugi
uerò quacunq; uia adhibeas quæ utilia ſunt, & more apum, quæ tu in teipſo collocaris, ei
conferas & cõmunices: familiaresq́; effice & conſuetas eas ſermonum rationes, quæ eſſe
quam optimæ uideantur: pater enim illi eſt uenerandáq; mater ac frater. Non minus autẽ
uenerabile eſt, uxorem audire dicentem: Tu mihi uir magiſterq́; es, ac philoſophus, re-
rumq́; honeſtiſsimarũ ac diuinarum præceptor. Huiuſmodi enim diſciplinæ primũ à re-
Literis deditas uxores eſſe conuenit. bus abſurdis uxores abducunt. Erubeſcet enim uxor ſaltationibus operam dare, ſi ſtudio
geometriæ delectabitur: nec potiones magicas admouebit, inſtitutis capta Platonis &
Xenophontis. Ac ſi quis ſe profitebitur lunam de cœlo deducturum, ignorantiam ipſius
ridebit, ſtoliditatemq́; credentium mulierũ, aſtrologiæ non ignara rationũ. Aganice He-
getoris Theſſali filia, quòd defectuum pleniluniorũ eſſet gnara, tempusq́; prænoſſet quo
lunam ab umbra terræ intercipi contingeret, mentem mulierum exturbabat, illisq́; ſe lu-
nam deducere perſuadebat. Sed quoniam nulla unquam fœmina abſq; ſocietate uiri pe-
periſſe infantem dicitur, informesq; partus, & carnem, & aliquid in ſemet ex corruptione
Mola quid. cõceptum, molas appellant, magna diligentia cauendum eſt, ne hoc in animis mulierum
fiat. Nam niſi ſermonũ optima ſemina mulieres ſuſcipiant, & participes eruditionis uiro-
rum fiant, abſurda multa prauáq; conſilia, atq; cogitationes & affectus malos pariunt. Tu
Peroratio. igitur Eurydice enitere ſententias ſapientũ bonarumq́; mulierum habere familiares, & in
D ore eas ſemper uoces habere, quas à me dum adhuc uirgo eſſes ſuſcepiſti, ut & uirum dele
ctes, & tu uſqueadeo egregiè, adeò grauiter per temet exornata, in admiratione à cæteris
mulieribus habearis. Nam illius margaritæ, aut alterius aduenæ ſericeæ ueſtes, ſine ma-
gno precio emi non poſſunt: at Theanûs & Cleobulinæ honeſtatis ornamenta, & Gorgo
nis Leonidæ uxoris, ac Timocleæ Theaginis ſororis, & antiquæ Claudiæ, Corneliæq́;
Scipionis, & aliarũ quæcunq; admirabiles præclaræq́; fuerunt, gratis licet induere, & ma
gnificè glorioſeq́; ac beatè uiuere. Nam ſi Sappho quòd pulchra carmina componeret ſe
tanti faciebat, ut ad diuitẽ quandam ſcripſerit: Mortua iacebis, nec ulla unquam tui exta
bit memoria: non enim filium habes, roſarum ex Pieria: cur non tibi magis gloriandum
erit, ſi non roſas, ſed fructus eos perceperis, quos Muſæ ferunt, & largiuntur his qui diſci-
plinam & ſtudium ſapientiæ admirantur?

Plutarchi Chæronei Muſica.

CAROLO VALGVLIO BRIXIANO INTERPRETE.

Orditur à Chria. 

VXOREM Phocionis, eius cui Probo cognomentum fuit, dicere ſoli-
tam accepimus, mundum ſuum eſſe conſilia ac decora imperatoria ui-
ri. Ego uerò ſtudium doctrinæ magiſtri mei nõ mihi ſoli proprium eſſe
ornamentum ſtatuo, ſed cõmune omnibus nõ alienis. Haud equidem
ignoramus, clariſsima facinora imperatorũ paucis tantùm militibus,
aut uni ciuitati, gentiue uni, in rebus dubijs ac trepidis ſalutem pepe-
riſſe: meliores ſeu milites, ſeu ciues, aut eiuſdem gentis homines haud-
quaquam feciſſe comperiemus. At uerò doctrinam, ſubſtantiam & robur felicitatis, & re-
cti autorem conſilij, non uni familiæ ſoli, aut ciuitati, ſed uniuerſo generi mortalium in-
uehere utilitatem uidemus. Quantò igitur cõmoda quæ à doctrina diſciplinisúe profici-
ſcuntur, maiora ſunt omnibus imperatorijs conſilijs, tantò eius memoria ſtudio eſt & cul
tu digna maiore. Itaq; altero Saturnaliorum die uir clarus Oneſicrates ad epulas inuitaue
rat uiros qui Muſicæ ſcientiam habebant. Erant autẽ Soterichus Alexandrinus, & Lyſias
ex ijs unus, qui componendi inſtitutionem ab ipſo accipiebant, itemq́; loci autoritatem.

Poſtquàm

A Postquàm uerò quæ assolent sunt perpetrata, causam humanæ, inquit, uocis in præsentia quærere intempestiuum atque alienum à conuiuio esse arbitror: sobriore quæstio ea indiget ocio. Quoniam autem optimi grammaticorum definiunt uocem, aërem esse percussum, cadentem sub sensum auditus: atque heri de grammatica quæsitum disputatumque fuit, tanquam de arte opportuna fabricandis per literas uocibus, ac sacrario memoriæ promptis, ubi uelimus administrandis & dispensandis, quænam sit altera secundùm hanc obnoxia, & congruens uoci scientia, uidendum esse puto. Ea est, opinor, Musica: deis nanque hymnos canere, qui nobis solis uocem articulatam sunt largiti, pium, & homini in primis consentaneum esse arbitror. Quam rem Homerus quoque significare hisce uersibus uidetur:

Vox quid.

Hymnos canere pium.

Phœbeas iras placabant carmine Achiui,
Per luces totas pulchrum pæana canentes,
Pugnantemque ex alto: ast pectora arcitenentis
Mulcebant cantus, & gaudia pertentabant.

Agite dum sacri Musicæ ministri, commonete sodales, quis inuentor Musicæ, quis'ue ea princeps usus fuerit, à quibus quoque tempore auctum acceperit, & quinam ex ijs qui Musicæ scientiam coluere, in eo studio excelluisse existimentur: quas preterea, quotque ad res, huius utilitas instituti demanet. Quæ cùm magister dixisset, insecutus Lysias: Apud multos, inquit, agitatam quæstionem clarè Onesicrates in medium proponis: non modò enim Platonicorum plurima pars, insignesque Peripatetici, de ueteri Musica, deque eius labe, studiose & accurate scripserunt, uerumetiam grammatici atque harmonici, ad summum apicem euecti doctrinæ, magnum studium plurimamque operam in eam rem contulerunt. Cæterum ingens est inter autores dissensio. Heraclides in eo libro, in quem colligit priscos Musicos, primosque eius artis inuentores, Amphionem tradit, Ioue natum & Antiope, principem citharæ cantum excogitasse, eiusque poësim, ut qui à patre doctus foret. Cuius rei fidem ex commentarijs Sicyone depositis, quibus accurata percensio huiusce generis continetur, facit, atque inde sacerdotes Argiuas, poëtas & Musicos commemorat. Eodem tempore Linum Eubœensem inquit lamentationes & fletus carmine condidisse, hymnos Anthen ex Anthedone

Priscorum Musicorum enumeratio.

B Bœotiæ, Pierium ex Pieria poëmata de Musis, Philammonem uerò Delphicum Latonæ, Dianæ atque Apollinis ortum canticis edidisse modis, & choros circa Delphicum templum constituisse commemorat. In primis uerò Thamyræ Thraciscanorum concinnumque carmen ait fuisse, adeoque præcelluisse, ut Musas prouocare in certamen non dubitasse poëtæ sint autores. Hunc ipsum edidisse ferunt bellum Titanum aduersus deos dimicatum carmine conditum, Demodocumque Corcyrensem, ueterem Musicum, excidium Ilij, & Veneris atque Vulcani connubium poëmate concelebrasse. Ithacensem Phemium reditum à Troia, Agamemnone duce Græcorum, carmine cecinisse proditum est. haud quidem fuisse immunem metri numeriue rati dictionem poëmatum memoratorum Musicorum, sed qualis Stesichori fuit, & ueterum aliorum poëtarum, qui carmina adhibitis modulis condidere. Terpandrum nanque tradit, citharæ cantus latorem legum, a diectis ad sua atque Homeri carmina per singulas leges modis, solitum in ludis cum concertatione editis canere, eundemque primum proposuisse nomina singulis citharæ fidiumque legibus. Ad cuius imitationem Clonam primum tulisse leges tibiarum, prosodiaque fecisse, tum deinde elegias, & carmina condidisse: quo genere poëmatum Polymnestum Colophonium, ætate posteriorem, usum fuisse tradunt. Nomina autem tibiarum legum, bone Onesicrates, apud eos hæc erant: Apothetus, Elegi, Comarchius, Schœnion, Cepion, Dius, Trimeles. Insequenti tempore Polymnestia appellata reperta sunt. Leges fidium cantus, compluribus ante conditas leges tibiarum temporibus constat à Terpandro fuisse promulgatas. Is nanque primus nomina earum protulit, Bœotiam quandam unam uocans, Aeoliam aliam, Trochæam acutam, Orthiam uidelicet, Cepiona, Terpandriam, Tetracœdiam. Condidit præterea idem Terpander carmine procemia ad cantus fidium. Quòd autem ueteres fidium leges carminibus constarent, Timotheus declarauit. Primas enim leges carminibus immiscens, dithyrambicam dictionem canebat, ne protinus aduersus priscam Musicam præuaricari uideret. Et arte nimirum canendi ad fides Terpander præstitisse existimatus est, quaternasque in Pythicis ludis perpetuas uictorias reculisse, publicis monumentis traditum est. Ae peruetustus sanè Musicus fuit, quandoquidem antiquiorem Archilocho fuisse Glaucus Italus libro quodam, quem de poëtis & Musicis antiquis composuit, demonstrat: nam alterum eum inquit fuisse secundum primos illos tibiarum cantus conditores. Alexander in libro, in quem collegit Phrygios Musicos, scriptum reliquit, primum Olympum transtulisse in Græciam, ad Dactylosque Idæos, fidium

Glauci Itali de poëtis & Musicis antiquis liber

C pulſus. Hyagnin uerò primum tibia ceciniſſe, deinde eius filium Marſyam, tum poſtea Olympum: Terpandrum ęmulatum fuiſſe carmina Homeri, & Orphei modos. Orpheus nullum imitatus eſſe uidetur: quippe quũ ante ipſum nullus, pręter tibicines poëtas, cum quibus nulla in re Orphica res ſimilitudinẽ habet, fuiſſe tradatur. Tibiarũ cantus cõditor legum Clonas, ut Arcades referunt, Tegeates fuit: ut uerò Bœotij, Thebanus. Secũdum Terpandrum & Clonam fuiſſe Archilochum proditum eſt: quanꝗ autores ſunt qui tradant Ardalum Trœzeniũ priorẽ Clona tibianam cõſtituiſſe Muſicã, Polymneſtumq́ Meletis Colophonij filiũ poëtam fuiſſe, & leges Polymneſtũ ac Polymneſtam feciſſe. Quòd autem Clonas promulgauerit Apothetum atꝗ Schœnionem appellatas leges, monumenta ſcriptorum commeminerunt. Pindarus item & Alcman poëtę modorum eiuſdem Polymneſti mentionem fecere. Sunt & qui nonnullas Terpandri legum citharæ cantus ad Philammonem illum Delphicum priſcum autorem trahant. Sed omnino citharæ cantus Terpandri ratio, omni ex parte ſimplex perrexit eſſe uſꝗ ad ætatem Phrynidis. Haud enim antiquitus pro libidine cuiuſꝗ, uti nunc, licebat fidibus canere, nec rhythmos concentúſue transferre. In ipſis nanꝗ legibus accõmodatam cuiꝗ tentionem tuebatur, cuius rei cauſa id nominis inditum erat. Leges enim ſunt uocatæ, quoniam præſcriptũ quaſi lege cautumq́ erat, ne quis per quamlibet unam ſpeciem formamq́ tentionis tranſgrederetur. Etenim quę ad deos ſpectabant leuiter attingentes, ſtatim ad Homeri ac cæterorum poëſim pro uoluntate atꝗ arbitrio delabebantur: quam rem procemia Terpandri declarant. Facta quoꝗ tum primũ citharæ forma, uti autor fuit Terpãdri diſcipulus Cepio, appellataq́ eſt Aſias, propterea quòd Lesbij fidicines, Aſiæ cultores, ea utebantur: quorum ultimum Pericletum uiciſſe Lacedęmone Carnia ferunt. Is erat Lesbius genere, quo uita functo, perpetuæ gloriæ Lesbiorũ, quam in cantu citharę ad eam diem obtinuerant, finem impoſitum fuiſſe memoratur. Errore quoque nõnulli ducuntur, exiſtimantes Hipponactem parem fuiſſe temporum Terpandri, quum Pericletus antiquior Hipponacte appareat.

Certe antiquitus fidibus canendi leges constitutæ.

Poſtquàm tibiarum fidiumq́ cantus pariter expoſuimus leges, ad proprias tibicinum orationem conferamus. Olympum tibicinẽ, de quo antè diximus, Phry-

Tibicinũ leges.

D gium, condidiſſe legem quandam in Apollinem, Multiplicẽ uocatam. Hunc Olympum ex ijs unum fuiſſe memorant, qui ab illo primo Olympo, Marſyæ filio, muſicarũ legum in deos conditore, deſcenderunt. Hic enim in delitijs à Marſyą habitus, & tibiarum cantus ab ipſo edoctus, leges harmonicas in Græciam intulit, quibus nunc Gręci in deorum celebritatibus utuntur. Alij Multiplicem legem Crateti diſcipulo Olympi uendicant, tametſi iunoris Olympi legem hanc eſſe Pratinas teſtatur. Lex uerò quæ Curulis uocaƀ, ad Olymptum maiorem Marſyæ diſcipulum refertur: quem ſunt qui non Marſyam, ſed Maſſem uocatum dicant: alij Marſyam, & Hyagnide natum, primo inuentore artis tibicinæ, contendant. Curulem legem ab illo Olympo latam fuiſſe cõmentarij Glauci de antiquis poëtis docent. Vnde etiam cognoſci poteſt Steſichorum Himerenſem, non Orpheum, non Terpandrum, non Antilochum, nec Thaletam, ſed Olympum fuiſſe imitatum, Curuli lege & forma per dactylum uocata utentem, quam nonnulli Orthiæ legis eſſe dicunt. Alij à Myſijs eam legem fuiſſe repertam. Traditur enim fuiſſe certos Myſios perueruſtos tibicines. Extat & alia quædam antiqua lex, Cradias uocata, quam ceciniſſe tibijs Mimnermum Hipponax tradit. Principiò nanꝗ elegia cõſtructa modis ad tibiam canebantur. Hoc indicant monumenta Panathenæorũ de Muſicis certaminibus. Fuit & Sacadas Argiuus cõditor modorum elegiorumq́ habentium modos, poëta ſanè bonus, ac triplici inſignis de ludis Pythicis uictoria, id quod publica harum rerum monumenta declarant. Eiuſdem meminit Pindarus. Cùm itaꝗ ſint tres toni, autoribus Sacada & Polymneſto, Dorius, Phrygius & Lydius, in quolibet iſtorum tonorum Sacadam aiunt feciſſe ſtropham, & chorum canere docuiſſe, ſic ut Doricè primã, Phrygicè ſecundam, Lydicè tertiam cantaret. Eamq́ legem propter tripertitam mutationẽ Tripertilem fuiſſe uocatam ferunt: quanquam in cõmentarios Sicyonios, in quibus poëtæ percenſentur, Clonas ut repertor legis tripertilis ſit relatus. Primus igitur Spartæ ſtatus, ordoq́ Muſicæ cultorum, Terpandro autore atꝗ conſtituente fuit. Secundi uerò ordinis Thaletas Gortynius, Xenodamus Cytherius, Xenocritus Locrenſis, Polymneſtus Colophonius, & Sacadas Argiuus ſummã cauſam, ſummaq́ merita habent, ut duces autoresq́ dicantur. Iis nanꝗ autoribus gymnopædiæ Lacedæmone, in Arcadia Demõſtrationes appellatæ, & Argis Endymatia ſunt cõſtituta. Thaletas, Xenodamus, Xenocritus effectores Pæanũ, Polymneſtus Orthiarũ quæ uocanƭ, Sacadas uerò Elegiorum fuit. Tametſi autores ſunt

Toni tres.

qui

A qui tradant Xenodamum nõ Pæanum, ut inquit Pratinas, ſed Hyporchematũ fuiſſe conditorem. Fertur enim ipſius canticum quoddam, quod quidem permanifeſtò eſt Hyporchema: quo genere poëmatis ipſe quoq; Pindarus uſus eſt. Quòd autem Hyporchema & Pæana inter ſe differant, Pindari poëmata, qui & Pæanes & Hyporchemata compoſuit, indicabunt. Leges tibiarum cantibus Polymneſtus ſanxit, & in Orthia appellata lege modulatione uſus eſt, ut quidã harmonici tradunt: nã ipſe pro cõperto dicere nequeo, propterea quòd nihil habeo hac de re traditũ à maioribus. In dubio quoq; eſt, an Cretenſis Thaletas effector fuerit pæanũ: nam Glaucus poſteriorẽ Archilocho fuiſſe tradit, Archilochiq́; modos imitatũ, præterquã quòd eos longius extendit, Maronemq́; & Creticũ rhythmum in ſtructuram modorum conſertauit, quibus nec Archilochus ſit uſus, nec Orpheus, nec Terpander: & hæc à diſciplina tibicinali Olympi inquit feciſſe Thaletan; & poëtam bonũ ſe fuiſſe putaſſe. De Xenocrito quoq; Locrenſe, ex Locris urbe Italiæ, dubitari uideo, utrum poëta pæanũ fuerit. Argumenta quidem heroica geſta cõtinentia condidiſſe proditum eſt memoriæ, ac propterea nõnulla argumenta dithyrambos uocitaſſe, inferioremq́; Thaleta ætate fuiſſe, Glaucus autor eſt. Traditur etiã ab Ariſtoxeno inuentorem enharmonij generis Olympum fuiſſe à Muſicis exiſtimatum, & ante ipſum omnia fuiſſe diatona atq; chromatica: inuentionemq́; illam hoc maximè modo proceſsiſſe putabant: Cùm in diatono Olympus uerſaretur, & frequens tranſueheret ad pathypaten diatonam modulum, tum à parameſe, tum à meſe diſcedens, diatonumq́; tranſgrederetur, animaduertiſſe pulchritudinẽ atq; decentiam morũ, ex eo uocum cantu prouenientẽ, atq; ita conſtantem pro rata parte rationibus complexionẽ, quam ſyſtema Græci uocant, admiratũ & amplexum, hoc genus effeciſſe in Dorio tono: haud enim quæ diatoni propriè ſunt, quæq; chromatis pertingi, at neq; quæ harmoniæ. Erant autẽ prima enharmoniorũ huiuſmodi. Primũ omnium ponebatur ſpondeus, in quo nulla diuiſio præ ſe fert propriũ diatoni, ni quis reſpectans ad contentiorem ſpondiaſmum, ſpeciem id habere diatoni arbitretur. Verùm latè patet, qui id poſuerit, eum & falſum, & inconcinnum poſiturũ. Falſum, quia dieſi una minus eſt tono, qui tonus circa ducem iacet. Inconcinnum uerò pro-

Genus enharmonium.

B pterea, quòd ſi in ui ac poteſtate tonia proprium contentioris ſpondiaſmi ſtatuatur, profectò euenerit ut duo perpetua diatona, alterum incompoſitũ, compoſitũ alterum, poſita ſint. Nam in medijs, quas meſas uocant, enharmoniũ denſum locatũ, quo nunc utuntur, ad poëtam pertinere nõ uidetur. Facilius id intelligetur, ſi quis tibia canentẽ antiquo ritu, audiat: uult enim & ipſum ſemitoniũ in meſis eſſe incompoſitũ. Ac prima quidem enharmoniorũ huiuſmodi fuere: poſtea uerò ſemitonium diuiſum eſt, tum in lydijs, tum in phrygijs. Videtur autem Olympus auctum Muſicæ dediſſe, inuehendo quod in lucem ad eam diem non uenerat, nec fuerat à maioribus cognitũ, autorq́; præclaræ Græcis Muſicæ & princeps ac dux fuiſſe. Eſt etiã rhythmorũ ratio quædam: certa nanq; genera & ſpecies non modò rhythmorũ adinuentæ ſunt, uerumetiã modorum atq; rhythmorũ artificum excitatæ nouæ formæ. Sed Terpandri nouatio decorũ quendam in Muſicam inuexit modum, quo poſtea Polymneſtus uſus, præclaræ & ipſe atq; decenti formæ inhæſit. Similiter Thaletas & Sacadas peregregij, ac propè perfecti rhythmorũ effectores habiti ſunt, nec honeſta decoraq́; forma exceſſere. Eſt alia Alcmanica Steſichoriaq́; nouatio, nec ipſa quidẽ à pulchro honeſtoq́; ac moderato diſcedẽs. At Crexus, & Timotheus, & Philoxenus, atq; eius ætatis poëtæ, importuniores & percupidi atq; ſtudioſi nouandarum in Muſica rerum fuere, perſecutiq; ſunt typũ ac formã eam, quã nunc philanthropon & thematicon uocãt. Sed omnino paucitas fidium, & locorũ anguſtia ſimplicitasq́;, & uerenda Muſicæ grauitas uiguit apud priſcos. Poſtq; autem de prima Muſica, deq; primis ipſius inuentorib. & quibus autorib. ſubinde per inſecuta tempora incrementum ceperit, pro uiribus à me eſt diſputatũ, finem orationi meæ faciã, & Soterico, nõ Muſica ſolùm, ſed cæteris quoq; liberalibus diſciplinis erudito uiro, locum ad dicendum cõcedam. Nos enim magis ei Muſicæ parti ſtudium impendimus, quæ munere atq; officio manuum abſoluitur. His dictis Lyſias orationem compreſsit, tum Sotericus in hunc modum eſt loquutus: De uerendo, atq; in primis dijs grato inſtituto clare Oneſicrates nos prouocaſti ut uerba faceremus. Probo equidem intelligentiam Lyſię doctoris, nec minus memoriã, quam in cõmemorandis primæ Muſicæ inuentoribus, atq; ijs qui de ea facultate conſcripſerunt, præ ſe tulit. Illud uerò tacitũ nõ feram, ſola eum ſcriptorũ monumenta ſecutũ feciſſe fidem dictis ſuis. Nos uerò mortalem quenq; negamus fuiſſe repertorem Muſicę bonorũ, ſed Apollini omnibus uirtutibus & ſcientijs ornato, inuentũ munusq́; hoc tribuen

Tranſgreſsio.

[illegible]teca [illegible] Roma Vittorio Emanuele

C dum, & acceptũ ferendum eſſe putamus. Haud enim tibia inuentũ eſt Marſyæ, uel Olympi, aut Hyagnidis, ut aliqui opinantur: nec modò citharæ Apollo, ſed tibiarum, fidiumq; cantus eſt repertor. Argumento ſunt chori & ſacrificia, quæ illi deo cum cantu tibiarum perpetrabantur, idq; cùm alij, tum Alcæus hymno quodam teſtatur. Signũ quoq; Apollinis in Delo dicatũ eo habitu, ut dextera arcum teneat, ſiniſtra Gratias, quamlibet inſtrumentum muſicum aliquod tenentẽ (nam alia lyram, tibias alia, quæ in medio eſt propoſitam ori fiſtulam continet) idem declarat. Nec putetis hæc uerba mea eſſe, aut hæc me cõminiſci: Anticlem & Hiſtrum autores habeo, qui hæc ipſa tradidere in cõmentarijs qui de conditoribus modorũ inſcribuntur: adeóq; uetuſta eſt ſigni eius dedicatio, ut opifices compares ætatis Herculis fuiſſe referantur. Puerũ quoq; Pempicam ferentem laurũ Delphos tibicen comitatur. Et ex Hyperboreis ſacra cum tibijs, fiſtulis ac cithara mitti Delphos ſunt ſolita. Alij ipſum hunc deũ ceciniſſe tibia ferũt, ut optimus poëta modorũ tradit Alcman, & à Pallade doctũ fuiſſe Corinna prodidit. Eſt igitur Muſica ab omni parte auguſta, quandoquidem inuentum eſt deorũ, & ea ueteres ſunt uſi pro dignitate atq; maieſtate ipſius, ut cæteris omnibus inſtitutis. At hoc tempore ſeueritate & grauitate ipſius repudiata, pro forti, uirili, auguſta, & dijs immortalibus grata, præfractã quandam Muſicam, adulteram, calamiſtriſq; inuſtam in theatra deducunt. Quare Plato in tertio de republica indignanti animo eiuſmodi Muſicam fert, Lydiamq; harmoniã deprecatur, quòd acuta, uehemens, & ſtridens ſit, & apta complorationibus. Primaq; eius conſtitutio lugubris quædam res traditur fuiſſe. Ac primũ Olympum funebre tibia carmen in funere Pythonis lydio ritu ceciniſſe, in primo Muſicæ ſcripſit Ariſtoxenus. Menalippidem alij tradunt modulũ illum inceptaſſe. In pæanibus uerò, Pindarus in nuptijs Niobes primũ Anthippum docuiſſe lydiam harmoniã canit. Torebum alij uolunt primũ eo cõcentu uſum fuiſſe, ut autor eſt Dionyſius Iambus. Mixolydius autem concentus affectibus eſt refertus, & tragœdijs aptus. Reperiſſe eum Sappho Ariſtoxenus prodidit, ab ipſaq; Tragicos didiciſſe, qui poſtea coniunxere mixolydios modos cum Dorijs, quorum alteri maieſtatem atq; autoritatem, alteri affectus afferunt: ex utriſq; enim cõmixta eſt tragœdia. In cõmentarijs uerò Harmonicorũ proditũ eſt, id inuentum ad Pythoclidem tibicinem referri.

Apollinis ſimulachrum.

Tragœdia ex mixolydijs ac Dorijs modis cõmixta.

D Athenienſem Lamproclem, inquit Lyſis, animaduertentem non ibi haberi diſiunctionẽ ubi fermè omnes arbitrabanť, ſed in acuto, talem eius confeciſſe figuram formámue, qualem dixerit aliquis à paramеſe ad hypaten hypaton. Remiſſam item lydiam, ſiquidem mixolydiæ eſt contraria, aſsimilem Iadi à Damone Athenienſi inuentam memorant. Plato igitur duabus ijs meritò reiectis harmonijs, altera flebilem, ſolutũ altera cantum habentibus, doricam, ut quæ accõmodata foret moderans ac fortibus uiris, delegit: haud Hercule ignarus, ut inquit Ariſtoxenus in ſecundo Muſicorum, in illis quoq; aliquid ineſſe ad rempub. conſeruandam utilitatis. Et magnam ſanè Plato operam Muſicæ ſcientiæ dedit, auditorq; Draconis Athenienſis atq; Metelli Agrigentini fuit. Verũ quoniã multa grauitas in Dorio concentu inerat, maiore ipſum honore dignatus eſt: quanq; nõ erat neſcius, Doria multa cantica, Virginalia uocata, ab Alcmane, Pindaro, Simonide atq; Bacchylide fuiſſe tractata & condita, necnon proſodia & pæanes: luctus præterea tragicos dorico concentu decantatos, & amatoria aliqua eundem in concentũ compoſita. Satis illi erant quæ in Martem, quæq; in Palladem canebanť, & ipſa ſpondea: nam ea ſatis uirium habere ad roborãdos animos hominũ moderatorũ iudicabat. At neq; Lydiam Ioniámue ignorabat: ſciebat enim tragœdiam uti talibus modis ſtructuraq; cõcentuum. Iam uerò priſci omnes haud quidem quia imprudentes imperitiq; forent ullius concentus & harmoniæ, certis quibuſdã ac definitis uſi ſunt: nec ignorantia autor cauſaq; fuit eiuſmodi anguſtiæ, & fidium paucitatis. Nec ſanè Olympũ, nec Terpandrũ, nec qui eorũ ſectã ſunt ſequuti, perpulit inſcitia ad circuncidendam multitudinem fidium, uarietatemq; demendam. Teſtantur id poëmata Olympi atq; Terpandri, cæterorumq; omnium eiuſdem generis Muſicorum ac poëtarũ. Quæ quum trifidia ſimpliciaq; forent, uſqueadeo præſtabant uarijs & multifidijs, ut nemo unus Olympi modũ poſſet imitari, & qui in multinerui, multiformiq; uerſabanť, poſteriores eſſent. Quòd autẽ non inſcitia in ſpondiante tropo à trite priſci abſtinerent, eorum in pulſu uſus declarat: nunquã nimirum ea cum parypate cõgruenter & conſonè uſi forent, ni eius peritiæ atq; uſus prudentes fuiſſent. Latè igitur patet pulchritudine decentiaq; morum, qui in ſpondiante modo ob triten exemptam gignuntur, admonitis & captis ſenſibus tranſuexiſſe modulum ad paraneten. Eadem ratio de nete: ea nanq; in pulſu fidium, & ad paraneten diſſonorum, & ad meſen conſonorum utebantur.

A utebantur. In modulo uerò, quia illis nõ apparebat accõmodata ſpondiaco tropo, præte-
ribatur: nec modò in ijs, uerumetiã in ipſis coniuncti nete. Sic enim omnes ea utebantur,
ut in pulſu & ad paraneten, & ad lichanon accõmodarent. At in modulo uel ipſius uten-
tis perpudebat eos, propter inde prodeuntes eius cauſa mores. Cõſtat enimuero id ita eſ-
ſe etiam ex Muſicis qui Phrygij dicti ſunt. Nam Olympũ ſectatoresq́ ipſius non per im-
peritiã ab ea ſuperſediſſe compertum habetur, quandoquidẽ non tam in pulſu, quàm in
modulo, ubi conuenire exiſtimabant, in ſacris matris deûm, nonnullisq́ alijs Phrygijs re-
bus, eadem utebantur. Perſpicuũ quoq; in hypatis eſt, non ruditate abſtinuiſſe eos ab illo
tetrachordo in Dorijs, cùm mox eodem in cæteris tonis uterenť: quippe ſcientes, nulla ui
delicet alia cauſa cõmoti eximebant à Dorio tono, quàm ut decus morum tuerẽtur, quo-
rum honeſtatem decorumq́ honori habebant. Quale à Tragicis quoq; obſeruatum uide
mus: necdum enim tragœdia ad hanc diem uſa eſt chromatico genere, nec enharmonio:
cithara uerò multis quàm tragœdia uetuſtiore ſeculis, à principio uſa eſt. Et ſanè conſtat,
chroma eſſe antiquius harmonia. De illa nãq; intelligi antiquitate in pręſentia uolo, quæ
ad uſum conſuetudinemq́ humanæ naturæ ſpectat. Nam ſi ad ipſam generũ reſpiciamus
naturam, neutrũ altero antiquius cõperiemus. Sed oro uos, ſi quis Aeſchylum aut Phry-
nichum abhorruiſſe à chromate aſſerat propter inſcienniã eius, nónne ſit abſurdus? Profe
ctò idem contenderit, ipſum Pancratem ignoraſſe chromaticũ genus, quoniam ab eo ple
runq; abſtinebat: quem, quum in quibuſdam ipſo uteretur, non ruditate, ſed conſilio ac
uoluntate abſtinuiſſe putandum eſt: ſtudioſe nanq; imitabatur, id quod ipſe dicere ſole-
bat, Pindareum & Simonideum tropon, illumq́ omnino, qui nunc antiquus appellatur.
Eadem eſt de Tyrtæo Mantinẽſe, de Thraſyllo Phliaſio, de Andrea Corinthio, deq́ mul-
tis alijs ratio, quos omnes ſcimus auerſatos chroma, mutationem, uarietatem, multiner-
uiam, plurimaq́ alia, rhythmos, concentus, dictiones, modulationes, modorúmue ſtru-
cturas, actus, interpretationésue, quæ omnia interſerta eſſe poſſunt. Telephanem Mega
renſem ita fiſtulis pugnaſſe accepimus, ut opifices ipſos tibiarum, ne manus quidem un-
quam ad tibias fabrefaciendas adhibere permiſerit: ob quam maximè cauſam certamen
B Pythicum auerſabatur. Summatim autem ut dicam: ſi quis omnes re aliqua non utentes
damnandos ignorantiæ putat, ex eo coniecturam inſcitiæ faciens ipſorũ, quia re illa non
utantur, complures profectò prius temporis huius damnet neceſſe eſt, quum Dorionios
non uti modo Antigenidio, quia ipſum contemnant, & contrà Antigenidios eadem de
cauſa Dorionium reijcere uideamus. Fidicines quoque ipſi deſiuere propémodum fre-
quentare ritũ modumq́ Timothei, & ad futelas poëmataq́ Polyidæ ſeſe uerterũt. Iam ue-
rò ſi quis rectè ac perſcienter reputet, uetera & noſtra comparando inter ſe, tum quoq; in
uſu fuiſſe uarietatẽ cõperiet. Vtebantur enim ueteres uarietate in rhythmis, quæ quidem
eſt etiam magis uaria: in honore nanq; habebant rhythmicã uarietatẽ. Sed & pulſatoriæ
loquendi proprietates tunc magis uariæ erant. Hoc nimirum tempore modos, illo uerò
rhythmos ſtudioſe & cupidè amplectebantur. Probatum hactenus eſſe arbitror, nõ in-
ſcitia ignorantiaq́, ſed cõſultò abſtinuiſſe ueteres à præfractis, mollibus, languidisq́ can-
ticis modis. Sed quid hoc mirandum eſt, quum multa in uita humana inſtituta uideamus
exoleuiſſe, ſublato eorum uſu, non imperitia, uerùm ſponte atq; conſultò reiecta, quum
animaduerſum perſpectumq́ foret, aliquibus in rebus contra officium decorumq́ fie-
ri? Reliquum eſt, ut poſtquàm Platonem non inſcitia, nec impotentia cæteros repu-
diaſſe concentus, ſed quia Reipublicæ indecoros, ac minimè opportunos eſſe iudicabat,
oſtendimus, prudentem item atque intelligentem omnis generis concentuum fuiſſe de-
monſtremus. In molitione animæ, quam fabricat in Timæo, ſtudium diſciplinarum ac
Muſicæ ſuum hoc maximè modo declarauit. Vnam principiò partem detraxit ex uniuer-
ſo: ſecundam autem primæ partis duplam: deinde tertiam, quæ eſſet ſecundæ ſeſquialte-
ra, primæ tripla: tum quartam, quæ ſecundæ dupla eſſet: quintam inde, quæ tertiæ tripla:
deinde ſextam, octuplam primæ: poſtremò ſeptimam, quæ ſeptem & uiginti partibus
antecederet primæ: deinde dupla & tripla interualla expleuit, partes inde ruſus deſe-
cans, quas interuallis ita locabat, ut in ſingulis eſſent binæ media: hoc eſt, ut mox oſten-
demus, ueſtibulum prooemiumq́ harmonicæ Platonis peritiæ. Tres ſunt principes har-
moniæ, à quibus omnis medietas ſumitur, arithmetica, harmonica, geometrica. Earum
alia ſuperat, & ſuperatur pari numero, alia ratione pari, alia nec numero pari, nec ratio-
ne. Igitur Plato harmoniam quatuor animæ elementorum, cauſamq́ ex diſſimilibus in-
ter ſe iunctis conſonantiæ uolens harmonicè demonſtrare, duas in ſingulo interuallo

Cithara tragœdia uetuſtior.

Studium ſuũ Muſicæ declarat Plato in Timæo.

Principes harmoniæ tres.

C animales medietates ratione muſica propoſuit. Conſonantia diapaſon duo media muſi-
ca interualla complectitur, quorũ comparationẽ pro rata parte rationũ oſtendemus. Dia
paſon in dupla ratione perpenditur: conficient autẽ,imaginis gratia, duplam rationẽ iu-
xta numerum ſex & duodecim. Protenditur autem hoc interuallum ab hypate meſon ad
neten diſiunctarũ. Cùm igitur ſex & duodecim extrema ſint, hypate meſon ſenarium nu-
merũ cõtinet, nete diſiunctarũ duodenariũ. Sumantur deinde intercedentes numeri, quo
rum alteri extremo alter eſt ſeſquitertius, ſeſquialter alius, octo uidelicet & nouem: ipſius
enim ſenarij octonarius eſt ſeſquitertius, nonarius ſeſquialter. Extremũ quidem unũ eſt
huiuſmodi, alterũ eſt ipſe duodenarius numerus, nonarij ſeſquitertius, octonarij uerò ſe-
ſquialter. His itaq; numeris inter ſenarium & duodenarium inſertis, & diapaſon interual
lo ex diateſſaron atq; diapente cõſtituto, patet meſen octonarium numerum habituram,
parameſen nonarium. Hoc ita cõſtituto, talem rationem habet hypate ad meſen, qualem
parameſe ad neten diſiunctarũ. Ab hypate nanq; ad meſen eſt diateſſaron, à parameſe pa
riter diateſſaron ad neten diſiunctarum. Eadem comparatio rationum in numeris quoq;
reperitur: nam uti ſe habet ſex cum octo, ſic nouem cum duodecim: atq; ſicuti ſex cum no
uem, ita octo cum duodecim: ſeſquitertij illi ſunt inter ſe numeri, hi uerò ſeſquialteri. Et
hæc ad ſtudium ſcientiamq; Platonis diſciplinarum declarandam in præſentia dicta ſuf-
ficiant. Ariſtoteles quoque Platonicus declarat harmoniam diuinam rem quandam eſſe,
Ariſtoteles de harmonia. magnãq;, & maximè dignã ueneratione, ſic inquiens: Harmonia cœleſtis eſt, naturamq;
diuinam & pulchram, & humana auguſtiorem habet. Ea cùm ui naturali ſua quadriparti-
lis ſit, tres medietates tuetur, arithmeticam, harmonicam, & geometricam: parteſq; ipſius
& magnitudines atque pręſtantię, numero & parilitate menſuræ exiſtunt & apparent. In
duobus enim tetrachordis cantici modi concinuntur. Hæc ſunt Ariſtotelis uerba: Con
ſtare uerò corpus eius, inquit, partibus diſſimilibus, concinentibus tamen. Conſonare
item ipſas medietates ratione numerorum: nam nete ratione dupla temperata cum hypa
te diapaſon reddit conſonantiã. Continet enim nete, ut demonſtrauimus, duodenas uni-
tates, hypate ſenas. Et parameſen cõſonam nouenas unitates habere dictum eſt ſeſquial-
D tera ratione cum hypate. Meſe uerò, quam octonas habere unitates diximus, cum eadem
hypate ſeſquitertia ratione cõparata eſt. His maximè rata Muſicæ interualla componun-
tur: Diateſſaron, inquã, quod in ſeſquitertia ratione: diapente, quod in ſeſquialtera: diapa
ſon, quod in dupla perſpicitᷓ. Seſquioctaua item ratio quæ eſt, in unius ratione toni cõſer-
uatur. Ita euenit ut partes harmoniæ ſic conſtitutæ, ijſdem præſtantijs & ſuperent, & ſupe
rentur à partibus, & medietates à medietatibus, pręſtantiaq;, exceſſuſue numerorũ, & uis
ac munus geometricũ deprehendatur. Has autẽ facultates ſic ſe habere Ariſtoteles decla
rat, neten uidelicet tertia parte ſui meſe præſtantẽ, hypaten uerò à meſe ſimiliter ſupera-
tam, ut abundantes partes mutuo relatu reſpondeant: ijſdem nanque partibus & præ-
ſtant & ſuperãtur ſeſquitertia, & ſeſquialtera ratione. Talis enim eſt harmonicus exceſ-
ſus. At nete ratione arithmetica præſtans ipſi parameſe, & numero æquo parameſe ante-
cedens hypate, exceſſus arithmeticos declarant. Apparet & exiſtit uis etiam geometrica,
quum nete ſit ſeſquialtera ipſius meſes, & parameſe hypates ſeſquialtera, & ipſa eadem
para-



A parameſe præſtat ipſi meſe parte octaua in ratione ſeſquioctaua conſtituta. Rurſus nete dupla hypates eſt, parameſe hypates ſeſquialtera, meſe hypates eiuſdem ſeſquitertia. Numeris itaq; & partibus, autoritate quoq; Ariſtotelis ſic harmonia à natura eſt comparata, ſummaq; ope atque artificio ipſius conſtituta eſt ex infinita finitaq;, & parimpari natura, cùm ipſa uniuerſa, tum partes eius omnes. Ipſa etenim tota par eſt, quippe quadripertita terminis. At partes & rationes eius, tum pares, tum impares ſunt, tum etiam parimpares. Neten enim parem habet, ut quę duodenûm ſit unitatū: Parameſen imparem, nouenûm: Meſen parem, octonûm: Hypaten parimparem, ſenûm. Hoc pacto à natura comparata ipſaq; tota, & partes ipſius exceſsibus atq; rationibus, & tota toti, & partibus partes inter ſe cōſonant. Iam uerò ſenſus ipſi apto quodam temperamento corporibus inſiti, cœleſtes quidem illi atq; diuini, ſenſum & intelligētiam hominibus præſtantes, obtutus inquam, & auditus, unà cum uoce atq; luce harmoniam demonſtrant. Cæteri quoq; comites horū ſenſus, eò quòd ſenſus ſunt, harmonia conſtant: omnibus nanq; muneribus ſuis haud ſine harmonia funguntur. Qui quanquam inferiores ignobilioresq; ſunt illis, haud tamen ab harmonia diſcedunt. At illi numine quodam comite atque præſente, corporibus cum ratione atque intelligentia adhibiti, præpotentem præclaramq; naturam quandam ſortiti ſunt. Perſpicuū igitur eſt ex his quæ à me ſunt cōmemorata, ueterem illam Græciam ſtudium operamq; rerum omniū meritò impendiſſe maximā, ut in primis adoleſcentes Muſica erudirentur. Eorum enim animos molles ac teneros ad modeſtiam atq; moderationē Muſica componi & temperari oportere exiſtimabant, quippe quam ad omnes occaſiones actionesq; omnes, quas intenderes, utilem & cōmodam eſſe putarent. Atq; in primis ad bellicos terrores, ad quos alacriter ac fortiter capeſſendos & ſuſtinendos, alij, ut Lacedæmones, tibijs canentibus Caſtorium appellatum modum, inſtructa ornataq; acie cum hoſte conſerturi manus promouebantur. Alij ad cantum lyræ in certamen procurrebant: quo more pericula adeundi præliorum multis tempeſtatibus Cretenſes fuiſſe uſos memoriæ proditum eſt. Aetate noſtra pergunt etiam nunc uti tubis. Argiui in Sthenijs apud eos uocatis, tibiæ cantu utebantur. Eos ludos primò in honorem Danai fuiſſe inſtitutos,

Cur ueteres Græci liberos ſuos in primis Muſica erudiri uoluerint.

B inſecutis temporibus ad Iouem Sthenium translatos ferunt. Tenet etiam nunc temporibus noſtris mós canendi ante tibicinem in Pentathlis, non cantum quidem inſignem ullum, antiquumue, aut qualis apud homines illos cōſueuerat cani, ut qui ab Hierace compoſitus ad illud certamen, quod Endrome uocatur, erat. Cæterùm tametſi nihil, ut inquā, ualidum præcinitur ac nobile, præcinitur certè tamen qualecunque aliquid. Famaq; eſt theatralem Muſam ignotā uetuſtioribus temporibus apud Græcos fuiſſe: tota enim hæc ſcientia ad cultum deorū, & ad diſciplinā iuuenū uertebatur, necdum ea tempeſtate apud illos homines extructo theatro. In ſolis adhuc templis Muſica alebatur atque uigebat, in quibus honores deorum, & clarorū laudes uirorum, cantu muſico celebrabantur. Argumento eſt cōdita poſtmodū fuiſſe theatra: nam uerbum θεᾶν, id eſt, ſpectare ſignificans, multò antè ἐκ τοῦ θεοῦ, id eſt, ab appellatione Dei ſumpſerat nomen. At noſtris temporibus tantos auctus differētiæ forma accepit, uſqueadeo diſceſsit à more maiorū, ut nulla ſit amplius diſciplinæ mentio, nulla perceptio. Omnes qui Muſicam attingūt, accurrūt ad Muſam theatralem. Sed heus tu, dixerit fortè aliquis, nihil'ne à ueteribus adinuentū? nihil'ne innouatū fuit? Fateor equidem & ipſe, fuiſſe plurima reperta atq; nouata ab antiquis, uerùm cum maieſtate atq; decoro. Qui hoc genus hiſtorię perſecuti ſunt, Doriam neten adſcripſere Terpandro, cùm ea nullus in cantu uſus antea fuiſſet. Totus mixolydius tonus inuentu nouo additus dicitur, & ex modis cantus Orthijs uocatis, is qui trochæus ſignidator appellatur. Inuentor præterea modorum Scoliorum; ut inquit Pindarus, Terpander fuit. Archilochus rhythmicā ſtructuram trimetrorū, & in rhythmos nō unigenos intentionem immutationemq;, & circa hæc ipſa pulſum inuenit: primusq; eum edidiſſe epoda, tetrametra, procriticū, & proſodiacū. Eidem adſcribitur auctus ipſius primi, à nōnullis elegium. Ad hæc iambei ad Pæonem Epibatū, & aucti heroi in proſodiacū & in Creticū intentio ad eundem autorē refertur. Poſt deinde poëtas tragicos ita uſos, & Crexum admiſiſſe, & exercendo pertractandoq; deduxiſſe intentionē illā in dithyrambū. Præterea ipſorum iambeorū alia dicenda ad pulſum, alia eſſe canenda, Archilochū primū demōſtraſſe memorant. Hunc etiam ipſum Archilochū exiſtimant ad pulſum fidium primū ceciniſſe, atq; inde ueteres omnes ad cantus percuſsiſſe neruos. Tonus qui nunc hypolydius uocatur, inuentori Polymneſto tribuit. Eundem longè maiorē effeciſſe ipſam ſolutionem & eiectionem tradunt. At Olympum, illum inquam, ad quem autorem principem græcæ

Olympus græcæ Muſicæ princeps autor.

C legaliſq; Muſicæ gloria refertur, genus ipſum harmoniæ & rhythmum, qui proſodiacus dicitur, in quo eſt Martis lex, & Choreũ, quo ipſe plurimũ uſus eſt in ſacris Matris deûm, inueniſſe proditum eſt. Nonnulli Baccheum quoq; ad ipſum repertorem trahunt. Sic autem antiquos uocum modos ſe habere conſtat. Laſus Hermionenſis dithyrambicum in morem tranſpoſitis rhythmis, multitudinemq; uocum ſecutus in tibijs, & pluribus atque diſiectis uſus uocibus, ad inflexiones mutationesq;, quæ prius non fuerant, Muſicam perduxit. Inſecutus Melanippides fabricator modorum, in priore nec ipſe Muſica manſit. At neq; Philoxenus, nec Timotheus uetere Muſica contenti fuere. Nam Timotheus, quum antè lyra plures quàm ſeptem neruos non habuiſſet ad uſque tempora Terpandri Antiſſæi, in plures uoces diſiecit. Atqui & cantum tibiæ ſimpliciorẽ antea plurima uarietate diſtinxit. Quumq; antiquitus ad Melanippidẽ uſq;, dithyramborũ poëtam, tibicines à poëtis ſtipendium caperent, primas agente poëſi partes, & tibicines ipſis magiſtris miniſtrarent, is quoq; mos abolitus extinctusq; eſt, tantaq; in Muſicam eſt delapſa labes, ut ipſam Pherecrates Comicus ſpecie muliebri introduxerit in ſcenam, corpore fœdè lacerato, ſciſcitantemq; Iuſtitiam cauſam cladis, ac Muſicam ſic loquentem:

Dicam haud inuita, quandoquidem tibi
Audiendi, ac mihi fandi uoluptatem dabit
Iræ impetus: Mi prima malorum labes
Melanippides fuit, qui duodenis
Fidibus me eneruauit. Nec tamen meis
Finis ærumnis: Atticus Cineſias
Execrabilis, hexharmonios ſtrophis
Anfractus inſertans me male perdidit:
Nam dithyrambos condens biſores niſu
Ancipiti clypeorum ritu dextris
Similibus læuis mentem irritam fallit.
Sed neque miſerijs hic modus fuit
D Meis: Phrynis iniecto Strobilo quodam
Non antè cognito, irrequietis me
Flexibus atq; reflexibus uerſando
Totam collabefecit, quinq; neruis
Duodenas obſtipando harmonias.
Neque adeò eum pœnitebat ſceleris,
Quin repetebat ultro, ſi quid liquiſſet.
Iam uero Timotheus, ô mihi chariſsima,
Perfodit me, & fœdiſsimè lacerauit.
Quis iſte Timotheus? Mileſius quidam
Pyrrhias: hic mihi innumera inuexit mala,
Vicit & omnes inferendis cladibus
Quos memoraui: uicit inquam, molleſq;
Ac formicarios uehens modos, meq;
Sicubi ſit nactus gradientem ſolam
Soluit, diſpeſcit in duodenos neruos,
Meq; contorquens tanquam braſsicas totam
Referſit hexharmonijs hyperbolæis,
Profaniſq; ac ſuperuacuis fidium
Vocumq; inanibus pertentaminibus. Hæc inquit Muſica.

Primæ inſtitutionis ad mores puerorũ dirigendos auertẽdóue, magna uis.

Meminit etiam Ariſtophanes Comicus Philoxeni, cumq; dicit intuliſſe modos cyclicis choris. Alij quoq; Comici abſurditatem & indecentiam eorum qui Muſicam lacerauere cõmonſtrarunt. Quantam autem uim habeat & ad dirigendos, & ad euertendos mores, quibus ſtudijs, quibuſq; diſciplinis à principio aliquis ſit inſtitutus, Ariſtoxenus declarauit. Thebanum quendam Teleſiam refert, æqualem temporum eius, quum ab adoleſcentia in optima Muſica educatus foret, ac probatorum poëmata modoſq; didiciſſet, cùm aliorum, tum Pindari, Dionyſij Thebani, Lampri atq; Pratinæ, cæterorumq; qui præſtantes lyricorũ pulſaminũ habent, & præclarè tibijs ceciniſſet, reliquis quoq; diſciplinis non mediocrem operam dediſſet, exacta uigentiore ætate uſqueadeo captum fuiſſe ſcenica illa & uaria Muſica, ut contemptis decoris modis, in quibus fuerat educatus, ad diſcendos

Philoxeni

A Philoxeni atque Timothei modos, horumq́; ipſorũ maximè uarios, plurimamq́; nouita-
tem habentes, animum applicaret: quumq́; ſe cõtuliſſet ad efficiendos modos, attrectan-
tem & experientẽ frequentius, tentantemq́; atq; exercentẽ utroſque, Pindarium inquam
& Philoxenium, in Philoxenio haud admodum proficere potuiſſe: cuius rei cauſam in-
quit præclarã à puero ipſius inſtitutionẽ fuiſſe. Quare ſi cui cordi fuerit, ſcitè beneq́; Mu-
ſica uti, antiquã imitator formam & modum, eumq́; repleto cæteris doctrinis, & philoſo-
phiam adhibeto comitẽ, quæ quaſi ipſum manu ducat. Nam ea potens eſt iudicandi quæ
menſura ipſi Muſicæ cõueniat, quæ'ue eam deceat, & quid eidem uſui ſit, quidq́; ſit utile.
Cùm itaq; tres ſint partes, in quas uniuerſali partitione omnis diuidiť Muſica, diatonos, *Muſicæ partes tres.*
chroma, & harmonia, eum qui Muſicã adierit, gnarũ poëſeos, utentis his partibus, ſcien-
temq́; eſſe oportet, & compotem inſuper expreſſionis atq; interpretationis, quam herme
niam Græci uocant, ipſa poëmata referentis atq; proponẽtis. Primũ omniũ intelligendũ
eſt, quòd omnis diſciplina eorũ quæ Muſica cõtinentur, aſſuetudo quædam eſt, quæ nõ-
dum accepit id, cuius gratia ſingula quæ docentur, ipſi diſcenti ſint diſcenda. Deinde re-
putandum, quòd ad eiuſmodi inſtitutionẽ & perceptionẽ nondum adhibetur enumera-
tio troporũ. Quocirca pleriq; temerè diſcũt quodcunq; docenti aut diſcenti collibuit. At
nõ ita prudentes agunt: omnẽ enim hi temeritatẽ deprecantur atq; repellunt. quales pri-
ſci illi Lacedæmones, & Mantinenſes ac Pellenenſes fuere: nam quendam illi modũ unũ,
aut omnino paucos delectos ex omnibus, quos uidelicet ad caſtigatos ſeuerosq́; mores
pertinere exiſtimabant, admittentes & aſciſcentes, ipſa Muſica utebantur. Perſpicuũ au-
tem hoc fuerit, ſi quid quæq; ſcientia ſpectet & cõtempletur reputauerimus. Conſtat har
monicã generũ ipſius apti temperamenti uocum, quod Græci hermoſmenon appellant,
interuallorũ, complexionũ, quas ſyſtemata uocant, uocum, tonorũ, & mutationũ ipſarũ
complexionũ in ſe continere cognitionẽ: extra hæc ab harmonica nequicq; aliud petes,
nec ultra per ipſam progredieris: Quare nec ab ea poſtulanda erit poteſtas iudicandi, u-
trum poëta propriè atq; accõmodatè aſſumpſerit: quale in Muſicis diceremus hypodoriũ
tonum in principio, uel hypophrygium ac phrygium in medio, aut mixolydium ac do-
B rium in egreſſu: nihil huiuſmodi ſpectat ad rem harmonicã, multorumq́; aliorũ indiget,
ignorat enim uim proprij. Neq; uerò chromaticũ enharmoniũq́; genus ſecũ afferent hu-
ius proprij & accõmodati integram facultatẽ cognoſcendi, per quam conditi moduli mo
res appareant & eluceant: id enim eſt artificis munus. Latè itaq; patet, aliam complexio-
nis, aliam in cõplexione extructæ modulationis eſſe uocem, quæ exiſtimatio ad rem har
monicam nõ pertinet. Eadem eſt rhythmorum ratio: nullus enim rhythmus accedet cum *Rhythmorum*
abſoluta proprij & accõmodati poteſtate. Proprium autem hoc & accõmodatum, quod *ratio.*
ſæpe uſurpamus, certos quoſdam mores ſpectantes, id dicimus, quorum cauſam eſſe con
tendimus cõpoſitionem quandam, uel mixtionẽ, uel utrunq;. quale illud enharmonium
Olympi genus in phrygio tono poſitum, pæoni epibato mixtũ: hoc nanq; mores primor
dij in lege Palladis creauit. Adhibito enim modorũ rhythmorumq́; opificio, & perdextrè
atq; artificioſe ſolo rhythmo cõmutato, pro pæone uidelicet facto trochæo, enharmoniũ
conſtitit Olympi genus. Et quanq; enharmonium idem ipſum genus, phrygiusq́; tonus
manſerunt, nihilo ſecius uniuerſæ cõplexionis mores magnã mutationẽ acceperunt. Ete
nim quæ in lege Palladis harmonia uocatur, plurimum diſtat in moribus ab ipſo cõmuni
uſu, & uulgò exercitato. Si igitur Muſicæ perito acceſſerit uis iudicandi, haud dubiè is
erit in Muſica cõſummatus. Nam qui doricè ſcit abſq; ſciẽtia iudicandi, ipſi uſui eius quid
ſit accõmodatum, quid'ue ei conueniat, profectò quid agat ignorabit, neque etiam mo-
res tuebitur: quandoquidem inter ipſos dorios modulatores ambigitur, utrum facul-
tas harmonica, id quod aliqui opinanť, ſit diſcernendi potens dorios modos, an cõtrà. Ea
dem eſt ratio totius rhythmicæ ſcientiæ. Sciet aliquis pæonem, neſciet quid ſit accõmoda
tum ac proprium ipſi uſui eius, propterea quòd ſolam habeat ſolertiam ipſius pæonis in-
telligendi. Idem hoc ab ipſis pæonicorũ rhythmorũ cõditoribus dubitatur, num res rhy- *Ad cognoſcendũ*
thmica præſidium in ſe habeat, id quod nõnulli inquiũt, huiuſmodi dignoſcendi, an uſq; *quid proprium et*
eò nõ progrediatur. Duæ igitur minimũ intelligentiæ neceſſariæ illi ſunt, qui internoſci- *quid alienũ, duæ*
turus dijudicaturusq́; ſit, quid proprium, & quid alienum. Primùm quidem cognitio mo- *intelligentiæ ne-*
rum, quorũ cauſa cõpoſitio facta eſt: deinde earum rerum quibus ipſa cõpoſitio cõflatur. *ceſſariæ.*
Quòd itaq; nec harmonica, nec rhythmica, nec partium reliquarũ ulla, ipſa per ſe ſatis ui- *Aptum uocum*
rium habẽt ad cognoſcẽdos mores, & ad cætera iudicanda, hactenus dicta ſufficiãt. Cùm *temperamentum*
uerò tria ſint genera, in quæ aptum temperamentum uocum diuiditur, magnitudinibus *in tria genera di-*
uidi.

C complexionũ, & poteſtatibus uocum, pariter & tetrarchordorũ paria & æqua, in uno ſolo ueteres ſunt uerſati. Nam nec diatoni, nec chromatis ulla maiores noſtros cura inceſſit: uni tantùm enharmonio animũ ſtudiumq; applicuerunt, & eius quidem ipſius unicæ complexioni, quæ diapaſon uocatur: diſcrepabant enim de chromate, cõſentiebant propè omnes unam ſolamq; eſſe harmoniã. Haud igitur quiſquã peruidebit cuncta in re harmonica cõtenta, & circa ipſam uerſantia, qui ad eius unius nudam intelligentiam proceſſerit, ſed latiſsimè patet opus eſſe reliquis facultatibus cognitis, & uniuerſo atque integro corpore Muſicæ, mixtionibus item & cõpoſitionibus partiũ. Solus purusq; harmonicus quodam modo circunſcriptus eſt. Vt autem abſolutè ſummatimq; dicamus, cõcurrere oportet ſenſum atq; rationem in partibus Muſicę iudicandis, ut neque præueniant ſenſus, quod citi & præproperi faciunt: neq; ſequantur, quod tardi & pigri. Venire tamen uſu ſolet ſenſibus nõnullis propter naturalem quandam inæqualitatẽ, ut modò pręcurrant, modò tardent. Quare circuncidenda ſuperuacua illa à ſenſibus ſunt, dandaq; opera eſt ut ſimul cum ratione gradiantur. Nam ſemper eſt neceſſariũ tria minima eſſe quæ in auditum cadant, uocem, tempus, & ſyllabam ſiue literam. Sic enim fiet ut ab itinere uocis apta eius temperatio, à temporibus rhythmus, à ſyllaba literáue id quod dicitur cognoſcat. Quòd ſi pariter progrediantur, illationem ſenſus fieri neceſſe eſt. Conſtat enimuerò & illud, ſi ſenſus ſeparare & diſtinguere ſingula quæ dicuntur, nequeat, futurum ut neq; aſſequi ſingula, neque erratum in ſingulis, nec contrà rectum contueri poſsit. Primũ igitur de continuitate atq; perpetuitate ſciendum eſt, perpetuum, continens, & cohærens, iudicanti ui adeſſe oportere, propterea quòd rectè ac ſecus nõ in ſegregatis diſiunctisq; uocibus, aut temporibus aut literis, ſed in continuis & cohærentibus creatur, quoniam mixtio in ipſo uſu quædam eſt partium per ſe incompoſitarũ. De conſecutione hactenus. Deinde conſiderandum eſt, eos qui Muſicæ ſcientiam habent, non ſatis in ſe opis ad facultatẽ iudicandi habere. Haud enim fieri poteſt, quenq; unum conſummatũ Muſicum, & iudicandi potentem, ex ipſis quæ totius eſſe Muſicæ partes uidentur, euadere poſſe, ex peritia uidelicet ea quæ circa inſtrumenta, quæq; in cantu uerſatur, atque inſuper ab exercitatione ſenſuum: illa, inquam, quæ ad intelligentiam aptæ uocũ atq; rhythmorũ temperationis pertinet, ac præterea ex ipſa harmonica rhythmicaq; facultate, & ex perſpicientia atq; ſolertia, quæ in pulſibus atq; dictionibus adhibet, & ſi quæ aliæ reliquæ ſunt Muſicæ partes.

In partibus Muſicæ iudicãdis neceſſum eſt ut ſenſus unà cum ratione gradiãtur.

D Quibus autem de cauſis eueniat, ut apti ad iudicandum cognitione & intelligentia omnium earum partiũ eſſe nequeamus, annitemur proponere. Primũ, quoniam ea quæ nobis iudicanda ſubijciuntur, alia perfecta ſunt, imperfecta alia. Perfecta, ut quodq; poëma, id uidelicet quod cantatur, aut quod tibiarum fidiúmue ſono redditur, & cuiuſq; ἑρμηνεία, quam expreſsionem & actum dicimus, ut ipſa tibiæ ſonatio, aut cantatio, cæteraq; id genus. Imperfecta uerò, quæ ad ea pertinent & ſpectant, & eorum gratia fiunt. Huiuſmodi nanque expreſsionis partes ſunt. Deinde uerò ex poëſi: eodem enim modo & ipſa ſe habet. Dijudicarit enim aliquis qui audit tibicinem, utrum tandem cõſonent tibiæ, aut nõ: & an loquendi proprietas clara ſit, aut contrà. Hæc autẽ ſingula partes expreſsionis ſunt, & haud ipſæ quidem finis ſunt, ſed finem ipſum ſpectant, & propter finem petuntur. Horum itaq; atq; huiuſmodi omniũ opibus, iudiciũ de moribus ipſius expreſsionis fiet, utrũ proprij & accõmodati propoſito poëmati aſsignentur, & reddantur ab eo mores, qui ipſum tractandum & exprimendũ ſiue interpretandum deſumpſit. Eadem ratio eſt in affectibus qui à poëtica in poematis ſignificantur. Morũ ſiquidem magna erat ueteribus cura, & propterea ſeueritas, ac minimè curioſum priſcæ Muſicæ, in præcipuo honore habebantur. Grauiter olim uindicaſſe Argiuos præuaricationem Muſicæ indicta pœna, & in eum animaduertiſſe, qui ſeptem plus fidibus apud eos uti, & mixolydire primus aggreſſus foret, proditum eſt. Vir ille ſeuerus & uerendus Pythagoras, abrogabat iudicium in Muſica à ſenſibus petitum. Mentem enim ſubtilem, eius iudicij uirtutẽ eſſe dicebat. Atq; idcirco nõ auditu, ſed harmonia in rationũ pro rata parte comparatione conſtituta iudicabat, cenſebatq; ſatis eſſe uſq; ad diapaſon ſiſtere Muſicæ conſiderationẽ. At uerò Muſici noſtri temporis pulcherrimũ omniũ, maximeq; decorũ genus, quod ueteres propter maieſtatem grauitatemq; ipſius colebant, penitus repudiarunt, adeò ut ne qualiſcunque perceptio curaq; ſit pleriſq; enharmoniorũ interuallorũ, tantaq; ignauia atq; ſocordia inuaſit eos, ut dieſin enharmoniã ne ſpeciem quidem omnino cadentium ſub ſenſum præbere putent, ipſamq; de canticis atq; modulaminibus exterminent, & ijſſe in nugas eos, apud quos in aliqua fuerit exiſtimatione, quiq; hoc genere ſint uſi, dicere non uereantur.

Morũ quondam magna cura.

Ad quam

A Ad quam eorum cõfirmandã ſententiã ualidiſsimum eſſe argumentũ ſtuporem ſenſuum ſuorum arbitrantur, quaſi quod fugiat eos, id in ratione rerum eſſe, aut in uſum ullum uenire nequeat: ac, ſi dijs placet, negant magnitudinẽ illam poſſe recipi in conſonantiã, uti ſemitoniũ, & tonus, & reliqua huiuſmodi interuallorũ recipiuntur. Quæ quum dicunt, non animaduerterunt, tertiam, quintam, ac ſeptimam ſeſe magnitudinẽ, cæca ignorantia ducti, tollere: quarũ alia triũ, alia quinq;, ſeptẽ alia ſunt dieſeôn: atq; omnino omnia interualla imparia tanq; inutilia reprobant, ut quæ ſumi inconſonantiã nequeãt. Ea nanq; omnia ſunt, quęcunque minima dieſis impariter metitur. Vnde neceſſario conſequitur, nullam tetrachordicã partitionem utilem eſſe, pręter illam unam, per quam contigit paribus omnibus uti interuallis: ea eſt ſyntoni & diatoni, ac toni chromatis. Quæ oratio atq; exiſtimatio hominũ eſt non modò aduerſantium ijs rebus quæ ſenſibus ſunt perſpicuæ, uerumetiam pugnantiũ ſecum: quandoquidẽ talibus ipſi tetrachordorũ diuiſionibus utuntur, in quibus pars plurima interuallorum aut impar eſt, aut inſtar, uicemq; imparis ſuſtinet. Molliunt enim ſemper lichanos & paranetas. Iam uerò & aliquas de ſtantibus uoces remittũt temerario quodam & experte rationis interuallo, ad eas relaxantes ac remittentes ipſas tritas ac paranetas. Atq; huiuſmodi uſum complexionum maximè probari cenſent, in quo uſu pleraq; interualla à ratione ſunt auerſa, uocibus non modò quas natura moueri uoluit, uerumetiam nõnullis earum, quibus eadem natura motum negauit laceſſitis: id quod latè patet apud eos, quibus talis exiſtimatio, intelligendiq; facultas eſt conceſſa. Vſum autẽ conſentaneũ uiro forti bonus Homerus docuit: demonſtrans enim multifariam utilem Muſicam eſſe, Achillem fecit digerentem & coquentem Muſica iram in Agamemnonem concitatam, quam Muſicam à ſapientiſsimo Chirone didicerat:

Muſices uſus uiro forti conſentaneus.

Hunc inuenerunt mulcentem pectora dulci
Formoſaq; lyra, multo quæ uincta nitebat
Argento, ſpolium euerſa Hectionos ab urbe.
Hac ſe oblectabat, clarorum facta uirorum
Priſca canens, uſus iuuenis Chirone magiſtro.

B Diſce, inquit Homerus, quo pacto Muſica ſit utendum. Decebat enim Achillem, iuſtiſsimi filium Pelei, clarorum uirorũ laudes, & heroum facta canere. Docens præterea utendæ eius opportunũ tempus, reperit exercitiũ utile atq; iucundum ocioſo, & negocijs uacuo uiro. Nam cùm bellator Achilles eſſet, & ad res gerendas natus, ob iram illi cum Agamemnone intercedentem, prælia detrectabat. Igitur Homerus exiſtimauit decere & conſentaneum eſſe, animos herois acui ſeueris atq; decoris cantibus, ut reuocatis ad memoriam fortibus factis clarorũ hominũ, inſtructus atq; paratus ad dimicandũ cum hoſtibus foret, quod mox facturus erat. Talis nanq; erat priſca Muſica, & ad id conferens. Audimus quoq; ipſum Herculem uſum Muſica fuiſſe, & Achillem, plurimoſq; alios, quorum eruditor ſapientiſsimus ille Chiron traditur fuiſſe, Muſicæ ſimul & iuſtitiæ, atq; medicinæ doctor. Summatim autẽ ut dicam, mentis atq; prudentiæ uir compos, nõ ſcientijs crimini dabit, ſi quis perperàm, nec ritè illis utetur, ſed fraudi ac uitio male utentium adſcribet. Quare igitur qui capeſſendæ Muſicæ diſciplinæ, adhibita decenti cura & cõuenienti ſtudio, operam & laborem in puerili ætate conſumpſerit, is quod decorũ honeſtumq; eſt laudabit & amplectetur; contrariumq; uituperabit ac fugiet, uacabitq; uir talis omni indecora & turpi actione, & perceptis uberrimis à Muſica fructibus, afferet & ſibi & reipublicæ magna cõmoda, nulla nec actione, nec oratione utetur incompoſita & inconcinna, decorum omni tempore & loco, & modeſtiam atq; uerecundiam ſeruabit. Quòd igitur in bene conſtitutis rebuſpub. ingens cura ac ſtudium generoſæ Muſicæ tuendæ fuerit, teſtimonia multa alia afferre poſſemus, uerùm his in pręſentia contenti erimus. Terpander ſeditionẽ quæ Lacedæmonios uexabat, Muſica ſuſtulit. Thaletem Cretenſem ſorte quadam à Pythio edita, adijſſe Lacedæmonios, cosq; peſtilentia utentem ope Muſica liberaſſe, autor eſt Pratinas. Ipſe quoq; Homerus cantu & Muſica, ui peſtilentiæ fuiſſe leuatos Græcos canit, ſic inquiens:

Muſicæ cognitionis uſus atq; utilitas.

Argiui iuuenes placabant carmine Phœbum,
Per luces totas pulchrum pæana canentes,
Pugnantemq; procul dicebant, pectora diui
Mollibant cantus, & gaudia pertentabant.

Hos uerſus, optime magiſter, tanq; apicem Muſicæ laudum, terminumq; orationis meæ uelut ingentẽ molem de Muſica habitæ, poſui: nam & ipſe uires poteſtatemq; ipſius hiſce

C uerſibus demonſtrare nobis occupaſti. Clariſsimũ profectò ac princeps ipſius opus eſt, gratiſsima erga deos penſatio. Inſequens & ſecundum, purgatio animi, & concinna, apta & congruens conſtitutio ſyſtemaq́; quam nos complexionẽ diximus. Hæc fatus Sotetichus, Habes poculares ſermones, bone magiſter, inquit. Admirationi habita eſt oratio Soterichi, & apparebat in ore ipſius, atq; uoce dicẽtis, Muſicæ ſtudiũ. Tum doctor meus: Cùm cętera omnia, inquit, tum illud in primis in utroq; ueſtrûm probo ac laudo, quòd ordinem quiſq; ſuum decorumq́; ſeruauit. Nam quę citharœdũ ſcire manibus utentẽ & opere cõſentaneũ erat, ijs nobis epulas Lyſias cõdiuit. Quæcunq; uerò ad utilitatẽ ac ſpeculationẽ, imò etiã poteſtatẽ, uſumq́; Muſicæ ſpectabãt docens Soterichus, apparatiſsimis inſtructiſsimisq; nos dapibus accepit. Illud uerò arbitror eos cõſultò ac ſpontè reliquiſſe mihi: neq; enim damnabo timiditatis, quaſi ueritos, ne Muſicã uelut in comeſſationis por-

Muſica cõuiuijs potiſsimum adhibenda. tionẽ alienã rapere uiderent. Iam uerò ſicubi utilis conferensq; eſt Muſica, in cõuiuijs potiſsimũ eius utilitas apparet & exiſtit, bonusq; id Homerus declarauit, cantũ quodã loco ac ſaltationẽ inquiens conuiuio dedicata & cõſecrata eſſe. Nemo tamen ſuſpicetur ad oblectandum modò Muſicam utilem eſſe Homerum exiſtimaſſe: latet enim in carminibus ipſius altior & profunda quædam intelligentia: in occaſiones nanque, cœnas inquam, & hilares ueterum conſuetudines, pro ſummo atque perutili auxilio Muſicam recipiebat. Introduci enim Muſicam in epulis optimum eſſe, ut noſter Ariſtoxenus refert, tanquam potentem reuellendi ac mitigandi feruidam uini uim. Dicere enim uir ille ſolebat, adhiberi eam ad conuiuia, quòd quum ſæpe merum plus æquo hauſtum mentem & corpus fallere conſueſcat haurientium, circunſtans Muſica ordine & menſura rata atq; mediocri reuocaret eos ad niſum ſtatumq́; contrarium, & adhiberet modum, & in tranquillitate atque conſtantia pacatum animum contineret. Homerus itaq; priſcos ad eas occaſiones Muſica fuiſſe uſos cecinit. Iam uerò amici, quod ſummum omnium eſt, quodq́; maximè uerendam eſſe Muſicam declarat, prætermiſſum eſt à uobis. Rerum enim omnium motiones, aſtrorumq́; cõuerſiones, Pythagoras, Archytas, Plato & reliqui ueteres philoſophantes, nec fieri nec conſiſtere poſſe abſq; Muſica prędicarunt: omnia nanq; opificem deum cum

D harmonia fabricaſſe contendunt. Sed alieno tempore hac de re à me prolata eſſet oratio. Supremum autem, & muſicum in primis eſto, adhibere cunctis rebus debitam & congruentem menſuram & modum. Hęc quum dixiſſet pæanem cecinit, & Saturno liberisq; ipſius & Muſis operatus, conuiuas dimiſit.

Plutarchi de differentia inter odium & inuidiam liber.

NICOLAO PEROTTO INTERPRETE.

NIHIL ferè ab odio differre inuidia, ſed idem eſſe planè uidetur. Vitia enim multitudini hamorũ ſimilia ſunt: quæ ſi cum pendentibus ex ipſis affectibus huc atq; illuc moueantur, pluribus inter ſe nodis atq; implicationibus connectuntur. Ipſæ uerò quemadmodũ in ægritudinib. accidit, aliæ ob aliarum dolorem cruciantur. Felix enim tam eum qui odia gerit, quàm inuidum torquet. Idcirco beneuolentiam utriq; oppoſitam putamus: nihil enim eſt aliud, quàm bonorũ erga proximũ uo-

Beneuolentia quid. luntas. Odiũ uerò atq; inuidiam eoſdem animi affectus eſſe, quippe qui cõtrariã beneuolentiæ optionem habent. Sed quandò non æquè idem ſimilitudines, ut differentiæ diuerſum faciũt, iuxta has perſcrutemur indagemusq́; ab ipſa horũ affectuũ generatione exor-

Odium ex opinione naſcitur. dium ſumentes. Naſcitur itaq; odium ex opinione quam habemus, quòd is quẽ odimus, malus ſit aut in uniuerſum, aut quantum ad nos attinet. Quum enim fieri ſibi iniuriam nonnulli putant, ad gerenda odia promptiores reddunt. Sed & aliàs inferentes iniuriã, & malos homines oderunt, & iniquo animo ferunt. Inuident uerò his duntaxat, qui feliciter uiuere uidentur. Quapropter inuidia quidem indeterminata eſt, perinde atq; lippitudo oculorum, quæ ad omnẽ ſplendorẽ turbatur. Odium uerò certis clauditur terminis, cùm ſemper in aliquibus ſubiectis permaneat. Pręterea odium eſt etiam erga animalia ratione carentia. Feles enim cantharidesq; nonnulli oderunt, & rubetas & ſerpentes. Germanicus uerò neq; galli uocem audire, neq; gallum aſpicere poterat. At Perſarum Magi mures interficie-

A interficiebant, tum quia illos oderant, tum quòd dijs immortalibus eius generis animal moleſtum eſſe arbitrabantur: quod Arabes quoq; & Aethiopes faciunt. Inuidia uerò dun taxat hominis, & erga hominē eſt: neq; enim inuidere inter ſe feræ poſſunt, cùm nullum de felicitate alterius iudiciū habeant, neq; gloria aut dedecore moueantur, quibus rebus inuidia augeri maximè ſolet. Odium uerò & inimicitias inuicem exercent, pugnantq; inter ſeſe, quaſi aduerſus quoſdam infidos. Aquilæ enim dracones'q; inter ſe pugnant, cornices & noctuæ, ægithalli & achantyllides, quorū nec cruor quidem, cùm interfecti fuerint, cōmiſceri poteſt: quòd ſi fortè miſcueris, rurſus diffluit ſeparaturq;. Credibile uerò eſt, & maximum illud, tam leonis in gallum, quàm elephanti in aprum odium, ex timore natum eſſe. Quod enim timent, facilè oderūt omnes. Hoc igitur inter odium inuidiamq; uidetur intereſſe, quòd illud in brutorum etiam natura comperiatur, hæc humanū genus non excedat. Ad id accedit, quod iuſtè inuidere nemo quiſquam poteſt. Neque enim felicitate ſua quiſpiam iniurius eſt, & tamen inuidioſus eſt. Odio uerò complures iuſtè habentur, ſicut hi quos odio dignos appellamus, qui neq; malorum conſuetudinem fugiūt, neq; abominantur, neq; iniquo animo ferunt. Magnum uerò huius rei argumentum eſt, quòd nonnulli odio ſe habere quamplurimos fatentur, inuidere ſe alicui negarent. Odiū enim malorum laudabile eſt. Idcirco fratris Lycurgi filium Charillum, Spartæ præfectū, probum & clementē uirum laudantibus quibuſdam, collega eius, Et quo modo, inquit, probus eſt Charillus, cùm ne in malos quidem ſit acerbus? Therſitæ quidem turpitudinē corporis uariè ac multifariam poëta deſcripſit, peruerſitatem uerò morum breuiter, & ſere uno uerbo concluſit:

Odium inter bruta.

Laudi datur odiſſe malos.

Odit & hunc magnus Pelides, odit Vlyſſes.

Maximus enim peruerſitatis cumulus eſt, optimis uiris inimicū eſſe. Atqui inuidere ſe omnes negant. Quòd ſi quis id eis oſtendere conetur, mille excuſationes adferunt, iratos ſe eſſe, aut metuere hominē, aut odiſſe dicentes, aut alia quauis ratione huius affectionis nomen obumbrantes ac tegentes, quaſi hæc ſola animi ægritudo celanda ſit. Neceſſe eſt igitur huiuſmodi ægritudines, ſicuti plantas, ijſdem & nutriri & coaleſcere: ſed & aliæ a-
B lijs facillimè accedunt. Oderunt itaq; quenq; maximè, ut maximè proficere in uitijs cernunt. His uerò magis inuidēt, quos ad uirtutē rectiore tramite prodeuntes intuent. Quo circa Themiſtocles cùm adhuc adoleſcens eſſet, nihil ſplendidum à ſe fieri dicebat: neminem enim adhuc ſe inuidum habere. Etenim quemadmodū cantharides lætioribus frumentis, & uiridioribus roſis maximè inhærent, ita inuidia eos præcipuè tangit qui boni ſunt, quiq; ad uirtutem gloriamq; graſſari uidentur. Rurſus magnitudo uitiorū odium auget. Idcirco calumniatores Socratis, utpote qui ad uitiorū culmen peruenerant, adeò oderunt uiri Athenienſes, auerſatiq; ſunt, ut neq; eis ignem accendere, nec quærentibus reſpōdere, nec qua illi ſeſe abluiſſent aqua uti uoluerint, ſed eam perinde ac ſceleratā effundi iuſſerint, donec illi cùm perpeti odium amplius nō poſſent, ſuſpendio uitam amiſerūt. Felicitatis uerò magnitudo ac ſplendor ſæpenumero inuidiam extinguit. Neq; enim credibile eſt, Alexandro aut Cyro inuidere quempiam imperitantibus, & cunctorū iam dominis. Sed quemadmodū ſol eius umbram, ſupra cuius caput adſtiterit, ſuis aſpergens radijs, aut prorſus extinguit, aut longè minorem reddit: ita felicitas, cùm magnam nacta altitudinem fuerit, & ſupra inuidiæ caput ſplendorem ſuum ſparſerit, eam attenuat expellitq;. Inimicorum autem amplitudo ac potentia odium haudquaquā minuit. Ideoq; Alexander inuidum quidem habuit neminem, oſores uerò complures, à quibus tandem per inſidias interfectus eſt. Simili modo infelicitas inuidos quidem compeſcit, inimicitias uerò non tollit. Oderunt enim etiam hoſtes ad extremā redactos calamitatem. At nemo eſt qui miſeris inuideat. Idcirco illud à quodam è noſtris Sophiſtis non ſine ratione dictum: Inuidos homines libenter cōmiſereri. Quapropter hanc quoq; non paruam horum affectuum differentiam eſſe arbitramur, quòd odium neq; felices, neq; infortunatos deſerit: inuidia ob utrunq; exceſſum facilè cōminuitur. Iam uerò ex cōtrarijs potius idipſum cōſideremus. Diſſoluūt profectò inimicitias odiumq;, ſi aut ſibi perſuaſerint nulla ſeſe iniuria affectos eſſe, aut quos uti malos oderant, bonos cōpererint, aut tertiò beneficijs placati fuerint. Extrema enim gratia, ut Thucydides inquit, etſi minor ſit, opportunū tamen nacta tempus, maiorē interdum iniuriā diſſoluit. Horū uerò primū inuidiā certè nō minuit: quālibet enim à principio ſibi perſuadeant nullā ſibi iniuriā inferri, nō tamen à liuore abſtinent: nam reliqua augent potius inuidiā. His enim inuident magis qui boni uidentur, tanq; ſummū bonū uirtutē conſecutis. Quòd ſi qua à felicibus beneficia accipiāt, dolent,

Inuidia uirtuti comes.

Miſeris inuidet nemo.

C illis tum ob uoluntatē, tum ob potentiā inuidentes: illud enim uirtutis eſt, hoc felicitatis, utrunq; bonū. Quapropter odium & inuidia omnino diuerſi affectus ſunt: ſiquidē his rebus illud ceſſat, hæc autem torquetur & creſcit. Iam uerò ipſam utriuſq; affectus electionem conſideremus. Habentis enim odium eſt, obeſſe uelle: etenim potentiam eius ita definiunt, diſpoſitionē quandam, ac curioſam malè agendi uoluntatē. Ab inuidia uerò hoc abeſt. Neq; enim inuidi multos è propinquis ac domeſticis ſuis perire uellent, neq; ad extremam miſeriā redigi, ſed felicitatē eorum graui animo ferūt, prohibentq́;, ſi poſſunt, eorum gloriā ac ſplendorē, extremā uerò calamitatem nō optant, ſed ſi perinde ac ex altiſsimis ædibus, eam partē quæ ſuas obſcuriores reddit depoſuerint, bene ſecū agi exiſtimāt.

Odij & inuidiæ diſcrimen.

Plutarchi de uirtutibus mulierum liber.

ALAMANO RAINVTIO FLORENTINO INTERP.

COGITANTI mihi de mulierum uirtutibus, longè ab opinione Thucydidis eſt aliena ſententia. Is enim optimam eſſe cenſet, de cuius laude aut uituperatione quàm minimus apud exteros ſermo habeatur, exiſtimans probæ mulieris nomen itidem atque corpus, domeſticis parietibus contineri oportere. Mihi uerò probabilius dixiſſe uiſus eſt Leontinus Gorgias, qui putat mulieris non formam, ſed egregium nomen atq; famam debere apud quàm plurimos eſſe uulgatam. Quocirca peregregie lex apud Romanos inſtituta ſeſe habere uidetur, quæ non minus probarum mulierum, quàm uirorū funera publicè meritis laudationibus celebrari permittit. Hanc nos ferè conſuetudinem nuper imitati, poſt Leontidis præſtantiſsimæ mulieris interitum de uirtutibus eius longam ſanè tecum orationem habuimus, non expertem, ut mihi tunc uiſum eſt, philoſophicæ conſolationis. Et nunc hiſtoriam ad te mittimus, quaſi perorationē quandam tecum inſtituti ſermonis futuram, quam cōmodè orationi illi, ſi libeat, annectere poſsis: plurimū enim confert ad id quod oſtendere nitebamur probandum, unam ſcilicet atq; eandem eſſe uirorum mulierumq́; uirtutem. Non uoluptatis tantùm gratia hæc à me excogitata fuiſſe exiſtimes uelim: quòd ſi quid etiam probationi uoluptatis aut iucunditatis inſit, ab ipſa exemplorum uarietate proueniens, non minus tamen ob idipſum probationis, quàm oſtendimus, uim retinere noſtra uideri debebit oratio, preſertim cùm ad faciendam fidem non parum ſermonis gratia atq; iucunditas adiumenti afferre ſoleat. Nec ſanè erubeſcere debet Gratijs Muſas coniungens oratio, cùm & ipſa coniunctio pulcherrima ſit, ut inquit Euripides, & facilè audientium animos ob iucunditatem ad credendum alliciat. Si enim eandem in uiro mulиereq́; pingenda artem eſſe probare uolens, præclaras ab Apelle, aut Zeuſi, aut Nicomacho mulierem depictas imagines proferam, quis iure mihi ſuccenſeat, tanquam uoluptatem potius atq; inanem gratiam, quàm eius quod inſtituiſſem probationē inquirenti? Quòd ſi poëticam facultatem non aliam in uiris atq; in mulieribus eſſe libeat oſtendere, atq; ob hoc Sapphos carmina cum Anacreontis uerſibus conferam, aut Bacidis rurſus atq; Sibyllæ reſponſa ſimul comparem, iure ne quiſquam hoc demōſtrandi genus accuſabit, ſi etiam oblectatione quadam & uoluptate delinitum auditorem ad credendum inducat? Atqui non aliter magis muliebris fortitudinis, & eius quæ uirum decet, ſimilitudinem differentiamq́; internoſcere quiſquam poterit, quàm ſi uirorum mulierumq́; uitas ac res geſtas, tanq; egregiæ cuiuſdam artis opera in unum collatas intueatur, eundém ne charactêrem & formam habeat reginæ Semiramidis ac Seſoſtris regis magnificentia, aut Tanaquilis & Seruij aſtutia, uel Porciæ Brutiq́;, aut rurſus Pelopidæ Timocliæq; prudentia. Nam uirtutes ipſæ differentias aliquas, ac ueluti colores proprios quoſdam ex illorū quibus inſunt natura ſumere uidentur, & eorundem corporibus adæquari, diuerſitatemq́; nōnullam pro illorum nutritione atq; exercitatione ſuſcipere. Aliter enim Achillem, aliter Aiacem fortes extitiſſe putandum eſt: neq; eandem Neſtoris & Vlyſsis fuiſſe prudentiā, nec pari modo Ageſilaum & Catonem iuſtos fuiſſe: ſed nec Irenam uiri ſtudioſam, ut Alceſten, nec ita Corneliam ut Olympiadem magnanimā extitiſſe credendum. Nec tamen idcirco diuerſas eſſe prudentias, aut iuſtitias, aut fortitudines dicemus, ſed ſolùm ratione quadam propria, & ſingulorū quibus inſunt inæqualitate differre ipſas cenſebimus. Quæ igitur mulierum geſta uulgatiſsima ſunt, quæq; te ex aliorum libris cognoſcere potuiſſe arbitror, prætermittam, atq; ea duntaxat

Non formā, ſed famam mulieris cognitā eſſe decet.

D

Virorum mulierumq; una atq; eadem uirtus.

Virtutes ſibi differentias aſſumere ex corporibus quibus inſunt.

referam,

A referam, quæ cùm ſint memoratu digna, hiſtoriarum ſcriptores, cõmunia tantùm atq; omnibus manifeſta ſcribentes, latuiſſe conſtabit. Sed quoniã multa cõmuniter à mulieribus quibuſdam, pleraq; à ſingulis priuatim egregiè facta fuiſſe comperimus, nõ abſurdum fore uidetur, prius quæ communiter à nonnullis geſta ſunt, literis mandare.

TROADES. I.

CApta atq; euerſa iam Troia, cùm plurimi hoſtiles manus, atq; urbis incendium euaſiſſent, pleriq; aduerſa tempeſtate iactati, & ex imperitia nauigandi cõpulſi, eam Italiæ partem qua Tyberis fluuius mare ingreditur, tenuere: inde fluminis oſtia nauibus ingreſsi, repentè ad cõmeatus, quorum penuria laborabant, comparandos paſsim diſcurrẽre. Interea mulieribus apud naues relictis, cogitatio primũ, deinde etiam ſermo exoritur, fore ut bene rectéq; ſibi ac ſuis uiris conſulant, ſi quem aliquando longis erroribus nauigationíq; finem poſuerint, & patriam ſibi tandem aliquam cõſtituerint: quandoquidem propriam ſemel amiſſam non iam amplius ualeant recuperare. His inter ſe non longè admodum pertractatis, unà omnes conſpiratione facta nauigia cuncta incenderunt, principio ab earum una exorto, cui Rhomæ nomen fuiſſe perhibetur. His peractis quum uiri auxilij ferendi cauſa citato curſu ad naues contenderent, mulieres uenientibus obuiam proceſſere, atq; illorum formidantes iracundiam, aliæ parentes, aliæ uiros oſculabantur, itaq; nouo inſuetóq; humanitatis genere facilè uirorum iracundiam placauerunt. Atque inde ad hodiernũ uſq; diem apud Romanas mulieres permanet conſuetudo, ut oſculando ſalutent eos qui ſibi aliquo affinitatis gradu cõiuncti ſunt. Nam Troiani manendi neceſsitatem conſpicati, & ſimul indigenarum erga ſe beneuolentia cõmoti, libenti animo quod à mulieribus geſtum fuerat exceperunt, ibíq; errandi fine conſtituto, unà cum Latinis habitauere.

Troianæ mulieres nauigia incendunt.

PHOCENSES. II.

AT uerò Phocenſium mulierum facinus quanq; hactenus ſatis digno ſcriptore caruerit, neſcio tamen an muliebris uirtutis teſtimonium aliorum omnium pręclariſsimũ ſit exiſtimandũ, cuius cùm in ſacris, quæ ad hodiernũ etiam diem apud Hyampolin Pho-

B cenſes peragũt, tum etiam publicis literarũ monumentis memoria celebratur, ut plenius eſt in Daiphanti uita explicatum. Quod uerò ad mulieres attinet, huiuſmodi fuiſſe perhibetur. Odium erat bellumq; inter Phocenſes ac Theſſalos inexpiabile, cùm Phocenſes Theſſalorum magiſtratus ac præfectos omnes, qui in ſuis urbibus erant, ſtatuta die ad unum interfeciſſent. Qua indignatione cõmoti Theſſali, CCL. Phocenſium obſides, quos apud ſe habebãt, iugulauerũt. Deinde coacto exercitu aduerſus eoſdem per Locros profecturi publicè decreuerũt, ut capta urbe nemini omnino puberi parceretur, mulieres autem pueríq; omnes uenundarent. Daiphantus autẽ Bathyllij filius, qui cum duobus collegis ſummæ rei Phocenſium præerat, ſuis ciuibus perſuaſit, ut ipſi quidem copijs quàm poſſent maximis in hoſtes proficiſcerentur, mulieres autẽ atq; omnẽ puerorum imbellem turbam è tota ciuitate in unum coactam, in ſecretiorem quandam ciuitatis partem deducerent, eodemq; loco multum lignorum ſtipulæq; congererent, & aliquot apud eas relictis cuſtodibus iuberent, ut ſi ſe bello ſuperatos ab hoſtibus audiſſent, tum ſubitò incenſa materia mulieres omnes puerosq; cremarent. Cùm cæteri Daiphanto aſſentirentur, quidam è media concione aſſurgens, placere ſibi conſilium inquit, attamen æquum eſſe cenſere, mulierũ quoq; ſuper ea re ſententiam ſciſcitari, atq; ita conſilio huiuſmodi utendum, ſi ipſæ quoq; decretum illud cõprobaſſent: ſin minus, incolumes illas, & ſui iuris dimittendas, neq; ullam omnino uim moriendi afferendam eſſe cenſere. Hac itaq; oratione apud mulieres uulgata, ipſæ prius inter ſe conuentu peracto, Daiphanti ſententiam comprobarunt, illius uirtutem ac prudentiam laudantes, quòd omniũ optimè & ciuitati, & earum ſaluti cõſuluiſſet. Hoc idem quoq; pueros ſeorſum cõgregatos decreuiſſe tradunt. His peractis Phocenſes apud Cleonas Hyampolis ciuitatẽ Theſſalis congreſsi, illos ingenti pugna ſuperarunt, atq; in eius uictoriæ gratiam, Dianæ ſacra omniũ maxima in hodiernum uſq; diem faciunt, ipſa Elaphebolia nuncupantes. At uerò decretũ hoc, Phocenſium deſperationem Græci uocarunt.

Conſilium Daiphanti crudele.

CHIAE. III.

LEuconiam urbem Chios incoluiſſe ob huiuſmodi cauſam traditũ eſt. Nam cùm è prima Chiorum nobilitate adoleſcens acceptam uxorem domum, ut moris erat, curru traduceret, Hippoclus rex ſumma familiaritate ſponſo coniunctus, unà cum cæteris adoleſcentibus pompæ celebritatiq; intererat. Cumq; uino ac iocis incaluiſſet, in currum quo

C ſponſa uehebatur inſiluit, nullam ſanè uim allaturus, ſed ludendi tanq̃ licentia immoderatius abutens. Tum qui aderant ſponſi familiares atq; affines, ne qua uirgini afferret contumelia metuentes, facto impetu regem obtruncarunt. Poſt hæc deorum ira uarijs peſtibus agitati, cùm ex oraculis finem malorum implorarent, nõ aliter quàm Hippocli interfectoribus occiſis placari deos poſſe, reſponſum accepere. Quo audito, ciues ferè uniuerſi regem à ſe interfectũ eſſe conclamarunt. Rurſus igitur omnes ex urbe migrare Deus iuſſit, qui facto aſſentientes eius cędis fuiſſe participes faterentur. Aequè enim facinori uidetur obnoxius qui auxilium præſtat agenti, & qui perpetratum facinus quaſi iure factum collaudat. Igitur qui urbe excedere cogebantur, cùm & uiribus & multitudine plurimum poſſent, Leuconiam occuparunt, quam ſibi dudum per uim ablatam, per id temporis Erythrenſium opera & auxilio recuperatã, Coronenſes poſsidebant. Verùm non multò pòſt Coronenſes iterum auxilio Erythrenſium implorato, qui plurimũ inter omnes Iones uiribus poterant, ob recuperandam Leuconiam Chijs, qui eam occupauerant, bellum intulere. Quorum uiribus cùm obſiſtere Chij nequaq̃ poſſent, his conditionibus deditionem fecere, ut ſibi cum chlamyde & ſingulis tantùm ueſtimentis, urbem egredi liceret. Quo audito, Chiorum mulieres grauiſsimè uiros accuſabant, quòd relictis armis nudos ſeſe armatis hoſtibus credere ſtatuiſſent. Cumq́; illi iureiurando obſtrictos non amplius decernendi compotes eſſe dicerent, mulieres arma nequaq̃ eſſe dimittenda ſuaſerunt, præſertim cùm & datæ fidei, & ſaluti ſuæ rectè conſulere poſſent, ſi dicant hoſtibus, haſtam pro tunica, & clypeum pro chlamyde uiris fortibus eſſe. Harum conſilijs uiri aſſentientes, ſtatuta ad profectionẽ die armati ſubitò in medios Erythrenſes prodiere: quorum illi audacia perterriti, cùm egregiè inſtitutos, atq; ad omnia paratos conſpicerent, neq; illorũ iter demorari, nec aduerſus eos procedere auſi ſunt, bene ſecum agi putantes, ſi illi cætera omnia relinquentes diſcederent. Ita mulierum præceptis uiri audaciã edocti, ſalutẽ ſibi ſuiſq́; pepererunt. Nec ſanè minoris uirtutis argumentum poſteris temporibus Chiæ mulieres præbuerunt. Cùm enim Philippus Demetrij filius Chiorum urbe obſeſſa, ut famulos qui intus erant ad defectionem compelleret, edictum barbarum ſanè, atq; omni ſuperbia plenum, præcones ſuos pronunciare iuſsiſſet, quo famulis omnibus, quicunq; ad ſe defeciſſent, libertatem, ac matronæ, quam ſibi quiſq; delegiſſet, coniugium daturum pollicebatur, exiſtimãs ſingulos eam quæ domini fuerat uxor expetituros: hoc audito mulieres ira atq; indignatione cõmotæ, unà cum famulis, qui & ipſi grauiter eiuſmodi edictum tulerant, promptiſsimè ad tutanda mœnia procurrerunt, lapides & omne telorum genus pugnantibus uiris ſummo ſtudio miniſtrantes, eosq́; adhortationibus atq; opere quoad poterant adiuuantes, effecere, ut irrito incepto Philippus tandem obſidione ſoluta diſcedere cogeretur, cùm ex famulis ne unus quidem ad eum defeciſſet.

Cõſentiens & ſciens de crimine æqualiter tenentur.

Chiarum magnanimitas.

D

Seruorũ Chiorũ fides atque integritas.

ARGIVAE. IIII.

NEq; uerò inter ea quæ cõmuniter à mulieribus geſta ſunt, minore laude atq; admiratione dignam contentionẽ uiſum iri cenſeo, qua contra Cleomenem Spartiatûm regem, Teleſsilidis ductu auſpicioq́;, mulieres Argiuæ certarunt. Eam uerò mulierẽ poëticæ diſciplinæ fuiſſe peritam memoriæ proditum eſt: nanq; parentibus nobiliſsimis orta, cùm ualetudine aduerſa laboraret, ab oraculo reſponſum accepit, ſtudioſe Muſas à ſe colendas eſſe, ſi amiſſam ualetudinem recipere uellet. Quapropter ipſa deorũ præceptis obtemperans, omne ſtudium operamq́; ad muſicos cantus atq; harmonias conuertens, breui tempore amiſſam ualetudinem recepit, atq; ob artis poëticæ diſciplinam plurimũ apud cæteras mulieres famæ ac laudis eſt conſecuta. Poſtmodum uerò cùm Cleomenes Spartiatûm rex, multis Argiuorũ ciuium interfectis, quippe quos ſeptingẽtos & ſeptuaginta ſeptem ſupra ſeptem millia fuiſſe quidam affirment, Argos ad occupandam ciuitatẽ contenderet, tum mulieres in ætatis flore conſtitutas animus ſubijt ciuitatis aduerſus hoſtes tutandæ. Itaq; duce Teleſsilide celeriter armis aſſumptis, ſubita corona ciuitatis mœnia cõpleuere: quæ res nõ parum admirationis hoſtibus præbuit, & Cleomenẽ expugnatione ſæpius nequicq̃ tentata, pluribusq́; militibus amiſsis, ad extremũ retrocedere coëgerunt. Alterũ uerò regem Demaratũ, ut Socrates inquit, cùm iam partẽ ciuitatis, quæ Pamphylia dicitur, occupaſſet, eiecerunt. Ita mulierũ conſilio atq; uirtute liberata ciuitate, mulieres omnes quæ in pugna cecidiſſent, in uia quæ Argia dicitur, ſepeliri decreuerunt. His autẽ quæ pugnæ ſuperfuerant permiſſum eſt, ut Marti ſimulachrũ ſuæ uirtutis monumentum ſtatuerent. Hanc uerò pugnam nõnulli ſeptimo die, alij autem calendis geſtam fuiſſe tradũt eius menſis qui nunc quartus apud Argiuos habetur, quondam uerò Hermæus

appel-

A appellabatur, quo noſtram ad ætatem ſacra quædam contumelioſa apud Argiuos celebrantur, in quibus mulieres chlamydem ac uirilem ueſtem indutæ, uiri autem peplum geſtantes, & muliebribus uelamentis capita obuoluti uerſantur. Vt autem interfectorũ ciuium iacturam inſtaurarent, non ſeruis, ut Herodotus inquit, ſed accolis, qui circa urbem habitabant, ut quiſq; alios excellere uidebatur, in ciues electis, ſeſe in matrimoniũ sociarunt. Videbantur autem & hos ignominia afficere, & eorum concubitum cõtemnere, uelut inferiorum. Vnde legem ſanciuerunt quæ iubebat, oportere nuptas barbam habentes cum uiris dormire.

Argiuorum ridiculus ſacrificandi mos.

PERSIDES. V.

CVm Cyrus aduerſus Medos, atq; eorũ regem Aſtyagem bellum gerens ingenti pugna ſuperatus fuiſſet, milites effuſa fuga urbem repetebant: cumq; iamiam haud procul abeſſent, tanta erat inſequentium hoſtium celeritas, ut palàm conſtaret, eodem impetu uictores uictosq; urbem intraturos. Fugientibus itaq; mulieres facto agmine extra urbem obuiam procedentes, ac ueſtibus ex inferiori parte ſublatis, nudos uteros oſtentantes, Quónam ignauiſsimi ruitis? clamabant: an uos latet, non iterum uobis huc intrare licere, unde ſemel naturæ lege egreſsi eſtis? His caſtigationibus accenſi Perſæ, & ſimul ſpectaculi pudore cõmoti, mutuò ſeſe accuſantes, inſtaurata acie in hoſtes impetum fecere, eosq; incompoſitos adorti, nõ multo labore fuderunt fugaruntq;. Quapropter lege apud eos cautum eſt, ut cùm Perſarum rex aliquis urbem ingreditur, mulieres quotquot in urbe ſunt, ſingulos auri nummos à rege accipiant: cuius legis autorem Cyrum fuiſſe cõſtat. Idcirco Ochus Perſarum rex cùm uitijs alijs, tum præcipuè auaritia præ cæteris inſignis, urbem ſæpius circumuectus, nunq; intrare eandẽ uoluit, mulieres debito ſibi ex lege munere defraudans. At Alexander bis eam ciuitatem ingreſſus, toties quoq; numos dari mulieribus iuſsit, prægnantibus duplicem mercedem dari præcipiens.

Vide Plutarchũ in uita Alexandri.

CELTAE. VI.

CEltæ priuſquã ſuperatis alpibus in Italiam traijcerent, cuius hodie non paruam incolunt partẽ, ſeditionibus domeſticis agitati, eouſq; diſcordiæ proceſſere, ut ciuile in-
B ter ſe bellum conſererent. Cumq; armati iam utrinq; in acie conſtitiſſent, mulieres per media arma progreſſæ, multis precibus làchrymisq; illorum animos adeò flexere, ut omiſſa diſcordia in pacem ac beneuolentiam reuerſi, ad proprias domos omnes diſcederent. Ex quo nata apud eos conſuetudo poſteris etiam temporibus manſit, ut quoties de bello ſiue eis aut pace cõſultandum, mulieres quoq; eiuſmodi conſultationibus adhibeantur. Præterea ſi qua aduerſus ſocios inciderit cõtrouerſia, ex mulierum ſententia eandem componere ſoliti ſunt. Itaq; inter conditiones, quas cum Annibale pepigerũt, hoc etiam ſcriptũ, atq; his ferè uerbis reperitur: Si quis Celtarum iniuria ſe à Carthaginenſium aliquo affectum quereretur, eius rei Carthaginenſiũ magiſtratus, aut imperatores qui in Hiſpania fuerint, iudices ſunto: ſin Carthaginenſium quiſquam ab ullo Celtarũ iniuſti quippiam paſſus fuerit, Celtarum mulieres de ea re iudicium faciunto.

Celtæ mulieres iudicum officio funguntur.

MELIAE. VII.

MElij cùm propter finium anguſtias annonæ penuria laborarent, Nymphæon quendam, egregia forma adoleſcentẽ, deducẽdæ coloniæ principem cõſtituere. Cumq; illos conſultum oraculum nouas terras nauibus quærere iuberet, atq; ubicunq; naues amiſiſſet cõſiſtere, fortè accidit ut ad Cariæ littora appulſis, atq; è nauibus in terram digreſſis, naues tempeſtatibus agitatæ ad unum omnes in littore frangerentur. Igitur Cares qui Cryaſſam urbem incolebant, ſiue illorum ſortem miſerati, ſeu uires atq; potentiam ueriti, benignè ſuſceptos ut apud ſe manerent hortati ſunt, & colendorũ agrorũ partem ipſis diuiſere. Inde cùm breui tempore plurimum illos incrementi ſumpſiſſe animaduerterẽt, omnes in epulis atq; conuiuio trucidare ſtatuerunt. Fortè ſuper hac re conſultantes illos uirgo quędam Caphena nomine, quę ſummo amore Nymphæon adamabat, clanculum ut à nemine uideretur deliteſcens audiuit. Cumq; eum, quem tantopere deperibat, interfectum iri ſuſtinere non poſſet, Carum omne conſilium Nymphæo patefecit. Igitur poſtridie Caribus ad cœnam Melios inuitantibus, Non eſt Græcis hominibus conſuetudo, Nymphæus inquit, abſq; mulieribus inire conuiuia. Cumq; illi mulieres etiam ſecum ducere hortarentur, Nymphæus cõuocatos Melios, & rem omnẽ ut acta erat admonitos, iubet ipſos quidem inermes ad cœnã proficiſci, uerùm ſingulos uxori ſuæ intra ueſtem occultum gladium tradere, & quenq; iuxta propriã uxorem accumbere. Media igitur cœna iam peracta, Cares, ut inter eos cõuenerat, inuadẽdi dant ſignũ, q̃d pręmonitos iam antea

C Græcos minimè latuit. Itaq; mulieres patefacto repentè ſinu gladios protulerunt: quibus arreptis Græci aduerſus Barbaros ruentes, una ſtrage omnes interfecere, atq; ita regione potiti, & urbe quæ illorum fuerat deiecta, alteram ſibi cōdidere ciuitatem, eamq; nouam Cryaſſam appellarūt. Caphena autem Nymphæo in matrimonium ſociata, dignum ſuis meritis honorem retulit. Admirabilem itaq;, & omni laude proſequendam mulierum audaciam atq; ſilentium fuiſſe, nemo ſanæ mentis fateri nō poteſt, cùm nulla penitus in tam multis inuenta ſit, quæ uel audita patefecerit, uel timore deiecta ſit, quo minus omnia, ut ſibi mandatum fuerat, ſtudio ſemper ageret.

Meliarū taciturnitas admiranda

TYRRHENAE. VIII.

CVm Tyrrhenorū quidam Lemnum atq; Imbrum inſulas occupaſſent, ex Athenienſis agri mulieribus ex Baurone raptis, aliquot liberos procrearūt, quos poſtmodum Athenienſes eò quòd pro ſemibarbaris haberent, ex inſulis pepulere. Verū hi in Tænarū profecti Spartiatis in ſeruili bello egregiā operam præſtiterūt. Ii igitur in ciuitatis partem adſciti, connubiorum quoq; iungendorū ueniam meruere, ad magiſtratus uerò atq; conſilia eoſdem admittere haudquaq; dignum cenſuerunt. Nec multò pòſt apud Lacedæmonios ſuſpicio increbuit eos in ciuitate res nouas moliri. Quapropter cōprehenſi omnes diligentiſsimè ſeruabantur, quoad manifeſtis argumentis cōuicti ſupplicio afficerētur. Inter hæc eorum uxores frequenter ad carcerem uenientes, multis precibus cuſtodes orabant, ut ſalutādi ad uiros ingredi ſibi liceret. Quod cùm difficulter tandem impetraſſent, ad uiros admiſſæ illos hortari cœperūt, ut repentè ſecum ueſtibus permutatis, muliebriq; habitu induti, uelatis, ut earum mos eſt, capitibus è carcere ſe proriperent: quarum monitis cùm uiri obtemperaſſent, ipſæ quidem in carcere ſubſtiterūt, aſperrima quæq; ac difficillima ſubire paratæ. Cuſtodes autē habitus ſimulatione decepti, uiros abire incolumes permiſerunt. Qui egreſsi, Taygeta repentino tumultu occuparunt, inde ſeruos ad libertatem uocantes, ſeditionem excitare nitebantur. Quo timore ſoliciti Spartiatæ, miſſo ad eos caduceatore pepigerunt, ut uxoribus, fortunisq; ſuis omnibus, nauibus præterea atq; pecunijs acceptis, è regione diſcederēt, atq; nouis ſedibus, nouaq; ciuitate potiti, Lacedæ

Mirus mulierū in uiros ſuos amor.

D moniorū coloni atq; affines appellarentur. His acceptis cōditionibus Pelaſgi, cùm Pollin & Crataida Lacedæmonios fratres profectionis duces accepiſſent, pleriq; in Melo ſedes conſtituere: cæteri uerò Pollin ducem ſecuti, & oraculi fidem experiri cupientes, Cretam petierunt. Hoc enim à dijs reſponſum acceperant, ut ubicunque deam & ancoram amiſiſſent, ibi erroribus fine impoſito conſiſterent, & urbem inhabitarent. Igitur ad Cherroneſum, quæ in Creta eſt, appulſi, relictis in littore nauibus conſtiterant, uerùm nocturno ac repentino tumultu perterriti ſeſe in naues receperunt, atq; ob fugiendi celeritatem attoniti, Dianæ ſimulachrum in littore dimiſere. Hoc ſanè antiquiſsimū apud eos permanſerat, quippe quod ex Baurone in Lemnum uſq; ſublatum aſsiduè ſecum in omnia loca detulerant. Hoc itaque inter nauigandum requirentes, in littore derelictum fuiſſe perceperunt. Et Pollis eorum dux uno unco ſuæ nauis ancoram diminutam animaduertit. Nam quum locis petroſis adhæſiſſet, eaq; uiolentius poſtmodum traheretur, à reliqua uncus auulſus nautas latuerat. Tum Pollis oraculorum dicta iam ſequutam fidem ſatis intelligens, conuertendi curſum ſignum propoſuit, & regione occupata quum plurimis prælijs locorum habitatores ſuperaſſet, Lyctum urbem ſibi delegit habitandam, finitimis aliquot ciuitatibus uectigalia ſibi præbere coactis, & nunc etiam Athenienſium ſeſe cognatos dictitantes, quòd materni generis ab iiſdem ducant originem, Spartiatûm ſe colonos eſſe profitentur.

LYCIAE. IX.

QVod autem in Lycia contigiſſe ferunt, quanq; fabulæ ſimilius quàm ueri eſſe uideatur, multorum tamen & ſermonibus, & in unum conſentiente fama celebratum eſſe conſtat. Amiſodarus enim, qui & Iſaras dictus eſt, à Zelia Lyciorū colonia ueniens piratarum non exiguam multitudinem ſecum deduxit, cui Chimarrhus præerat, uir quidem bellicæ artis peritiſsimus, cæterùm immani quadam præditus crudelitate: hunc nauis uehebat, cuius prora leonē, puppis uerò draconē geſtabat inſigne: multisq; cladibus Lycios uexans effecerat, ut neq; nauigare tutò, nec maritimas ciuitates incolere poſſent. Hunc fugientem aliquando Bellerophon Pegaſo (id eſt, citiſsima quadam, ut arbitror, naui) aſſecutus interemit. Idemq; quum aggreſſas Lyciam Amazones pepuliſſet, nullo pro tantis meritis præmio accepto, iniurijs etiā à rege affectus fuerat. Quib. rebus indignanione percitus Bellerophon, ad maris littus accedēs Neptunū rogauit, ut oram illam infructuoſam atq;

Chimarrhus pirata crudelis à Bellerophōte interemptus.

A atq; ad ſerendum inutilem redderet. Peractiſq; precibus diſcedebat, cùm ſubitò mare tu-
meſcens uniuerſa obruere cœpit: ſpectaculumq; erat horrendum, tam uaſtè ſeſe attollen-
tes, & Bellerophontē ſequentes fluctus intueri, ut omnia circùm loca iam occuparent. Igi
tur delecti è Lyciorum primatibus uiri Bellerophontē adeuntes rogabant, ut tantis ma-
lis finem imponeret: qui cùm diu multumq; precati nihil proficerent, mulieres ſublatis ab
inferiori parte ueſtib. Bellerophonti obuiā proceſſere. Cumq; ille pudore cōmotus, retro
cederet, undas quoq; inſolitum locum refluere cœpiſſe cōmemorāt. Verùm aliqui huiuſ-
modi fabulam interpretantes, nō imprecationibus illum tradunt maritimas aquas ſuper-
induxiſſe, ſed cùm ager totius Lyciæ feraciſsimus in humili depreſſoq; loco ſitus eſſet, Bel
lerophontem aggere qui mare diſtinebat reſciſſo, aditum aquis maritimis patefeciſſe tra-
dunt: cui malo finem à Bellerophonte petentes uiri cùm nihil proficerent, mulieres illi cir
cunfuſæ pudore quodam deuictum finem iracundiæ ponere coëgerint. Sunt qui appella
tam Chimærā montē quendā fuiſſe tradāt, horrendos ſonitus atq; incendia emittere con-
ſuetum, quibus finitimus ager infeſtatus, neq; arbores nutrire, neq; fruges proferre pote-
rat, uerùm Bellerophontis prudentia, qui montis partem quæ planiſsima erat, reſcindi
iuſsit, fragores fuiſſe compoſitos, magnumq; malis remedium allatum. Verùm cùm ſibi
debitas gratias minimè referri animaduerteret, indignatione percitus, ingratos homines
ulciſci parabat, ſed mulierum precibus ab incepto deſtitit. Quam uerò Nomphis in quar
to Herculeorum libro cauſam refert, haudquaquā eſſe fabuloſa uidetur. Aprum enim im
menſæ magnitudinis Xanthiorum fines inuaſiſſe tradit, qui fruges fructuſq; circunqua-
que deſtruens, à Bellerophonte occiſus fuit. Quumq; nihil gratiæ pro tanto labore me-
ruiſſet, ultionem à Neptuno aduerſus ingratos poſtulauit. Quapropter ſalſum quendam
humorem paſsim per eorum agros ſcaturiſſe, ut omnia quæ in agris naſcebantur illo hu-
more corrupta deficerēt: nec prius tanti mali finem affuiſſe, quàm precantium mulierum
pudore uictus Bellerophon, Neptunum ut Xanthijs tandem ignoſceret, exoraret. Quam
obrem lege apud Xanthios cautum eſt, ut à matribus, non à patribus, filij generis nomen *Liberi Xanthiorum à matribus nomē generis ſortiebantur.*
ſortiantur.

SAGVNTINAE. X.

B ROmanis iam bellum inferre meditatus Annibal, priuſquàm copias in Italiam traijce
ret, in Hiſpania bellum gerens urbem Hiſpaniæ opulentiſsimam Saguntū obſedit.
Ac primò quidē ciues obſidione perterriti, & ſeſe imperata facturos polliciti, argenti tre-
centa talenta, & totidem obſides dare pepigerunt. Quibus acceptis conditionibus Anni
bal cùm ſoluiſſet obſidionē, Saguntini pœnitentia ducti, nihil eorū quæ pepigerant præ-
ſtitere. Rurſus igitur ad obſidionem cōuerſus Annibal, & diripiendam militibus urbem
pollicitus, eos ad pugnandum hortabatur, qui ſummis uiribus inito certamine oppreſ-
ſos malis undiq; barbaros, tandem ut ſeſe conditionibus huiuſmodi dederent perpulere,
ut liberis hominibus cum ſingulis tantùm ueſtimentis ex urbe migrare liceret. Mulieres
igitur id quod tandē euenit fore ſuſpicatæ, ut ſcilicet hoſtes diligentius uiros, ne quis oc-
cultum telum efferret intuentes, ſeipſas egredientes negligerent, atq; intactas abire per-
mitterēt, gladijs intra ſinus occultatis ex urbe digreſſæ ſunt. Quumq; omnes iam ciues ur
bem exiſſent, Annibal equitū Maſeſyliorū turmā ad portā ciuitatis in ſtatione collocauit,
cæteris incompoſitò ad urbem diripiendam intrare permiſsis. Cumq; multi, ut in talibus
fieri ſolet, multa undiq; aſportarent, nō ſe ultra cōtinere Maſæſylij potuerūt, ſed portæ ſta
tione dimiſſa, indignātes ad prædandū diſceſſere. Interea mulieres clamore ſublato, cùm
gladios quos geſtabant uiris tradidiſſent, ſimul cum illis impetū in hoſtes fecerūt, ferturq;
earum una ex Hannonis cuiuſdam manibus direptam haſtam in eum ipſum uulnerandū *Hanno à mulie-*
conuertiſſe: uerùm quia thorace indutus erat, occidere minimè ualuit. At uiri multis ho- *re Saguntina pro*
ſtibus interfectis, reliquis uerò qui obuiam uenerāt in fugam uerſis, unà cum mulieribus *pè interfectus.*
ſeſe ex urbe incolumes recepere. Quod poſtq; eſt Annibali renunciatū, equites repentè
qui perſequerent̄ dimiſit, cumq; ex ipſis aliquot adduxiſſent captiuos, ultimo ſupplicio
affici iuſſit. Verū maxima pars in proximos montes dilapſa hoſtiles manus effugerūt, qui
pauló pòſt miſſo ad Annibalem caduceatore, ueniam atq; in urbem reditū ab eodem im-
petrarunt.

MILESIAE. XI.

MIleſias quandoq; uirgines admirabilis morbus, & immanis quidā furor inuaſit, cu-
ius neq; cauſa ulla, neq; remediū poterat inueniri, uerū fanaticam quandā cōtagio
nem ab aëre diffuſam arbitrabant̄, quæ illarū mentes ad inſaniam conuertens repentinæ
mortis cupiditate correptas, ut ſeipſas ſtrangularent efficiebat. Itaq; permultæ eo mortis
genere perierūt: neq; uerò parentum lachrymæ, neque amicorum monitus ac ſuaſiones,

C aliquod huic malo remediũ afferre poterant: tantaq́ꝫ erat furoris immanitas, ut omnẽ cuſtodientiũ diligentiam ſuperarent, ut nõ humano cõſilio, ſed mali cuiuſdam dæmonis impulſu accidere uideretur. Itaq́ꝫ non iam hominũ ingenijs, ſed deorum quærendũ remediũ omnes aſſerebant: nec ullus tamen antea tanti mali finis inuentus eſt, quàm ſpectatæ quidam prudentiæ uir ad populum rogatione perlata decreuit, ut uirginũ quæ ſ[illegible] ipſis mortẽ cõſciſſent, per medium forum nuda cadauera efferrentur. Ea res non modò uirginum furorem compreſsit, uerumetiam ſedauit atq́ꝫ extinxit. Magnum profectò uirtutis atque ingenuitatis argumentum, tantum apud illarũ animos ignominiæ metum ualuiſſe, ut quas illa, quæ grauiſsima humanorũ malorum exiſtimabatur, mors, & dolor, ab inſtituto non auerterat, oblata turpitudinis ſpecies ita commouerit, ut ignominiam perpeti nullo modo poſſent, quam poſt mortem etiam ſubituras eſſe intuebantur.

Magnum uirtutis argumentum ignominiæ metum.

CIAE. XII.

MOs quondam apud Ciorum uirgines fuerat, ut ſacrorũ ſtatutis diebus in unum omnes coactæ, per aliquot dies unà uerſarentur, quas earum amatores facto etiam agmine ſequebantur, ut eas ludentes inter ſe ac ſaltantes conſpicerent. Noctu autem eodem agmine ſingularũ domos ingredientes, parentibus fratribusq́ꝫ mutuò quæcunq́ꝫ factu opus eſſet adminiſtrabant, adeo ut etiam pedes ipſorũ lauarent. Eueniebat autem plerunq́ꝫ, ut eandẽ plures ſimul amarent adoleſcentes, amore autem tam ſancto atq́ꝫ modeſto, ut quum primùm uirgo deſponſata eſſet, repentè omnes ab eius amore deſiſterent. In quo illud uel maximũ temperantiæ muliebris argumentum conſpici poteſt, quòd neque adulterium, neq́ꝫ illegitimum ullum concubitum per annos ſeptingentos apud eos accidiſſe, memoriæ proditum eſt.

PHOCENSES. XIII.

QVum Phocenſium tyranni Delphos occupaſſent, Thebani aduerſus eoſdem bellum, quod ſacrum appellarunt, ſuſcepere. Interea Bacchi ſacerdotes, quas illi Thyadas uocant, furore correptæ, ut earum moris eſt, huc atq́ꝫ illuc ſine diſcrimine errantes uagabantur. Fortè accidit ut nocte quadam in ciuitatem Amphiſſam imprudentes deuenirent,

Thyadæ.

D quumq́ꝫ adhuc furore percitæ haudquaquam mentis cõpotes eſſent, progreſſæ in forum corporibus humi ſtratis dormitantes procubuere. Verùm Amphiſſeæ mulieres ueritæ ne Thyades uiolarentur à militibus tyrannorum, qui frequentes in ea urbe uerſabantur, quòd eſſet ea ciuitas fœdere Phocenſibus iuncta, facto agmine in forũ decurrentes, ſopitas Thyadas tacitę circunſtetere, nec eas tamen à ſomno excitarũt. At poſtq́ꝫ illę ſponte ſua experrectę ſunt, aliæ alias domũ deducentes, quæ reficiendis corporibus opus erãt liberaliſsimè præbuerũt. Inde à uiris licentia impetrata, Thyadas uſq́ꝫ ad montes proſecutæ ſunt, unde tutus iam reditus illis patebat in patriam.

LVCRETIA, VALERIA, CLOELIA. XIIII.

TArquinium Superbum, qui à Romulo ſeptimus apud Romanos regnauit, Lucretiæ uirtus, eidemq́ꝫ illata cõtumelia, ex urbe pepulerunt. Huius maritum in primis nobilem quiq́ꝫ reges cõiunctione ſanguinis attingebant: nuptã unus è Tarquinij filijs ad eam ueniens uitiauit, quæ cognatis amicisq́ꝫ omnibus conuocatis, rem omnem quo geſta fuerat ordine cùm enarraſſet, repentè ſeſe in eorum conſpectu iugulauit. Hac de cauſa expulſus urbe Tarquinius, multis aduerſus Romanos hoſtibus concitatis, tandem Porſenam Hetruſcorũ regẽ bellum aduerſus eos ſuſcipere cõpulit, qui magnis copijs Romanos fines ingreſſus, ciuitatẽ obſedit. Quumq́ꝫ bello ſimul & fame laborantes Romani, Porſenã haud minus iuſtitia & humanitate, quàm belli artibus ualere cõperiſſent, illũ inter ſe Tarquiniumq́ꝫ controuerſiæ diſceptatorẽ elegerunt, liberam ipſi de hac re iudicandi licentiã permittentes. Verùm Tarquinius haudquaq́ꝫ conditionibus huiuſmodi aſſentiens, minimè iuſtum in ferenda ſentẽtia dictitabat, qui parũ fidus in bello ſocius extitiſſet. Itaq́ꝫ Tarquinio dimiſſo, Porſena cum Romanis amicitiã inire ſummo ſtudio contendit. Igitur agro quem ex Hetruſcis Romani occupauerant, & captiuis omnib. receptis, uiginti pręterea acceptis obſidibus, decẽ uidelicet maribus adoleſcentib. ac uirginibus totidẽ, obſidionem ſoluit. Fortè inter uirgines quæ pro obſidibus datæ ſunt, Valeria Publicolæ Conſulis filia extitit. Interea cùm nõdũ rebus ad integrũ cõpoſitis, circa Romã Porſena etiã uerſarẽ, uirgines quas pro obſidibus in caſtra deductas antea memorauimus, tanq́ꝫ ſeſe loturæ parumper ab exercitu ſecedẽtes ad Tyberim deuenere, ibi unius Clœliæ nomine ad hortationib. impulſę, paulatim fluuiũ ingredientes obuolutis ad capita ueſtibus, & gurgitum profunditate non deterritæ, mutuoq́ꝫ ſeſe, ut poterant, ſubleuantes, uix tandem ma-

gno

A gno labore fluuiū tranſmiſere. Sunt qui Clœliam equo tranſuectā, cohortatione pariter
atq; auxilio nantes alias adiuuiſſe tradūt, eiuſq; rei quod paulò infrà narrabimus utunt ar
gumento. Cùm uerò Romani tranſuectas illas incolumes uehemētius admirarent, ſicut
illarū uirtutē audaciamq; laudandam cenſebant, ita in ſeruanda fide ab uno rege uinci mi
nimè cōuenire arbitrabant. Igitur datis ducibus, puellas iterū ad Porſenam deduci cura-
uerunt. Redeuntibus uerò Tarquinij ad fluminis tranſitū locatis inſidijs, parū quin illas
raperent abfuit. Ex eo tumultu Valeria Publicolæ Conſulis filia cum tribus familiaribus
in Porſenæ caſtra confugit, reliquas uerò Porſenæ filius Aruns, cum equitatu auxiliū fe-
rens, è manibus hoſtiū liberauit. Cumq; omnes in conſpectū regis deductę fuiſſent, admi
ratus earum audaciam Porſena, quænam ex ipſis migrationis autor fuiſſet percontabat.
Tum cæteræ timore perculſæ, tacitè in Clœliam oculos cōiecerunt, mali aliquid illi à re-
ge impendêre metuentes. Verū ipſa nihil omnino deiecta, ſeipſam extitiſſe profeſſa eſt.
At Porſena eius uirtute cōmotus, egregiè phaleris inſtratum equū Clœliæ dari iuſsit: cæ-
teras quoq; uirgines benignè allocutus, omnes Romam ad parentes redire permiſit. Ex
hoc pleriq; arguunt Clœliam equo uectam fluuium tranſmiſiſſe. Quidam uerò non ea de
cauſa donatam equo Clœliam autumant, ſed uirginis fortitudinē atq; audaciam admira-
tum regem, eo munere dignam exiſtimaſſe, quod maximè uirum ſtrenuum bellicoſumq;
deceret. Poſitū certè huius facinoris monumentū uirginis habitu ſtatua equeſtris, in uia
quæ ſacra nuncupatur, quam aliqui Clœliæ, aliqui Valeriæ nomine dicatam aſſerunt.

MICCA ET MEGISTONA. XV.

ARiſtotimus Elienſiū tyrannide occupata, uiribus fretus Antigoni regis, principatū
tenebat, atq; intemperanter potentia abutens, nouis quotidie iniurijs miſeros uexa
bat ciues, cùm eſſet & ſuapte natura ferus atq; immanis, tum barbarorū hominū conſilijs
uteret, quibus totius regni adminiſtrationē & corporis inſuper cuſtodiā cōmiſerat. Vnū
tamen egregiæ præ cæteris memorat crudelitatis exemplū, aduerſus Philodemū perpe-
tratum. Is filiam habuit & moribus & forma præſtantē, nomine Miccam, quā Lucius qui
dam tyranni ſatelles adamauit, ſi id amorē potius, & nō efferatā immanemq; libidinē o-
B porteat appellare. Igitur miſſo nuncio, uirginē ſtatuto tempore ad ſe uenire iubet, idemq;
parentes neceſsitate compulſi uirginē ut faceret hortabant: uerū ipſa, ut erat natura pru-
dens, tum ingenuè liberaliterq; educata, paternis genibus aduoluta rogabat, ne ſe in tur-
piſsimū flagitiū proficiſci pateret, utq; mortuā potius q̃ amiſſa uirginitate turpiter uiuen *Mori prædarius,*
tem aſpicere uellet. Longior itaq; mora cùm traheret, libidine ſimul atq; ebrietate furens *quàm tur*
Lucius, ipſe domū uirginis proficiſcit, eamq; paternis genibus appoſito capite hærentē *piter uiuere.*
offendens, ſe ſtatim ut ſequeret minitabūdus imperabat. Quod illa cùm facere cunctare-
tur, laceratis ueſtibus Lucius nudatā grauiſsimis plagis cæcidit: quæ tam forti animo do-
lorem perferebat, ut ne gemitū quidē ad plagas ullū omnino ederet. At parētes tam acer
bo ſpectaculo grauiter cōmoti flentesq;, poſtq̃ nihil orando ſe proficere animaduerterūt,
hominū deorumq; auxilium clamoribus implorantes, indignis ſe cōtumelijs affici quere
bantur. Tunc ira uinoq; percitus barbarus, uirginē, ut forte in paterno ſinu poſito capite
cōſtiterat, iugulauit. Nihil tamen eſt immanitate tam atroci permotus tyrannus, ſed in ci-
ues, qui admiſſum facinus criminabant, ſæuior effectus, eorū aliquot morte, plurimos ue
rò exilio damnauit, è quibus octingēti fortè in Aetoliā confugerūt. Qui cùm ſummis pre
cibus tyrānū rogarēt, ut uxores paruoſq; natos ad ſe proficiſci permitteret, nihil ab eo pe
nitus impetrare potuerūt, uerū ipſe nō ita multò pòſt palàm nūciari per præconē iubet, li
cere mulieribus exulū cum filijs omniq; ornatu ac ſupellectile ad uiros proficiſci. Id om-
nes quarū uiri exulabāt, læto animo mulieres excepiſſe ſentiēs, quas ad ſexcētas fuiſſe me
moriæ proditū eſt, quò maior illis proficiſcēdi ſpes eſſet, omes die ſtatuta proficiſci iubet.
Ea igit poſtq; aduenit, cūctæ ad ciuitatis portā qua exeundū erat, cōuenere, quæ ſecū de-
laturæ erāt ſummo ſtudio cōparabāt, & paruos filios aliæ in ſinu geſtātes, aliæ currib. im-
poſitos trahētes, cæterarū aduentū præſtolabant. Iamq; omnib. quę ad profectionē opus
erāt cōſtitutis, procedere agmen inceperat, quū repētè miſsi à tyrāno ſatellites, anteq̃ a-
gmen aſſequerent magno clamore cōſiſtere mulieres, nec ulterius quicq̃ progredi iubēt:
inde cùm ad eas peruentū eſſet, retrocedere omnes pręcipiūt, arreptiſq; quos illæ paraue
rant curribus, eoſq; mediū per agmen agitantes, nec manere tutò, nec regredi patiebant.
Quod uerò acerbiſsimū erat, tantis anguſtijs preſſæ mulieres, periclitantibus aut morien *Barbarū nimis*
tibus filijs auxiliū ferre nō poterant: multi enim cùm è curribus cecidiſſent, rotarū impul- *& inhumanum*
ſu conterebantur, cæteros uerò ſimul cum matribus ſatellites nō ſecus atq; ouiū gregem *ſpectaculum.*

C in unũ globũ ſtipatos fuſtibus loriſq; cædentes, gradum properare cogebant, quoad om
nes in carcerẽ deductas intruſere, res uerò earũ omnes ad tyrannũ delatæ ſunt. Tam ſcele
ſtum facinus cùm grauiter Elienſes perferrent, Dionyſio ſacratæ mulieres, quas illi Sede-
cim uocant, ſacerdotij ornatibus inſignes, ac dei ſacra manibus geſtantes, ad Ariſtotimũ,
qui tum in foro obuerſabatᷓ, deuenere: quarũ reuerentia permoti ſatellites qui tyrannũ cir
cunſtabant retrocedentes, aditũ illis ad tyrannũ patefecere. Venientes primò tyrãnus &
manibus ſacra prætendentes cõſpicatus, cum ſilentio audiuit: ſed poſtq̃ pro captis mulie
ribus deprecaturas aduenisſe cognouit, ueluti quodã furore correptus, magno clamore
ſatellites, quòd eas ad ſe uenire permiſerãt, obiurgauit: eas uerò militũ cõcurſu detruſas,
partim etiã uerberib. cæſas, q̃ primũ è foro depelli præcepit, & earũ ſingulas duobus mul
ctauit talentis. His tam atrociter geſtis Hellanicus, quanq̃ propémodũ ſenio cõfectus, ul
ciſcendi tyrãni negociũ in ciuitate ſuſcepit. Is propter ętatis imbecillitatẽ, & duorũ filiorũ
interitũ neglectim habitũ, minimè apud tyrannũ ſuſpectus habebatᷓ. Interea ciues, quos
in Aetoliam fugiſſe memorauimus, coactis quibus poterãt copijs reuertentes, agri partẽ
quandam urbi finitimã occuparũt, ubi & tutò cõſiſtere, & ciuitati bellũ itidem cõmodiſſi
mè inferre poterant. Eò multi ex Elide ciues quotidie confluentes, iam ferè iuſti exercitus
ſpeciẽ cõfecerant. His rebus perculſus tyrannus, ad mulieres, quas in carcere clauſas antè
diximus, proficiſcitur, utq; erat ingenio ferox, minis potius metuq;, quàm gratia aut preci
bus cum his agendum arbitratus, iubet eas nuncios cum literis ad uiros mittere, eoſq; ut
ab obſidione deſiſtant rogare, alioqui ſe paruos natos in eorum cõſpectu prius, ipſas de-
inde omnes uerberibus cæſas interfecturum minitatur. Ad hæc ſilentium tenentibus mu
lieribus, cùm tyrannus acriter inſtaret, ut quidnam facturæ eſſent reſponderent, uerbum
quidem nullum proferre audebant, uerùm tacitè ſeſe mutuò conſpicientes, nihil ſe illius
minis terreri ſignificabant. Tum Megiſtona Timoleontis uxor, quæ cùm uiri nobilitate,
tum etiam propria uirtute princeps inter mulieres habebatur, & ipſa uenienti tyranno aſ-
Megiſtonæ ad ſurgere dedignata eſt, cæteras etiam aſſurgere prohibuerat. Hæc igitur ut erat humi ſe
Ariſtotimum ty- dens, talibus uerbis ad tyranni dicta reſpondit: Si quid in te uirilis prudentiæ aut conſilij
rannum oratio. reſideret, non utiq; mulieres iuberes, quæ facto opus eſſent, ſuis uiris præſcribere, ſed nos
D ad ipſos tanquam ad dominos noſtros permiſiſſes proficiſci, melioribus utens & ſermo-
nibus & conſilijs, quàm quibus nos paulò antè deluſas fraudaſti. Quòd ſi nunc omni ſpe
deſtitutus, ipſos quoq; uerbis deludere per nos arbitraris, uehementer erras, neq; nos ite-
rum abs te decipi ſuſtinebimus, neq; ipſos tam dementes fore arbitreris uelimus, ut dum
infantium aut uxorum uitæ conſulunt, libertatem patriæ neglectam patiantur. Neque e-
nim tantum ipſis affert mali, ſi nos ac paruos liberos amittant, quippe quos ne nunc qui-
dem habere poſſunt, quantum aſſequentur boni, ſi tuis crudelitatibus ciues ſuos ac patriã
liberauerint. Talia adhuc loquente Megiſtona, nõ ultra compos iracundiæ tyrannus, par
uum eius filium quaſi mox illum interfecturus, in conſpectum deduci iubet: quem cùm
miniſtri inter cæteros ludentem requirerent, mater ipſum nomine compellans, Huc ad
me, inquit, accede nate, ut antea uitæ finẽ ſortiaris, quàm ſæuiſsimæ tyrannidis experien-
tiam, aut ullum omnino ſenſum per ætatem poſsis accipere: mihi enim longè grauius eſt,
te præter conditionis tuæ dignitatẽ ſeruientem, quàm mortuũ intueri. Cùm talia conſtan
ter atq; intrepidè Megiſtona loquereᷓ, iracundia furens tyrannus diſtricto gladio in ip-
ſam ferebatᷓ. Verùm è familiarib. quidã, nomine Cylon, obuiam ueniens, tam atrox faci-
nus ipſum perpetrare prohibuit. Hic ſanè amicitiam erga tyrannũ ſimulans, unà cum cæ-
teris familiarib. apud eum uerſabatᷓ: ſed extremo odio in eum affectus, unus erat ex eorũ
numero qui Hellanico principe aduerſus tyrannũ coniurauerant. Is igitur ruentẽ Ariſto-
timum cõprehendens, turpe degeneriſq; animi eſſe dicebat, minimeq; uirum principẽ de
cere, muliebri ſanguine manus cõmaculare. His admonitionib. uix menti redditus Ariſto
timus, relictis mulierib. illinc diſceſsit. Neq; ita multò pòſt prodigiũ accidiſſe huiuſmodi
Prodigium. fertur. Nam dum Ariſtotimo cum uxore in thalamo quieſcente famuli cœnã prępararẽt,
repentè ſublimẽ aquilã ſupra tyranni domũ uolitantẽ cõſpexere, quæ paulatim declinãs,
magnum lapidem quaſi dedita opera demiſit in eam tecti partẽ, quæ thalamo, in quo ty-
rannum cum uxore quieſcere diximus, ſuperpoſita erat, indéq; magno ſtrepitu & clango
re ſublata, ex aſpicientium oculis ſeſe proripuit. Clamore igitur eorũ qui auem uiderant
excitatus Ariſtotimus, auditaq; re perterritus, uatẽ quo plurimũ utebatur ad ſe uocari iu-
bet, quidq; hoc augurio portendi arbitraretur, animo non mediocriter perturbatus ſciſci-
tabatur. At uates bono ipſum animo eſſe cohortatus, hoc ſigno portendi dixit, ipſum Io-
ui curæ

A ui curæ eſſe, atq; auxilium in omnibus præſtaturũ. Et hæc quidem tyranno reſpondit: ue-
rùm ciuibus, quos ſibi fidos atq; amicos expertus erat, magnũ periculum inquit, & quan-
tum antea nunq;, tyranni capiti imminere. Igitur qui cum Hellanico coniurauerant non
ultra cunctàndum eſſe arbitrati, poſtridie tyrannũ inuadere ſtatuerunt. Nocte autẽ, quæ
deſtinatam facinori diem præceſsit, dormienti Hellanico uiſum eſt alterũ ex ijs, quos ſu-
prà occiſos memorauimus, filium ſupra dormientis caput adſtare, ac magna uoce obte-
ſtari: Quid pater dormis, an te craſtina die ignoras totius ciuitatis imperatorẽ fore? Hoc
uiſu cõfirmatus Hellanicus, primo mane ſocios ad perpetrandum negocium adhortatur.
At uerò Ariſtotimus cùm nuncium accepiſſet, Craterum magnis copijs auxilium ſibi fe-
rentem aduentare, iamq; in Olympia cum exercitu conſediſſe, eouſq; fiducia proceſſerat,
ut in forum ſine cuſtodibus cum Cylone prodire ſit auſus. Igitur agendæ rei occaſionem
oblatam conſpicatus Hellanicus, ſignum quod dare coniuratis ſtatuerat nõ dedit, ſed ma
nus ad cœlum tollens clara uoce: Quid cunctamini, inquit, ô uiri, pulcherrimũ ſpectacu-
lum in medio ueſtræ ciuitatis edere? Tunc primus Cylon diſtricto gladio unũ ex his qui
tyrannũ comitabantur occîdit. Thraſybulus uerò Lampidusq; cùm properato gradu ty-
rannum peterent, ipſe illorum impetũ fugiens, in proximã Iouis ædem ſeſe recepit, ibiq; à
perſequentibus confoſſus occubuit. Coniurati poſt hæc, cadauere in medio foro protra-
cto, ciues ad libertatẽ conuocabant. Cumq; frequentes undiq; conuenirent, pauci tamen
præuenire mulieres potuerunt, quæ ſtatim ad primũ nuncium excitatæ, ſummo clamore
gaudioq; decurrentes in forum, uiris qui illic aderant congratulabantur, ipſosq; corona-
bant. Interea cùm frequens turba in tyranni regiam prorumperet, uxor eius unà cum dua
bus filijs thalamum ingreſſa, obſeratisq; foribus ſeſe in ſerto circa collum laqueo peremit.
Erant tyranno duæ filiæ inſignes forma, atq; ætate iam nubiles, has è thalamo, in quẽ con
fugerant, per uim detractas, quidam ut uitiatas occiderent, deducebant. His fortè obuiã
facta cum mulierũ turba Megiſtona, perindigna illos ac nefaria moliri exclamat, ſi popu-
larem uitam agere uelle profitentes, ea tamen facere aggrediantur, quæ uix etiam tyran-
norum ſæuiſsimi facere auderent. Ad huius uocem cùm omnes propter mulieris reueren
B tiam ſubſtitiſſent, optimũ illis conſilium uiſum eſt, à contumelia puellarũ abſtinere, ijsq;
ſeipſas interimendi facere poteſtatẽ. Reductis igitur in thalamũ præceperunt, ut quo eis
magis placeret moriendi genere optato, ſeſe perimerent. Tunc earum quæ natu maior e- *Ariſtotimi tyranni filiarum fortis interitus.*
rat, zonam qua cincta erat diſſoluens, collum innectebat, & germanã hortabatur, ut quæ
ſe facientem uidiſſet, eadem ipſa quoq; perageret, utq; humile quicq;, aut eorũ genere in-
dignum facere caueret. Tum iunior zonam manibus apprehendens orabat, ut ſibi priorẽ
moriendi locum concederet. Ad hæc illa: Neq; aliquid omnino, inquit, dum uiuere licuit
negatura tibi ſoror fueram, & nunc, quandò ita uis, extremã hanc ex me gratiam accipe.
Ego autem, quandò tibi ita placet, ſuperuiuam, & quod mihi ipſa morte grauius eſt, cha-
riſsima ſoror, te prius morientẽ intuebor. Hæc dicens zonam ſorori tradens admonebat,
ut nodum ſpinæ propius admoueret, quò citius faciliusq; ſuffocaret. Inde ubi illam iam
expiraſſe animaduertit, ſolutũ cadauer quoad poterat ueſtib. circumtexit. Tunc ad Megi-
ſtonam cõuerſa rogabat, ne ſe poſt mortem turpiter nudatã iacere pateret: atq; his dictis
eodem innexa laqueo uitã finiuit. Ita neminẽ tam inhumanũ atq; infenſum tyranno fuiſ-
ſe arbitror, qui tali uirginum ingenio, tantaq; animi ingenuitate non flecteret. Verùm
hactenus, cùm penè innumera alia ſuperſint, cõmuni pluriũ mulierũ geſta cõſilio dixiſſe
ſufficiat. Deinceps ſingularũ uirtutes ſparſim, ut quanq; ſors obtulerit, perſcribemus: mi-
nimè opus eſſe arbitrantes, in hac hiſtoria temporum ordinem rationem'ue ſeruare.

PIERIA. XVI.

EX Ionibus qui Miletum habitabant, nõnulli aduerſus Nilei filios facta ſeditione in
Myuntem diſceſſere, ibiq; ſedibus cõſtitutis habitabant. Verùm crebris Mileſiorum
incurſionibus agitati, cõtinenter aduerſus illos pugnare cogebantur. Sed cùm ex eadem
ciuitate eſſent utriq; oriundi, & ſeditionis tantùm gratia factæ aduerſus ipſos Mileſij pu-
gnarent, non extremis odijs inter ſe diſſidere ſatis cõſtabat, quippe cùm feſtis quibuſdam
ſacratisq; diebus mulieres ex Myunte Miletum proficiſci paterentur. Erat inter eos qui
Myunte habitabant, uir & diuitijs & nobilitate excellens, nomine Pythes: is uxorẽ Iapy-
giam, filiam uerò Pieriam habebat, quæ cùm tempus adueniſſet quo Dianæ ſacra perage
bantur, Miletũ ut ſacris intereſſent proficiſcunt. Ibi Phrygius ex Nilei filijs maior natu ue
hementi Pieriæ amore correptus, interrogauit quidnam illi gratiſsimũ à ſe præſtari poſ-
ſet: quæ id ſibi longè omnium gratiſsimũ fore reſpondit, ſi det operam ut quamſæpiſsimè

C multiſq; ſocijs comitata, Miletū ſibi uenire liceat. Quo dicto facilè Phrygius animaduertit, amicitiam pacemq́; ab illa expoſci. Itaq; conuocatis in unum ciuibus, pacem cum his qui in Myunte habitabant compoſuit. Ex hoc magnum apud utranq; partem Pieriæ nomen habitum eſt, magnoq́; ab omnibus honore beneuolentiaq́; colebatur, ut etiam uulgò inter mulieres optaretur, quod in hunc etiam diem permanſit, ut ſic ſe amari uelle dicant, ſicut Pieriam Phrygius adamauit.

POLYCRITA. XVII.

BEllū inter Naxi habitatores ac Mileſios, ob Hypſicreontis uxorē Neæram ita exortum eſſe perhibetur. Cùm Promedontē ex Naxo oriundum, Hypſicreontis autē uiri ſui hoſpitē adamaret, clanculum illi cùm in uiri domo uerſaret̄ ſe cōmiſcuit. Poſthac amore ardens, & uiri iracundiā formidans, unà cum Promedonte in Naxū abijt, ibiq; ſe Veſtæ addixit obſequio. Hanc igitur à uiro ſæpius repetitam, cùm reddere Promedontis gratia Naxij recuſarēt, & religionis occaſionē iniuriæ prætenderent, repentè bellū inter utroſq; eſt excitatum. Cumq́; Ionum plurimi ſeſe Mileſijs ſocios addidiſſent, tum præcipuè Erythræi egregiè operam nauarūt. Ita multis utrinq; acceptis atq; illatis calamitatibus, bellū iam diutius protractū, unius tandem mulieris opera finem accepit, quod mulieris itidem peruerſitate fuerat inſtitutū. Diognetus Erythræorū imperator cùm uallo munitionibusq; Naxiorū urbem clauſiſſet, ad populandos agros cōuerſus, ingentē omnifariam rerū generis prædam abegit, inter quæ mulieres liberæ, uirgineſq; cōplures extiterūt. Ex ijs unam ipſe ante alias forma præſtantē, nomine Polycritā, ſibi delegit, eiuſq; amore incenſus nō quaſi captiuā ſeruam, ſed ueluti legitimā uxorē tenebat domi. Interea cùm ſolennis ſacrorum dies Mileſiis aduenisſet, militib. ducibuſq;, quòd nihil penitus hoſtem timerēt, in uenerem potumq́; profuſis, Polycrita Diognetū rogauit, an ſibi per eum liceret ſacrorū libaminum partē ad fratres mittere, qui in ciuitate obſidebant̄. Cumq́; id ipſi permiſiſſet Diognetus, ipſa plumbeā laminā placentæ inſertam, unà cum alijs quibuſdā cibarijs, ſeruo ad fratres tradidit deferendā, ac ſimul nunciare iubet, ut ſoli ijs quæ à ſe miſſa eſſent ueſcerentur. Ii cùm inter edendū plumbeam laminā offendiſſent, quæ in ea cōſcripta erant perlege

D runt. Monebat aūt ipſos Polycrita, ut proxima nocte totis uiribus hoſtes adorirent̄, haud dubiè uictoria potituri, quòd omnes diurna crapula uinoq́; cōfecti, negligenter incōpoſiteq́; iacerent. Ea cùm Polycritæ fratres animaduertiſſent, rem omnē ad imperatores q̄primum deferūt, qui illorū adhortationibus cōpulſi, eductis ex urbe copijs hoſtiū caſtra inuadentes, multiſq; interfectis nullo labore ipſa ceperūt: inde ad perquirendos Diognetū Polycritamq́; ſunt cōuerſi, quæ ſuos ciues pro illius ſalute deprecata, ut incolumi abire liceret impetrauit. Ipſa uerò cum fratribus in urbem reuertebat̄: cui ciues uniuerſi obuiam prodeuntes gratulabant̄, eius uirtutē ac prudentiā admirātes ſummis laudibus efferebāt. Verū ipſa tantæ lætitiæ magnitudinē nō ſuſtinens, in omniū conſpectu ad ciuitatis portā repentè expirauit, ubi etiam ſepulchrū illi publico ſumptu conſtitutū eſt, quod faſcinationis ſepulchrū nuncupatur, quòd tanq; inuidi cuiuſpiam faſcinatione cōceſsis honoribus Polycrita prohibita fuerit. Atq; hæc ita ut enarrata ſunt geſta fuiſſe, Naxiorū quidam ſcriptores tradiderūt. Verùm Ariſtoteles nō captam à Diogneto Polycritam, ſed cùm illam fortè ui diſſet, ingenti amore correptū ſcribit, ultro ſe omnia facturū eſſe pollicitum, ſi ad eum Polycrita accedere uellet. Cuius ipſa petitionibus ita ſe aſſenſum ire dixit, ſi ſibi unū duntaxat cōcederet, atq; id iureiurando præſtito ſe facturū cōfirmaret. Quæ omnia ut petebantur futura cùm ſpopondiſſet Diognetus, ipſa Delium liberū ſibi dare poſtulauit: ſic enim ager urbi adiacens uocabatur, in quo hoſtes caſtra collocauerant: aliter ſe nullis cōditionibus unquā ad eum uenturam. Tum Diognetus & amore ardens, & iuramenti inſuper religione obſtrictus, motis ex eo loco caſtris retrocedens liberū Polycritæ agrum conceſsit, quæ illum ſuis ciuibus dono dedit. Ex quo Naxij rurſus Mileſijs æquales facti, inducias primò, mox etiam pacem quibus uoluere conditionibus pepigerunt.

Faſcinationis ſepulchrum.

LAMPSACE. XVIII.

PHocenſes erant ex Codri progenie gemini fratres Phobus & Blepſus, quorum Phobus primus omniū è petra Leucadia ſeſe in mare precipitare eſt auſus, ut Charon Lampſacenus in hiſtorijs retulit. Is cùm eſſet & uirtute præſtans, & regia quadam dignitate ornatus, ad inſulam Parū aliquando negociorū priuatorū gratia nauigauit, ubi à Mandrone Bebriciorū, qui & Pityoeſſeni dicūtur, rege & hoſpitio & amicitia ſuſceptus, in bello quod is tum fortè cum finitimis gerebat, ſocius fuit. Hoc igitur officio permotus Mandron, cùm plurima abeunti Phobo beneuolentiæ argumenta dediſſet, tum in agri ac ciui-

tatis

A tatis partē aſciuit ſociū, ſi ex Phocide colonos adducēs Pityoëſſam incolere uellet. Egreſſus igitur in patriam Phobus, ciuibus aliquot perſuaſit, ut habitatū ſecum in Pityoëſſam concederent, fratrem qui coloniam deduceret ſimul cum ipſis eodem mittens. Nec ſanè Mandron illos promiſsis defraudauit. Igitur in Pityoëſſa conſtituti Phocenſes, cùm bella aſsidua contra finitimos barbaros gererent, ex eorum prǣda ſpolijsq; ditati, inuiſi primò, mox etiam ſuſpecti Bebricijs eſſe cœperunt: igitur ex urbe illos pellere cupientes, primū aduerſus eos Mandronē uarijs iniectis ſuſpicionibus irritare tentabant: qui cùm eſſet ingenio miris atq; perfacilis, eorū dicta aſpernabatur: uerùm Mandrone ipſo peregrè profectò, Bebricij dolis inuadere Phocenſes conſtituerūt. Quod cùm Lampſace Mandronis filia adhuc innupta cōperiſſet, primò quidem amicos ac familiares ab incepto deterrere conata eſt, admonens rem ſceleſtā atq; nefariam ipſos aggredi, cùm in ſocios belli ac beneficos uiros, nunc uerò conciues etiam ſuos, tantū facinus moliantur. Vbi uerò nihil eos ſuis uerbis moueri ſenſit, rem omnē clanculum ad Phocenſes detulit, qui celebritate quadam & ſolenni epularū apparatu ſimulato, Pityoëſſenos ad conuiuia extra ciuitatē uocauerūt. Ipſi uerò bifariam diuiſis copijs, partim ad occupāda ciuitatis mœnia, partim ad hominū cædem uſi ſunt. Atq; per hunc modum ciuitate potiti, Mandronem qui rebus conſuleret reuocarūt, Lampſacen uerò morbo defunctam in ciuitate ſepelientes egregio funere decorarunt, atq; urbem ex eius nomine Lampſacum appellarunt. Sed poſtquàm Mandron proditionis ſuſpicionem deuitans, unà cum illis habitare noluit, interfectorum filios atq; uxores ad ſe mitti iuſsit: quod illi ſine fraude facientes, nulla penitus allata iniuria præſtiterunt, & Lampſacæ primò heroicos honores tribuentes, ad extremum inter deos referri, eiq; tanquā deæ ſacra fieri publico decreto ſtatuerunt, cumq; ſacrificandi morem in poſterum ſemper fixum immobilemq; ſeruarunt.

ARETAPHILA. XIX.

Aretaphila Cyrenæa ipſa quidem, nō multū à noſtra ætate remota, quippe quæ Mithridatis tempore claruerit, ſed uirtute & rerum geſtarū gloria priſcis heroum filiabus omni ex parte extitit conferenda. Hæc Aeglatore patre nata, Phedimo nupſit adoleB ſcenti, nobilitate ac diuitijs inter conciues ſuos facilè principi. Cumq; forma corporis & aſpectu pulcherrima eſſet, prudentia tamen & uirtute animi corporis pulchritudinē ſuperabat, neq; ciuilis facundiæ atq; eloquentiæ expers habebatur. Hanc etiam patriæ calamitates illuſtriorem effecerūt. Nicocrates enim Cyrenis occupata tyrannide, cùm ciues permultos morte damnaſſet, Menalippo Apollinis ſacerdote propria manu interempto, ſibi ſacerdotij ius autoritatemq; uſurpauit. Phedimo quoq; Aretaphilæ uiro per dolum necato, Aretaphilam quamuis inuitam reluctantemq; duxit uxorem. Is igitur cùm multa in ciues crudeliter ſuperbeq; quotidie faceret, tū illud uel in primis ſæuiſsimū apparuit, quòd ad portas ciuitatis cuſtodes appoſuit, qui elata cadauera pugionibus fodientes perſcrutarentur, aut candentibus ferri laminis urerēt, ne quis ciuium pro cadauere extra ciuitatem deportatus ipſum lateret. Erant hæc præter domeſtica mala Aretaphilæ moleſtiſsima, quanquam eius amore deperiens tyrannus ipſi plurimū indulgeret. Cumq; erga omnes immanis atq; intractabilis eſſet, ſolam ipſam manſuetum facilemq; illum habere conſtabat. Plus tamen ingentis ſpiritus mulierem, dolor ex patriæ uexatione ſuſceptus, quàm uiri erga ſe indulgentia cōmouebat, ciuitatemq; tam inhumaniter ab eo uexari tacita indignabatur, præſertim cùm nouæ quotidie cædes uarijs in ciues cōfictis criminibus à tyranno fierent, omneſq; penitus tanta ſcelera ulciſci poſſe deſperarēt: exules enim, & alioqui impotentes, & tyranni etiam timore perculſi, uariè ſeſe diſperſerant: ſola autē Aretaphila publicis rebus ſpem aliquā afferre, & cōmuniū iniuriarū ultionē tentare auſa eſt, Pheræ Thebes multorū laudibus celebratā audaciam ad imitandū ſibi proponens. Sed cùm ſibi nō æquè atq; illi ſocij atq; adiutores facinoris adeſſent, ueneno hominē aggredi meditatᷣ, in quo multa ſibi aduerſa contigerunt: cumq; plurimi peragendi propoſitū tentati modi eam defeciſſent, ad extremū in crimine deprehenſa, nō ultra ualuit mentē ſuam qualis eſſet erga uirum diſsimulare, cùm certiſsimis argumentis conuicta teneretur. Igitur Caluia Nicocratis mater, & alioqui crudelis atq; inexorabilis mulier, grauibus ſupplicijs affectā Aretaphilam ꝙ primū interficiendam cenſebat: ſed Nicocratis iracundiam leniorē faciebat amoris erga Aretaphilam magnitudo, tum quòd ipſa conſtanter ſanè accuſatoribus reſpondebat, alias quaſdam cauſas ueneni, quod apud ipſam compertum fuerat, prætendens. Cùm uerò manifeſtis indicijs argueretur, ut ueneni præparationem diffiteri ſe minimè poſſe conſpiceret, Fateor, inquit, à me medicamentū, non tamen ad mortem fuiſſe pa-

Venena ab Aretaphila Nicocrati parata, deteguntur.

C ratum. Sed cùm ſcirem, mi uir, multis propter ſummã in me beneuolentiã tuam peruerſis
mulierib. odioſam eſſe & inuiſam, quòd tantũ gloria potentiaq́; excellerem, cõtra earum
artes atq; dolos aliquo manſuri in me amoris poculo tanq; præſidio muniendũ te ſtatue-
ram. Ob id igitur talia à me quæſita fuiſſe nõ diffiteor, quę fortè leuioris ac muliebris inge
nij uideri, nõ tamen mortis ſupplicio digna exiſtimari debẽt, niſi tu uir, huius cauſę iudex
cõſtitutus, medicaminũ & incantationũ cauſa necandã uxorẽ eſſe cenſueris, quòd à te for
tè magis q̃ uelles amari uoluerit. Talia conſtanter dicente Aretaphila, Nicocrati placuit
tormẽtis adhibitis huius facinoris quæſtionẽ haberi, eiq́; Caluiã matrẽ præfecit, quæ nul
lí tormentorũ generi parcens, quoad potuit diligentiſsimè omnia exquiſiuit: quæ omnia

Aretaphilæ conſtantia in quæſtionibus.

admodũ cõſtanter Aretaphila pertulit, ut ipſa etiã Caluia quærendo ſit fatigata. Tum Ni
cocrates quæſtionẽ dimitti iubens, innoxiã eſſe Aretaphilam ſibi perſuaſit, quodq́; ipſam
torqueri paſſus eſſet pœnituit. Nec multò pòſt amoris magnitudine ſuperatus, iterũ Are-
taphilę priſtino more cõciliatus, ſummis honoribus atq; omni comitate illius beneuolen
tiam recuperare nitebatur: uerũ ipſa ſuppliciorũ & calamitatũ, quas perpeſſa fuerat, haud
quaq; immemor, nulla aut gratia aut beneficentia flectebat animũ: ſed cùm ad honeſtum
erga patriam amorẽ, qui illam ad facinus tentandum cõpulerat, noua inſuper acceſsiſſet
indignatio, aliam perdendi tyranni rationẽ ingreditur. Erat Aretaphilæ ex priore uiro fi-
lia, ætate iam nubilis: hac uelut eſca ad alliciendum tyranni fratrem utebatur, iuuenẽ ſua-
pte natura ad uoluptates procliuẽ: præterea medicamentis & incantationibus nonnullis
uſam ad capiendum iuuenem, cui Leandro nomen erat, nõnulli perhibent. Hanc igitur
exorato fratre uxorẽ acciperet, ſummo ſtudio cõtendens effecit. Inde ubi primũ ſimul cõ
greſsi ſunt, partim quidẽ puella ſicut à matre fuerat inſtituta, uirũ multis uerbis ad liberan
dam patriã exhortat̃, aſſerens ne ipſum quidem ſub tyrãnide uiuentẽ liberũ eſſe, cùm nec
accipiendi pro ſuo arbitrio uxorẽ, nec acceptã retinendi ius haberet: partim uerò amici in
Aretaphilæ gratiã calumnias & ſuſpiciones aduerſus fratrẽ conſtruebant, gratũ id quoq;
Aretaphilæ futurũ oſtendentes. Quod ubi Leander intellexit, maiorẽ animo rem aggreſ-
ſus, Daphnidis familiaris ſui opera, quem conſilij participem fecerat, tyrannũ interfecit:
D uerũ nõ ultrà Aretaphilæ obſecutus, re ipſa atq; operibus patefecit, ſe fratricidã potius q̃
tyrannicidam extitiſſe: omni enim imperij iure in ſe translato, iniuſtè imprudenterq́; do-
minabatur, honore tamen aliquo & reuerentia Aretaphilã obſeruans. Quæ cùm illi clan-
culum aduerſaret̃, clandeſtinas moliebatur inſidias, ac primò quidem Libycũ bellum ad-
uerſus eum concitauit, Anabo cuidam ex Libya oriundo perſuadens, ut Leandri finibus
uaſtatis, exercitũ urbi admoueret. Poſt hęc amicos Leandri, atq; exercitus ductores tanq;
deſides minimeq́; ad gerendũ bellum idoneos criminabat̃, ocij ac pacis quàm belli cupi-
diores affirmãs. Quapropter quiete ſibi opus eſſe, ſi ſtabilire tyrannidem, & liberè ſuis ci-
uibus cuperet dominari. Itaq; inducias, ſi ita uelit, cum hoſte facturam, & Anabum in col
loquiũ adducturam pollicetur. Sic enim facilius inter eos res poſſe cõponi, priuſquã cœ-
ptum nuper inter utroſq; bellũ, mutuis damnis inferendis crudeſceret. His ubi Leandrũ
annuere animaduertit, priuſquã deſtinatus colloquio dies adeſſet, per occultos nuncios
Anabum rogat, ut inter colloquia Leandrũ captiuũ faciat, magnũ auri pondus, ſi id effe-
cerit, illi ſe daturã promittens. Quibus cõditionib. cùm Libycus aſſenſus eſſet, & inſtaret
colloquijs dies, Leander alias ex alijs cauſas proferẽs colloquiũ abnuebat. Attamen Are
taphilæ uerecundia permotus, quæ ultrò ſe illi comitẽ affuturã pollicebatur, tandem iner
mis ex urbe, ac ſine cuſtodibus ullis proceſsit. At cùm iam Anabo propinquans, illum cõ
trauenientem aſpexiſſet, permotus animo, cuſtodes corporis expectare uelle dicebat. At
præſens Aretaphila partim hortãdo, partim accuſando formidinẽ, tandem uerò cunctan
tem ex manu trahens, conſtanter ſane atq; audacter ad barbarũ perduxit, atq; in eius ma-
nus captiuũ tradidit, quẽ uinctum Libyci carcereq́; incluſum ſeruarunt, quoad Aretaphi-
læ amici promiſſam Anabo pecuniã attulerũt, quibus cum magna ciuiũ profecta multitu
do eſt, atq; omnes re ut geſta fuerat intellecta, curſim ad Aretaphilam gratulatũ, atq; cœ-
ptum opus perficere hortatũ proceſſerant. Ipſa enim cõceptæ aduerſus tyrannũ iracũdiæ
iam fermè oblita, ad ſuppliciũ de eo ſumendum languidior uidebat̃, ciues autẽ de recupe
randa libertate in primis erant ſoliciti. Igitur Aretaphilam ſumma cum lætitia adeuntes,
quaſi diuinũ aliquod numen effuſis lachrymis & proſtratis humi corporib. uenerabant̃.
Alijs itaq; ſuper alios frequenter aduenientibus, uix tandem ut eis Leandrũ traderet im-
petrauere: unde ueſperi ſimul omnes in urbem redeunt, ac debitis laudibus honoribusq́;
Aretaphilę perſolutis, ad ſuppliciũ de tyranno ſumendum animos cõuertêre: & Caluiam
quidem

A quidem tyranni matrem uiuentem cremauerunt, Leandrum uerò culeo inſutum in mare *Leandri tyranni*
proiecere. Demũ reipub. inſtituendæ intenti, Aretaphilam ut unà cum ciuitatis optimati *interitus.*
bus rempub. gubernandam capeſſeret, hortabantur. Quæ tanq; in dubio difficiliq; certa
mine, utq; ad præmiorum diſtributionẽ uerſata, ubi liberam ciuitatem ſuiq; iuris factam
conſpexit, in gynæcium ſecedens, negociorũ omniũ ac ciuilium rerum cura poſthabita,
quod reliquũ fuit uitæ ad telas inter amicas ſociasq; mulieres placidè trãquilleq; peregit.

CAMMA. XIX.

GAlatæ duo quidam tetrarchæ fuere Sinatus & Synorix, cùm potentia apud ſuos cla-
ri, tum familiaritate inter ſe, & generis propinqnitate coniuncti. E quibus Sinatus u-
xorem duxit uirginem, nomine Cammam, corporis forma & puchritudine claram, ma-
gis uerò ob uirtutẽ admirandam. Neq; enim ſolùm uirtutibus quæ à muliere exigunt̃, mo
deſtia & erga uirum obſeruantia, ſed prudentia quoq; & ingenua quadam animi magni-
tudine excellebat. Humanitas pręterea, atq; erga inferiores præcipua comitas, amabilem
gratamq; omnibus ipſam reddebant. Accedebat ad hæc nõ parui apud eas gentes habitũ
ornamentũ, Dianæ ſacratam eſſe, quæ apud Galatas religioſiſsimè colitur; cuius feſtis ſa-
crisq; celebrandis tanta obſeruantia & cultus magnificẽtia præerat, ut omnes in ſui admi-
rationẽ cõuerteret. Huius igitur captus amore Synorix, cùm neq; precibus ipſam flecte-
re, neq; ulla ui cogere uiuẽte Sinato poſſe animaduerteret, ſceleſtiſsimũ facinus auſus, do
lo Sinatũ interemit. Nec ita multò pòſt miſsis ad Cammam nuncijs, in Dianæ templo de-
gentem, connubiũ eius petebat: quæ nõ humiliter aut abiecto animo indignã uiri mortẽ
ferens, diligentiſsimè quonam pacto de Synorige ſuppliciũ ſumeret obſeruabat. Qui ma
iore indies ſtudio petitionẽ urgens, rationes haud multũ à ueritate alienas afferebat, neq;
genere, aut alia quapiã re Sinato inferiorẽ eſſe ſeſe prædicãs, perpetratæ uerò cædis nõ o-
dium aut auaritiã, aut aliam omnino cauſam, pręter nimiũ amorẽ Cammæ fuiſſe teſtabat̃,
cui facilè ueniam ab ea tribui cenſebat oportere. Cùm iugiter Camma fatigaretur, primò
nõ admodum aſperè aut inhumaniter petentibus aduerſata, paulatim deinde molleſcere,
ac uerbis animum flecti ſimulauit, cùm præſertim affines amiciq; omnes Synorigis gratia
B cõmoti, eius uoluntati ut acquieſceret hortarent̃, perſuadentes ipſam ac cogentes. Qui-
bus tot rebus tandem Camma permota, Synorigem ad ſe in templum uocari iubet, quaſi
deam huius autorem connubij factura: uenientem deinde benignè atq; humaniter exci-
piens ad aram perduxit, & phialam tanq; deæ libamen tenens, ipſa primò partem ebibit,
reliquũ deinde Synorigi bibendum porrexit. Erat autem uenenatũ mulſum quod phiala
cõtinebatur: idq; poſtquã ebibiſſe illum uidit, clara uoce exclamans, & deæ ſimulachrum
uenerata: Te, inquit, dearum præclariſsima obteſtor, me huius tantũ diei gratia Sinato ſu
perſtitem hactenus fuiſſe. Quid enim illo mortuo tanti temporis uſus afferre poterat pre-
ter huiuſce ultionis ſpem? cuius iam compos tuo numine effecta, libens uolensq; ad uirũ
deſcendo. Tibi uerò omniũ ſceleſtiſsimè, ſepulchrũ pro thalamo, & pro nuptijs funus ami
ci familiaresq; parabunt. Ea cùm Synorix audiſſet, & iam uiſceribus inhærens uenenum
ſentiret, primò quidem currũ conſcendit, agitatione atq; cõcuſſu uenenũ è corpore ſe de-
pulſurũ exiſtimans: uerũ ibi diutius conſiſtere ob dolorem nõ potens, lectica ſe circunfer
ri iuſsit, neq; ita multò pòſt è uita migrauit. At Camma magnã noctis partẽ cõtra ueneni
uim reluctata, ubi defunctum Synorigem audiuit, prompto atq; alacri animo deceſsit.

STRATONICA. XX.

PRæbuit inſuper Galatia Stratonicam Deiotari, & Chiomaram Ortiagontis uxores,
memoratu ſanè dignas mulieres. Quarum Stratonica cùm ſe filijs, qui uiro ſuccede-
rent, carere, idq; nõ uiri, ſed ſui uitio euenire animaduerteret, perſuaſit uiro, ut ex quacũq;
poſſet muliere procreatos filios ſibi ſupponeret. Tum Deiotarus mulieris prudentiã ad-
miratus, eius cõſilijs obtemperare nõ recuſauit. Ipſa igitur ex ancillis uirginem præſtanti
forma Electram nomine deligens, ut Deiotaro coniungeret̃ effecit, atq; ex ea progenitos
filios ſuſcipiẽs tanq; legitimos ingenuè liberaliterq; ſumma cum beneuolentia educauit.

CHIOMARA. XXI.

EX eadem quoque Galatia & Chiomara orta eſt Ortiagontis uxor, per id temporis
capta, quo Romani Galatas, qui in Aſia ſunt, bello ſuperauere. Hanc Tribunus qui-
dam in diuidenda præda ſortitus, ut plerunq; militarium hominum fert conſuetudo, ui-
tiauit. Is erat cùm propenſus ad libidinem, tum uerò pecuniæ auidiſsimus, ut facilè auari-
tia libidinem ſuperaret. Igitur cùm Chiomaræ affines multum auri pro ipſa redimenda
pollicerent̃, Tribunus diligentiſsimè mulierẽ obſeruabat. Fortè autẽ fluuius locũ, in quo

C Chiomarę cognati aderant, & Romanorũ caſtra medius interfluebat: hunc poſtq̃ illi pro
miſſum redemptionis præmiũ afferentes tranſgreſsi ſunt, iamq́; ea recepta domũ remea-
rent, ipſa ſeruorũ cuidam iubet, ut Romanũ, qui eam ſalutandi gratia uſq; ad fluuiũ proſe
quebatur, interficeret. Cumq́; eius mandatis ſeruus obtemperans captata opportunitate
Tribunum occidiſſet, ipſa deſectũ à cadauere caput proprijs ueſtib. inuoluens, unà cum
ſuis domũ remeauit: utq; primũ in uiri conſpectũ peruenit, laxato ſinu caput quod geſta-
bat ante illius pedes effudit. Cumq́; ille rei nouitate ac magnitudine perculſus mulierẽ in
terrogaret, num fidem ſeruare præclarũ arbitraret̃: Sanè, inquit illa: uerũ hoc longè, ut o-
pinor, præclarius eſt, unum duntaxat ex his qui mecũ concubuerint uiuere. Cum hac Po
lybius in Sardis ſe collocutũ eſſe dicit, & animũ ac prudentiam eius admiratũ. Sed aliud
quoq; eadem prouincia ſcribendi præſtat argumentũ. Nam cùm Mithridates ad L X. ex
Galatarum optimatibus, ſimulata amicitiæ cauſa, Pergamum accerſiſſet, aſperè deinde
ſuperbeq́; illos exagitans, uehementer eorum contra ſe animos irritaſſet, regis iniurias
haudquaquam æquo animo tolerantium, erat inter Galatas Toredorax, uir & procero
robuſtoq́; corpore, & animi audacia ac fortitudine præſtãs, qui negocium cõcedentibus
reliquis ſuſceperat, ut Mithridatem ex gymnaſio, ubi iuri dicendo conſiſtere conſueue-
rat, abreptum, in foſſam, quæ non procul inde aberat, præcipitaret. Fortè eo die cùm Mi-
thridates ad gymnaſium uenire nollet, Galatas domũ ad ſe uenire iubet: eos Toredorax
hortatur, ut cùm in unum cõgreſſi fuerint, omnes impetu facto regem trucident. Verũ id
cõſilium Mithridatẽ minimè latuit, cùm ex eorum numero quidam rem omnẽ ad regem
detuliſſet. Quapropter ingenti iracundia percitus rex, ſingulatim Galatas lictoribus ma-
ctandos tradidit. Nec ita multò pòſt ſibi uenit in mentẽ, eſſe in illorũ numero adoleſcen-
tem cùm nobilitate inſignẽ, tum forma & ætatis flore omniũ qui apud ſe eſſent pręſtantiſ-
ſimũ. Eius igitur miſeratione cõmotus ægrè admodum ferebat, quòd ipſum quoq; iuſsiſ-
ſet interfici. Et quanq̃; de eo iam ſumptum ſupplicũ arbitrabatur, aliquos tamen dimiſit,
qui, ſi uiuentẽ adhuc nacti eſſent, eum morti ſubtraherent: huic Vepolitano nomen erat,
& caſu quodam euenerat, ut is, quando cõprehenſus fuit, egregiam ueſtem miroq́; opere
D elaboratam indutus eſſet. Hanc igitur puram atq; incruentam lictor habere cupiens, cùm
in ſpoliando iuuene eſſet occupatus, nũcios procul à rege miſſos effuſo curſu ad ſe uenien
tes, & nomine Vepolitanũ appellantes, eſt conſpicatus. Itaq; quæ pluribus exitij cauſa ſo
let eſſe auaritia, Vepolitano inſperatam ſalutẽ attulit. Inter hæc Toredorax occiſus regis
iuſſu inhumatus iacebat, neq; ad eum ſepeliendum amicorum quiſquam audebat accede
re: uerùm Pergamena mulier, quam ob eximiam pulchritudinẽ Toredorax adamauerat,
ſummum diſcrimen ſubire auſa, acceptum corpus, & quibuſcunq; poterat ornamentis de
coratum, ſepelire parabat. Quod ubi regij cuſtodes animaduertêre, comprehenſam mu-
lierem ad regem adducunt: qui eius pulchritudine nonnihil cõmotus, eiusq́; ſimplicitatẽ
ac fidem admirans, ubi amorẽ huius rei cauſam eſſe comperit, eam omni reatu abſoluens
incolumem abire iuſsit, eidemq́; amati corpus ad ſepulturam concedens, ueſtes aliosq́; fu
nere dignos ornatus ex propria ſupellectile largitus eſt.

Auaritia ut multis exitij cauſa eſt, ſic quandoq; ſalutis.

TIMOCLIA. XXII.

THeagenes Thebanus eadem cum Epaminonda & Pelopida, cæteriſq́; optimatibus
ſentiens de republica, in ea pugna qua pro cõmunibus Græciæ fortunis apud Chæ-
roneam pugnatum eſt, cecidit, cùm iam hoſtilem aciem quæ contra ſe ſteterat, profliga-
tam uictor inſequeret̃: is enim eſt qui præcipuũ quempiã ex hoſtibus perſequens, cùm il
le, quonam uſq; nos tandem perſequeris clamitaret, Macedoniam uſq; reſpondit. Huic
mortuo ſoror ſuperſtes relicta, fratris uirtutem & propinquitatẽ egregijs operibus eſt te-
ſtata, quanq̃; & ipſa fraternæ uirtutis fructũ nõ exiguũ cepit, quòd inde quantũ ad ipſam
pertinebat, cõmunes calamitates æquo animo toleraret. Nam poſtquàm Thebis potitus
eſt Alexander, milites per omnem urbem prædabundi diſcurrentes, alius aliam, ut cuiq;
ſors obtulerat, partem diripiebat: fortè euenit, ut Timocliæ domum uir quidam impius
atq; inhumanus, Thracum equitum præfectus, occuparet, qui regi & nomine & genere
conueniens, moribus ab eodem uehementer diſsidebat. Is Timocliæ neq; genus, neq; àn-
teactæ uitæ pudicitiã ueritus, ubi cœnatus multo ſe uino ingurgitauit, Timocliam ſecum
dormitum accerſiri iubet: neq; illata iniuria contentus, inter loquendum diligentiſsimè,
nunquid auri aut argenti defodiſſet, aut uſpiã occuluiſſet, ſciſcitabat̃: ac partim minitãdo,
partim uxoris loco eam ſe habiturũ pollicendo, quod cupiebat extorquere conabat̃. Illa
uerò, ut erat ingenio prõpta, oblatã ab aduerſario occaſionẽ libenter arripiens: Vtinam,
inquit,

A inquit, mori potius ꝙ uiuere mihi ante hanc noctem cõtigiſſet: corpus enim ab omni cõ-
tumelia intactum inuiolatumq; ſeruaſſem: uerùm te unum tutorem, dominũ, uirũ, ubi ita
dijs uiſum eſt, habitura, quæ tua iam ſunt amplius te celare nõ debeo: mihi enim iam nihil
aliud, ꝙ quod tibi libuerit, accidere poſſe cõſpicio. quo pacto igitur ſe res habeat, accipe.
Ego cùm multũ haberem cælati argenti, mundum quoq; muliebrem maximi precij, auri
quoq; ſignati non parũ, ubi urbem iam propè modũ captam animaduerti, omnia proieci,
uel ut uerius loquar, in puteo aqua carente depoſui, idq; pauci admodũ nouere. Eſt enim
puteus operculo quodam deſuper tectus, & multis undiq; circumſeptus ueprìbus. Tu igi
tur illa ſumens fortunatiſsimus euades: mihi uerò eadem illa priſtinæ fortunæ & domeſti
ci ſplendoris teſtimonium apud te afferent. Ea cùm Macedo audiſſet, quoad illuceſceret
dies expectare non ualuit, & Timocliæ ſe ad monſtratum locum deducere, atq; horti adi-
tum, ne quis eô peruenire poſsit, claudere iubet. Ipſe poſt hæc interiore duntaxat tunica
indutus deſcendit in puteum, malo genio, & illatæ in Timocliam iniuriæ ultricibus eô du
centibus. Nam poſtquã illum iam ad fundum putei deſcendiſſe Timoclia animaduertit,
multos & ipſa proprijs manibus lapides in puteum deuoluens, plures etiam ancillas eô-
dem deijcere iubens, uirum tandem nequicꝗ auxilia implorantẽ lapidibus obrutum in-
teremit. Ea res poſtꝗ Macedonibus comperta eſt, detracto ex puteo cadauere, cùm iam
rex per præconem edixiſſet, ne quis Thebanũ ciuem auderet occidere, cõprehenſam Ti-
mocliam ad regẽ ducunt, perpetratæ ab ea cædis accuſationẽ deferentes. Qui cùm ex uul
tu atq; ſtatura corporis, tum & inceſſus & morũ grauitate, generoſam quandam in ipſa di
gnitatem cõtemplaretur, primũ quęnam eſſet interrogauit. Ad quem ipſa conſtanter atq;
interrito uultu reſpondens: Mihi, inquit, Theagenes frater fuit, qui imperator in Chæro-
nia cõtra uos pro cõmuni Græcorũ ſalute pugnans occubuit, ne nos ea, quibus nunc pre-
mimur, mala ſuſtineremus. Ego uerò poſtquã noſtro genere indigna pati ſum coacta, ne-
quaquam iam mortem abnuo: mihi enim mori longè melius eſt, quàm noctem præteritæ
ſimilẽ, niſi tu prohibeas, experiri. His auditis adſtantiũ pleriq; lachrymas cõtinere nõ po-
tuerunt. At Alexander nõ ſe quidem miſerari tali animo præditam mulierẽ inquiens, ſed *Iuſtitia Ale-*
B magis uirtutẽ ac prudentiã admirari, principibus militiæ edixit, ut cauerent, ne qua poſt- *xandri.*
hac ingenuæ domui afferretur contumelia. Timocliam uerò, atq; omnes generis propin-
quitate ipſi coniunctos, incolumes, atq; ab omni clade intactos ſeruari præcepit.

ERYXONA. XXIIII.

BAtti, cognomento Eudæmonis, filius fuit Arceſilaus, uir moribus haudquaꝗ patri ſi-
milis: nam uiuo etiam parente, cùm pinnas & propugnacula quædam circa domum
ſuam ædificare cœpiſſet, à patre prohibitus, ac inſuper talento mulctatus eſt. Is itaq; poſt
patris mortẽ, cùm & ſuapte natura ferox eſſet, & Learcho ſceleſtiſsimo atq; audaciſsimo
uiro familiariter uteretur, ex rege ſeſe in tyrannum permutauit. Verùm Learchus inſidias
tyrannidi machinatus, optimũ quenq; Cyrenenſium ciuium aut morte, aut exilio damna
bat, eius rei culpam omnẽ in Arceſilaum transferens. Tandem cùm in letalem morbum
Arceſilaus incidiſſet, Learchus maritimo echino in potione tradito, ipſum ad mortẽ com
pulit. Ipſe uerò tyrannide occupata, eam Arceſilai filio ſeruare dictitabat. Verùm puer, &
quia pede altero claudicaret, & ob ætatis etiam imbecillitatem, non magni ſanè à ciuibus
exiſtimabatur. Igitur ſtudium omne in adoleſcentis matrẽ uertentes, ſumma charitate be
neuolentiaq; ipſam colebant: quæ cùm prudentia & amore erga uirum præcipuo habere
tur, tum affinium clientumq; multitudine nõ paruas in ciuitate uires habebat. Quibus de
cauſis permotus Learchus, eius coniugium expoſcens, filium Battum in adoptionẽ ſi ſibi
nupſiſſet, aſſumere pollicebatur, ſucceſſorem poſt ſuam mortem in regno futurũ. At Ery-
xona (id enim mulieri nomen erat) quaſi & ipſa cõiugium exoptaret, fratres quid ſibi eſ-
ſet agendum, cõſulere uelle dixit, eumq; ipſum adhortata eſt, ut rem cum fratribus cõmu-
nicaret. Illi igitur dedita opera rem ꝗ maximè in longum protrahentes, quod animo face
re deſtinauerant præparabant. Inter hæc Eryxona, miſſa ad Learchũ ancillula, nunciat fra
tres neq; connubio multũ aduerſari, neq; eidem palàm aſſentiri: quòd ſi fortè mutuæ con
ſuetudinis facultas detur, fore ut cùm non ultra iam obſiſtere poſsint, facilè ac libenter aſ-
ſentiantur. Igitur optimũ ſibi uideri, ut ipſe noctu quandocũq; placuerit ad ſe ueniat: prin
cipio nanq; peracto, reliqua proſperè ſucceſſura exiſtimare. Erant hęc Learcho uehemen
ter grata: cumq; mulieris amore flagraret, ſe ubi illa iuſſerit uenturũ pollicetur. Atq; hæc
omnia Polyarcho, qui inter fratres eius maior erat, autore mulier faciebat. Igitur ſtatuto
ſimul congrediendi tempore, Polyarchus adoleſcentes duos gladijs armatos in ſororis

C cubiculo clanculum ſtatuit, quorum parens non multò antea fuerat à Learcho interfectus. Inde ibi Learchus, uocante Eryxona, domum ſine cuſtodibus ullis ingreſſus eſt. Adoleſcentes impetu facto multis confoſſum uulneribus interfecere, & cadauer per feneſtras domus eijcientes, Battum regijs inſignibus ornatum ad populum produxere, eóq; in paterno regno conſtituto, priſtinam reipub. formam Polyarchus Cyrenæis ciuibus reddidit. Erant per ea tempora Cyrenis milites permulti ab Amaſide Aegyptiorum rege miſsi, quorum fide atq; opera plurimum Learchus utebatur, magnumq; per eos timorem ciuibus incuſſerat. Hi geſtæ rei nuncio ad Amaſim miſſo, grauiter Polyarchum & Eryxonam accuſabant. Quapropter cõmotus Amaſis bellum repentè Cyrenęis meditabatur, uerùm ob matris mortem occupatus, dum iuſtas illi exequias celebrat, bellum pauliſper differre coactus eſt. Interea legatos ad Polyarchũ mittit, quo animo in eum rex eſſet nunciantes. Quorum uerbis cõmotus Polyarchus, purgatum ſeſe ad Amaſidem ſtatuit proficiſci. Eryxona quoq; nunq; illum deſerturam aſſerens, atq; omne ſecum diſcrimen ſubire uolens, comitem fratri itineris addit. Tum eorum mater Critola, quanq; ætate iam grauis eſſet, quòd utrunq; miro amore diligeret, ſimul & ipſa itineris laborem ſuſcepit. Erat magna mulieris eius apud omnes dignitas atq; exiſtimatió, cùm propter egregias uirtutes ſuas, tum quòd Batti, qui Felix cognominatus eſt, ſoror extiterat. Hi poſtq; in Aegyptũ peruenere, omnes perpetratum ab eis facinus admirabantur. Amaſis uerò pręcipuè fortitudinem atq; prudentiam Eryxonę contemplatus, magnis ornatos muneribus, & regia liberalitate ac magnificentia proſequutus, Cyrenas redire permiſit.

XENOCRITA XXIIII.

NEc minus profectò laudis meruiſſe uidentur, quæ à Cumęa Xenocrita aduerſus Ariſtodemum tyrannum geſta ſunt, quem nonnulli ob delitias Malacum, id eſt, mollem cognominatum arbitrantes, procul à rei ueritate diſcedunt. Mollis enim apud barbaros cognomentum accepit, quod apud eos impuberem deſignat, eò quòd admodum adoleſcens unà cum æqualibus comatis adhuc in bello aduerſus barbaros geſto præcipuè claruit; nec tantùm audacia & animi uigore in pugnando, quantùm prudentia conſilióq;
D excellere uiſus eſt. Itaq; cùm ciues omnes in admirationem ſui conuertiſſet, magnam eſt apud illos autoritatem conſequutus, & ab iiſdem cum exercitu miſſus, ut Romanis ferret auxilium, quibus Tyrrheni per id temporis ut Tarquinium Superbum in regnum reſtituerent, bellum intulerant. Ea cùm diuturnior militia fuiſſet, haud facilè dici poteſt quantum gratiæ apud eos qui ſecum militabãt ſibi comparauerit. Igitur ubi ſatis eos conciliaſſe exiſtimauit, perſuadetut ſenatus autoritate deiecta, optimates ac potentiores omnes ex urbe pellerent: quibus tandem perpetratis, non magno labore ciuitatis tyrannidem occupauit. Erat is libidine in mulieres, atq; etiã ingenuos pueros ſupraq; dici poteſt corruptiſsimus. Fertur enim maſculos quidem adoleſcentes in mulierum morem comatos, & auro, cæteróq; mundo muliebri inſtructos, apud ſe habere conſueuiſſe: mulieres uerò & tonderi capita, & epheborum chlamydes, & breuiſsimas geſtare tunicas cogebat: earumq; multis cùm deditus eſſet, unam tamen præ cæteris amabat Xenocritam, quam exulante patre domi relictam, nullis neq; nuncijs, neq; uerbis antea tentatam, repentè ad ſe deduci iubet, magni ipſam muneris loco habituram exiſtimans, ſi apud eum quocunque modo uerſari poſſet. Verùm hæc ingenuum puellæ animum haudquaquam fregerunt, grauiterq; ferebat, quòd inſponſata indotatáq; apud illum pro pellice uerſaretur. Non minus præterea quàm qui tyranno infenſiſsimi erant, patriæ libertatẽ exoptabat. Fortè euenit ut per id temporis Ariſtodemus opus arduum ſanè maximiq; laboris, uerùm nullius uſus aut cõmoditatis futurũ aggrederetur: ingenti enim foſſa Cumæorũ agrum circundare ſtatuit: quod nõ utilitatis cuiuſquã, ut diximus, aut neceſsitatis gratia excogitarat, ſed ut aſsiduo labore fatigatis ciuibus, nullius ocij aut ceſſationis occaſionem daret: erat enim ſingulis certum menſura agri ſpatium definitum, quod effodere, atq; indigeſtam humum aſportare cogebantur. Conſueuerat autem Xenocrita quandocunq; abeſſet Ariſtodemus, uelato capite in ſecretiorem partem ſecedere. Talia igitur illo digreſſo facientem, adoleſcentium aliqui per iocum interrogarunt, cur unum duntaxat Ariſtodemum tanto pere reuereretur, nec alijs hoc honoris deferret. Quibus illa ſerio, non ioco reſpondens, inquit, Quia ſolus ex Cumæis Ariſtodemus uir eſt. Hoc dictum animos omnium qui audierant pupugit: generoſiores uerò ad libertatis curam recuperandæ erexit. Fertur quoque, Xenocritam dicto illorum audito, grauiter ingemiſcentem ſubieciſſe: Quàm mallem & ipſa cum patre ſimul terrã effodere atq; aſportare, quàm in huiuſmodi delitijs ſum-

máq;

A maq; potentia apud Ariſtodemum uerſari. Quæ res magnopere coniuratorum animos confirmauit, quorum princeps Thymoteles erat. Igitur Xenocrita in regiam aditum præbente, inermem atq; omni cuſtodia uacuum tyrannum aggreſſi, nullo prohibente interfecerunt. Ita duplici mulieris uirtute Cumæorum ciuitas libertatem accepit: nam & prima eius recuperandæ curam cogitationemq; iniecit, & ad opus perpetrandum contulit auxilium. Quumq; Cumæi ciues maximos honores afferre Xenocritæ pararent, illa omnibus neglectis unum duntaxat ab eis poſtulauit, ut ſibi Ariſtodemi corpus liceret ſepelire. Quo facilè perlibenterq; conceſſo, ciues ſacerdotem Cereris ipſam conſtituêre, non minus deæ ſacerdotem, quàm mulieri ſacerdotij honorem gratum futurum arbitrantes.

PYTHEI VXOR. XXV.

Pythei quoq; uxorem, qui Xerxis temporibus claruit, prudentia probitateq; inſignẽ fuiſſe perhibent. Eius uir Pythcus, aurifodina inuenta, cupidè nimis, ac ſuperflua quadam curioſitate eiuſmodi operi intentus, omnes in eo ciues occupatos habebat, cùm alijs ad fodiendum uteretur, alios cõflando purgandoq; fatigaret, quoſdam uerò ei quod iam paratum eſſet cuſtodiendo præficeret. Omnibus igitur circa auri comparationem occupatis, cùm aliud nihil agere poſſent, multiq; ob laboris magnitudinẽ perirent, cuncti uerò tam multum in ea re ſtudium improbârent, mulieres facto agmine ad Pythei uxorem uenerunt, orantes, ut huic malo aliquod remedium imponeret. Ipſa mulieres benignè alloquuta, diſcedere ac bono animo eſſe iubet. Inde fabris, quibus ciuitas ob auri multitudinem abundabat, adhibitis, aureos panes, atque omnis generis cibaria ex auro fabrefieri mandauit, & ea præcipuè quibus Pytheum delectari cognouerat. His diligenter ſtudioſeq; confectis, Pytheus, qui dies aliquot ab urbe abfuerat, domum rediit. Venienti itaq; & parari cœnam poſtulanti, mulier auream menſam afferri iuſsit, in qua nihil quod eſui eſſet appoſitum erat, ſed omnia ex auro, ut antea diximus, fabrefacta. Ac primo quidem aſpectu gauiſus eſt Pytheus, mira arte ſingula elaborata conſpiciens. Inde aſpectu iam abundè ſatiatus, quicq; cibi afferre præcipiebat: uerùm mulier cuncta quæ poſtulaſſet, ex auro cõpoſita iubebat apponi: cumq; ille iracundia percitus eſurire ſe uociferaretur, neq; ſe aurũ per id temporis amplius expoſcere: Tu uerò, inquit mulier, nullius rei præter hanc unam habendæ facultatem præbes: omnis enim uirorum cura, omniſq; ars tuo iuſſu in parando auro uerſatur, ut nemo iam agros colat, omniſq; ſerendi, plantandi, ac nutriendi arbores diligentia perijt, dum in his fodiendis ac perquirendis, quæ minimè uſui eſſe poſſunt, tuo iuſſu omnes ſunt occupati, nec pauci etiã eiuſdem rei cauſa moriantur. Hac oratione non mediocriter cõmotus Pytheus, fodiendi negocium haudquaq; penitus omittens, quintam duntaxat ciuium partem in opere cõtinuit, reliquos cùm agriculturæ, tum cæteris artibus operam dare præcepit. Poſt hæc cùm Xerxes in Græciã tranſire pararet, Pytheus egregiè inſtructum exercitum, & alia munera excellentiſsima mittens petebat à rege, ut ex pluribus quos habebat filijs, uni ſaltem uacationẽ militiæ concederet, qui eius ſuſtentare ſenectutem, & quæ domi agenda eſſent, adminiſtrare poſſet. Verùm indignatione atq; iracundia percitus Xerxes, filium quem domi remanere petierat Pytheus, interfectum, ac membratim conciſum, per caſtra iuſsit circumferri, & reliquos ſecum proficiſci coëgit, qui omnes in pugna perierunt. Quamobrem dolore cõfectus Pytheus, quod pleriſq; timidis & inſanis euenire conſueuit, cùm & mortem formidaret, & uitæ ſatietate atq; odio teneretur, ut neq; iam ultrà uiuere uellet, nec tamen uitam auderet abijcere, miſeram ſanè delegit uiuendi rationem. Erat in ciuitate tumulus ingens, à quo nõ procul fluuius, quẽ Pythopolitam incolæ appellant, præterfluebat: in eo cùm Pytheus monumentum ædificaſſet, fluuij curſum ita ut tumuli radices attingeret deriuauit. Quibus peractis ipſe monumentũ ingreſſus, curaq; omni & gubernatione ciuitatis penes uxorem relicta, eidem ne quis monumentũ ingrederetur cauere præcepit, utq; ſingulis diebus paratã cœnam nauigio impoſitam mitteret, quoad priorem intra monumentũ protractam conſpexiſſet. Quòd ſi nauigium cœnam integram habens præterijſſet, tunc ſe iam mortuum arbitraretur. Et is quidem eo pacto quod uitæ reliquum fuit miſerabiliter duxit. Mulier uerò egregiè admodum regni cura ſuſcepta, malorum finem ciuibus ſuis impoſuit.

Conuiuium aureum.

B

FINIS.

Plutarchi parallela.

C GVARINO VERONENSI INTERPRETE.

COMPLVRIMI ſunt, qui uetuſtiſsimas hiſtorias ob rerum præter opinionem geſtarum admirationem, fictiones & fabulamenta eſſe exiſtiment. Quamobrem cùm multa poſterioris temporis facinora ſimilia obtigiſſe compererim, ea ipſa quæ Romanis temporibus acciderunt delegi, & priſcis nouum ſimile adieci, eorumq́ꝫ nomina qui literis illa memoriæ prodiderunt, ſcripta ſubiunxi.

De Dati, Cynegiro, &c. I.

PErſarum præfectus, Datis nomine, cum tricies centenis millibus militũ Marathonẽ, qui in Attica campus eſt, irrumpens, cùm ibi caſtra locaſſet, indigenis bellum indixit. Quocirca ſpreta Barbarorũ multitudine, Athenienſes quatuor creatis ducibus, Cynegiro, Polyzelo, Callimacho, & Miltiade, nouem militum millia eò mittunt. Collatis deinde ſignis cùm Polyzelus quendam humana ſpecie auguſtiorem conſpexiſſet, cæcus amiſſo uiſu factus eſt. Callimachus complurimis transfixus haſtilibus, quanq́ꝫ uitam efflaſſet, ſtetit. Cynegirus inuectam Perſarum nauim detinens utraqꝫ manu, obtruncatur.

De Haſdrubale & Glauco. II.

HAſdrubal capta Sicilia, Romanis bellum indixit. Senatus itaqꝫ Metellum imperatorem creat, qui uictorem inde reportauit exercitum. In eo bello L. Glaucus, uir præcipua nobilitate, cùm Haſdrubalis nauem detineret, utranqꝫ manũ amiſit, uti ſcriptum reliquit Ariſtides Mileſius primo rerum Sicularũ, à quo materiã Dionyſius Siculus accepit.

De Xerxe & Ageſilao. III.

XErxes bellum Græciæ illaturus, cum quingentis myriadibus militũ penes Artemiſium ancoras iecerat. Qua re perturbati Athenienſes, Themiſtoclis fratrem, Ageſilaum nomine, ſpeculatorẽm miſerunt, tametſi pater Neocles eum utranqꝫ manũ amiſiſſe per quietem uidiſſet. Is itaqꝫ inter Barbaros habitu Perſico conſtitutus, quendam ex Xerxis ſtipatoribus, nomine Mardonium, interfecit: exiſtimauerat enim eum Xerxem eſſe.
D Cùm igitur à circumſtantibus captus, ligatus ad regem deductus eſſet, eum ad Solis aram immolaturum offendit: in qua dexteram imponens, cùm aliquandiu uim ſuppliciorũ ne ullo quidem emiſſo ſuſpirio toleraſſet, è uinculis liberatus eſt, hac adiecta uoce: Huius generis Athenienſes uniuerſi ſunt: quòd ſi fidem non habes, læuam quoque inijciam. Ea res cùm Xerxi pauorem incuſsiſſet, ſeruari Ageſilaum imperauit, quemadmodum in ſecundo rerum Perſicarum Agatharchides Samius tradit.

De Mutio. IIII.

POrſena rex Tuſcorum aduerſus Romanos bellaturus trans Tyberim caſtra habebat, interceptaq́ꝫ quæ Romam ferebatur annona, eos fame urgebat. Eam ob rem cõfuſis patribus, Mutius ordinis patritij homo, quadringentos æquales à Conſulibus accipiens, fluuium priuato traiecit habitu. Vbi cùm ſtipatorẽ quendam neceſſaria ducis diſpartientem uidiſſet, Porſenam ratus, hominem occidit. Ductus deinde ad regem, dexteram igni manum impoſuit, doloresq́ꝫ animoſe diſsimulans, ac ridens, inquit: Solutus ſum, tametſi nolis, barbare. Nos quadringentos eſſe ſcito, qui tuo in exercitu obuerſamur, ut te neci tradamus. Tum rex terrore confectus pacem Romanis fecit, ſicut quarto hiſtoriarũ Ariſtides Mileſius memoriæ mandauit.

De Argiuis & Lacedæmonijs. V.

ARgiuis ac Lacedæmonijs de Thyreate agro diſceptantib. Amphyctiones ut utriqꝫ pugnã cõmitterẽt iudicarũt, & uictori ager adiudicaretᷣ. Itaqꝫ Lacedęmonij Othryadem, Argiui aũt Therſandrũ imperatores creant. His deinde pugnantib. duo ex Argiuis, Agenor & Chromius, ſuperſtites uictoriã in urbem renunciãt. Per ſummã poſtea quietẽ Othryades, qui ſuperuixerat, ſemifractis innitens haſtis, ex cæſis ſcuta corripiẽs trophæũ erexit, ex proprio inſcribens cruore: Ioui, in cuius poteſtate ſunt trophæa. Dehinc orta utrinqꝫ diſcordia, Amphyctiones cùm rei ſpectatores aduentaſſent, palmã Lacedæmonijs adiudicant. Hæc ita geſta eſſe Chryſermus in tertio rerum Peloponeſiacarũ cõmemorat.

De Romanis & Samnitibus. VI.

ROmani contra Samnites bellum gerentes, Poſthumium Albinum imperatorem faciũt, qui ad Caudinas furcas (is enim anguſtiſsimus locus eſt) inſidijs circumuentus tres legiones amiſit. Ipſe etiam letali uulnere accepto cecidit. Nocte deinde concubia

paululum

A paululum recepto ſpiritu, raptis ex interfectis hoſtibus clypeis trophæum erexit, tinctaq; cruore dextera titulum inſcripſit: Romani de Samnitibus Ioui, in cuius poteſtate ſunt tro phæa. C. Marius deinde, cognomento Læmargus, imperator eò miſſus, cùm ad locum ad uentaſſet, uiſo trophæo optimũ cepit augurium, & Marte collato regem captum Romã uictor tranſmiſit, ut tertio Italicarum rerum Ariſtides Mileſius ſcripſit.

De Leonida. VII.

PErſis in terram Græciam cum myriadibus quingentis aduentantibus, Leonidas unà cum trecentis à Lacedæmonijs eò miſſus eſt. Et cùm epularetur, multitudo Barbarorum incumbit: quos ut Leonidas cõſpexit, Prandete, inquit, cõmilitones tanquam apud inferos cœnaturi. Dehinc facto in Barbaros impetu, multis confoſſus telis peruenit ad Xerxem, eiq; coronam abſtulit. Quo mortuo Xerxes cor eius excidens piloſum inuenit. Hæc Ariſtides primo rerum Perſicarum libro.

De Fabio Maximo. VIII.

ROmani bello, quod contra Pœnos gerebant, trecentos, duce Fabio Maximo miſerunt. Collatis manibus cunctos amiſit. Ipſe mortifero accepto uulnere, in Annibalem uehementi curſu concitatus, ablato ei diademate prope eum oppetijt. Ariſtides Mileſius ita factum eſſe teſtis eſt.

De Mida & Anchuro. IX.

CIrca Celænon, Phrygiæ oppidum, terræ hiatus cum aqua domos cõplures ipſis cum mortalibus abſorpſit in profundum. Midas rex oraculo monitus, ut res eò precioſiſſimas conijceret, ita enim futurum ut terra coiret, auro & argento iniecto, nihil opis attulit. Anchurus regis filius cùm nihil in uita, humana precioſius anima ſecum ipſe uerſaſſet, datis genitori complexibus, & Timotheæ uxori, equum aſcendit, inq; hiantem locũ concitatus eſt. Poſtquàm in unum terra redijt, auream Iouis Idæi aram eo in loco dedicauit. Hæc ara quotannis eo tempore quo hiatus factus fuit, in lapidem mutatur. Eo uerò tempore præterito, aurea conſpicitur. Huius rei teſtis eſt Calliſthenes ſecũdo Metamorph.

B *De Curtio.* X.

TYberis per mediũ fluens forum, ob Iouis iram magno dirupto aggere, permultas demerſit ædes. Accepto mox oraculo, id deſinere poſſe didicerũt, ſi precioſiſsimũ quid dam illuc inijcerent. Cæteris aurũ atq; argentũ inijcientibus, Curtius inſignis adoleſcens cùm precioſiſsimam hominis animam intelligeret, ſeſe in hiantem terram coniecit eques, ſuosq; ex calamitate ſaluos reddidit. Ariſtides in undecimo Italicarum rerum refert.

De Amphiarao. XI.

CVm duces, qui Polynicem ſecuti ſunt, conuiuium agerent, quædam aquila deſcendens haſtam Amphiarai in ſublime tulit, moxq; dimiſit: ea autem humi fixa in laurũ uerſa eſt. Quo in loco cùm poſtridie dimicarent, Amphiaraus unà cum curru abſorptus eſt: ibiq; oppidum hac etiam ætate uocatur Harma, id eſt, currus. Id apud Thriſimachum tertio ædificiorum libro ſcriptum eſt.

De Paulo Aemilio, & Valerio Torquato. XII.

ROmani aduerſus Pyrrhũ Epirotarũ regem bellum gerebant. Tum Paulus Aemilius reſponſum accepit ex oraculo, uictoriam reportaturũ, ſi aram eo in loco ædificaret, ubi inſignem cum curru hominẽ demerſum aſpiceret. Poſt tres demũ dies Valerius Torquatus per ſomnum ſacerdotis inſignia ſe aſſumpſiſſe conſpicatus, nam augurali ſcientia præditus erat, educto exercitu, & multis antè à ſe interfectis, à terra abſorptus eſt. Tum Aemilius ſtructa ibidem ara uictor euaſit: ex qua uictoria centũ ſexaginta turres geſtantes elephantos Romã miſit. Quo autem tempore ſuperatus eſt Pyrrhus, ex ara ipſa eduntur oracula. Ita Critolaus tertio rerum Epiroticarum meminit.

De Hercule. XIII.

HErcules florẽti adhuc ætate regẽ Eubœæ Pyræchmen bellũ Bœotijs inferentẽ uicit, uictumq; pullis equinis ita alligauit, ut in duas diſpertiret partes, inſepultusq; iacere t. Locus adhuc Pyræchmæ pulli uocatur. Eſt autẽ penes Heracliũ fluuium, ubi potantibus equis hinnitus emittitur, quemadmodum tertio de fluminibus libro traditum eſt. *Pulli Pyræchmæ.*

De Tullo Hoſtilio, & Metio Suffetio. XIIII.

TVllus Hoſtilius rex Romanorum cum Metio Suffetio Albanorum rege bellum ha-

C bebat, in quo prælium ſæpenumero diſtulit, eóq; aliquando ſuperato Albani ad epulas
ſeſe conuertunt. Epulantes adoritur, captumq́; regem duobus alligans pullis diſcerpſit,
ut Alexarchus tertio rerum Italicarum autor eſt.

De Philippo luſco effecto. x v.

PHilippus cùm Methonem & Olynthum diripere cuperet, ſummis uiribus Sandanū
fluuium traijcere conabatur. Qua in re Aſter Olynthius telum Philippo immiſit in
oculum, his uerbis inſcriptum: Aſter Philippo mortiferum mittit telum. Philippus amiſ-
ſo oculo ſaluus ad ſuos rediens enatat. Hæc quidem Calliſthenes tertio rerum Macedo-
nicarum tradit.

De Coclite. x v i.

POrſena rex Tuſcorū bellum Romanis inferens trans Tyberim metatus eſt caſtra, ubi
intercepta annona Romanos fame domabat. Horatius Cocles imperator creatus pō
rem ſubliciū occupat, ut barbarorū copijs tranſitū inhiberet. Cùm autē à barbarorū multi
tudine premeref, militibus quos ſecum habebat, ut pontē ſubliciū inciderent imperauit:
quæ res tranſire uolentes Tuſcos cohibuit. Cumq́; ſe in fluuiū deiecisſet, oculum telo ſau-
cius enatauit ad ſuos. Hæc quidem Theotimus ſecundo rerum Italicarum refert.

De Althæa & Meleagro. x v i i.

OEneus ex Althæa Theſtij filia Meleagrum ſuſcepit. Verùm idem ob fructuum ferti
litatem dijs ſacra faciens, ſolam Dianam præterijt, quæ immiſſo apro Calydonio il-
lum ulta eſt. Itaq; Meleager ad occidendum aprum, à patre cum multis Græciæ principi-
bus miſſus eſt, inter quos & Atalanta Schœnei Arcadum regis filia fuit. Hæc cùm prima
aprum uulneraſſet, id honoris ab occiſore illius Meleagro tulit, ut capite & exuuio eius
ab ipſo donaretur. At cùm hoc indignè ferrent fratres matris Meleagri, Plexippus & To-
xeus, & munus illi auferrēt, ambo à Meleagro occiſi ſunt. Qua de cauſa irata filio mater,
ſtipitem fatalem recens nato Meleagro à Parcis igni impoſitum, & hactenus ab ipſa ſer-
uatum ac reconditū, ut qui uitam ac necem filij contineret, illam ſi duraret, hanc ſi in ignē
D mitteretur, ultrò exuſsit, atq; ita filium peremit. Mars autem cum Althæa concubuit, ge-
nuitq́; Meleagrum, uelut Euripides in Meleagro ſcripſit.

De Septimio Mamerco, & Syluia. x v i i i.

SEptimius Mamercus Syluia ſibi matrimonio copulata, uenationi non infrequens in-
cumbebat. Illam autem recens nuptam Mars in paſtoris habitu uiolenter grauidam
effecit, ac ſeipſe quinam foret patefecit: deditq́; haſtam, in qua eius qui naſceretur ineſſe
geneſim aſſereret. Peperit itaq; Septimiū Tuſcinum. Cæterū Mamercus dijs ob fructuū
ubertatem ſacrificans, unam neglexit Cererem: quæ ob id aprum immiſit. Venatorū igi-
tur collecta manu, hunc leto dedit Mamercus, caputq́; & exuuias miſſum iri deſponſatæ
uxori curauit. Scimbrates autem & Muthias materni fratres puellæ illa abſtulerunt. Indi
gnatus ille, infenſeq́; ferens, cognatos occîdit: mater uerò haſtam cremauit, uelut Meny-
lus in tertio rerum Italicarum tradit.

De Telamone & Aiace. x i x.

TElamon Aeaci Endeidem corrupit, profectus in Eubœam, & noctu aufugit. Cumq́;
ſenſiſſet pater, ciuium aliquem ſuſpicatus, puellam in mare deijciendam ſtipatorum
cuidam mandat. Hic miſertus uendidit. Salamina autem naue appulſa, puellam ſibi Tela
mon comparauit, ex qua ſuſcipitur Aiax, ut Aretades Cnidius in ſecundo Inſulanorum
ſcriptum reliquit.

De L. Troſcio, & Florentia Contruſci matre. x x.

LVcius Troſcius ex Patride filiam, nomine Florentiā, ſuſtulit, quā Romanus Calpur-
nius compreſſiſſe fertur. Hanc autem pater cuidam de ſatellitio ſuo ſubmergendā tra
didit. Verùm puella cùm miſericordiā à ſtipatore ſibi promeruiſſet, Calpurnio forteſor-
tuna in Italiam naue appulſo uenditur, non adeò pòſt Contruſcum enixa.

De Pauſania & Ageſilao. x x i.

PErſis Græciam diſcurſationibus ac prædis infeſtantibus, Pauſanias Lacedæmonio-
rum imperator quinquaginta auri talenta, ut Spartam proderet, à Xerxe acceperat.
Quod ubi deprehenſum eſt, pater Ageſilaus uſq; ad Chalciœcæ Palladis templum filium
inſectatus, cocto latere ita templi fores obſtruxit, ut eum inedia conſumpſerit: mater autē
inſepultum

A inſepultum eiecit, quemadmodum Chryſermus hiſtoriarum ſecundo refert.

De Publio Decio, & Caſſio Bruto. XXII.

BEllum Romanis aduerſus Latinos erat, in eo ducem P. Decium creant. Quidam patritio genere, cæterùm inops adoleſcens, Caſsius Brutus nomine, dicta mercede portas aperire uolebat. Verùm deprehenſus ad auxiliare Palladis templum cõfugit. Eius pater Caſsius ſignifer, occluſis foribus necatum fame iuuenem inſepultum eiecit, quemadmodum Clytonymus in rerum Italicarum libro nono tradit.

De Dario & Ariobarzane. XXIII.

DArius rex Perſarum apud fluuium Granicum cum Alexandro cõfligens, amiſsis Satrapis ſeptem & falcatis curribus duobus & quingentis, altera die prælium initurus erat. Ariobarzanes autem filius erga Alexandrum miſericordia commotus, patrem interficere pollicitus eſt. Qua re indignatus Darius, filio caput abſcidit. quod Aretades Cnidius in tertio rerum Macedonicarum teſtatur.

De Iunio Bruto, & filijs eius. XXIIII.

BRutus eiecto Tarquinio Superbo, conſul una omnium uoce creatus eſt. Ille enim imperioſe nimis ac tyrannicè in regno uerſabatur. Expulſus itaque ſeſe recepit ad Tuſcos, quorum ope cùm bellum Romanis inferret, filij Brutum prodere uoluerunt: qua ex re Brutus natis caput abſcidit. Id Ariſtides Mileſius in rebus Italicis teſtatur.

De Epaminonda, & Steſibroto eius filio. XXV.

THebanorum dux Epaminondas aduerſus Lacedæmonios belligerabat. Inſtante igitur deligendorum magiſtratuũ die, relicto in exercitu filio Steſibroto, cùm ei ne pugnaret imperaſſet, uenit in patriam. Lacedæmonij ut abſentem Epaminondã intelligunt, adoleſcentem cõuicijs, ut imbellem & effœminatum, laceſſunt. At ille grauiter ferens, paternorum immemor præceptorum martem contulit, uictoriamq; reportauit. Quod ubi pater accepit, indignatus, corona impoſita ceruicem ſecari iuſsit: ſicuti in tertio rerum Thebanarum Cteſiphon ſcribit.

B

De Manlio & eius filio. XXVI.

ROmani bellum aduerſus Samnites habentes, Manlium cognomento Imperioſum, imperatorem creant. Qui poſtmodum comitijs Conſularibus profectus in urbem, filio ne manum conſerat imperat. Id ubi Samnites perdidicere, iuuenem contumelijs adorti nihili pendunt. Quibus cõmotus adoleſcens, fuſo hoſte uictor in caſtra redijt: quare Manlius natum ſecuri percuti iuſsit, ſicut Ariſtides Mileſius ſcribit.

De Hercule & Iole. XXVII.

HErcules ab Iole cõnubio reiectus Oechaliam diripuit, Iole ſeſe è muro deiecit. Contigit autem, ut cùm uehemens uentus amictum quaſi ſinum inflaſſet, illæſa deſcenderit. Ita ſcriptum eſt à Nicia Maleota.

De Torquato & Cluſia. XXVIII.

IN bello, quod cum Tuſco gerebatur à Romanis, Valerius Torquatus imperator cùm regis filiam, Cluſiam nomine, uidiſſet, uxorẽ à Tuſco petijt, quam minime conſecutus oppidum diripuit. Cluſia ſeſe è turri deijciens, tumefactis ueſtibus uento (ita enim fugge rente Venere factum eſſe creditur) ſoſpes ad terram delata eſt. Eam cùm poſtmodum imperator uiolaſſet, publico decreto, refragante nemine, in Corſicam in exilium miſſus eſt. Ea eſt adiacens Italiæ inſula. Ita ſcriptum eſt à Theophilo, libro Italicarum rerum tertio.

De Metello & Metella eius filia, item de Iphigenia. XXIX.

POenis ac Siculis ſocia aduerſus Romanos arma parantibus, Metellus imperator omnibus dijs, excepta duntaxat Veſta, ſacrificium fecit. Quę cùm aduerſos claſsi uentos immiſiſſet, C. Iulius uates eos ceſſaturos dixit, ſi antea filiam immolaſſet. Ille urgentibus rebus filiam Metellam immolaturus adduxit: Dea uerò adoleſcentẽ miſerata, buculam ſuppoſuit, puellamq; ad Lamuſium deferens, ſacerdotem eius, qui in eo loco colitur, Draconis fecit. Sic in tertio rerum Italicarum à Pythocle proditum eſt. Idem de Iphigenia in Aulide Bœotiæ factum eſſe Meryllus primo Bœotiorum geſtorum commemorat.

De Brenno, & puella plebeia. XXX.

BRennus rex Gallorum Aſiam diripiens cùm Epheſum aduentaſſet, plebeiam uirginem adamauit, quæ & concubitum, & Epheſi proditionem pollicita eſt, ſi mundum

C ſibi muliebrem,& manuũ ornamenta traderet. Orans igitur milites, ut in auariſsimæ uirginis ſinum aurum quod geſtabant immitterent, fecit ut ſub magna ui auri uiua obrueretur, ſicuti primo rerum Gallicarum Clitophon ſcriptum reliquit.

De Tarpeia uirgine. XXXI.

Romanis bellum cõtra Albanos gerentibus, Tarpeia uirgo nobilis, Capitolij cuſtos, ſeſe in Tarpeium collem aditum traditurã eſſe Tatio promiſit, ſi quæ ornatus gratia ferebant monilia mercedis loco ſibi tradidiſſent. Id ubi decreuerunt, uiuentem illis obruerunt. Sic Ariſtides Mileſius in libro rerum Italicarum factum affirmat.

De tergeminis Tegeatis & Pheneatis. XXXII.

Tegeatæ ac Pheneatæ cùm diutino ſeſe bello afflixiſſent, demum uti pro ſumma rei tergemini fratres prælium inituri utrinque mitterentur decernunt. Itaque Tegeatæ Rheximachi filios, Pheneatæ uerò Demoſtrati promiſerunt. Collato marte duo ex Rheximachi liberis interfecti: tertius, nomine Critolaus, militari quadam aſtutia duobus fratribus ſuperfuit. Nam cùm fugam ſimularet, inſectantes ſingulatim occidit. Eius aduentu cùm populus uniuerſus gratularetur, ſola quidem ſoror Demodica nullam cepit lætitiam: perierat nanq; in eo prælio ſponſus ipſius Pheneaticus. Quo indignatus Critolaus, ſororem interfecit. Qui cùm homicidij accerſeretur, matris interuentu à crimine liber eua ſit. Hæc quidem Demaratus in ſecundo rerum Arcadicarum libro tradit.

De Curiatijs & Horatijs. XXXIII.

Belligerantibus aduerſus Albanos Romanis, tergemini delecti propugnatores: ex Albanis quidem Curiatij, ex Romanis autem Horatij. Collato marte Curiatij ex aduerſarijs duos interficiunt. Qui ſuperſtes erat, ſimulatæ fugæ auxilio uſus inſectantes ſingulos necat. Quæ uictoria cùm omnibus lætitiam attuliſſet, ſola quidem ſoror minimè cõgratulata eſt Horatio: is enim Curiatium eius ſponſum neci dederat: quocirca ſororem occidit. Reus deinde cædis factus, patris precibus abſolutus eſt. Hæc Ariſtides Mileſius in Italicarum rerum libro.

D *De Ilo & palladio.* XXXIIII.

Cum in Ilio Mineruæ templũ arderet, Ilus curſu concitus, demiſſum cœlo palladium eripuit, ſtatimq; oculis captus eſt: haud enim mortaliũ lumine cerni licet. Poſtmodũ placata ira deæ, priſtinum recuperauit aſpectum, ut Dercyllus in ædificiorum lib. I. refert.

De Metello & palladio. XXXV.

Metellus homo patritius ſuburbanũ ſuum petens, cùm cædentes ſe inuicem alis coruos uidiſſet, augurij religione deterritus Romam reuertit, ubi Veſtæ templum incenſum conſpicatus palladiũ eripuit, ſtatimq; oculis captus eſt. Poſtmodum deæ ira placata, uiſum recuperauit, ut refert Ariſtides Mileſius in rerum Italicarum libro.

De Codro Athenienſe. XXXVI.

In eo bello quod aduerſus Athenienſes Thraces gerebant, datum eſt eis oraculum, ſeſe uictores fore, modò à Codri cæde abſtinerent. Codrus autem ſumpto mendici habitu falcem tenens peruenit ad hoſtes: ubi quum quendam mactaſſet, ab altero interficitur. Quæ res Athenienſibus uictoriam reportauit. Huius rei autor eſt Socrates libro de Thracibus ſecundo.

De Publio Decio, & eius filio. XXXVII.

Publius Decius contra Albanos belligerans, in ſomnis monitus eſt, ſeſe Romam Romanis adepturũ, ſi mortem oppereret. In medios igitur hoſtes irrumpens, hoſtes cùm multos leto dediſſet, interficitur. Itidem filius Decius in bello Gallico pro ſalute publica occiſus eſt. Huius rei autor eſt Ariſtides Mileſius.

De Cyanippo & Cyane eius filia. XXXVIII.

Cyanippus natione Syracuſanus, ſoli Baccho ſacra facere neglexit. Iratus deus ebrietatem incuſsit, quæ tanta extitit, ut occurrentem in tenebris filiam Cyanem, quanq; reluctantẽ uiolarit. Ea uerò anulum ſurripiens nutrici cõmendauit, ut uiolatoris indiciũ eſſet. Poſtmodum cùm peſtilentia urbem inuaſiſſet, ex Pythio delatum eſt oraculũ, ut impietatis autor liberatoribus dijs immolaretur. Ignorantibus cunctis quid portenderet oraculum, conſcia rerum Cyane tractum capillis patrem mactauit, ſeq; ipſam inſuper interfecit. Ita factum eſſe Doſitheus ſcribit tertio rerum Sicularum.

De

A *De Aruntio hydropota, & Medullina filia.* XXXIX.

CVm Bacchanalia Romæ fierent, Aruntius à natiuitate hydropota, dei uires flocciſaciens, illius ira ebrietate captus filiam Medullinam corrupit obſcuro quodam in loco. Ea uerò dempto uiolatori anulo parentē agnouit. Cùm maior annis facta eſſet, intellecto flagitio patrē inebriat, & coronatū ad Fulguris aram ducit, ibíq; fuſis lachrymis uirginitatis inſidiatorem mactauit. Ita factum ſcribit Ariſtides tertio rerum Italicarum.

De Erechtheo, & eius filia. XL.

ERechtheus bellum cum Eumolpo faciens, accepto reſponſo ſeſe uictorem futurum didicit, ſi filiam uictimam dijs faceret. Quare uxori Praxitheæ cōmunicata, puellam cæcidit. Cuius rei Euripides in Erechtheo meminit.

De Mario & Calpurnia eius filia. XLI.

MArius Cimbrico bello profligatus, in ſomnio præmonitus eſt, uictoriam conſecuturum, ſi prius dijs uictimam filiam, Calpurniam nomine, faceret. Patriæ igitur charitati natura poſtpoſita, eo facto uictoriam comparauit. Duæ adhuc hiſce temporibus in Germania aræ ſunt, quæ uictoriæ tempore tubarum clangorem edunt. Cuius rei Dorotheus quarto rerum Italicarum meminit.

De Cyanippo & eius uxore. XLII.

CYanippus natione Theſſalus frequentiſsimè uenatū ire conſueuerat. Noua uerò nupta ob magnam in ſyluis conſuetudinem alterius mulieris concubitū ſuſpicata, euntem Cyanippum pedetentim ſubſecuta eſt. Cumq; inter denſa delituiſſet arbuſta, rerum prꝫſtolabatur euentum. At ramis fortè cōmotis feram adeſſe canes ſuſpicantes, impetu facto amantiſsimam uiri puellam ut brutum animal dilaniarunt. Id uerò inſperatum adeò facinus cùm Cyanippus inſpexiſſet, mortem ſibi conſciuit. Hæc Parthenius poëta.

De Aemilio, & eius uxore. XLIII.

APud Sybarim Italiæ oppidum, ſpectatæ uenuſtatis adoleſcens Aemilius erat mirū in modum uenandi ſtudioſus. Vxor autem nouella, cùm in alterius puellæ
B complexus ipſum ire opinaretur, in ſaltus egreſſa deliteſcebat. Cōquaſſatis autē arbuſculis canes accurſant, & ut feram diſcerpunt: adoleſcens ſeſe ipſe interfecit. Hæc Clytonymus ſecundo rerum Sybariticarum.

De Myrrha Cynaræ filia. XLIIII.

MYrrha Cynaræ filia ob iram Veneris patris amore capta, amoris uim nutrici detexit. Ea dominū fraudibus induxit: uicinā enim quandam uirginē ipſius amoribus incenſam eſſe inquit, cęterū uerecūdia palàm accedere nō audere. Quocirca Cynaras clandeſtinos habebat cōgreſſus. Olim autē quænā ea foret amaſiola diſcere cōcupiſcēs, quæſito lumine cùm eam uidiſſet, accepto enſe procaciſsimā inſectatur. At ea Veneris miſeratione in ſui nominis arborem mutata eſt, ut Theodorus in libro Metamorph. ait.

De Valeria, & Valerio eius patre. XLV.

VAleria Tuſculanaria ob iram Veneris Valeriū patrē deperibat, remq; nutrici cōmunicat: quæ dolis ſubiens herum, puellam quandam ex uicinis eum adamare inquit, quæ aſpectū eius apertumq; concubitū uereat. Aliquando pater poſtmodū debacchatus lumen petijt. Nutrix uerò præueniens fugienſq; ſeſe præcipitauit. Filia quoq; inde euadens peperit Syluanum, quem Græci Aegipanem uocant. Pater quoq; Valerius dolore affectus ſeſe dedit in præcipitium, ut Ariſtides Mileſius tertio rerum Italicarum ait.

De Diomede & Callirhoë Lyci filia. XLVI.

DIrepta Troia Diomedes in Libyam tempeſtate deiectus eſt, ubi Lycus rex hoſpites Marti patri immolare conſueuerat. Callirhoë uerò filia illius amore capta patrē prodidit, Diomedemq; è uinculis ſaluum emiſit. At ille ſpreto ſalutis autore enauigat: ea uitā laqueo finiuit. Id Iubas rerum Africanarum libro tertio ſcriptum reliquit.

De Calpurnio Craſſo, & Byſaltia Maſſyli regis filia. XLVII.

CAlpurnius Craſſus, patritij generis homo, in expeditionem Reguli ſocius in Maſſylos, ut munitiſsimū caſtellum Garætium diriperet miſſus eſt: ubi in hoſtiū poteſtatē redactus Saturno immolandus deſtinatur. Byſaltia regis filia iuuenem adamatum patris à ſe proditi uictorem fecit. Eo autem retrò abeunte, puella ſibi ferro iugulum tranſuerberat. Ita Heſianax tertio rerum Libycarum ſcriptum reliquit.

C *De Priamo, Polydoro, & Polymneſtore.* XLVIII.

PRiamus filium Polydorum cum magno auri pondere ad generum Polymneſtorem
Thraciæ regem emiſit. Hic autẽ, cùm capiundæ ac diripiendæ urbis periculum inſta-
ret, necato puero aurum ſibi adiudicat. Quæ quidem in loca cùm aduẽtaſſet Hecuba, ac-
citum uerſutijs atq; artibus Polymneſtorem, quaſi aurum homini cõmendatura, ſuis & ca
ptiuarum manibus occæcauit. Hæc apud Euripidem tragicum ſcripta reperies.

De L. Imbrico, Ruſtio, & Val. Geſtio. XLIX.

SPoliante Campanos Annibale, L. Imbricus filium Ruſtium magnis cum pecunijs pe
nes Valerium Geſtium eius generum depoſuit. Tandem cùm in manus uictoris Ca-
puam perueniſſe accepiſſet, Geſtius ille auaritia ſtimulante naturæ iura trãſgreſſus, adole
ſcentulum mactat. Poſtea cùm Imbricus per ſuburbanũ deambularet, filij cadauer offen-
dit. Quocirca accitũ generũ, ut occultos à ſe theſauros perdiſceret, effoſsis oculis cruci affi
xit. Hoc apud Ariſtidem tertio rerum Italicarum inuenitur.

De Aeaco, Phoco, & Telamone. L.

AEacus filium ex Pſamatha, Phocum nomine, habebat, quem mirificè diligebat. In
eum Telamon cùm ſimultatẽ gereret, uenatum educit. Comparente deinde apro,
Telamon miſſo in eum uenabulo Phocum confodit. Ob eius cædem à patre in exilium
miſſum ſcribit Dorótheus primo Metamorphoſeon.

De Maximo & eius filijs. LI.

MAximus duos habuit filios, Similium & Rheſum, ex quibus Rheſum Hameria eni
xa erat. Hic inter uenandum ſpontè occiſo fratre, domum reuerſus fortuitum fuiſſe
euentum inquit, quod conſilio perpetrarat. Pater ubi facti ueritatem agnouit, filium fecit
extorrem, uelut Ariſtocles tertio rerum Italicarum ſcribit.

De Aeolo, & Macareo filio & filia. LII.

AEolus rex Tuſcorũ ex Amphithea filias ſex, & mares totidem ſuſcepit. Macareus
omnium ætate minimus, unius amore incenſus eam uiolauit. Qua ex re conceptus
D infans rem prodidit. Pater itaq; filiæ mittit enſem, quo accepto ea rem flagitioſam intelli-
gens necem ſibi conſciuit, idemq; paulò pòſt Macareus fecit. Huius rei teſtis eſt Soſtratus
ſecundo rerum Tuſcanicarum.

De Papyrio patre & filio, ac Canulia filia. LIII.

PApyrius Tolucer ducta in matrimoniũ Iulia pulchra, ſex liberos, totidemq; fœminini
ſexus filias ex ea genuit. Ex his qui natu maior erat Papyrius Romanus nomine, Ca
nuliam nomine ſororẽ adamatã grauidam fecit. Id ubi pater intellexit, filiæ miſit enſem,
quo ſe puella tranſuerberans exiuit è uita. Idem Romanus factitauit. Huius facti teſtis eſt
Chryſippus primo rerum Italicarum.

De Ariſtone & Onoſceli ex aſina filia. LIIII.

ARiſton Ariſtonymus Epheſius, Demoſtrati filius, genus muliebre peroſus, cuidam
ſe immiſcuit aſinæ, quæ ſuo deinde tempore puellam ſpecie honeſtiſsimam pepe-
rit, cui Onoſceli nomen fuit. Hæc Ariſtoteles ſecundo mirabilium tradit.

De Fuluio Stello, & Hippona eius ex equa filia. LV.

FVluius Stellus mulierũ odio equæ ſeſe immiſcuit, quæ deinde formoſam admodum
peperit puellam, & tempeſtiuè quidem Hipponam appellarunt. Hoc Ageſilaus ter-
tio rerum Italicarum tradit.

De Sardianis, & Smyrnæis, & ancillis Smyrnæis. LVI.

SArdiani Smyrnæis belligerantes caſtris circa mœnia poſitis legatos mittunt, ſe non
antè diſceſſuros, quàm uxores ad coitum cõceſsiſſent. Cùm igitur Smyrnæi magnum
ex neceſsitate probrum perpeſſuri forent, ancilla quædam honeſta facie ad herum Philar
chum accurrens, Mittite, inquit, ancillas ornatu liberali. Quo facto, earum defatigati coi-
tu capti ſunt. Quamobrem etiã hoc tempore apud Smyrnæos feſtum agunt, quod Liber-
tatem uocant, in quo ancillæ dominarum ornamenta geſtãt, quemadmodum Doſitheus
tertio rerum Lydicarum perhibet.

De Atepomaro, & Romanorum ancillis. LVII.

ATepomarus Gallorum regulus Romanis belligerans, non antè ſe ceſſurum inquit,
quàm coniuges ſuas ad coitum expoſuiſſent. Cæterùm uerò cõſilio ancillarũ ſeruas
mittentes,

A mittentes,ut barbaros laſſos incredibili ſopore captos accipiũt,erumpentes in Gallos ui-
ctoriam reportarunt. Retana ſiquidem (hæc enim conſilij autor extitit) per caprificum
muros aſcendens conſulibus ſignum dederat. Ex eo autem facto dies feſtus inſtitutus an Dies feſtus ancil
cillarum appellatur,ut perhibet Ariſtides Mileſius primo rerum Italicarum. larum.

De bello Athenienſium contra Eumolpum,& Pyrandro. LVIII.

ATheníenſes bellum contra Eumolpum gerebant. Cùm autem annonæ futura ino-
pia uideretur,Pyrander Quæſtor urbanus triticum parcè ſuppeditans largitionem
ſurripiebat. Populus igitur eum in proditionis ſuſpicionem deuocatum, ſaxis obruerũt:
ſicuti rerum Thraciæ tertio Calliſthenes commemorat.

De Cinna. LIX.

CVm aduerſus Gallos Romani bellum gererent,annonæq; caritas inualeſceret, Cin-
na tritici largitionem ſurripiens, regnum affectaſſe creditur, quocirca ſaxis obrutus
eſt: ſicuti tertio rerum Italicarum Ariſtides commemorat.

De Piſiſtrato,& eius filio Tleſimacho. LX.

BEllo Peloponeſiaco Piſiſtratus Orchomeniorũ rex, cùm nobilitatem odio inſectare
tur, plebis ſtudioſus erat: quare in ſenatu eum necare decreuerunt. Diſcerptum igitur
intra ſinus condunt,ac ſolum emundant. Plebeia dehinc multitudo concepta ſuſpicióne
in curiam aduolat. Regis filius ætate minor, nomine Tleſimachus, conſcius conſpiratio-
nis, ex curia turbam retraxit. Patrem enim ſupra mortalem ſpeciem ad Piſæum montem
magna uelocitate deferri cõmentus eſt: eaq; fraude plebem abduxit. Hæc in ſecundo re-
rum Peloponeſiacarum à Theophilo memoriæ prodita ſunt.

De Romulo & eius nece,ac Procli figmento. LXI.

SEnatus finitimis bellis implicitus, conſuetã annonę largitionẽ plebi ſubtraxit. Romu
lus indignatus plebi reſtituit,cõplures ex primoribus ſupplicio afficiens. Hi poſtmo-
dum in ſenatu minutim obtruncatũ intra ſinum condunt. Plebs igitur cum facibus ad cu-
B riam diſcurſans, à Iulio Proclo reuocata eſt, cùm eius orationi fidem habuiſſet. Is enim pri
marius in ciuitate uir, ſe Romulũ in mõte aſpexiſſe dixit, qui humana auguſtior forma di
uinitatẽ aſſecutus erat. Hæc ſecundo rerũ Italicarũ ab Ariſtobulo memoriæ prodita ſunt.

De Pelope,eius prole & uxore,quæ Chryſippum interemit. LXII.

PElops Tantali & Euryanaſſæ filius, ducta in matrimoniũ Hippodamia, duos ex ea li-
beros ſuſcepit, Atreum & Thyeſtem, ex Danaide puella Chryſippũ. Hunc longè ma
gis quàm legitimos charũ habebat Pelops. Hunc aliquãdo Laius Thebanus adamatũ ra
puit. Quocirca captus à Thyeſte & Atreo Laius, benignè à Pelope tractatus eſt, quòd fi-
lium amoris cauſa corripuerat. Hippodamia Thyeſtem Atreumq; inducere conabat, ut
hi Chryſippum, perinde ac regnũ inſidijs appeteret, mactarent: quibus negantibus Hip-
podamia manus cæde cõtaminat. Multa enim nocte ſopito Laio, educto eius enſe Chry-
ſippum conſauciat, gladiumq; configit. Quo deuocatus in ſuſpicionẽ Laius, à Chryſippo
ſemiuiuo quidẽ & uera fatenti eſt periculo liberatus. Pelops eo ſepulturæ mandato, Hip-
podamiam fecit extorrem, uelut apud Doſitheum in Pelopidarum libro ſcribitur.

De Hebio,eius prole,& coniuge Nuceria. LXIII.

HEbius ex uxore Nuceria duos creauit filios, cùm ſpectata pulchritudine Firmũ no-
mine ex liberta haberet, quem ſupra legitimos pater diligebat. Nuceria in priuignũ
maligno cõmota odio, in eius necem filios incendebat. Quod cùm hi per pietatẽ abnuè-
rent, ea cædem perpetrat. Multa enim nocte ſurrepto à ſtipatore gladio, dormientẽ ado-
leſcentẽ letali uulnere adoritur. Relicto ibidem enſe, ſtipatori cædis ſuſpicio iniecta eſt.
Iuuenis autem prodita ueritate hominem ſaluum reddidit. Tum pater humato filio mu-
lierem in exilium eiecit, uelut apud Doſitheum tertio rerum Italicarum ſcribitur.

De Theſeo, Hippolyto,& Phædra. LXIIII.

THeſeus uerus Neptuni filius cùm ex Amazone Hippolyta filium haberet Hippoly-
tum, nouercã ſubinduxit Phædram, Minois regis filiã, quæ priuigni amore affecta,
cõciliatricẽ miſit nutricẽ. Ille uerò relictis Athenis Trœzena profectus, uenationibus om
ne tempus cõſumebat. Procaciſsima fœmina uoti cõpos minimè facta, contra pudiciſsi-
mum adoleſcentẽ cõmentitias conficit literas, tum laqueo uitã finit. Re credita, Theſeus
ex Neptuno, filio necem exorat, Id enim erat ex paternis uotis tertium, Dehinc quum in

C littore in curru obuerſaretur, taurus immiſſus à Neptuno equos adeò reddidit attonitos, ut Hippolytum diſcerpſerint.

De Comminio, Gidica, & Comminij priuigni nece. LXV.

COmminius frater Laurentinus cùm ex Aegeria nympha filium Comminiũ haberet, Gidicam nouercam ſuperinduxit: quæ cùm priuignum deperiret, ab eo reiecta ſuſpendio ſibi ſpiritum intercepit, cõfictis à ſe prius relictis epiſtolis. Comminius perlectis calumnijs, fidem ob mulieris amorem adhibens, in deuectum in curru filium Neptunum inuocat. Is autem taurum equis oſtentat, qui terrore concuſsi iuuenem diſtractum intere merunt. Doſitheus tertio rerum Italicarum autor eſt.

De peſtilentia Lacedæmonis, & Helenæ liberatione. LXVI.

CVm peſtilentia Lacedæmonẽ uexaret, ex Apolline relatum eſt oraculum, finem mali fore, ſi quotannis generoſam quampiã uirginem immolarent. Dum ſors Helenæ obtigiſſet, & ducta eſſet ad aram, aquila quædam ſubito uolatu deſcendens, correptum enſem ad armenta detulit, & ſupra iuuencam poſuit. quæ res ut à uirginis cæde abſtineretur cauſa fuit. Ita factum Ariſtodemus ait tertio collectarum fabularum.

De peſte Valeriorum, & Valeria eius liberatrice. LXVII.

PEſtis Valerios inuaſerat: quibus ex oraculo cõmonefactis, ceſſaturum id malum, ſi quotannis Iunoni uirginẽ immolarent, eadem ſemper religione manente, in ſortẽ uocata Valeria. Luperca, aquila deuolãs enſem corripuit, & impoſita foco uirgula cum malleo, enſem iuuẽcæ penes tẽplum paſcenti impoſuit. Virgo igiť re intellecta, immolata iuuenca malleũ arripuit, domumq; & ægrotos circumluſtrans parente ictu feriebat: cumq; unicuiq; uale dixiſſet, eos exuſcitauit incolumes. Quocirca & hoc tempore myſterium illud fieri cõſtat. Ita factum Ariſtides decimonono rerum Italicarum ait.

De Philonomia Marte grauida, Lycaſti & Parrhaſij matre. LXVIII.

PHilonomia Nyctimi & Arcadiæ filia, dum in uenationibus cum Diana uerſaretur, in Martem incidit, qui ſumpta paſtoris forma grauidam mulierem fecit. Ea uerò gemel
D los enixa, patris metu in Erymanthũ eiecit infantes, qui deorum prouidentia illæſi delati, ad cauam quandam quercum aguntur: ubi cùm lupa quædam luſtrum haberet, proprijs abiectis in fluentum catulis, infantibus ubera præbuit. Quod quidem Tyliphus paſtor conſpicatus, ſuſceptos pueros educauit ut ſuos, alterum quidem Lycaſtum, alterum uerò Parrhaſium appellans. Hi deinde Arcadiæ regnum ſucceſsione conſecuti ſunt. quorum autor eſt Zopyrus Byzantius tertio hiſtoriarum.

De Amulio, Ilia, Remo & Romulo. LXIX.

AMulius in fratrem Numitorẽ tyrannicè affectus, filium Aenitum cùm in uenatione occidiſſet, filiam Iliam Syluiã Iunoni dedicauit, quæ grauida ex Marte facta gemellos ædidit. Re poſtmodum tyranno patefacta, is ſolicitus utrunque in Tyberis ripam demergendum abiecit. Hi caſu ad locum quempiam deferuntur, ubi nuper lupa partũ ædiderat, quæ proprios abijciens catulos, infantes educauit. Id Fauſtulus paſtor conſpicatus puellos enutriuit, alterum quidem Remum, alterum uerò Romulum appellans, qui poſtea Rõmam condiderũt. quorum autor eſt Ariſtides Mileſius in rerum Italicarum libro.

De Agamemnonis & Caſſandræ cæde, & Oreſte ultore. LXX.

ILio capta, Agamemnon unà cum Caſſandra mactati ſunt. Filius autem Oreſtes apud Strophium enutritus, poſtea patris interfectores ſupplicio affecit: ut à Pyrandro, quarto rerum Peloponneſiacarum ſcriptum eſt.

De Fabio Fabriciano, eius uxore, & liberis. LXXI.

FAbius Fabricianus ex magni illius Fabij genere, capto Tuſcio (ea eſt primaria inter Samnites ciuitas) uictorioſam Venerẽ, quæ ſummo apud illos cultu habebatur, Romam miſit. Huius uxor Fabia cum ſpecioſiſsimo adoleſcentulo, nomine Petronio Valentino, adulteriũ cõmittebat: quocirca redeuntem uirum doloſe obtruncat. Fabia uerò Fabricianũ filium infantẽ adhuc ex urgenti liberatũ periculo, clàm emiſit alendum. At ille cùm ad ætatis uigorem perueniſſet, matrem & adulterũ obtruncat. Senatus ne res illa Fabriciano fraudi eſſet decreuit: ut à Doſitheo tertio rerum Italicarum ſcriptum eſt.

De Buſiri ab Hercule cæſo. LXXII.

BVſiris ex Neptuno & Anippa Nili filia creatus, aduenas ficta quadam hoſpitalitate mactatos,

A mactatos immolabat. Occiſorum tandem ultio ob deorum iram in autorem rediјt. Hercules enim eum claua adortus interemit, ut Agathon Samius tradit.

De Fauno ab Hercule cæſo. LXXIII.

HErcules cùm Geryonis boues per Italiam duceret, à Fauno rege ſuſceptus eſt hoſpitio, qui Mercurio natus patri hoſpites immolabat. Is igitur Herculem inuadens interemptus eſt, ut tradit Dercyllus tertio rerum Italicarum.

De Phalaride, & Perillo, ac uacca ærea. LXXIIII.

PHalaris impius Agrigentinorum tyrannus, aduentantes ad ſe hoſpites ſupplicio afficere & torquere ſolebat. Perillus in laborando ære faber egregius, uaccam ex ære cõſtruxit, quam ad cõcremandos in ea hoſpites tyranno donauit. At Phalaris duntaxat pro tempore iuſtus factus, in eam coniecit artificem, quæ quoties incluſus gemitum æderet, mugitum referebat. Ita in ſecundo de cauſis ſcriptum comperies.

De Aruntio Paterculo, equo æreo, & Aemilio Cenſorino. LXXV.

AEgeſta Siciliæ oppidum eſt, ubi Aemilius Cenſorinus crudeliſsimus tyrannus erat. Hic ſi quis noua quædam tormenta, & inuſitatum cruciandi genus extruxiſſet, præcipuis muneribus proſequebatur. Quidam igitur Aruntius Paterculus nomine, equũ ex ære fabricatum, ut in eo excruciandos inijceret, Aemilio donat. Ille autem tum demumq; primùm ad æquitatis cogitationem conuerſus, muneris autorem primũ intruſit, ut quam cæteris pœnam excogitarat, ipſe ſubiret primus patereturq; : dehinc eum ex Tarpeio monte deiecit. Et qui ſæua gerunt imperia, ab eo cognominati dicuntur Aemilij. Ita quarto rerum Italicarum apud Ariſtidem ſcriptum reperies.

De Eueno, & Marpiſſa, & Apharetro. LXXVI.

EVenus Martis & Steropes filius ex Alcippa Oenomai filia in uxorem ducta, Marpiſſam ſuſcepit filiam, quam uirginem accuratè ſeruabat. Cæterũ Apharetus uiſam rapuit, & ex regione profugit: pater autem fugientem inſequẽs cùm prehendere nõ poſſet, in Lycormam fluuium ſe præcipitauit, prout primo rerum Italicarũ Doſitheus refert.

B

De Anio, Salia eius filia, & Catheto &c. LXXVII.

REx Tuſcorum Anius egregia forma filiam habuit Saliam nomine, quam uirginem cuſtodia præcipua tenebat. Cathetus nobiliſsimus adoleſcens, cùm aliquando colludentem puellam aſpexiſſet, adamauit: utq; uim amoris continere nõ potuit, raptam filiam Romam deduxit. Pater inſequens cùm raptorẽ prehendere non ualet, Pareuſiũ inſiliens fluuium, ei nomen dedit: Anionem enim poſtmodum appellatum cõſtat. Cathetus deinde ex Salia Latinum creauit & Salium, à quibus nobiliſsimæ ortæ ſunt familiæ, prout Ariſtides Mileſius, & Alexander Polyhiſtor tertio rerum Italicarum tradunt.

De Hegeſiſtrato & Elæunte ab eo condita. LXXVIII.

HEgeſiſtratus Epheſius ob tribulis ſui cædem exul, Delphos perueniens, quemnam locum incoleret deum conſuluit. Cui Phœbus reſpondit, ubi ſaltantes uideret ruſticos oleaginis coronis ornatos. Itaq; profectus in Aſiam, agricolas oleæ ramis coronatos ſaltare cernit, ubi condita urbe Elæuntem uocauit, ut Pythocles Samius tertio Georgicorum reliquit.

De Telegono, & Præneſte urbe. LXXIX.

TElegonus Vlyſsis & Circes filius ad inueſtigandum patrem dimiſſus, deorũ reſponſis cõmonefactus eſt, ut in eo loco urbem conderet, ubi ſaltantes cum coronis colonos cerneret. Itaq; profectus in Italiam, quodã loco ſumma cum humanitate ruſticos ſaltare conſpexit, prini, hoc eſt, iliceis ramulis coronatos, ubi ædificatum oppidum ab ipſo facto Priniſtum appellauit. Verùm Romani Præneſtum per paragogen uocitant, ut Ariſtocles tertio rerum Italicarum ſcriptum reliquit.

FINIS.

Plutarchi de liberis educandis liber.

C

GVARINO VERONENSI INTERPRETE.

Ad illuſtrium liberorũ procreationem quæ conferant.

QVIDNAM eſt, quod de ingenuorum educatione liberorũ dicere quiſpiam poſsit, quatũmue rerum uſu ij ad morũ probitatẽ euaſuri ſint, eia conſideremus. Ante omnia de ipſorum procreatione fortaſsis principium feciſſe præſtabit. Si quis igitur illuſtrium eſſe natorũ pater optat, id ei proponendũ arbitror, ut ne uilibus aut abiectis ſeſe deuinciat mulieribus, quales meretrices ſunt, aut pellices. Quibus enim ulla ex patre uel matre innata eſt macula, eos quoad uita ſuperſit, indelenda quędam ignobilitatis conuicia comitantur, quæ increpare carpereq́; uolentibus in promptu magnopere ſunt. Sapiens nimirum is extitit poëta, quiſquis infelices ait eſſe prognatos, cùm nequaq́; rectè fundamenta ſui generis iaciantur. Pulcher igitur libertatis ac licentiæ theſaurus eſt, bonis procreatum eſſe parentibus: quæ res his plurimi fieri debet, qui legitimam exoptant ſobolem. Atqui ſimulati, & numorum inſtar ficti generis arrogantia, falli deprimiq́; natura ſolet. Quocirca is rectiſsimè cecinit poëta, qui hũc in modum inquit: Sceleris parentum mens uſquam ſibi conſcia, fortiſsimũ quenq́; captiuum trahit uirum: quemadmodũ iactantia ſimul & faſtu referti ſunt, quibus claris naſci parentibus obtigit. Eam ob cauſam filium Themiſtoclis Diophantum perſæpe in multitudine dixiſſe ferunt, quicquid is expeteret ab Athenienſium populo, mox approbatum iri: nam quæ ille uellet, & mater: & quæ mater, & Themiſtocles: quæ uerò Themiſtocles, eadem & uniuerſus Athenienſis populus. Digniſſimũ eſt eam animi magnitudinem collaudare Lacedæmoniorum, qui idcirco regem Archidamum pecunijs mulctauere, quoniam puſilli corporis mulierem matrimonio capere paſſus erat, ſubinde dicentes, quòd ille non reges, ſed reginas eis edere cogitaſſet. Poſt hæc deinceps dicatur, quod maiores noſtri haud neglexiſſe uidentur. Quidnam illud eſt? ut qui ſe mulieribus generandæ gratia ſobolis admouẽt, hi omnino ſobrij, aut uino ſaltem modeſtiſsimè delibato, congreſſum faciant. Quibus enim ex initio ut à genitoribus per ebrietatẽ ſeminarentur accidit, ij uini auidi, ac temulenti nimirũ eſſe ſolent. Eapropter cùm Diogenes quendam ex temulentia alienatæ mentis
D adoleſcentulum deſipere cerneret: Adoleſcentule, inquit, ebrius te ſeminauit pater. Et de genitura quidem hactenus. At uerò de ipſa iam degenda uita uidetur explicandum.

Ad operis alicuius perfectionem tria perquiri.

Generaliter equidem, quod de artibus ac ſcientijs dicere conſueuimus, idem etiam de uirtute dicendum: Tria eſſe quæ ad operis perfectionẽ ritè obeundam concurrere oporteat, naturam, rationem, & conſuetudinẽ. Rationẽ diſciplinam uoco, conſuetudinẽ uerò exercitationẽ. Initium à diſciplina, uſus ab exercitio ac meditatione fiet. Ex omnibus autem abſolutio cõparabitur. Sin iſtorum pars ulla defecerit, neceſſe erit hanc claudam eſſe uirtutem. Cæca enim res eſt ſine diſciplina natura, & abſque natura diſciplina manca res exiſtit. Imperfectum autẽ quiddam exiſtit, ſi ambobus his careat exercitatio. Nam ſicut in agrorum cultura bonam in primis eſſe tellurem oportet, tum ſerendi peritum agricolam, dehinc optima ſemina: eodem modo telluri naturam, agricolæ præceptorem, ſeminibus ſtudiorũ inſtitutiones ac præcepta conferes. Quæ omnia in eorum animos conueniſſe ac ſpiraſſe contenderim, quos uniuerſi decantant, Pythagoram dico, Socratem, Platonem, & quiſquis ſempiternam conſecutus eſt gloriam. Ingenuis certè felicitatis & diuini fauoris eſt, ſi cui ſingula hæc dij contulerunt. Quòd ſi quis haud idoneũ exiſtimat ingenium, poſteaq́; doctrinã, & rectam ad uirtutẽ nactum eſt exercitationẽ, ingentes naturæ defectus, ut fieri poteſt, nõ remittere, magnũ in modum, imò uerò prorſus errare ſe ſciat. Socordia enim naturæ uires perimit, doctrina tollit ignauiã. Facilia quoq́; ipſos fugiunt negligentes. Difficilia uerò cura & diligentia capeſſuntur. Quàm expeditiſsima, quamq́; efficax ſedulitas pariter ac labor exiſtat, compluribus in rebus facilè, ſi cõſpexeris, diſces. Aquatum enim guttę lapides cauant: ferrum & æs manuũ tactibus obterũtur: carpentorũ rotæ ſummis inflexæ uiribus, haud ullo pacto priſtinam reparare rectitudinẽ poſſunt: curuatas hiſtrionũ uirgas nullo dirigere modo licet: quin factus præter naturam labor, naturæ uim ſuperauit. An hęc duntaxat diligentię poteſtatem indicant? Minimè: imò uerò & infinita cętera. Si quod fertile natura ſolum incuriæ deditur, ſqualet incultũ: quoq́; natura pręſtantius eſt, eò magis ſi per ocium ac negligentiã omiſſum erit, perditur. Eſt ne quiſpiã infœcundus, & ſupra modũ aſperior ager? At cultus generoſos edidit fructus. Quænam arbores ſunt, quæ datæ neglectui non ſimul & tortæ pullulent, & ſteriles perſtent? cùm eædem rectum aſſecutæ patrocinium fructuoſæ ſint, & magnopere fertiles. Quæ corporis fortitudo nõ obtunditur, & propter incuriam, mollitiem ac malam habitudinem non perit?

A perit? Quæ autẽ imbecilla adeò natura, quæ per exercitationes atque certamina ad maximas nõ augeatur uires? Qui uerò equi à primis bene domiti annis, ſuis non obſequuntur ſeſſoribus? Qui autẽ indomiti perſtant, nónne ceruice duriſsimi, & animis feroces euaſerunt? Et quid admirari cætera opus eſt, cùm truculentiſsimas feras laborib. mitigari, manſuefieriq; plerũq; cernamus? Bene Theſſalus ille, qui cùm interrogaretur, quinam abiectiſſimi Theſſalorũ eſſent: Qui bellicarũ quietẽ rerum agunt, inquit. Ecquid multis opus eſt uerbis? Conſuetudo eſt, quæ longæua permaneat. Et ſi quis morales uirtutes, familiares appellarit, is nõ delinquere uideri poteſt. Qua in re unico uſus exemplo, amplius de hiſce rebus prolixiora enarrare deſinam. Lycurgus ille Spartanorũ legislator, geminos ex iiſdem parentibus catulos ſuſcipiens, haud ſimilibus educauit moribus. Alterum enim helluonem luxuriaq; ſolutũ, alterũ indagine ſagacem, & uenationibus idoneũ reddidit. Poſtea cùm aliquando Lacedæmonij unum in locum conueniſſent: Ad parandam, inquit, uirtutem, uiri Lacedæmonij, ingens eſt momentum conſuetudo, diſciplina, doctrina, & uitæ inſtitutio, quæ uobis illicò manifeſta uehementer eſſe faciam. Duos ſubinde catulos adducens, cùm ollam in medio, leporemq; coram eis poſuiſſet, alter quidem in leporem, alter in ollam magno erupit impetu. Cùm autem Lacedęmonij nondum quidnam id ſibi uellet cõiectarent, aut quamobrem catulos oſtentaſſet: hi ambo, dixit, iiſdem orti parentibus, cæterùm diuerſam uitæ conſuetudinem aſſecuti, alter guloſus, alter uenator euaſere. De uita quidem ac conſuetudine ſatis, conſequens eſt ut de alimento dicatur.

Quàm ſit ingẽs momentũ cõſuetudo, exẽplo declaratur.

Oportet, ut mihi profectò uidetur, ut matres filios alant, eisq; ubera porrigant, quoniam maiori cum charitate, & impenſa magis diligẽtia nutrient, ut quæ natos ex intimo, & ut dici ſolet, ex unguibus ament. Nutrices uerò & alumnæ ſuppoſitam quandam & adſcriptitiam beneuolentiam habent, utpote mercedis gratia diligentes. Quòd matres eos quos progenuerint, nutrire, alereq; conueniat, ipſa etiam natura demonſtrat: unicuique etiam animantiũ generi quæ pariunt, idcirco ſimul & lactis alimenta ſuppeditauit. Eius quoque ſapientem fuiſſe prouidentiam conſtat, quæ duplices mulieribus mammas addidit, ut ſi gemellos peperiſſe contigerit, duplices ad alendum fontes haberent: pręterea ut

Alimentum quale filijs cõueniat

B maiorem in eos quos procreaſſent, amorem beneuolentiamq; fouerent. Quod mediusfidius haud iniuria factum eſt: uictus enim cibiq; ſodalitium, quoddam beneuolentiæ & amoris incrementũ exiſtit: nam & belluæ, dum à socijs paſtus auelluntur, magnũ præ ſe ferre deſiderium illorũ uidentur. Danda igitur præſertim opera, ut matres, quemadmodũ enarratũ eſt, filios alant, iiſq; ubera porrigant. Sin id facere nequierint, uel propter aduerſam corporis ualetudinẽ (id nanq; impedimento eſſe poterit) uel propter liberorũ aliorũ ſtudium gignendorum, alumnas ac nutrices non uiles equidem, aut aduentitias, uerùm quàmmaximè idoneas, probasq; ſuſcipiendas eſſe cenſeo. Primũ quidem moribus inſtructas patrijs. Sicut enim infantium membra ſimulac nati ſunt, formari componiq; debent, ut recta, minimeq; obliqua fiant: ita puerorum mores principiò aptè concinneq; fingere conueniet. Illa nanq; nouella ætas ad fingendum facilis & tenera eſt, & ipſorum animis, dum molles adhuc extant, diſciplinæ melius inſtillantur. Difficilius autẽ quæ dura ſunt molliuntur. Quemadmodũ enim ſigilla mollibus imprimũtur ceris, ita & doctrinæ, dum puerilis adhuc animus eſt, inſculpuntur. Aptiſsimè igitur diuinus ille Plato nutrices admonuiſſe uidetur, ut ne friuolas ac turpes pueris fabellas mandent, ne illorũ animos ex initio ſtultitia, & corruptis imbuant moribus. Pulchrè igitur Phocylides poëta monuit:

Dum tener eſt gnatus generoſos inſtrue mores.

Illud etiam ne omittatur dignum eſt, ut pueros qui alumnis cõuicturi miniſtraturiq; ſint, tales in primis inquiramus, ut bonis ueniant inſtituti moribus. Dehinc ut patrium ſermonem, ac expedita pronunciare uerba ſciant, ne barbaris uocibus, aut deprauatis moribus intincti, aliquod ex his uitium reportent. Haud eſt ab re illud uſitatum ſermone prouerbium: Si claudo uicinus habitaueris, & ipſe claudus ambulare diſces. Poſtq; peruentũ cô ætatis erit, ut iam pædagogis cõmitti pueri debeant, hîc ad eorum inſtitutionẽ omnis habebitur diligentia, ne mancipijs, aut barbaris, aut perfidis, & inconſtantibus, filios tradere ſe neſciant, cùm irridenda uehementer hoc tempore multorum adſit conſuetudo. Præſtantes ſiquidem ſeruos nacti, hos quidem agri cultores deſignant, illos naucleros, alios mercatores, quoſdã & domeſticæ rei diſpenſatores, alios fœneratores. At ſi quem temulentum, ſcurram, & ad omnem rem gerendam prorſus inutilem ſeruum repererint huius curæ natos committunt. Frugi uerò pædagogum talem natura eſſe oportet, qualis & Achillis pædagogus Phœnix erat, quem idcirco Peleus, ut eſt apud Homerũ, Achillis

C curæ præfeciſſe dicitur, ut ei dicendi pariter ac faciendi ductor foret atq; magiſter. Maxi-
Quibus præce-ptorib. pueri cõ mittendi.
mum omniũ, longeq; primariũ dicturus accedo. Inquirendi filijs præceptores, quorũ uita
nullis obnoxia criminibus, irreprehenſi mores, & optimũ experimentũ. Honeſtatis enim
fontem ſimul ac radicẽ eſſe liquet, legitimã conſequi diſciplinã. Ac ueluti coloni ſepes ar
buſculis circumponunt, ita & æquiſsimi præceptores cõſona pueris inſtituta & admoni-
tiones inſerunt, unde rectiſsima morũ germina pullulent. Nunc uerò reſpuendi nonnul-
li ſunt genitores, qui priuſquàm ullam ex præceptoribus experientiã ſumpſerint, homini
bus aliquando improbis imperitisq;, ac ignorationis inſignis, liberos cõmendant. Quod
etſi per ignorantiã factum fuerit, ridiculũ tamẽ nondum eſt. Illud autẽ extremæ certè ſtul
titiæ. Quidnam inquies? quidam enim, quanq; quibuſdam dicentibus peritis, aliquorum
inſcitiam improbitatemq; cognorint, eis tamen ſuos cõmendãt pueros. Nõnulli placidis
eorum uicti blanditijs. Sunt tamen qui rogantiũ amicorũ gratiæ tribuant. Qua in re ſimi-
le quippiã factitant, ut ſi quis ægroto laborãs corpore, doctum ac ſalutiferũ omittens me
dicum, ut amici gratiã ineat imperitũ hominẽ deligat, à quo fortaſsis in perniciem detur:
aut præſtantiſsimo gubernatore dimiſſo, obſecrantib. amicis probet inſipientẽ & ignarũ.
Prò Iupiter, dijq; omnes, eſt'ne paternæ quiſpiã appellationis, qui pluris obſecrantiũ gra-
tiam, quàm liberorũ eruditionẽ faciat? Haud ab re, quod antiquus ille Crates dicere ſole
bat, qui ſi licuiſſet, ubi in altiſsimam urbis partem conſcendiſſet, ſe uociferaturum aiebat:
Quorſum ruitis homines, qui omne in cõparandis pecunijs ueſtrũ ſtudium facitis, filiorũ
uerò, quibus eas relinquitis, nullam ſanè curam ſuſcipitis? Quibus addendũ eſſe cenſeo,
quòd hi patres haud aliter faciunt, quàm qui magnam calceorũ ſedulitatem habent, cùm
interim pedem ipſum paruipendãt. Multi uerò ſunt parentes, in quibus adeò numorum
amor pariter & filiorũ odiũ ſæpenumero increuit, ut ne maiora impendant ſalaria, nullius
exiſtimationis homines eorum natis deligant, uiliſsimorũ preciorũ diſciplinã inſectan-
tes. Ob quam rem Ariſtippus haud inſulſe, quin urbano plurimũ ſermone quẽdam men-
tis inopem patrem carpſit. Quopiam enim ex eo percontante, quantam inſtruendi gra-
tia filij mercedẽ poſtularet, mille drachmas dixit. Ille uerò, hercle, ait, permagnũ poſtula-
tum. Seruum enim cõparare mille drachmis poſſum: proinde, Duos, inquit, habebis ſer-
D uos, & filium, & quem mercaberis. Et ut ſummatim dicam, quonam modo abſurdum nõ
eſt, noſtros quò dextera cibos capiant, ita aſſuefeciſſe, ut ſi læuam protendant, continuò
increpemus: nullam autem facere prouidentiã, ut idoneas atq; legitimas audiant diſcipli
nas? Quid autẽ his admirandis accidat patribus, poſtquã filios male nutrierint, maleq; in
ſtruxerint, dicere aggrediar. Nam cùm ſumpta uirili toga, ſalubrẽ ac bene inſtitutũ uiuen
di ordinẽ aſpernãtes, ad immodeſtas atq; ſeruiles ſeſe præcipitarint uoluptates, tunc ita li
beros erudiſſe pœnitet: cumq; nulla extat utilitas, ſeſe ob illorũ peccata diſcruciant. Hi e-
nim aſſentatores paraſitosq;, recipiũt indecoros ac execrãdos homines, & pernicioſos iu
uentutis euerſores: illi ſcorta, meretricesq; ſuperbas atq; ſumptuoſas redimunt. Alij obſo
nijs & exquiſitis ferculis dies peragũt: quidã in alea, procaciſſimisq; ſodalitijs uti naufra-
gi demergunt. Nõnulli iuuenilib. ſeſe magis applicãtes malis, adulteria, libidinesq; cõple
ctunt, & unicã mortis uoluptatẽ magnifaciũt. Verũenimuero hi, ſi cuiuſpiam philoſophi
cõſuetudinẽ habuiſſent, haud talibus profectò rebus animũ induxiſſent, quin id Dioge-
nis præceptũ didiciſſent, qui uerbo quidẽ grauiter, re autẽ uerè cõmonefaciens ait: Mere
triciam ingredere domũ, ut perdiſcas quàm nihil differant res precioſæ ab indignis. Et ut
ſuccinctè dicam, uaticinari magis quàm admonere iurè me exiſtimans, unũ in hac re pri-
mum, medium atq; poſtremũ eſſe uerticem aſſeuero, ut honeſta uitæ regula & legitima ſit
eruditio. Hæc eſſe quæ ad uirtutẽ ac beatitudinẽ plurimũ ferant adiumenti. Cætera qui-
Omnia corporis fortunæq; bona inſtabilia.
dem bona humana quædam eſſe, puſillaq; & indigna quæ tantis inſectemur ſtudijs. Pul-
chra quidem mediusfidius eſt nobilitas, ſed maiorum illud noſtrorũ bonum exiſtit. Pre-
cioſæ quidem diuitiæ: uerùm ea eſt fortunæ poſſeſsio, cùm eas & habentibus, ut uſu eue-
nit, auferat, & minimè ſperantibus afferat. Magnæ inſuper opes ſignum quoddam & faci
noroſis nota ſeruis & calumniatoribus iacent, quoties loculos ſagittare, adoririq; concu-
piuerint: & quod maximũ eſt, hæ quoq; ſceleratiſsimis cõmunes hominibus ſunt. Gloria
uenuſta quidem res eſt, ſed incõſtans minimeq; ſtabilis. Forma præcipuum quoddam, &
pro qua uendicanda magnoperę decertetur, at caduca paruoq; durans tempore. Precioſa
quippe ſanitas, uerùm permutationi prorſus obnoxia. Amabiles ſanè ſunt uires, & in par
tem beatitudinis collocandæ, ſed facilè aut ægritudine, aut ſenectute contabeſcunt. Si
quis omnino corporis robore glorietur, ſententiá falli ſe diſcat. Humana ſiquidem uis

præ cæ-

A præ cæteris pars quota extat animantibus?' elephantibus, inquam, tauris atq; leonib. No-
ſtris autẽ in rebus ſola & immortalis & diuina eſt eruditio. Ex uniuerſis duo humanæ na-
turæ perq; peculiaria bona ſunt, mens & ſermo. Et mens quidem imperat, ſermo autẽ ob-
ſequitur. Illam nullus fortunæ tollet incurſus, nulla calumnia diſtrahet, non ægritudo cor
rumpet, neq; ſenectus ullis affliget nocumentis. Sola mens eſt, quę uetuſtate confecta re-
pubeſcat, & cùm reliqua omnia tempore diminuantur, ſcientia ſenectute augeſcit. Bellũ
ſingula torrentis inſtar trahens, & omnia ferens, ſolam doctrinam nequit eripere. Quocir
ca philoſophum Stilponem illum Megarenſem, memoratu dignum feciſſe reſponſum au
tumo. Nam cùm Demetrius captam urbem ſolo æquaſſet, Stilponem interrogauit, nun-
quid ſuorũ quicq; amiſiſſet. Cui Stilpo: Haud equidem, inquit: bellum enim nulla ex uir
tute ſpolia ducit. Concors huic & conſentaneũ illud Socratis uidetur eſſe reſpõſum. Nam *Virtus bello mi-*
cùm Gorgias, ut arbitror, percontaretur, an Perſarum regem felicem eſſe putaret: Neſcio, *nimè obnoxia.*
inquit, quantũ habeat uirtutis ac diſciplinæ: perinde ac in hiſce, non autem fortunæ bo-
nis, perſiſtat beatitudo. Cæterùm quemadmodum nihil filiorum eruditione propenſius
& conducibilius faciundum eſſe moneo, ita incorrupta ac ſalubri eius uia inſiſtere opor-
tere dixerim, ut liberi à popularibus & plauſorijs q; procul nugis abducantur. Nam mul-
titudini qui collibuerit, is ſapientibus diſpliceat oportebit. Teſtimonio eſt Euripides, ita
dictitans: Iners ego ſum meos in uulgum uerſus dare: Modicis uerò ac æqualibus ſapien-
tior. Et profectò qui peritis contemptui ſunt, ij ad perorandum in multitudine magis ido
nei habentur. Qui enim ad turbulentiſsimæ gratiã & beneuolentiã plebis ineundam ſua
cõſtituerint exercitia, eos ut plurimũ prodigos, & uoluptatis auidos intueor: & iure qui-
dem ac meritò. Nam ſi quis ut uoluptatem alijs comparet, honeſtatẽ negligit, is certè re-
ctas ac ſalubres rationes ſuis delectationibus anteponere, aut pro uoluptuoſis modeſta
ſectari nullo modo poterit. Ad hæc, ne pueri dicant aut faciant quid ex tempore, cauen-
dum erit. Quod enim inconſultò ac temerè dictum factúmue ſit, id pulchrũ eſſe nequit, *Omnia difficilia*
utiq; in prouerbio eſt, Difficilia honeſta ſunt. Impræmeditati quoq; ſermones plurima le- *pulchra.*
uitate incuriáq; referti, neq; unde ſumendum exordiũ, neq; ubi terminandum facilè con-
B ſpicanẽ. Præter alia delicta, quibus extemporariè dicendũ eſt, hi ad immoderatã quãdam
incidunt multiloquentiã. Conſiderata uerò meditatio orationẽ è congrua uagari menſu-
ra nõ ſinit. Periclem, ut accepimus, ad perorandum cõuocatũ multoties populo, nequaq;
obediuiſſe conſtat, quòd imparatum ſe eſſe diceret. Eodem modo & eius in repub. æmu-
lator Demoſthenes, cùm ad cõſulendum accerſeretur à populo, reſtitit: Non enim inſtru-
ctus ſum, ait. Hanc nullo cum autore, mendacemq; traditionẽ eſſe fortaſſe quis dicet: ue-
rùm in oratione contra Midiam, cogitationis utilitatem palàm adduxit, hunc in modum
inquiens: Ego, uiri Athenienſes, conſideraſſe me fateor, & quantũ in me ſitum eſt, præme
ditatum uehementer eſſe nõ inficior. Miſerandus enim certè forem, ſi ita tractatus ac affe
ctus, ſic acceſsiſſem ut quæ de hiſce rebus oraturus ſum, inconſiderata præterijſſem. Neq;
uerò id nũc dico, ut ſit omnino dicendi expedita præparatio reprobanda, aut quo minus
ab his, qui eam rem dignè exequi poſsint, habenda ſit exercitatio: ſed hoc uelut pharmaci
loco faciendum eſt, & uſq; ad uirilem ætatẽ, nihil ex tempore dicendum cenſeo. At cùm
eloquendi uires radicem egerint, tunc ubi tempus aduocarit, orandi libertatem imparti-
re conueniet. Sicut enim qui longo tempore in uincula cõiecti fuerint, ſi poſterius ſoluan
tur, ob diuturnã uinculorũ conſuetudinẽ ambulare nequeunt, quinimò claudis incedunt
pedibus: ita & qui ſermonẽ diutius adſtrinxerint, ſi quãdo loquendum extemplò fuerit,
nihilominus eundem ſtylum interpretis obſeruant. At ſi quis pueros ex tempore dicere *Pueris, ut ex tem*
ſinat, extremæ cauſam garrulitatis inſtituit. Miſer quidam pictor, cùm ſuam Apelli oſten *pore quid dicãt,*
deret imaginẽ, hanc modò pinxi, dixit. Cui Apelles: Et ſi taceas, inquit, hanc ſubitò depi- *nõ permittendũ*
ctam eſſe intelligo: demiror autẽ quonam pacto nõ plures huiuſcemodi depinxeris. Et ut
ad priorem materiã referatur oratio, ſicuti theatralem ac tragicam, ita & depreſſam & hu-
milem dicendi orationẽ euitandam, fugiendamq; prorſus admoneo. Tumidum nanq; o-
rationis genus ciuile nequaq; eſt: tenue uerò nuſquam mouet. Quemadmodũ enim cor-
pus non ſolùm incolume, uerumetiam bonæ habitudinis eſſe oportet: ita & orationẽ non
modò non ægram, ſed etiam robuſtam eſſe conuenit. Nam quicquid tutum eſt, id ſolum-
modo collaudatur. Quod uerò cum periculo fit, id etiam admiratione proſequimur. Ean-
dem quoque de animi diſpoſitione ſententiam habeo. Nam neq; temerarium, neque au- *Animi diſpoſi-*
dacia prorſus exutum ac timidum eſſe decebit, cùm illud quidem impudentiam, hoc au- *tio qualis eſſe de*
tem ſeruilem afferat turpitudinẽ. Mediam autem in cunctis ſecare uiam, ſummæ & artis, *beat.*

C & conſonantiæ eſt. Adhuc cùm de diſciplina cōmemorem, de ipſa quid opiner diſſerendum cenſeo. Sermonē uno contentū eſſe membro, non autē uarijs diſtinctum eſſe clauſulis, nō paruum imperitiæ ac diſſonantiæ ſignum facio. Id præterea ad exercitationē faſtidioſum, & paſsim intolerandū arbitror. Vnicus nanq; canendi modus, & inuariatus perſonis actus, laborem ſimul ac ſatietatē gignit. Amœna uerò uſquequaq; uarietas cùm cæteris in rebus, tum uerò in uocibus atq; ſpectaculis. Ingenuis igitur adoleſcentib. nihil uel auditu, uel ſpectatu debet omitti, imò nec is qui orbis diſciplinarum appellatur. Verùm hæc perinde ac guſtus gratia, uel in tranſcurſu perdiſcenda ſunt: fieri autem nequit, ut in cunctis perfectionē aſſequantur. Antiquiorē autem primamq; philoſophiam eſſe ducant. Qua in re, mea coràm ex ſimilitudine quadam cōſtituenda ſententia. Nam ſicuti cōplures nauigando urbes obire perpulchrū eſt, ita in præſtantiſsima domiciliū habere cōmodiſsimū ac precioſiſsimū. Vrbanè profectò Bionem philoſophum dicere ſolitum accepimus: Quemadmodū cùm proci Penelopes congreſſum habere nequirent, eius ſe ancillis immiſcebant: ita & qui philoſophiam conſequi nō ualent, per cæteras nullius ſanè exi-

Artium & ſcientiarum principi philoſophia.

ſtimationis diſciplinas, aridi ſemper & tenues intabeſcunt. Quamobrem aliarum artiū & ſcientiarum, uti principem, conſtituere philoſophiam oportebit. Ad corporis quidem curam, duplicem ſcientiam humana excogitauit induſtria, medicinam dico atq; gymnaſticam: quarum altera ſanitatē, altera bonam importat habitudinē. Animorū autem ægritudines atq; languores ſola eſt quæ curet ac medeatū philoſophia. Per hanc enim & cum hac ſcire licet, quid honeſtum, quid turpe, quid iuſtum, quid iniuſtum, & ſummatim, quid deligendum, quid fugiendū, quomodo parentibus, quomodo natu grandioribus, quomodo peregrinis, magiſtratibus, amicis, uxoribus, ac ſeruis utendū ſit, utq; deos ueneremur, parentes honoremus, ſeniores uereamur, legibus obtemperemus, magiſtratibus cedendum ſit, amicos diligere oporteat, in mulieres ſeruare modeſtiam, charos habere liberos, minimè ſæuire in ſeruos, & quod maximū eſt, in proſperis fortunæ ſucceſsibus lætitia nō effundi, nec in aduerſis caſibus triſtitia deprimi, nec omnino uoluptatibus eſſe deditos,

D nec ita per iracundiam affici ut belluarū animos induamus, quæ ex omnibus philoſophię bonis antiquiſsima iudico. Generoſi enim ſecundam ferre fortunam uiri officium eſt: ſine inuidia uerò, hominis bene inſtituti. Voluptates ratione ſuperare, ſapiētis: iracundiā uincere nō uilis profectò aut cuiuſuis munus eſt uiri. Cæterùm eos perfectos opinor eſſe homines, qui ciuiles cum philoſophia poteſtates queant immiſcere. Hos ſibi gemina uendicare bona reor, ut ſcilicet eorum uita & ad cōmunem omniū utilitatem in repub. duceretur, & ſumma cum tranquillitate nullis obiecta fluctibus per ſapientiæ ſtudia uerſaretur.

Triplex uitæ genus.

Nam cùm triplex uitæ genus exiſtat primū quidem actiuū, cōtemplatiuū alterū, tertiū uoluptuoſum, hoc ſanè diſſolutum, & uoluptatis mancipium, belluarum eſt, & infimorū hominum. Actiuum autē, ſi philoſophia caruerit, ineptū eſt, & magnis delictis inuoluitur. Speculatiuū, ſi ab actiuo ſeiungitur, prorſus inutile. Experiundum igitur pro uiribus, ut & publica conficiantur, & philoſophia uendicetur, quemadmodū pro temporibus attinere uidebitur. Hunc in modū Pericles ciuilia tractauit officia: hunc in modū Archytas Tarentinus: hunc in modum Dion Syracuſanus, & Thebanus Epaminondas, quorū utrunque Platonis conſtat fuiſſe diſcipulum. Circa diſciplinam quid amplius immorari deceat, neſcio, niſi quòd præter ea quæ dicta ſunt, conducibile, imò uerò neceſſariū exiſtit, ut ad adipiſcendos antiquorum codices ne parum diligentes ſint, uerū hi pro agricolarū more colligendi. Nam ita diſciplinæ inſtrumentū, librorum uſus eſt, & uelut à fonte ſcientiam conſeruari contingit. Corporis certamina ut contemnantur, ne digna quidem extant: ſed ad eius rei præceptores, ut ad ipſa quantū ſat erit elaborēt, pueri dimittentur, quò & apta quædam membrorū compoſitio ſimul & robur acquiratur. Bona enim in pueris corporis habitudo, bonæ quoq; ſenectutis fundamenta iacit. Sicut hyemi neceſſaria per ſerenitatē parare conuenit, ita & boni mores, & optimū ad ſenectutē uiaticum modeſtia, in ipſa iuuentute reponenē. Adeò autem perinde ac in cella quadam reſeruandus eſt corporis labor, ut ne fragiles, leuiterq; cedentes, ad doctrinæ ſtudia fatigati ſuccumbāt. Hoſtes enim

Hoſtes diſciplinarum.

diſciplinarū, ut à Platone dictum eſt, labores atq; ſomni. Quid his tantū inſiſto, quin ad id quod dictu longè principalius eſt explicandum, ſummo ducar ſtudio? Militaribus nanq; certaminibus pueros exercere conueniet, ut in iaciendis haſtis, tractandis arcubus, uenationibusq;, magnopere contendant. Victores enim eorum quos bello deuicerint bona, ſibijpſis præmia eſſe proponūt. Bellum educatam in umbra corporis habitudinem repudiat. Macilentus autem miles, bellicis aſſuetus certaminibus, pugiles, & ſtructas prælio

propulſat

A propulſat acies. Quid agis? dicet quiſpiam: tu cùm de ingenuorũ educatione liberorum
daturum te præcepta ſpoponderis, poſtmodum inopes ac populares ita uideris præter-
miſiſſe, ut ſolis inſtitutionẽ locupletibus exhibere cogites. Quibus occurrere haud certè
difficilè: ego nanq; hanc ipſam inſtitutionem cõmutiem omnibus, ac utilem eſſe maximè
uelim. Verùm ſi propria laborantes indigentia meis uti cõmonefactionibus nequierint,
fortunam, non autem me conſulentem accuſent. Enitendum itaq; pro uiribus, ut optima
pueris, uel etiã ipſis pauperibus fiat educatio: ſin minus, poſsibili ſaltẽ utendũ erit. Et iſta
quidẽ, quæ grauiter in ſermone obijci poterãt, adduxi, ut quæ ad rectã iuuenũ inſtructio-
nem cõferũt, deinceps adiungã. Illud igitur aſſero, ad honeſta pueros exercitia nõ plagis
aut uerberibus, ſed monitis ac rationibus adduci oportere. Videntur enim ea magis ſer-
uos decere, quàm liberos. Obtorpeſcũt enim, & ad labores ſuſtinẽdos, nũc ob plagarũ do
lores, nunc ob contumelias, horrent. Liberalibus itaq; pueris maiorem laudes ac uitupe-
ria, quàm uerbera, cõmoditatem afferunt: illæ enim ad honeſta concitant, hęc à turpitudi
dine cohibent. Mixtim uerò & alternis utendum erit obiurgationibus & laudibus. Et ſi
quando exhilarati fuerint, obiurgationibus ad pudorem redigendi ſunt, & rurſus laudi-
bus inde reuocandi: ijſq; imitandæ nutrices erunt, quæ ubi infantes lugere coẽgerint, u-
bera denuò ad eos ſolandos admouent. Cauendum autẽ erit, ne immodicis elati laudatio
nibus intumeſcãt, quoniã nimijs demolliti laudibus franguntur. Pleroſq; iam ego patres
uidi, quibus amor nimius ne amarent cauſa extitit. Quid igitur eſt quod dicere uelim, ut
exemplo luculentior fiat oratio? nam cùm hi feſtinent, ut filij in cunctis ocyus antecedãt,
immenſos illis labores adijciunt, ſub quibus defeſsi corruũt, & alioqui pondere moleſtia-
rum oppreſsi, doctrinã minus manſuetè percipiunt. Plantæ enim cùm modicis alantur a-
quis, quãmultis ſuffocantur: eodem modo animus cùm mediocri uegetetur labore, ſub ni
mio demerſus opprimitur. A cõtinuis igitur laboribus danda quædam pueris reſpiratio.
Reminiſci enim oportet, noſtram omnem uitam in remiſsionẽ ac ſtudium eſſe diuiſam. *Omnis uita hu-*
Quocirca non uigiliam modò, uerumetiam ſomnum eſſe repertum: non bellum ſolùm, *mana in remiſsio*
ſed & pacem: non hyemem, ſed & tranquillitatẽ: non operoſos, ſed feſtos etiam dies: & *nem ac ſtudium*
B ut generatim eloquar, laboris condimentũ eſt ocium. Idq; non in animantibus modò, ſed *diuiſa.*
etiam in his quæ anima carent, fieri conſpicies. Arcus enim lyraſq; remittimus, ut tendere
poſsimus. Ac ſummatim, corpus quidẽ indigentia & replemento, animus uerò remiſsio-
ne atq; labore conſeruatur. Increpandi pleriq; meritò ſunt genitores, qui pædagogis atq;
præceptoribus filios ita cõmittunt, ut quid hi diſcãt, neq; uideant, neq; protinus audiant.
Qua in re plus quàm opus ſit delinquunt, cum ipſi paucos intra dies experimenta ſuſcipe
re ac tentare debeant, non autẽ in mercenarij diſpoſitione ſpem ſuã collocare. Nam & illi
maiorem puerorum curam ac diligentiam facturi ſunt, cùm rationẽ ubiq; reddituros ſe ſo
re ſcient. Hoc in loco generoſum illud lepidum eſt ſtabularij dictum, qui nulla alia ex re
equum adeò pingueſcere, q; regis oculo, dixit. Super omnia puerorũ memoria exercen-
da conſueſcendaq;: ea enim diſciplinæ quaſi quędam cella penaria eſt. Quamobrẽ memo *Muſarum mater*
riam eſſe matrem Muſarum, traditur in fabulis. Quaſi uerò inſinuent atq; demõſtrent, nul *memoria.*
lam à natura rem tantùm gignere ac nutrire, quantùm memoriam poſſe. Illa igitur in u-
tranque partem exercenda, ſiue ij natura memores, ſiue cõtrà obliuioſi fuerint. Naturæ ſi-
quidem abundantiã corroborabimus, defectum uerò ſupplebimus, tumq; illis cæteros,
iſtis ſeipſos uincere continget. Præclarè enim apud Heſiodum:

Paruula ſi tentes ſuperadieciſſe puſillis,
Idq; frequens peragas, magnus cumulatur aceruus.

Illud uerò ne parentes lateat, memoratiuam doctrinæ partem nõ modò ad perdiſcẽdum,
uerùm & ad cæteras uitæ res non minimã conferre portionẽ: nam rerum geſtarũ memo-
ria, ad futurorũ conſultationẽ exemplum quoddam extat. Præterea filij à uerborũ turpi-
tudine retrahendi. Vt enim ait Democritus, actionis umbra exiſtit oratio. Dehinc, ut ipſi
colloquio faciles, & in obuijs cõpellandis ſuaues fiant, præparandũ erit. Nam ſicuti gra-
ues in colloquio mores digna in ſe contrahunt odia, ita & pueri chari ſocijs reddentur, ſi
quæſiti nõ pertinaces omnino, nulliq; cedentes extiterint. Non ſolùm enim uincere, ſed
etiam uinci ſcire ſpecioſum eſt, in ijs prępertim rebus, in quibus uictoria detrimentũ parit.
Extat huiuſcemodi Cadmea certè uictoria. Huius rei teſtem adducendũ ſapientẽ habeo
Euripidem, qui hunc in modũ locutus eſt: Duobus obloquentib. cùm alter fuerit qui uer
ba frenat, is longè ſapientior. Cæterũ illa nõ minus q; ſuperiora, quin longè magis adole-
ſcentibus exercẽda. Ea ſunt eiuſmodi: Sine mollitie uitã eſſe degendã, cõtinendã linguã,

C iram ſibi ſubijcere, manus cõprimere. Quale autẽ horum unumquodq; ſit, diſpiciendum.
Hæc autem ab exemplis notiora fient. Et ut à poſteriore prius exordiar, pleriq; manus ad
iniuſta ſubmittẽtes lucra, anteactæ effuderũt uitæ exiſtimationẽ, ut Gylippus Lacedæmo
nius, qui quoniam pecuniarũ ſacculos ſoluerat, Sparta in exilium expulſus eſt. Sapientis
Iram nobis non debere dominari autem munus eſt, à nulla uinci iracundia. Adoleſcens quidam temerarius admodum &
deteſtandus, Socratem calce percuſsit: quamobrẽ cùm moleſtè ferentes comites, adeoq;
animi diſcruciatos aſpiceret, ut ipſum perſequi uellent, Si me aſinus, inquit, calce pul-
ſaſſet, dignúm ne ut mutuò illi calces incuterent exiſtimaretis? quod tamẽ haud ille pror-
ſus effecit. At eum cùm uniuerſi probris inſectarent, calcitronemq; nominarent, ſeipſum
ſtrangulauit. Cùm Ariſtophanes multa in eum cõuicia diſsipans, eam cui Nebulæ titulus
eſt comœdiam edidiſſet, & adſtantiũ quidam talia decantans dixiſſet: Nunquid iſta So-
crates iniquo pateris animo? Haud equidem mediusfidius, ait: ſiquidem in theatro perin
de ac magno in conuiuio ſalibus mordeor. Sororia iſtis & paria Archytas Tarentinus &
Plato geſsiſſe uidentur. Ille enim ex bello reuerſus (rei nanq; militari operã dabat) agrum
incultum ac ſqualentem offendens, accito illius uillico, Niſi iratus forem lugeres, ait. Pla-
to uerò aduerſus deditũ uẽtri ſeruũ deteſtandumq; ira percitus, uocato ſororis filio Speu-
ſippo, Abi dixit, hunc uerberato, nam ego nimia exagitor ira. Ardua hęc & imitatu diffici
lia, dicet ſanè quiſpiã, nec ego ſum neſcius. Verumenimuero totis enitendũ eſt uiribus, ut
iſtis utentes exemplis, ab inconuenienti & ſæua nimium ira magnã ſaltem auferamus par
tem. Nam cùm alias quidem ad res, nec cum eorũ doctrina, nec cum uirtute certare poſſu
mus, illorũ nihilominus ſapientiæ perinde ac deorum antiſtites, ſacrorũ expoſitores, tæ-
Linguæ uolubilitas reprimẽda. dasq; geſtantes, hæc imitari pro uiribus, & aliquid deradere conemur. De cõtinenda ue
rò lingua, ut propoſui, explicare reſtat. Si quis paruũ aut contemptibile ſuſpicatur, à ueri-
tate uehementer errat. Magnæ enim ſapientiæ tempeſtiuũ eſt ſilentium, & omni certè ſer-
mone præſtantius. Idcirco maiores noſtri myſticas deſignaſſe ceremonias uidentur, ut ex
illis capta ſilendi conſuetudine, deorum metum ad humanorũ fidem arcanorũ transfera-
mus. Nam cùm neminem tacuiſſe piguerit, dixiſſe certè complures: præterea quod ſilen-
D tio retentũ eſt, efferetur perfacile: quod autem edideris, nullo modo reuocari poteſt: ſcio
innumerabiles ob linguæ intemperantiã ad maximas incidiſſe calamitates, ex quibus, re-
lictis cæteris, unum aut duos adumbrationis gratia meminiſſe ſat erit. Cùm Philadelphus
ſororem Arſinoën cepiſſet uxorem, Sotades inquit, In ſanctam minimè rimulam tru-
dis aculeum. Quo dicto in uincula coniectus, multo tempore putridus intabuit, & intem
peſtiuæ dicacitatis haud increpandas utique pœnas dedit: qui ut alijs riſum exhiberet, in
diuturnos collapſus eſt luctus. Paria, & cum his cõtendentia Theocritus philoſophus di-
xit, ſuſtinuitq; & grauiora nonnihil. Alexander Græcis ut purpureas pararent ueſtes edi
xerat, ut cùm rediret, belli contra Barbaros à ſe confecti uictoriam ſolennibus celebrarẽt
ſacrificijs. Tum nationibus argentum per capita conferentibus, Theocritus inquit: Prius
quidem ſubdubitabam, nunc uerò perſpicuè ſentio, hanc tibi ſecundùm Homerum ne-
cem fore purpureã. Quibus ex rebus magnam ſibi ex Alexandro conflauit inimicitiã. Re
gi Macedonum Antigono, qui altero carebat oculo, cùm cæcitatem obieciſſet, haud me-
diocrem ſuſcitauit iram. Magiſtrum enim coquorũ Eutropionẽ in centuria quadam con-
ſtitutum, ut rationem redderet acciperetq;, ad ſe uenire iuſſerat: quæ cùm ille ad eum mul
toties aduenìens retuliſſet, Scio (inquit Theocritus) quòd Cyclopi me crudum appones.
Quo dicto, illi quidẽ cæcitatẽ, huic uerò coquinariã obiectauit artem. Tunc Eutropion,
Capite igitur carebis, reſpondit, & huius dicacitatis inſaniæq; pœnas lues. Dehinc dicta
renunciauit ad regẽ. At ille qui Theocritũ interficerent ſtatim miſit. Præter hæc omnia,
Mendacijs ne aſſueſcant pueri. id quod ſanctiſsimum eſt, pueri uera proferre cõſuefiant. Mentiri enim ſeruile eſt uitium,
& à cunctis mortalibus odio inſectandum, nec quod apud mediocres etiã ſeruos ueniam
promereatur. Iſta quidem de puerorum ornamentis atq; modeſtia, nullam per ambiguita
tem aut cunctationẽ recenſui: de his autem quæ deinceps dicturus ſum, dubius perſto, &
ancipiti magis trahor ſententia, hac illac ue in trutinæ modum uergens, in neutram cer-
tus inducor partem. Permultus uerò de introducenda, aut re auertenda me torpor habet:
ut illam tamen exprmoam, prorſus audiendum eſt. Quid illud eſt? Vtrum qui puerorum
amore tenentur, eorum ſocietatem & conſuetudinem habere ſinendi, aut contrà prohi-
bendi, & ab ipſorum cõuerſatione procul arcendi. Cùm enim pleroſq; rigidos patres, mo
ribus acerbos, immitesq; reſpicio, qui filiorum dedecus eſſe arbitrantur, ſi cum eorum a-
matoribus obuerſentur, hanc rem meis introducere conſilijs uereor. Quum autem ex

A altera parte animaduerto Socratem, Platonem, Xenophontẽ, Aeſchinem, Cebetem, & uniuerſum illum uirorum cœtum, qui marium cõmendat amores, quiq; adoleſcentes ad eruditionem popularẽ, principatũ, & ad morum deniq; probitatẽ peruexerunt, ſubinde alter exiſto, & ad illorũ æmulationẽ uirorũ ipſe deflector. Harum etiã rerum teſtis eſt Euripides, hoc inquiens pacto: Sed eſt amor mortalibus quidam inſitus, animi moderata iuſtaq; ſeruantis. Simul id Platonis inſtitutũ, ingenii ſtudio & urbanitate temperatũ, haud prætermittendum. Licere inquit ijs, qui optimè de repub. meriti ſunt, ut quem ex honeſtis forma maluerint, iuſto ſibi deuinctum amore media fronte diſſuauient. Quòd ſi quos pulchritudinis libido ceperit, eos fugare propellereq; conueniet. Tales autem ſunt amores in Thebis, & Helide, & qui ex Creta raptus appellatur. Qui autẽ animũ dilectione ac beneuolentia cõplectent̃, ij penitus comprobandi, quales Athenienſiũ amores, & Lacedæmoniorũ exiſtunt: de his prout unuſquiſq; ſibi perſuadet, ita etiã ſuſpicet̃. Ego uerò poſtq; de puerili iam inſtitutione ac ornamento diſſerui, ad adoleſcentiũ ętatem transeundum paucis eſſe cenſeo. Sæpenumero improborũ duces morum incuſaui, qui cùm puerili adhuc ætati pædagogos magiſtroſq; præficiant, iuuenilem impetum ſolutum uagari ſinunt, cùm è contrario maior his annis, quàm puerilibus, cautio & obſeruantia debeatur. Nam quis ignorat puerorũ delicta parua eſſe, ac medicatu facilia? fortaſsis enim aut pædagogorum incuria, aut præceptorũ in ludis peragendis inobedientia. At iuuenum peccata immenſa plerunq; ſunt, & miſeriarũ plena, uentris immodeſtia, paternorũ bonorum expilatio, alea, ſaltandi proteruia, ebrietates, amores uirginũ, mulierũ corruptiones, adulteria. Horum igitur impetus omni cura & diligentia coërcendi, reprimendiq; fuerant. Petulantem enim uigorem ætatis non facilè à uoluptatum obſeruabis incurſu: quocircà illi fręno uehementer opus exiſtit. Eapropter qui huic ætati ſummopere non reſiſtunt, haud intelligere uident̃, ſe illorũ cogitationib. magnã ad perpetranda facinora licentiã exhibere. Prudentes itaq; patres hoc potiſsimũ tẽpore ſumma cuſtodire uigilantia oportebit, ut adoleſcentulos ad modeſtiã inducãt, inſtruant, minentur, rogent, cõſulant, polliceantur, nunc eorum exempla demonſtrent, qui ob ſuas libidines ad magnas peruenerunt ærumnas, aut qui per tolerantiã laudes, & præclarã ſunt gloriam aſſecuti. Hæc enim duo perinde ac uirtutis elementa ſunt, ſpes honoris, ac formido pœnæ. Nam quũ ille ad egregia honeſtatis opera promptiores efficiat, hæc ad perpetranda uiliſsima ſegniores reddit. Generatim autẽ liberos noſtros flagitioſorũ hominũ conſortio ſegregare decebit: eorũ enim malignitatem reportant. Hæc & Pythagoras obſcuris quibuſdam præcepit ſermonibus, quos hoc in loco poſitos explanabo, quoniam ad conquirendam uirtutẽ non minimũ uidentur afferre momentũ, quale illud: Quæ nigrantes habent caudas, guſtari nõ oportere: hoc eſt, cum hominibus conſuetudinẽ non eſſe habendam, quos morum deprauatio ipſa denigrat. Iugum, ſtateramq; ne tranſcendere: id eſt, plurimi facere iuſtitiã oportere, nec eam ullo modo tranſcendere. Nec Chœnici inſidere: hoc eſt, fugiendum eſſe ocium, prouidendumq; ut neceſſariã pręparemus alimoniã. Haud inijciendam unicuiq; dexterã: id eſt, non promptè aut inconſultò conciliari oportere. Anguſtũ ne geſtabis anulum: quoniã ita uitã, ut eam nõ uinculo diſtringas, exercere debebis. Ignẽ ferro cędi minimè debere: hoc eſt, irritandum nõ eſſe ex ira furentẽ, haud enim cõuenit, quin potius cùm intumeſcit, iræ cedendũ. Cor neq; mãducabis, quid aliud inſinuat, ꝙ ne animũ offendas ſolicitudinibus, eumue curis cõficias? Abſtinendũ à fabis: quòd in re ciuili uerſari nõ oporteat: fabis enim priſcorũ ſuffragia ferebantur, quæ finem principatibus attulerunt. Cibos in ſcaphio nõ eſſe ponendos: ſignificat autem in improbum animum urbanos immitti non oportere ſermones, aut ulla uirtutis ſtudia. Animi nanq; cibus eſt, cum ratione ſtudiũ, ac ſermo frugi, quem impurum ac ſordidum humana reddit improbitas. Haud retrouerti ad contermina proficiſcentes: id eſt, quibus moriendum eſt, quum proximum uitæ terminum intueantur, facilè ferant, neq; mœrore deprimantur. Ad priorem denuò materiam flectetur oratio, & quod prius agebam, à prauis hominibus, ſed aſſentatoribus pręſertim, liberos abducamus. Compluribus id, patribus præſertim dicere non deſino, ac impræſentiarum rurſus dico, nullum animantiũ genus aſſentatorib. eſſe pernicioſius: nullum quod citius in præcipitia iuuentutẽ deducat, qui patres ac filios radicitus obtriuerunt, illorum ſenectutem, & horum adoleſcentiã triſtitia & magnis affligentes malis, & quæ ipſorum conſilijs clandeſtina quædam iacet eſca, uoluptatẽ prætendũt. Opulentos filios patres ut ſobrietatem conſeruent, monent, aſſentatores ebrietatẽ: illi temperantiã, iſti laſciuiã: illi parſimoniã, iſti ſumptus & expenſas: illi labores appetendos, iſti ſocordiã. Vniuſcuiuſq;

Iuuenilis impetus coërcendus.

Virtutis elementa duo.

Symbola Pythagoræ.

Sermo frugi, cibus eſt mentis.

Aſſentatoribus nihil deterius.

C uitam punctum eſſe temporis aſſeuerant. Quocirca uiuendum, non autem diminutè uiuendum eſſe. Et quæ uobis paternarum cura minarum? Iam pater uti Saturnus quidam ætate delirat, iam capularis eſt dæmon: ſublimem hunc attollamus, eumq́ꝫ cumprimū efferamus. Pleriqꝫ ad ſcortandum accedunt, & intempeſtiuas ducunt uxores, paternaq́ꝫ ad ſenectutem uiatica corradunt, atqꝫ ſurripiūt. Sceleſtiſsimū hominū genus amicitiæ ſimulatores, nullam prorſus eloquendi libertatē deguſtantes. Ii locupletū quidem aſſentatores, pauperum cōtemptores, aduerſus iuuentutem perinde ac ex arte lyrica deducti, cùm ſuos ridere nutritores cernunt, ultrò arrident. Ex omni uitæ parte nothi atqꝫ degeneres, ad diuitum nutum uitam agunt, fortuna liberi, electione ſerui: tum magnas ſe pati contumelias opinant̃, cùm nullis afficiant̃ contumelijs, quoniā alienum fruſtra cibum capiant. Quocirca ſi quis pater eſt qui de bene inſtruendis natis curā gerat, has primū faſtidioſas propulſet pecudes. Condiſcipulorū etiā flagitia repellant̃, quoniā ij ad manſuetiſsimas etiam naturas corrumpendas ſatis poſſunt. Iſta quidem honeſta & perutilia ſunt, quæ uerò dicam humana. Haud enim uolo parentes omnino aſperos, & natura eſſe duriſsimos: at præteritorum nonnullis peccatorum concedendam interdum eſſe ueniam ducant, ſeq́ꝫ iuuenes aliquando fuiſſe meminerint. Quemadmodum medici amara quædam pharmaca dulcibus immiſcentes ſuccis, acceſſum ad utilitatē, iucunditatem inuenerunt: ita & patres increpationū rigorē, manſuetudine tēperent eſt neceſſe. Puerorū nanqꝫ deſiderijs remittendæ interdum habenæ, nonq́ꝫ nihil laxandæ, quandoqꝫ rurſus intendendæ. Leuia pręſertim delicta molli ferant animo: ſin aduerſus ipſos ira excanduerint, illicò tumorem animi deponant. Parentem enim celeres, quàm graues ſuſcipere iras præſtat. Nam cùm quiſpiam ita difficiles induit animos, ut nō niſi ſummo cum labore redire in gratiam poſſit, profectò filiorum odium contraxiſſe non paruo patefecit indicio. Vt aliqua etiam nouiſſe peccata diſsimulent, ſatius erit: uerùm ſurditatem & obtuſos ſenectutis oculos, ad filiorum commiſſa transferant, ut pleraqꝫ uidentes non uideant, audienteſq́ꝫ non audiant. Amicorum errata perferimus, quidnā ergo mirum ſi & natorum? Crapulantiū multoties ſeruorum ebrietatem minimè redarguimus. Interdum pepercisti, inſuper ſumptū iam ſup

Huc facit illud Iureconſulti, Patriā uidelicet poteſtatem in pietate, non in atrocitate conſiſtere.

D peditato. Moleſtè aliquando pertuliſti, ultrò ueniam adhibe. Per ſeruuli quandoqꝫ fraudes te decepit, cohibe prorſus iracundiam. Ex agro iuuencos abſtulit, redijt heſternū nōnunquam exhalans temetum, inſcius eſto. Vnguenta redolet, tacitus ſis. Hūc in modum petulca iuuentus equini inſtar pulli, domita mitiſq́ꝫ redditur. Enitendum eſt, ut qui libidinibus ſuccumbunt, & increpationibus omnino rebelles exiſtunt, connubio ſubiugentur: hoc ſiquidem tutiſsimum iuuentutis eſt uinculum. Eas autem deſpondere filijs uxores conueniet, quæ nec multò nobiliores, nec ditiores ſint. Sapientia utiqꝫ refertum eſt prouerbium, Aequalem tibi mulierem inquire. Nam qui ſeipſis longè ampliores capiūt uxores, nō earum maritos, uerùm dotis mancipia feciſſe ſe neſciunt. Cæterùm hiſce rebus breuia quædam apponens cōfeſtim præcepta circunſcribam. Ante omnia opus eſt, ut patres non ſolùm nihil peccando, uerumetiam honeſta ſingula peragendo, manifeſtum ſeſe filijs exemplar exhibeant, ut in eorum uitam quaſi quoddam ſpeculum intuentes, ab operum ſimul & ſermonum turpitudine ſe penitus uertant. Nam ſi quis delinquentes acriter obiurget filios, tum is in eoſdem illabatur errores, hic nempe ignorare uidetur, ſub illorū nomine, ſua ſe incuſare crimina. Et ut ſuccinctè dicam: qui uitam improbè degunt, ij nullam ſeruos nedum liberos increpandi licentiam habent. Inſuperq́ꝫ iniuſtarum actionum conſultores ac doctores ipſis fiunt. Vbi enim impudens eſt ſenectus, ibi & inuerecundos eſſe iuuenes eſt neceſſe. Ad comparādam filijs modeſtiam danda opera eſt, ut omnia pro rerum conuenientia perficiantur. Imitemur autem potiſsimum Eurydicen, quæ quamuis Illyrica & barbariſsima foret mulierum, ad erudiendos tamen liberos, quanquam in ætate iam prouecta, ſtudium ac diſciplinam attigit. Quantam uerò in eius filios indulgentiā habuerit, uel illud abundè quod Muſis dedicauit epigramma declarat: Hierapolitana Eurydice poſtquàm doctrinæ & eruditionis deſiderium cepiſſet, hunc Muſis titulum conſecrauit. Pubeſcentibus enim liberis mater iam grandæua, ſtudiorum atqꝫ uirtutis monumenta literas ingenti cum labore perdidicit. Vniuerſa quæ in ſuperioribus expoſita ſunt præcepta complecti, uoti magis quàm admonitionis opus eſſe fortè cenſebitur. Vt autē plura per imitationem aſſequamur, & hoc ipſum quadam ſortis ac naturæ bonitate, permultaq́ꝫ inſuper diligentia indigebit: at humano effici poſſe conſtat ingenio.

Quales filijs uxores deſpondere conueniat.

FINIS.

A

Plutarchi, regum & imperatorum apophthegmata.

RAPHAELE REGIO INTERPRETE.

PLVTARCHVS CHAERONEVS *Traiano Imperatori felicitatem.*

ARTOXERXES Perſarũ rex, maxime Imperator Traiane Cæſar, non minus regium & humanum exiſtimans, parua libenter promptéq; accipere, quàm magna tribuere, cùm ſibi in uia obequitanti pauper quidam & operarius homo nihil aliud habens, ambabus aquam manibus è proximo flumine hauſtam obtuliſſet, iucundè & ſuſcepit & arriſit, non rei quæ donabatur utilitate, ſed prompta eius qui largiebatur uoluntate gratiam metitus. Lycurgus uerò tenuiſsima Lacedæmonijs ſacrificia inſtituit, quò ſemper ex ijs rebus quæ adeſſent, deos frugaliter facileq; colere poſſent. Huiuſcemodi igitur tu quoq; mente, licet parua tibi munuſcula xeniaq;, ac uulgares ex philoſophia primitias offeram, ſimul cum animi promptitudine cõmentariorũ quoq; utilitatem ſuſcipe, ſi quid cõmodi habent ad mores inſtitutaq; imperatorũ cognoſcenda, quæ ex dictis quidem melius quàm factis ſeſe oſtendunt. Tametſi uitas quoq; illuſtrium tam apud Romanos, quàm apud Græcos ducum, & legumlatorũ, ac imperatorũ, noſtra hiſtoria complectatur. Sed geſtorum pleraq; fortunam habent permixtam. Quæ uerò in negocijs & perturbationibus, ac utraq; fortuna emittuntur dicta atq; reſponſa, tanquã in ſpeculis uniuſcuiuſq; mentem perſpicuè exhibent cõtemplandam. Quare Syramnes Perſa quibuſdam admirantibus, quòd ſapientibus ipſius uerbis facta non reſponderent: Verborum, inquit, ipſe quidem ſum dominus, factorũ autem ſimul cum rege fortuna. Illic igitur dicta quidem uirorum quæ geſta quoq; admixta continent, ocioſas aures poſcunt: hîc uerò dicta ipſa nuda, tanquam uitæ uniuſcuiuſq; indicia & ſemina à nobis collecta, nihil
B tibi puto impedimenti allatura, quo minus publicæ conſulas utilitati, cùm breui multos uiros memoria dignos perſpicere & contemplari poſsis. Vale.

Exordiũ ſecundum Chriam.

PErſæ adunco homines naſo & amant, & pulcherrimos putant: quòd Cyrus, qui maximè regum omnium fuit amatus, aduncum habuit naſum. Dictitabat autem Cyrus, eos qui ſibi ipſis benefacere nolint, alijs cogi bona ſuppeditare. Ac imperium nemini cõuenire, qui quibus imperat, melior non ſit. Perſas autem cupientes pro ſua montana & aſpera, planam & mollem regionem occupare, non permiſit, quòd diceret, ut plantarum ſemina, ſic hominum uitas regionibus ſimiles fieri.

DARIVS Xerxis pater ſeipſum laudans aiebat, ſe in prælijs & periculis euadere prudentiorem. Cùm autem ſubditis ſibi populis tributa ſtatuiſſet, principes prouinciarũ ad ſe accerſiuit, & an grauia eſſent tributa percontatus eſt: cumq; illi reſpondiſſent, mediocriter ſe habere, dimidium unicuique remitti iuſsit. Ingens uerò malum granatum cùm aperuiſſet, cuidam roganti, cuiuſnam rei tantum habere uellet numerũ, quanta granorum illorum eſſet mulitudo: reſpondit, tot Zopyros. Fuit autem Zopyrus uir probus, & illi amicus, qui poſteaquàm ſeipſum uerberibus fœdauit, naresq; ſibi & aures amputauit, itaq; Babylonios decepit, ac ſibi creditam ab ipſis urbem Dario tradidit, ſæpenumero Darius ipſe dixit, ſe malle Zopyrum illius fœditatis expertem eſſe, quàm centum Babylonas ad eam quam poſsideret, acquirere.

Zopyrus Perſa.

SEMIRAMIS cùm ipſa ſibi ſepulchrum ſtrueret, inſcripſit: Quiſquis regum pecunijs eguerit, demoliens monumentũ, quotquot uolet ſumito. Darius igitur cùm ſepulchrũ aperuiſſet, pecunias quidem nullas inuenit, ſed in alias incidit literas hoc indicantes: Niſi malus, & pecuniarum inexplebilis fores, mortuorum loculos nunquam mouiſſes.

XERXES Darij filius cùm accepiſſet Arimenem fratrem ſecum de regno contendentem, ex Bractriana deſcendiſſe, donum ei miſit, & ijs qui munus ferebant, mandauit ut dicerent: His quidẽ nunc te Xerxes frater honorat, ſed ſi rex declaratus fuerit, omniũ maximus apud ipſum eris. Cùm igitur Xerxes delectus rex fuiſſet, è ueſtigio quidẽ Arimenes illum & adorauit, & eius capiti diadema impoſuit. At Xerxes ſecundum à ſe locum ei aſſignauit. Babylonijs autem iratus quòd defeciſſent, cùm illos recepiſſet, ne arma ferrent, ſed ut cantarent, ac tibicines forent, lenociniaq; & cauponas exercerent, ac tunicas ſinus habentes geſtarent, imperauit. Atticas uerò ficus uenales in Perſida inuectas non antè ſe

C eſurum affirmauit, quàm regionē illas ferentem ſubiugaſſet. Idem Græcos exploratores cùm in caſtris deprehēdiſſet, nulla prorſus eos iniuria affecit, ſed hortatus ut intrepidè exercitum ſpecularentur, dimiſit.

ARTOXERXES filius Xerxis, cognomento Longimanus, quòd manum alteram haberet longiorē, dictitabat, multò regalius eſſe addere, quàm auferre. Primus autem permiſit eos qui ſecum unà uenarenē, dum poſſent & uellent, ſe priores in feras iaculari. Primus quoq; ijs ducibus qui deliquiſſent, has pœnas ſtatuit, ut pro flagellandis corporibus, detracta flagellarenē ueſtimenta: & pro uellendis capillis depilandoq́; capite, depoſita tiara depilaretur. Satibarzanem uerò cubiculariū quiddam minus iuſtum à ſe petentem, cùm animaduertiſſet illud triginta millibus Daricorū æſtimare, Quæſtorem iuſsit ad ſe triginta millia Daricorum afferre: ac cùm illi traderet, Accipe, ô Satibarzane, inquit: hæc enim cùm tibi dedero, pauperior non ero: at ſi quæ petieras feciſſem, iniuſtior.

Daricus numus erat aureus tetradrachmalis, ſtipendium menſtruum militis. Glar. de Aſſe.

CYRVS iunior quū Lacedæmonios ut ſecum ſocietatem inirent, inuitaret, aiebat, cor ſe grauius habere quàm frater, pluſq́; meri bibere, ac melius ferre. Illum enim in uenationibus uix in equo, at in rebus aduerſis in ſolio difficulter ſedere. Hortabatur autem uiros ad ſe mitterēt, pollicēs ſe peditibus equos daturū, equitibus currus: quibus prædia eſſent, uicos: qui uicos poſsiderent, eos urbium dominos effecturum. Argenti uerò & auri non numerum, ſed pondus illis fore.

ARTOXERXES Cyri frater, cognomento Memor, occurentibus non modò abundè ſe exhibebat, uerùm legitimā quoq; uxorē iuſsit currus aulæa undique tollere, quò ij quibus erat opus, uel in itinere ſe adire poſſent. Pauperiore autem homine egregię pomū magnitudinis ipſi offerente, cùm iucundè accepiſſet: Per ſolem, inquit, hic mihi uidetur urbem, ſi ipſi cōcredatur, ex parua magnam efficere poſſe. In fuga uerò quadam cùm ſua ipſius impedimenta fuiſſent direpta, ſicciſq́; ficubus & pane hordeaco ueſceretur: Qualis, inquit, uoluptatis inexpertus eram.

PARYSATIS Cyri & Artoxerxis mater, iubebat eum qui regem allocuturus eſſet, byſsinis & mollibus uti uerbis.

D ORONTES regis Artoxerxis gener, cùm ob iram inhonoratus, & cōdemnatus foret: Vt computatorum, inquit, digiti nunc decem millia, nunc unum ſignificant, ita regum quoq; amici interim totum, interim minimum poſſunt.

MEMNON pro Dario rege aduerſus Alexandrū bellum gerens, cùm militem quendam mercede conductum multa de Alexandro ipſo nefaria turpiaq́; iactantē lancea percuſsiſſet: Ego, inquit, te paſco ut pugnes contra Alexandrum, non ut illi maledicas.

AEGYPTIORVM reges ex ſua ipſorum lege iudices adiurabant, ne quid iniuſtè, etiam ſi rex imperaret, iudicarent.

POLTIS Thracum rex, quum Troiano bello & Troiani & Græci ad eum oratores eodem tempore miſiſſent, Alexandrum & Helenam reddere, & duas à ſe formoſas uxores accipere iuſsit.

TERES Sitalci pater dictitare ſolebat, quum ocioſus eſſet neque militaret, nihil ſe putare ab agaſonibus differre.

COTYS ei qui ſibi pardalim largitus erat, leonē contrà dono dedit. Sed cùm natura forer iracundior, & aſper eorum qui in miniſterijs deliquiſſent caſtigator, uaſa fictilia tenuia quidem & fragilia, ſed cælaturis quibuſdam & ſculpturis politè eleganterq́; laborata, ſibi ab hoſpite allata, cùm hoſpiti ipſi dono dediſſet, ſimul omnia cōfregit, ne in eos, ut dixit, qui illa fregiſſent, aſperius animaduerteret.

IDATHYRSVS Scytharū rex, aduerſus quem Darius expeditionē fecit, ſuadebat Ionum principibus, ut ſoluto Iſtri ponte, ſeſe in libertatē uindicarent. Quod quidē cùm ipſi ob ſuam in Darium fidem facere noluiſſent, eos mancipia frugi à fugaq́; aliena uocabat.

ATEAS ad Philippum hæc ſcripſit: Tu quidem uiris Macedonibus, qui bella gerere didicerunt, imperas: ego uerò Scythis, qui cum fame & ſiti pugnare poſſunt. Cùm autem equum fricaret, Philippi oratores interrogauit, num id Philippus faceret. Illis uerò reſpondentibus, minimè: Et quo, inquit, modo contra me bellum mouere poteſt? Iſmeniam uerò tibicinem optimum cùm cepiſſet, tibiam inflare iuſsit: & cùm alij admirarentur, iurauit ſe hinnientem equum libentius auditurum.

SCILVRVS cùm relictis octoginta maribus filijs obiturus eſſet, iaculorum faſciculum unicuiq; proponens, cōfringere iubebat. Verùm ſingulis ſe id poſſe negantibus, ipſe cùm ſingula iacula excepiſſet, facilè omnia perfregit: ſic illos docens, ſi unà perſeuerarent,

eſſe

A eſſe, firmos ualidosq; fore: ſin diſſoluti diſsidentesq; forent, infirmos ac debiles futuros.

GELON Siciliæ tyrannus, quo tempore Carthaginēſes apud Imeram debellauit, cùm pacē faceret, fœderibus inſcribere coëgit, quòd ab immolandis Saturno filijs deſiſterent. Sæpius autē Syracuſanos ad agriculturam tanq; in expeditionē eduxit, ſimul ut ager melior efficeretur excultus, ſimul ne ipſi per ocium deteriores fierent. Cùm uerò pecunias à ciuibus peteret, ac illi propterea tumultuarētur, ſe petere dixit tanq; redditurus, atq; poſt bellum reddidit. Cæterū in conuiuio quum lyra circūferret, & alij deinceps aptè & pulſarent & canerent, ipſe in equum introduci iuſſum facilè agiliterq; inſiluit.

HIERON poſt Gelonem tyrannus dictitabat, neminē quidem eorū, qui loquendi libertate apud ſe uterentur, eſſe importunū: ſed qui ſermonē arcanū efferrent, iniuria afficere putabat etiā eos, quibus reuelaſſent. Odio nanq; habemus nō eos ſolùm qui efferunt, ſed etiā eos qui quæ nolumus audierint. Cōuicio autē propter oris fœtorē à quodam affectus, reprehendit uxorem, ut quæ nihil ipſum de illo unq; monuiſſet. Verū ea: Putabam quidem, ait, omnes uiros iſtiuſmodi odorem olere. Ad Xenopbanem uerò Colophoniū, conquerentem uix duos à ſe famulos nutriri poſſe: At Homerus, inquit, cui tu detrahis, plus quàm decem millia hominum alit uel mortuus. Idem Epicharmum comœdiarū poëtam, quòd præſente ſua uxore quiddam tacendum dixiſſet, mulctauit.

DIONYSIVS ſenior quū ſorte ſecundum literarū ordinem populi principes eligerentur, M literam ſortitus eſt. Atq; ad eum qui dixerat, Morio es, ô Dionyſi: Monarchæ erimus, inquit. Cumq; populi princeps electus concionem habuiſſet, à Syracuſanis imperator ſtatim fuit deſignatus. Sed in tyrannidis initio cùm obſideretur, cōcitatis aduerſus ipſum ciuibus: amici quidē conſulebāt, ut ſe principatu abdicaret, niſi mallet ſuperatus mori. At is quū uidiſſet bouem à coquo iugulari, citoq; mori: Ergo nō iniucundū eſt, inquit, nos morte adeò breui perterritos, tantū relinquere principatū? Filium uerò cui principatum relicturus erat, quū accepiſſet ingenui hominis uxori uim attuliſſe, iratus interrogauit, numquid tale in ſe deprehendiſſet. Cæterū adoleſcens cùm reſpondiſſet: Tu nanq; patrem tyrannū nō habuiſti: Ne tu quidem filium, inquit, es habiturus, niſi ab iſtorū perpe-
B tratione deſtiteris. Ad eundem uerò filium in cubiculum ingreſſus, cùm uidiſſet poculorum & argenteorū & aureorū multitudinē, exclamauit: Non es principatui aptus, qui tot poculis à me acceptis, neminē tibi amicū effeceris. Idem quū pecunias à Syracuſanis exigeret, uideretq; eos & conquerentes, & precantes, & dicentes, ſe nō habere, alias quoq; exigi iuſsit, ac bis terue id fecit. Verùm poſteaq; plures imperauit, ipſosq; in foro & ridere & cauillari circūeuntes audiuit, quieſcere iuſsit: Nunc enim, inquit, nihil habent quando nos cōtemnunt. Matri uerò ſuæ, quę licet iam conſenuiſſet, uiro tamen tradi uellet: Ciuilia quidem iura, inquit, uiolari poſſunt, naturę nō poſſunt. Cùm autē maleficos aliarūq; rerū fures aſperè coërceret ac puniret, ueſtium raptoribus ignoſcebat, quò Syracuſanos à cœnis mutuis ac ebrietatibus deterreret. Peregrinū autē quendam, qui diceret ſe cum ipſo priuatim loqui uelle, ac docere quo modo inſidiantes cognoſcere poſſet, eloqui iuſsit. Cumq; is acceſsiſſet, ac dixiſſet, Da mihi talentū, ut inſidiarū indicia audiſſe uidearis: dedit, ſe audiſſe ſimulans, hominisq; cōmentum & artē admiratus eſt. Idem cuidam roganti an eſſet ocioſus: nunq; hoc mihi, inquit, eueniat. Duos uerò iuuenes cùm audiſſet multa de ſe atq; tyrannide turpia de teſtandaq; inter potandum locutos, utroſq; ad cœnā inuitauit: & cùm alterum quidem ebrioſum multaq; nugantem animaduertiſſet, alterum autem rarò & cautè bibentem, illum quidem ut natura & uino furentem dimiſit, hunc uerò ut conſultò maleuolū & hoſtem interfecit. Sed quibuſdam ipſum accuſantibus, quòd hominem improbum ac ciuibus odioſum honoraret atq; proueheret: At uolo, inquit, aliquem eſſe, quem maiore quàm me odio proſequantur. Cùm autem oratores Corinthiorum munera ſibi ab illo data aſpernarentur, ob legem qua legati dona accipere prohibentur, eos rem indignam facere dixit, ut qui quod ſolum boni tyrānides habeant, tollerent, docerentq; uel beneficium à tyranno accipere formidandum eſſe. Cùm uerò quendam è ciuibus accepiſſet aurū domi defoſſum habere, ad ſe deferri iuſsit. Sed cùm is exigua parte ſubtracta in alienam migraſſet urbem, agrumq; emiſſet, illum ad ſe accerſiuit, totumq; accipere iuſsit, utpote qui diuitijs uti didiciſſet, neq; utile, inutile redderet.

Iuſtinian. in Inſtit. tit. de iure natur. gent. & ciuil. §. ſed naturalia.

DIONYSIVS iunior dictitabat, ſe multos quidem alere liberaliū artium doctores, non quòd illos admirarer, ſed quia per illos ipſe alijs admirationi eſſe uellet. Polyxeno aūt dialectico aſſerente, ſe illū redargut urū: Verbis quidem, inquit, ſed ego te rebus ipſis redarguo: tuis eñi relictis, me meaq; colis. Tyrānide uerò quū excidiſſet, interrogatus à quodā

C quid ſibi Plato philoſophia'q; profuiſſet: Vt tantam, inquit, fortunæ mutationē æquo animo feram. Interrogatus item, quo modo pater ſuus cùm pauper eſſet ac priuatus, Syracuſanorum dominatū acquiſiuiſſet: ipſe uerò cùm haberet, ac tyranni filius eſſet, amiſiſſet: Pater quidem, ait, cùm popularis dominatus odio haberetur, tyrannidem occupauit: ego uerò cùm iam tyrannis inuidioſa foret. Sed cùm ab alio idem rurſus eſſet rogatus: Pater, inquit, ſuam mihi reliquit tyrannidem, non fortunam.

AGATHOCLES figuli filius, Siciliæ dominus effectus, rex'q; declaratus, fictilia pocula conſueuerat inter aurea collocare, ac iuuenibus oſtentans dictitare: Ego cùm prius talia facerem, nunc ob diligentiam & fortitudinem talia facio. Sed obſidente ipſo urbem, cùm quidam è muris conuiciarentur clamantes: O figule, unde ſtipendium militibus ſolues? blandè, ac ſubridens: Si quando hanc cepero, inquit. Cum'q; illam cepiſſet, captiuos uendens dicebat: Si me iterum conuicio affeceritis, apud dominos ueſtros mihi ſermo de uobis erit. Ithaceſijs uerò nautas eius accuſantibus, quòd ad inſulam appulſi pecora aliquot abegiſſent: Atqui rex ueſter, inquit, cùm ad nos ueniſſet, non ouibus modò abactis, uerùm paſtore quoq; ad hæc excæcato, receſsit.

DION qui Dionyſium è tyrannide exegit, cùm inſidias ſibi à Calippo, cui maximè & amicorū & hoſpitum fidebat, ſtrui accepiſſet, illum redarguere non ſuſtinuit, quòd diceret, ſatius eſſe mori quàm uiuere, cui non hoſtes modò, uerùm amici quoq; ſint cauendi.

ARCHELAVS quum in conuiuio quidam improborū familiarium aureum poculum à ſe peteret, puerum iuſsit Euripidi tradere. Quod ſanè cùm homo miraretur: Tu quidē, ait, qui petas: hic uerò qui accipiat uel nō petens, dignus. Sed à tonſore loquaci rogatus, Quomodo te tondeo rex? Silens, inquit. Cùm autem Euripides pulchrum Agathonem in conuiuio amplecteretur, ac iam pubeſcentē oſcularetur, ad amicos conuerſus: Ne admiremini, inquit: nam pulchrorū autumnus quoq; pulcher eſt. Timotheus uerò citharœdus, cùm paucioribus quàm ſperarat acceptis, illum palàm accuſaret, atq; hanc uerſus particulam aliquando canens, At tu argentum terra genitum laudas, illum taxaret, ſuccinuit ipſi Archelaus: Tu uerò poſtulas. Idem aqua reſperſus à quodam, quum ab amicis aduer-
D ſus hominem incitaretur: Atqui, ait, non me reſperſit, ſed quem eſſe putauit.

PHILIPPVM Alexandri patrē Theophraſtus memoriæ prodidit, nō ſolùm dignitate, ſed etiam prudentia & moribus multò alijs regibus præſtitiſſe. Athenienſes igitur beatos eſſe dictitabat, ut qui ſingulis quibuſq; annis decem inuenirent, quos imperatores eligerent: ſe nanq; unum duntaxat imperatorē per multos annos inueniſſe Parmenionē. Sed cùm multi ſucceſſus pręclari uno die ſibi nunciati forēt: O fortuna, inquit, pro tot tantis'q; bonis exiguo me aliquo malo affice. Deuictis autē Græcis cùm quidam ipſi conſulerent, ut præſidijs urbes cōtineret: Malo, inquit, diu benignus, q; breui tēpore dominus appellari. Maledicū uerò ut expelleret cùm hortarent amici: Nō faciam, inquit, ne circumiens inter plures maledicat. Idem Smicytho Nicanorem calumniante, quòd ſemper Philippo detraheret, ſodalibus'q; cenſentibus illum eſſe aduocandū & puniendum: At Nicanor inquit, non eſt Macedonū uiliſsimus: conſiderandū eſt igitur nunquid illum offendamus. Poſtquàm igitur ſenſit Nicanorem egeſtate uehemēter oppreſſum, à ſe'q; neglectum, iuſſit munus quamprimum illi dari. Smicytho itaq; rurſus aſſerente, Nicanorem admirandas palàm omnibus laudes Philippi ipſius referre: Videtis'ne ergo, inquit, in nobis eſſe & bene & male audire? Populi autem Athenienſis principibus ſe gratiam habere dicebat, utpote qui ſuis conuicijs ipſum & moribus & ſermone indies efficerent meliorem: nam illos & uerbis & rebus mendaces coarguere nitor. Quotquot uerò Athenienſes apud Chęroneam fuerant capti, quū gratis dimiſiſſet, ac ipſi ueſtimenta ſtrata'q; repoſcerent Macedonas criminantes, ridens inquit: Nónne uobis uidentur Athenienſes putare ſe in talorum ludo à nobis ſuperatos fuiſſe? In pugna uerò fracta illi clauicula, quū medicus qui illum curabat, quotidie prorſus aliquid peteret: ſume, ait, quæcunq; uis, nam clauē habes. Sed è duobus fratribus Amphotero & Hecatero, cùm Hecaterū quidem prudentem & ſtrenuū, Amphoterū uerò hebetem & ignauū uideret: Hecaterū quidem Amphoterū & utrunq; eſſe dixit, Amphoterū autem neutrū. Qui autē ipſi conſulebant, ut ſe cum Athenienſibus aſperè gereret, eos ineptos eſſe aiebat, ut qui hominē omnia gloriæ cauſa & facientē & patientē, gloriæ ipſius theatrum abijcere iuberent. Idem cùm duorū ſceleſtorū iudex eſſet, alterū quidem ex Macedonia fugere, alterū uerò perſequi iuſsit. Cùm autē in loco amœno caſtrametaturus, audiſſet pabulū illic iumētis nō eſſe: Qualis, inquit, noſtra eſt uita, ſi ad aſinorū cōmodum nobis eſt uiuendū? Munitū uerò quoddā caſtellum cùm

In principum eſt poteſtate, & bene & male audire.

capere

A capere uellet, exploratoresq́ꝫ renunciaſſent, undiq́ꝫ aditu eſſe difficilè, neqꝫ capi poſſe: interrogauit, an ita difficilè acceſſu foret, ut ne aſinus quidẽ auro onuſtus adire poſſet. Idem quũ ij qui circa Laſthenem Olynthiũ quererent̃ atqꝫ ægrè ferrent, ſe à quibuſdam Philippi ipſius familiarib. proditores appellari: Inepti, inquit, natura & agreſtes ſunt Macedones, utpote qui Scapham ſcapham uocẽt. Filiũ autẽ monebat, ut blandè manſuetéqꝫ cum Macedonib. cõuerſaretur, quò ſibi multitudinis potentiã compararet, donec alio regnante ipſi humano eſſe liceret. Ad hoc cõſulebat quoqꝫ, ut eos qui potentes in ciuitatibus forent, & bonos & malos ſibi cõciliaret, ac opus cùm eſſet, bonis quidem uteretur, malis uerò abuteret̃. Sed Philoni Thebano, à quo & beneficijs affectus, & hoſpitio ſuſceptus fuerat, quãdo Thebis obſes erat, quũ nullum poſtea munus ab eo accipere uellet: Ne me, inquit, beneficentia & gratia ſuperatũ, ingenita mihi uincendi benefaciendo pręſtantia priues. Idem quũ multos captiuos uenderet, indecorè tunica cõtracta ſedens, unus ex ijs qui uendebant̃ clamauit: Parce mihi Philippe, nam paternus tibi ſum amicus. Et percõtante Philippo: Vnde ô homo, & quo modo? Propè, inquit, accedẽs tibi dicã. Cùm igitur propius adductus eſſet, Paulò, inquit, inferius chlamydẽ demitte: ſic enim ſedẽs indecorè te habes. Tum Philippus: Ipſum dimittite, inquit, nam uerè beneuolus & amicus mihi eſſe ignorabat̃. Ad cœnã uero ab hoſpite quodã in itinere inuitatus, quũ multos ſecũ adduceret, ac hoſpitẽ perturbatũ uideret (neqꝫ enim ſatis erãt, quæ fuerãt præparata) nunciũ unicuiqꝫ amicorũ præmittens monuit, placentæ locũ relinquerẽt. Illi uerò ſic eſſe ſibi perſuadentes atqꝫ expectantes, nõ multũ comederunt. Itaqꝫ omnibus quæ parata erãt ſuffecere. *Relinquere locũ placentæ.*
Idem Hipparchi Eubœenſis mortẽ planè grauiter tulit, ac quodam dicente, Attamen ille maturus deceſsit: Sibi quidem ipſi, inquit, ſed mihi citò. Antè nanqꝫ mori properauit, quàm dignam noſtra amicitia gratiam à me receperit. Ab Alexandro autẽ cùm ſe criminari accepiſſet, quòd filios ex multis mulieribus tolleret: Ergo cùm multos, inquit, habeas regni æmulos, & bonus euade & probus, ut nõ mea, ſed tua gratia regnũ adipiſcaris. Hortabat̃ quoqꝫ eum, ut Ariſtoteli operam daret ac philoſophiæ: ne multa, inquit, eiuſmodi agas, qualia me feciſſe pœnitet. Quũ uerò quendam ex Antipatri amicis iudicũ numero adſcri
B pſiſſet, poſteaqꝫ & barbam & capillos eum ſibi inficere ſenſit, remouit, quòd diceret eum qui in capillis infidus eſſet, dignũ nõ eſſe cui in negocijs fides haberetur. Quandam autẽ Machetæ cauſam cùm ipſe iudicaret, ac dormitans parum iuribus intendiſſet, ipſum condemnauit. Sed Macheta reclamante, ſe prouocare: indignatus, ad quem? ait. Et Machetas: Ad teipſum ô rex, inquit, ſi uigilans attendensq́ꝫ audieris. Tunc quidẽ Philippus ſurrexit. Sed cùm ad ſe magis rediſſet, noſſetq́ꝫ iniuria Machetam affectũ, iudiciũ quidem nõ reſcidit, ſed litis æſtimationem ipſi perſoluit. Harpalus uerò pro cognato & familiari Cratete iniuriarũ accuſato, cùm dignũ eſſe cenſeret ut mulctam quidem perſolueret, ſed à iudicio liberaret̃, ne cõuicijs afficeretur: Melius eſt, inquit, iſtum ipſum, quàm nos propter iſtum male audire. Sed amicis ægrè ferentibus, quòd ipſe à Peloponenſibus beneficio affectis in olympicis ludis exibilaretur: Quid igitur, inquit, ſi male afficiantur? Diutiuſcule uerò quũ in caſtris dormiſſet, ac deinde ſurrexiſſet: Securè, inquit, dormiui: nam Antipater uigilabat. Rurſus quũ interdiu dormiret, ac Græci qui ad fores conuenerant, moleſtè ferrent atqꝫ criminarent̃: Ne admiremini, Parmenio inquit, ſi nũc Philippus dormit: nam quãdo uos dormiebatis, ille uigilabat. Quendã uerò cantorẽ cùm inter cœnandũ emendare uellet, ac de ſonis loqui: Ne tibi tantùm mali, cantor inquit, eueniat ô rex, ut me iſta melius ſcias. Sed quo tempore ab Olympiade uxore filioq́ꝫ Alexandro diſsidebat, Demaratus Corinthius ad ipſum uenit, à quo rogatus, quo modo Gręci mutuò ſe haberent: Nimium, inquit, Græcorũ concordia tibi eſt curæ, cùm proximi familiariſsimiq́ꝫ aduerſus te ita habeant. Quare prudentior factus, & ab ira ceſſauit, & illos ſibi reconciliauit. Anus uerò paupercula cùm dignũ eſſe putaret ſe ab illo iudicari, & ſæpenumero importuna eſſet, ocium ſibi non eſſe dixit. Vetula uerò clamans: Ergo ne rex quidem ſis, inquit. Sed ipſe dictum admiratus, non illam modò, uerùm alios quoqꝫ è ueſtigio audiuit.

ALEXANDER adhuc puer, patre multa proſperè gerente, minimè quidem lætabat̃, ſed ad pueros qui ſecũ educabantur aiebat: Nimirũ pater nihil mihi relinquet agendum. Pueris autẽ dicentibus: hęc nempe tibi acquirit. At quid prodeſt, inquit, ſi multa quidem habeamus, & ego faciã nihil? Agilis uerò & pedibus uelox quũ eſſet, hortareturq́ꝫ à patre, ut in Olympijs ſtadiũ curreret: Si quidẽ, ait, reges mecũ ſint certaturi. Puellã autẽ ad ſe ſub intempeſtam noctẽ adductam, ut unà cubaret, interrogauit, cur tam ſerò? Ac illa cùm reſpõdiſſet, ſe tantiſper expectaſſe dum maritus cubitũ iret, grauiter ſeruos increpuit, quòd

C ferè ipſorum opera adulterium perpetraſſet. Cùm autem dijs ſacrificaret, ac citra parſimo-
niam thura in ignes ſæpius inijceret: Leonides pædagogus, Tam ſumptuoſe, inquit, ô fi-
li ſacrificato, quũ thuriferã ſubiugaueris regionẽ. Potitus igitur illa, hanc ad ipſum epiſto-
lam dedit: Miſi tibi thuris & caſiæ talenta centũ, ne poſthac in deos ſis auarus, ſciens nos
etiã aromatifera potitos eſſe regione. Apud Granicũ uerò pugnaturus, Macedonas hor-
tabatur ut abundè cœnarẽt, omniaꝗ in mediũ cõferrent, tanꝙ poſtridie quę hoſtiũ eſſent
cœnaturi. Perillus autẽ quidam ex amicorũ numero cùm filiabus dotẽ petiſſet, quinqua-
ginta quidem talenta illũ accipere iuſsit. Sed quũ ille dixiſſet, decem ſatis eſſe: Tibi qui-
dem, inquit, accipere: ſed mihi nequaꝙ ſatis eſt dare. Anaxarcho autẽ philoſopho diſpen-
ſatorẽ iuſsit quantũ peteret dare. Sed quũ diſpenſator dixiſſet, illum talenta centũ petere:
Bene, inquit, facit, quũ ſciat ſe amicũ habere qui tot elargiri & poſsit & uelit. Mileti uerò
quũ multas athletarũ ſtatuas uidiſſet, qui in Olympijs Pythijsꝗ uiciſſent: Et ubinam, in-
quit, tanta iſta erant corpora, quando barbari ueſtrã urbem obſidebant? Idem quũ Ada,
Cariæ regina, bellaria & obſonia, à ſtructoribus & coquis impendiò elaborata, ad ipſum
Alexãdri coqui & obſonatores. quotidie mittere amaret, meliores aiebat ſibi eſſe coquos & obſonatores, ad prãdiũ quidẽ
nocturnũ iter, ad cœnam uerò prandij mediocritatẽ. Omnibus autẽ ad pugnã inſtructis
quũ duces rogaſſent, Num quidnã ad hæc? nihil, inquit, niſi ut barbæ Macedonib. radan-
tur. Sed Parmenione admirante: An ignoras, inquit, in pugna nullũ eſſe ꝙ barbę meliorẽ
captũ? Quũ uerò Darius innumera ei uellet dare talenta, Aſiamꝗ ex æquo diuidere, di-
xiſſetꝗ Parmenio, Ego quidem accepiſſem, ſi Alexander eſſem: Et ego, inquit, per Iouẽ,
ſi Parmenio. Sed Dario reſpõdit: Neꝗ terrã duos ſoles, neꝗ Aſiam duos reges tolerare.
Apud Arbella uerò quũ aduerſus decies centena hominũ millia de rerũ ſumma periclita-
turus eſſet, amici ipſum adiere, ac milites accuſauere, quòd in tentorijs colloquerenẽ, ſta-
tuerentꝗ ſe nihil ſpoliorũ in regiũ tabernaculũ relaturos, ſed ſibijpſis lucraturos. Tum il-
le ridens, bona, inquit, nunciatis: nam uirorũ ad uincendũ, nõ fugiendũ præparatorũ col-
locutiones audio. Ac multi quidem militũ ad ipſum accedentes dicebant: O rex confide,
neꝗ hoſtiũ multitudinẽ time, neꝗ enim pedorẽ noſtrũ tolerabũt. Sed inſtructo iam exer-
citu quũ militem quendam uidiſſet iaculũ amento religantẽ, ex acie ut inutilem expulit,
D quippe qui tunc ſe inſtrueret, quũ armis utendum eſſet. A matre uerò epiſtolã, accuſatio-
nes ſecretas in Antipatrũ calumniasꝗ continentẽ, unà cum Hephęſtione, uti cõſueuerat,
legens, nihil quidem illum prohibuit, ſed posteaꝙ perlegit, anulum ſibi detraxit, ac illius
ori ſigillum impoſuit. Iouis autem filius in Ammonis templo quum à ſacerdote foret ap-
pellatus, Nihil, inquit, eſt mirandum: nam Iupiter omnium natura pater eſt, qui optimũ
quenꝗ ſibi adoptat. Sed quum ſagittæ ictu crus ipſi foret uulneratum, multiꝗ eorum qui
illum ſæpenumero Deum appellare cõſueuerant, accurriſſent: ſerena fronte, hic quidem,
inquit, ſanguis eſt, ut uidetis, & non liquor, ut canit Homerus,

Qualem cœlicolæ diui miſere fluentem.

Quibuſdam uerò Antipatri frugalitatem laudantibus, quippe qui durè aſpereꝗ uiueret:
Antipater, inquit, albis quidem extrinſecus indutus eſt, intus autem purpureus eſt totus.
Idem per hyemẽ & frigus quũ in conuiuio apud amicũ eſſet, focusꝗ paruus ac parũ ignis
foret illatum, uel ligna, uel thus inijci iuſsit. Antipatrides uerò quum formoſam pſaltriã
adduxiſſet ad cœnam, commotus facie in eam Alexander, Antipatridem ipſum interro-
gauit, an mulieris amore teneretur. Isꝗ confeſſus quum eſſet, O ſceleſte, inquit, nõ è con-
uiuio ſtatim abduces mulierem? Sed Pythonem Euij tibicinis cõcubinum quum Caſſan-
der ui conaretur oſculari, idꝗ Alexander animaduerteret ægrè ferentem Euium, indigna-
tus in Caſſandrum exiliuit clamans: Ergó ne amari quidem per nos quenquam licet? Di-
mittente autẽ ipſo ex Macedonibus ualetudinarios & mutilatos ad mare, delatus eſt qui-
dam qui ſeipſum inter ægrotos ſcripſerat, non ægrotans. In Alexandri conſpectum igitur
quum ueniſſet, ac examinatus, ſe ob amorem Teleſippæ ad mare abeuntis ſimulaſſe con-
feſſus eſſet, interrogauit Alexander, qui cum de Teleſippa loquendũ foret. Sed cùm acce-
piſſet illam eſſe liberam: Ergo ô Antigene, dixit, ſuadeamus Teleſippæ ut nobiſcum ma-
neat: nam cogere cùm libera ſit, noſtrùm nõ eſt. Græcos uerò mercede ab hoſtibus condu-
ctos quũ cepiſſet, Athenienſes quidẽ & Theſſalos in cõpedibus ſeruari iuſsit, ut qui mer-
cede militarẽt, quũ & illi ex publico uictũ haberent, & hi terram, quam fertiliſsimã poſsi-
derent, nõ colerent. Dimiſit uerò Thebanos, inquiens: Solis his neꝗ urbs, neꝗ ager à no-
bis relictus eſt. Sed Indũ qui optimè ſagittare uidebaẽ, diceretur ꝗ, uel per anulũ ſagittas
eſſe miſſurus, cũ cepiſſet, artẽ oſtentare iuſsit: quod quũ ille nollet, indignatus ut necareẽ

impe

A imperauit. Cùm igitur ad ſupplicíū is duceretur, ad lictores conuerſus, dixit ſe permultos
dies nō exercuiſſe, ac ne aberraret timuiſſe. Id uerò cùm Alexāder accepiſſet, miratus eſt,
ac datis muneribus eum liberauit, quia mori maluiſſet, quàm gloria indignus uideri. Ta-
xiles autē unus ex Indorū regibus, cùm obuiam Alexādro factus ipſum præmoneret, ne
ſecum pugnaret bellúmue gereret, ſed ſi inferior eſſet, beneficium acciperet: ſin ſuperior,
conferret: Imò uerò, inquit, de hoc pugnandum eſt, uter benefaciens ſuperior ſit. De pe-
tra uerò quæ in Indis Aornus uocatur, cùm audiſſet locum captu difficilem eſſe, ſed eum
qui teneret timidum: Nunc, inquit, locus captu eſt facilis. Idem, poſteaꝗ alius petram te-
nens quæ minimè capi poſſe uidebat̃, ſeipſum ei tradidit, nō ſolum ſuæ regioni illum do-
minari iuſsit, ſed alia quoq; loca adiecit, inquiens: Homo hic mihi ſapere uidetur, qui ſe
probo uiro quàm munito loco credere maluerit. Sed poſt captam petram amicis dicenti-
bus, Herculem rebus geſtis ab ipſo ſuperatum: At ego, inquit, mea geſta cum imperio,
ne uno quidem uerbo cum Herculis geſtis arbitror conferenda. Idem amicorū quoſdam,
quos in teſſerarū ludo ſenſerat nō iocari, mulctauit. Ac ex primis quidem potētiſsimiſq;
amicis Craterum maximè honorare, Hephæſtionem uero amare uidebatur. Nam Cra-
terus quidem, aiebat, regis amicus eſt, ſed Hephæſtion Alexandri. Xenocrati autem
philoſopho quinquaginta quum miſiſſet talenta, iſq; non accepiſſet, quòd diceret ſe illis
nō indigere, percontatus eſt, an'ne amicum quidem Xenocrates haberet: nam mihi, in-
quit, Darij diuitiæ uix ſatis in amicos fuere. Poſteaꝗ autē Porus ab ipſo rogatus poſt pu-
gnam, Quomodo te utar? Regiè, reſpondit. Ac iterū percōtatus: nunquid aliud? Omnia
dixit, in ipſo regiè inſunt: admiratus hominis & prudentiam & fortitudinē, maiorē illi re-
gionem ea quam prius tenuerat adiecit. Idem à quodam ſe uituperari audiens: Regiū eſt,
inquit, cùm benefeceris, male audire. Moriens autē cùm ad amicos reſpexiſſet: Magnū,
inquit, mihi epitaphiū uideo futurū. Poſteaꝗ uerò mortuus eſt Alexander, Demades ora
tor aiebat ſe uidere Macedonū exercitum duce fraudatum, Cyclopi ſimilem excæcato.

PTOLEMAEVS Lagi ſæpenumero apud amicos & cœnabat & dormiebat: ac ſi quan-
do cœnam ipſe præberet, illorum utebatur rebus, commodatò accipiens pocula, lectos,
B menſas: nam ipſe plura non poſsidebat, quàm quæ neceſſaria forent, cùm ditare, quàm di
teſcere magis regium eſſe dictitaret.

ANTIGONVS pecunias acriter exigens, cùm quidam dixiſſet, At Alexander talis non
erat: Et meritò, inquit, nam ille Aſiam demetebat, ego uerò ſtipula lego. Quoſdam uerò
militum thoracatos & galeatos cùm pila ludentes uidiſſet, perꝗ lætatus eſt, ac illorū du-
ces ad ſe uocauit laudaturus. Sed cùm ipſos bibere accepiſſet, eorū ducatus militibus ip-
ſis tradidit. Admirantibus autē omnibus, quòd ſenex effectus bene ac manſuetè rebus u-
teretur: Prius, inquit, potentia mihi opus erat, nūc uerò gloria & beneuolentia. Idem Phi
lippo filio multis pręſentibus rogante, quādo caſtra moturus eſſet: Ecquid times, inquit,
ne ſolus tubam non audias? Cùm uerò adoleſcens ipſe inſtaret, ut ad uiduam tres formo-
ſas habentē filias diuerteret, præfecto hoſpitijs ad ſe uocato, Filium, inquit, meum ex lo-
corum anguſtijs nō exiges? Morbo autē diuturno cùm laboraſſet, conualuiſſetq;: Nihil,
inquit, peius: hæc enim ægrotatio nos admonuit, ne multùm efferamur, cùm mortales ſi-
mus. Hermodotus uerò cùm in poēmatis ipſum Solis filium ſcripſiſſet: In hoc Laſanifer,
inquit, qui mihi matulam porrigit, tibi nō aſtipulatur. Quidam autē quū dixiſſet, omnia
regibus & honeſta & iuſta eſſe: Per Iouem, inquit, regibus barbarorū, ſed nobis ſola hone
ſta ſunt honeſta, & iuſta ſola iuſta. Marſias uerò frater quum litem ageret, cenſeretq; ſibi
domi iudiciū inſtitui: Melius, inquit, in foro erit, & cunctis audientibus, ſi nihil iniuſtè a-
gimus. Per hyemem uerò in locis rerum neceſſariarū penuria laborantibus aliquando ca
ſtra ponere coactus eſt: ubi quum è militibus quidam in ipſum conuicia iactarent, igno-
rantes illum propè eſſe, tentorio uirga patefacto: Flebitis, inquit, niſi longius remoti ma-
le nobis dicetis. Idem Ariſtodemo quodam ex amicis, qui natus è coquo putabatur, con
ſulente ſibi, ut ſumptus muneraq; diminueret: Verba tua, inquit, Ariſtodeme ius olent.
Quum uerò Athenienſes ipſius ſeruum honorantes tanquam liberum ciuitate donaſ-
ſent: Non unum, inquit, Athenienſem uelim à me uerberari. Quidam autem adoleſcens
Anaximenis rhetoris diſcipulus, cùm orationem præmeditatam cum apparatu coram eo
haberet, neſcio quid intelligere uolens percontatus eſt. Sed quū adoleſcens reticuiſſet:
Quid ais, inquit? hæc'ne ſunt in tabulis ſcripta? Sed alterū audiens rhetorē dicentē: Anni
tempus niuem iaciens aduentu ſuo effeciſſe, ut herba regio uacaret: Non, inquit, me
ut turba uti ceſſabis? Thraſylus uerò Cynicus quum ab eo drachmam petiſſet: At regi,

C inquit, hoc dare non conuenit. Sed illo ſubijciente: Da igitur mihi talentũ: Atqui Cynicum, inquit, hoc accipere non decet. Demetriũ autem filium magna cum claſſe ac exercitu mittens ad Græcos liberandos, aiebat, Gloriã à Græcia, ueluti à ſpecula faculam in totum terrarum orbem accendi. Sed Antagoras poëta cùm elixaret congrum, ipſeq́ patellam quateret, poſt illum ſtans Antigonus: Putás ne, inquit, Homerum, ô Antagora, cùm Agamemnonis geſta ſcriberet, congrum elixaſſe? Tum Antagoras: Et tu, inquit, ô rex, putás ne Agamemnonẽ talia gerentem curaſſe, num quis in exercitu cõgrum coqueret? Mithridatem uerò aureã meſſem demetere cùm per ſomniũ uidiſſet, eum interficere decreuit. Et cùm id Demetrio filio aperuiſſet, iureiurãdo ut taceret adegit. Sed Demetrius apud mare cum Mithridate unà deambulans, haſtæ cuſpide in littore ſcripſit, Fuge Mithridates. Quod planè cùm is percepiſſet, in Pontum fugit, ibiq́ regnauit.

DEMETRIVS Rhodios obſidẽs, Protogenis pictoris tabulã, in qua Ialyſon, id eſt, imaginem Liberi patris pingebat, quodam in ſuburbio cepit. Rhodijs igitur per præconem repetentibus, utq́ tabulæ parceret deprecantibus, reſpõdit ſe potius paternas imagines, q̃ illam picturã eſſe corrupturũ. Cùm autem fœdera cum Rhodijs ipſis percuſsiſſet, machinam Helepolin, à capiendis urbibus dictam, apud illos reliquit, quæ & ſuæ magnificentiæ, & illorum fortitudinis monumentũ eſſet. Poſt Athenienſium uerò defectionem cùm urbem cepiſſet, quæ iam propter annonæ penuriam malè habebat, è ueſtigio cõcione aduocata frumentum ipſis dedit. Sed cùm in concione uerba faceret, in barbariſmũ incidit: cumq́ eorum quidam qui ſedebant acclamaſſet, quomodo uerbum illud erat pronunciandum: Igitur huius quoque emendationis gratia, inquit, uobis alia quinque modiorum millia dono.

ANTIGONVS ſecundus capto patre Demetrio, cùm ab eo iuſſus eſſet amicorũ quodam miſſo, neq́ obedire, neq́ urbibus cedere, ſi quid à Seleuco adactus ſcripſiſſet: ad Seleucum ipſum ſcripſit, ſe ipſi & toto regno ceſſurum, & ſeipſum obſidem traditurũ, ſi Demetrium patrem liberaret. Pugnaturus autem cõtra Ptolemæi duces, cùm dixiſſet gubernator, multò plures hoſtium eſſe naues: Meipſum præſentem, inquit, contra quot naues

D opponis? Inuadentibus uerò hoſtibus cùm aliquando cederet: Non equidem, inquit, fugio, ſed utile quod retrò ſitum eſt ſequor. Cùm autem adoleſcens fortis quidem patris filius, ſed qui non ualde bonus ipſe miles uideretur eſſe, patris ſtipendia rogaret: At ego, inquit, adoleſcens propter cuiuſq́ uirilitatẽ, nõ propter paternã fortitudinẽ ſtipendia ac munera trado. Zenone autem Citieo mortuo, quem maximè philoſophorum admirabatur, theatrum ſuorum geſtorum ſublatum eſſe aiebat.

LYSIMACHVS in Thracia à Dromacheta ſuperatus, cùm ſeipſum exercitumq́ propter ſitim tradidiſſet, poſteaq̃ bibit captiuus iam effectus: O dij, inquit, quàm paruæ uoluptatis cauſa meipſum ex rege ſeruum effeci. Philippidi autẽ Comico poëtæ, amico & familiari ſuo cùm dixiſſet, Cuius te rerum mearũ participem faciô? Ille cuiuslibet, reſpondit, præterquàm ſecretarum.

ANTIPATER cùm Parmenioni mortẽ ab Alexandro illatã accepiſſet: Si quidem Alexandro, inquit, Parmenio inſidiatus eſt, cui fidendũ? ſin minus, quid agendum? Demade autẽ iam ſeniore facto: uelut, inquit, ex immolata uictima, uẽter ſolus & lingua ſupereſt.

ANTIOCHVS tertius ad ciuitates ſcripſit, ſi quid contra leges per literas facere iuſſerit, ne ſibi tanq̃ ignaro pareãt. Dianę uerò ſacerdotẽ intuitus, cùm formoſiſsima fuiſſet uiſa, ſtatim Epheſo receſsit, ne præter animi ſententiã aliquid impij perpetrare cogeretur.

ANTIOCHVS cognomento Hierax, aduerſus Seleucũ fratrẽ de regno bellũ gerebat. Sed cùm Seleucus à Gallogræcis uictus nuſq̃ appareret, ac trucidatus putaretur, depoſita purpura Antiochus pullum ſumpſit amictum. Paulò pòſt uerò audiens fratrem ſaluũ eſſe, & dijs ſupplicationes fecit, & ſibi ſubditas ciuitates coronari iuſsit.

EVMENES à Perſeo inſidijs petitus periſſe uiſus eſt. Ea uerò fama Pergamum perlata, Attalus eius frater ſumpto diademate, ac eiuſdem accepta uxore cœpit regnare. Sed cùm fratrẽ aduentare audiſſet, depoſito diademate, ſumptoq́ iaculo, cum alijs ſatellitibus obuiam illi (ut ſolebat) proceſsit. Eum uerò Eumenes iucundè amplexus, in aurem illi dixit: Ne properes meam antè uxorem ducere, quàm me mortuum uideas. Neq́ aliud per totam uitam ſuſpectum aut dixit, aut fecit: quinetiam moriens & uxorem & regnum illi reliquit. Quapropter ille quidem ex ſuis ipſius liberis nullum educauit, cùm multos ſuſtuliſſet, ſed Eumenis filio, cùm ad ætatem perueniſſet, regnum adhuc uiuens tradidit.

PYRRHVS Epirotarum rex à filijs adhuc pueris interrogatus, cuinam regnũ eſſet relicturus?

A ƈturus: Quicunq; è uobis, inquit, acutiorē habuerit gladiū. Rogatus autē, utrum Python,
an Caphiſius melior tibicen eſſet: Polyperches, inquit, imperator. Cum Romanis uerò
congreſſus, bis quidem uictoria parta, ſed multis & amicorū & ducum amiſsis: Si uno, in-
quit, prælio Romanos iterū uicerimus, peribimus. Siciliæ autē potiundæ ſpe fruſtratus,
cùm illinc ſoluiſſet, ad amicos retrò cōuerſus: Qualē, inquit, Romanis & Carthaginenſi-
bus palæſtram relinquimus? Militibus uerò aquilā cum appellātibus, Ecquid nō debeo
ueſtris armis, inquit, ut uelocibus alis in altum tolli? Idem cùm audiſſet, à quibuſdam iu-
uenibus ſe inter cōpotandum multis cōuicijs maledictiſq; laceratū, iuſſit omnes ad ſe per
diem adduci: cumq; adducti foтent primū interrogauit, an illa de ſe dixiſſent. Tum ex illis
unus: Hæc, inquit, ô rex, ſed multò plura his dixiſſemus, ſi plus uini habuiſſemus.

ANTIOCHVS, qui ſecundò aduerſus Parthos exercitū duxit, cùm in uenatione quadā
ſtudio perſequendi ferā ab amicis & ſeruis aberraſſet, in caſam pauperiorū hominū igno
tus intrauit: ac inter cœnandū cùm de rege ſermonē inieciſſet, audiuit, aliàs bonū quidē
eſſe, ſed amicis flagitioſis utentem plurima negligere, ſæpeq; illa quæ ſint neceſſaria nihil
curare, quòd uenationis nimiū eſſet ſtudioſus. ac tunc quidem tacuit. Sed poſteaq; ſatelli
tes ſimul cum die ad caſam illam uenerūt, cognitus allata purpura & diademate: Nimirū,
inquit, ex quo die uos ſumpſi, heri primū uera de meipſo uerba audiui. Hieroſolyma ue-
rò obſidens cùm Iudæi maximo illi feſto ſeptem dierū inducias petiſſent, non illas modò
cōceſsit, uerū tauros quoq; cornibus auratis inſtructos, odorumq; & aromatū copiā uſq;
ad portas cū pompa egit, ac uictimis illorꝫ ſacerdotib. traditis, in caſtra reuerſus eſt. Qua-
propter Iudæi admiratione tātæ liberalitatis ducti, ſtatim poſt feſtū ſeipſos illi dediderūt.

THEMISTOCLES adhuc adoleſcens, in cōpotationibus & cum mulieribus uerſaba-
tur: ſed poſteaquā Miltiades imperator in Marathone barbaros debellauit, non erat The
miſtoclem deprehendere quicq; indecorè agentem. Admirantibus uerò mutationem, di
cebat: Non ſinit me dormire torpeſcereue Miltiadis tropheum. Interrogatus autē, utrum
potius Achilles, an Homerus eſſe uellet: Tu uerò, inquit, utrū eſſe malles uictor in Olym
pijs, an uictorum præco? Xerxe autem cum claſſe contra Græciam deſcendente, ueritus
B ne populi princeps Epicydes, quęſtuoſus homo & timidus, imperator creatus urbem per
deret, argento perſuaſit ut prætura abſtineret. Idem cùm Adimantus prælio nauali decer
nere non auderet, ac Themiſtocli ad hoc Græcos inuitanti incitantiq; diceret: ô Themi-
ſtocles, qui in certaminibus ante alios inſurgunt, ſemper flagris cedunt: Etiam, inquit, ô
Adimante, ſed ne eos quidem qui poſteriores ac inferiores ſunt, coronant. Verùm Eury-
biades cùm baculum ſuſtuliſſet tanq; percuſſurus: Percute quidem inquit, ſed audi. Eury
biadi nō autem perſuadens ut in locorū anguſtijs pugnam naualem cōmitteret, ad barba
rum clàm miſit monens, ne Græcos timeret fugientes. Sed poſteaq; perſuaſus ille uictus
eſt, quòd illic pugna nauali decertaſſet ubi Græcis expediebat, rurſus ad ipſum miſit, hor
tatus ut ad Helleſpontū q; uelociſsimè recurreret: Græcos enim de ſoluendo ponte cogi-
tare, ut Græciam ſeruans, illum ſeruare uideretur. Seriphius autē quidam cùm in eum di-
xiſſet, non uirtute ſua, ſed propter urbis gloriam clarū eſſe: Vera, inquit, narras: nam neq;
ego Seriphius ſi forem, clarus euaſiſſem, neq; tu ſi Athenienſis. Antiphate autem illo pul
chro antea quidem Themiſtoclem auerſante ac contemnente, ſed poſteaq; magnam ade
ptus eſt gloriā, accedente & adulante: O adoleſcēs, inquit, ſerò quidem utriq;, ſed tamen
reſipuimus. Ad Simonidem uerò quoddam iudicium minus iuſtum efflagitantem, dixit:
Neq; illum eſſe bonum poëtam poſſe, ſi præter numerum caneret: neq; ſe bonum princi- *Princeps præter*
pem, ſi præter legem iudicaret. Filium autem qui matri in delitijs erat, plurimum Græco- *legem iudicans,*
rum omniū poſſe colligebat. Nam Græcorū imperio Athenienſes potiri aiebat, ſe Athe- *minimè bonum.*
nienſium, ſui matrem illius, at illum matris. Idem quum ex ijs qui filiam ſuam uxorem pe-
tebant, diuiti probum prætuliſſet, uirum dicebat ſe malle pecuniarū indigentem, quàm
pecunias uiri. Prædium autem uendens proclamari iuſsit, bonum quoque uicinum habe
re. Athenienſibus uerò eum uituperantibus: Quid tumultuamini, inquit, ab ijſdem bene
ficio ſępius affecti? Ac platanis quidem ſe ſimilem eſſe dicebat, ad quas tempeſtate depre
henſi confugiunt, ſed adueniente ſerenitate illas prætereuntes uellicant atq; diſcerpunt,
necnon cōuicijs proſequuntur. Etetrienſes autem irridens aiebat, gladium quidem ſicut
Teuthidas habere, ſed cor non habere. Poſteaquā uerò Athenis primùm, deinde ex Græ
cia quoque pulſus fuit, cùm ad Perſarum regem aſcendiſſet, ac loqui iuſſus eſſet, orationē
uarijs pictiſq; ſtragulis ſimilem eſſe dixit: ut enim illa, ſic hanc extentam oſtentare imagi
nes & figuras, contractam uerò occultare atque delere. Itaq; & annum petijt, quo Perſica

C lingua percepta, per ſeipſum, & non per alium, cum rege ipſo colloqui poſſet. Multis au
tem muneribus à rege honeſtatus, & citò locupletatus, ad liberos, O pueri, inquit, perdi-
ti eramus, niſi periſſemus.

MYRONIDES aduerſus Bœotios exercitum ducens, nunciauit Athenienſibus egre-
diendum eſſe. Sed cùm hora inſtaret, ac turmarum præfecti dicerent, omnes nondum ad-
eſſe: Adſunt, inquit, qui ſunt pugnaturi. Vſuſq; illis promptis, hoſtes ſuperauit.

ARISTIDES cognomento Iuſtus, opinione ſua rempub. ſemper adminiſtrabat, ſoda-
litateſq; fugiebat, ueluti potētia ex amicis parta ad iniquè agendum inſtigante. Sed cùm
Athenienſes in ipſum teſtaceis ſuffragijs ex urbe pellendum cōcitati forent, ac illiteratus
homo & agreſtis teſtam gerens ad ipſum acceſsiſſet, rogans ut nomen Ariſtidis in teſta ip
ſa deſcriberet, Cognoſcis nempe Ariſtidē? inquit. Et cùm homo dixiſſet, ſe quidē non co-
gnoſcere, ſed Iuſti cognomē moleſtè ferre, tacens nomen teſtę inſcripſit ac reddidit. Cum
Themiſtocle autē cui inimicus erat, orator miſſus: Vis'ne, inquit, ô Themiſtocles, in fini-
bus inimicitias relinquamus? Nam ſi uidebitur, cùm reuerſi fuerimus illas reſumemus.
Cùm uerò tributa Gręcis ſtatuiſſet, tātò pauperior redijt, quantū in ipſam peregrinationē
impendit. Sed cùm ij uerſus, quos Aeſchylus de Amphiarao fecerat, in theatro canerent:

Nam uult uir eſſe, non uideri, hic optimus,
Qui mentis altæ fructiferam ſulcans ſegetem,
Conſulta callens germinat grauiſsima. omnes in Ariſtidem oculos coniecerunt.

PERICLES quotieſcunq; exercitus dux creatus eſſet, paludamentum aſſumens hæc ſi
bi ipſi dicebat: Pericles animaduerte, liberis es imperaturus & Græcis, & Athenienſibus.
Iubebat autem Athenienſes Aeginam tollere, tanq; Piræi lippitudinem. Ad amicum ue-
rò quendam teſtimonium falſum, cui & iuſiurandum ineſſet, rogantem: Vſq; ad aras, in-
quit, mihi amico eſſe licet. Idem moriturus cùm eſſet, ſeipſum beatum eſſe aiebat, quòd
Athenienſium nemo ſua cauſa pullam ueſtem induiſſet.

ALCIBIADES adhuc puer, cùm in palæſtra eo captu comprehenſus eſſet, quem effu-
gere nequiret, momordit colluctantis manum. Sed cùm ille dixiſſet, mordes ut fœminæ:
D Minimè, inquit, ſed ut leones. Habens autem quampulcherrimum canem, quem ſeptem
millibus drachmarum emerat, caudam illi recîdit, ut Athenienſes, inquit, hoc de me lo-
quantur, & aliud nihil curioſius inueſtigent. Idem ad literarum ludum cùm acceſsiſſet, Ilia
da poſtulauit. At magiſtro ſe nihil Homeri habere dicente, illi incuſſo pugno receſsit. Ad
Periclis autem fores cùm ueniſſet, audiens illum nō eſſe ocioſum, ſed cōſiderare quonam
modo Athenienſibus rationes reddat: Non melius erat, inquit, conſiderare quo modo
non reddat? Cùm autem ad iudicium capitale ab Athenienſibus è Sicilia uocaretur, ſeip-
ſum abſcondit, quòd diceret cum ſtultum eſſe, qui accuſatus cùm liceat fugere, quærat ab
ſolui & liberari. Sed cùm quidam dixiſſet: Non credis patriæ de teipſo iudicium? Ego qui
dem, ait, ne matri quidem, ne fortè ignorans pro calculo albo nigrum ferat. Idem cùm au
diſſet, ſe cum ſocijs morti adiudicatum eſſe: At, inquit, declarabimus ipſis nos uiuere. Ita-
que ad Lacedæmonios profectus, Decelicum in Athenienſes bellum excitauit.

LAMACHVS quēdam turmæ ducem in errorem lapſum obiurgabat, qui cùm dixiſſet,
ſe poſtea nunquam id eſſe facturum: Atqui non eſt in bello, inquit, bis peccare.

IPHICRATES cùm ſutoris filius eſſe putaretur, omnibus quidem cōtemptui erat, ſed in
precio tūc primū eſſe cœpit, quū uulneratus hoſtem ſimul cum armis correptū in triremē
ſuam uiuentē tranſtulit. Cęterū in amico & ſocio loco caſtra ponens, & uallum iaciens, &
foſſam diligenter circūducens, ad eum qui dixerat, Quid enim timemus? turpiſsimā qui-
dem eſſe dixit imperatoris uocem, Non expectaram. Aciem uerò contra barbaros in-
ſtruens, ſe uereri aiebat, ne Iphicratem ignorent, qui alios ſtupefaciat hoſtes. Idem iudi-
cium capitis ſubire coactus, ad calumniatorē dixit: Quid facis ô homo, qui bello urbem
circunſtante, de me, & nō mecum ſuadeas conſultare? In Harmodiū uerò, Harmodij illius
priſci abnepotem, in generis ignobilitatē cōuicia ſibi ingerentē dixit: Meum quidem ge-
nus à me incipit, ſed tuum in te deſinit. Oratore autem quodam ipſum in concione inter-
rogante: Quis tu es qui tantopere ſuperbis? eques an ſagittarius? an pedes? an ſcutifer?
Nullus horum, inquit, ſed qui omnibus his imperare ſciam.

TIMOTHEVS exiſtimabatur fortunatus eſſe imperator, ac idcirco ei quidam inuiden-
tes, pingebāt urbes in naſſam illi dormienti ultrò ingredientes. Timotheus igitur aiebat:
Si tantas urbes dormiens capio, quid me facturū putetis expergefactū? Quodam autē ex
temerarijs imperatorib. uulnus Athenienſib. oſtentante: At me, inquit, cùm ueſter eſſem

contra

A contra Samios imperator, puduit catapultæ telum prope me cecidiſſe. Oratoribus uerò
Charetem extollentib. dignumq́; eſſe Athenienſium imperatorē cenſentibus: Non impe
ratorem, Timotheus inquit, ſed qui ſtrata imperatori ſcrat.

CHABRIAS eos dictitabat optimos eſſe imperatores, qui hoſtiū res ꝙ optimè noſſent.
Proditionis autē unà cum Iphicrate accuſatus, ab Iphicrate ipſo reprehendebatur, quòd
de uita periclitans & in gymnaſium iret, & hora conſueta pranderet: Ergo ſi quid Athe-
nienſes, Chabrias inquit, de nobis ſtatuerint, te quidem ſqualidū & ieiunū, me uerò pran
ſum & perunctum necabunt. Dictitare etiam ſolebat, formidabiliorem eſſe ceruorum ex
ercitum duce leone, ꝙ leonum ceruo imperante. Hegeſippo Crobelo appellato Athe-
nienſes in Philippum cōcitante, quidam è cōcione ſucclamauit, Bellum inuehes: Etiam
per Iouem, inquit, & nigra ueſtimenta, & publicas funerum elationes, & funebres oratio
nes, ſi liberi ſumus uicturi, neq; Macedonum imperata facturi.

PYTHEAS quū adhuc eſſet adoleſcens, in concionē proceſsit, ijs contradicturus decre
tis, quæ de Alexandro ſcribebant. Sed quū quidā dixiſſet: Tu quū adeò iuuenis ſis, de tan
tis rebus audes loqui? Atqui Alexander, inquit, quem decernitis deum, me iunior eſt.

PHOCION Athenięſis neq; ridens, neq; lachrymās ab ullo unꝙ eſt uiſus. Sed quū qui
dam in concione dixiſſet, Cōſideranti ſimilis uideris ô Phocion: Rectè, inquit, hoc conie
ctas: nam conſidero, ſi quid eorum quæ ſum apud Athenienſes dicturus, omittere ac reci
dere poſsim. Cùm autem oraculum Athenienſibus datum eſſet, unum in urbe eſſe qui ſen
tentijs omnium aduerſaretur, Athenienſesq́; quiſnam eſſet, quærendum iuberent, Pho-
cion ſe eum eſſe profeſſus eſt: nam ſoli ſibi nihil eorum placere, quæ uulgus & ageret &
diceret. Cùm uerò apud populum ſententiam dicens aliquando approbaretur, uideretq́;
omnes pariter orationi ſuæ aſſentientes, ad amicos conuerſus: Num quid mali, inquit, for
ſitan imprudens dixi? Cæterùm Athenienſibus collationes pecuniæ ad ſacrificium quod
dam petentibus, quum alij quidem conferrent, ſępe & ipſe rogatus: Erubeſcerem, inquit,
ſi uobis darem, huic autem non redderē, ſimul indicans fœneratorem. Cùm uerò Demo-
ſthenes orator dixiſſet, Te Athenięſes ſi inſanierint necabūt: Te uerò, inquit, per Iouem,
B ſi reſipuerint. Sed quum Ariſtogiton ſycophanta condemnatus in carcere moriturus eſ-
ſet, rogaretq́; Phocionem ut ad ſe ueniret, amiciq́; ipſum ad improbum hominem ire non
permitterent: Et ubinam, inquit, Ariſtogitonem quiſpiam iucundius alloquatur? Byzan
tijs uerò quum Athenienſes iraſcerentur, quòd Charetem non admiſiſſent in urbem,
cum copijs auxilio ſibi miſſum aduerſus Philippū, dixiſſetq́; Phocion, oportere nō ſocijs
iraſci diffidentibus, ſed imperatoribus fide carentibus, imperator ipſe fuit delectus: qui à
Byzantijs quidem admiſſus, effecit ut re infecta Philippus abiret. Idem quum Alexan-
der centum ipſi talenta dono miſiſſet, eos qui attulerant interrogauit: Cur nam quum
multi alij ſint Athenienſes, mihi ſoli hæc donat Alexander? Illis autem reſpondentibus,
quòd ſolum te bonum eſſe probumq́; exiſtimat: Igitur me, inquit, talem & uideri & eſſe
permittat. Alexandro autem triremes ab Athenienſibus petente, quum populus nomi-
natim Phocionem prodire, atq; ſententiam dicere iuberet, poſteaquàm ſurrexit, Conſulo
igitur uobis, inquit, ut uel armis uincatis, uel uictoribus amici ſitis. Sed quum de morte
Alexandri incerto autore uerba iactarentur, oratoresq́; è ueſtigio in ſuggeſtū proſilirent,
neq; morari, ſed quamprimū bellum gerere ſuaderēt, Phocion differendum ac certius co
gnoſcendum eſſe cenſebat: Si nanq;, aiebat, hodie mortuus eſt, cras quoq; & ſemper mor
tuus erit. Verùm Leoſthene ciuitatē in bellum inijciente, quòd illam noſſet ſpe præclara
ad nomen libertatis imperijq́; elatam, illius uerba cupreſsis ſimilia eſſe dicebat: nam pul- *Verba cupreſsis*
chræ & ſublimes quum ſint, fructum non habent. Sed prima quum ad uota ſucceſsiſſent, *ſimilia.*
ac ciuitas ob nuncios rerum bene geſtarum dijs ſupplicaret, interrogatus an ea ſic geſta
eſſe uellet, hæc quidem eſſe geſta inquit, illa uerò conſultata. Cæterùm Macedonibus At
ticam ingreſsis, maritimamq́; deprædantibus, eduxit iuuentutem: & cùm multi ad ipſum
concurrerent, hortantes ut collem occuparet, aciemq́; illic inſtrueret: O Hercules, inquit,
quàm multos uideo imperatores, milites autem paucos. Sic tamen cōgreſſus uicit, ac Ni-
cionem Macedonum ducem interemit. Verùm haud multò pòſt Athenienſes bello ſupe
rati, præſidium Antipatri admiſerūt. Cùm uerò Menillus præſidij princeps Phocioni pe-
cunias dono daret, indignatus dixit: Neq; illum Alexādro meliorem eſſe, & cauſam qua
nunc accipiat, cùm tunc non acceperit, peiorē eſſe. Ac Antipater quidē aiebat, ſe ex duo-
bus amicis quos Athenis haberet, neq; Phocionem perſuaſiſſe ut acciperet, neq; Dema-
dem ſatiaſſe quum daret. Antipater uerò quum ipſum rogaret, ut neſcio quid iniuſti face-

C ret: Non potes, inquit, ô Antipater, Phocione & amico & aſſentatore uti. Sed poſt Antipatri mortem quum Athenienſes democratiam renouaſſent, Phocion cum amicis in concione morti fuit adiudicatus. Alij igitur flentes quidem ducebantur: Phocioni uerò, qui cum ſilentio procedebat, quidam ex inimicis obuiã factus in os expuit. Tum ipſe ad magiſtratus reſpiciens: Non aliquis iſtum, ait, indecorè ſe gerentem coërcebit? Cùm autem unus eorum qui cum ipſo erant morituri, lamentaretur, atq; indignaretur: Non amas, inquit, ô Euippe, cum Phocione mori? Sed cùm cicutæ calix iam allatus eſſet, interrogatus, num quid ad filium diceret: Ego tibi, inquit, mando rogoq́;, ne quid Athenienſibus harum rerum memoria iraſcaris.

PISISTRATVS Athenienſium tyrannus, cùm ex amicis quidam ab ipſo defeciſſent, ac Phylen occupaſſent, ad illos uenit ſtratum colligatũ ipſe portans. Sed illis interrogantibus quid uellet: Si uobis, inquit, perſuaſero, ut abducam: ſin minus, ut uobiſcũ maneam: propter hoc enim cum ſarcinis ueni. Calumniata uerò apud ipſum matre, quòd adoleſcẽtem quendam adamaret, cum quo timente ac multùm renuente clàm conſuetudinẽ haberet, uocauit ad cœnam adoleſcentem, cœnatumq́; interrogauit, quomodo fuiſſet exceptus. Illo autem opipatè dicente: Talia, inquit, quotidie tibi erunt, ſi matri meæ rem gratam feceris. Thraſybulus uerò ipſius filiam amans, cùm obuiam factus oſculatus foret, ac ipſe in illum ab uxore concitaretur: Si qui nos amant, inquit, odio proſequemur, quid ijs qui oderũt faciemus? Ac Thraſybulo quidem uirginem dedit uxorem. Comeſſatores autem quidam in ipſius uxorem cùm incidiſſent, multaq́; laſciuè ac petulanter & feciſſent & dixiſſent, ac poſtridie Piſiſtratum flentes deprecarentur ut ſibi ignoſceret: Vos quidem, inquit, ut modeſti ſitis curate, ſed uxor mea prorſus domo nuſquã heri profecta eſt. Idem rogantibus filijs, quum ipſe aliam ducturus eſſet uxorem, nunquid ipſos accuſaret: Minimè quidem ait, ſed laudo, uoloq́; & alios mihi tales filios naſci.

Libros legere, principibus in primis utile.

DEMETRIVS Phalereus Ptolemæum regem admonebat, ut conſcriptos de regno imperioq́; libros compararet atque lectitaret: nam quæ amici non audent reges monere, ea in libris deſcripta eſſe.

D LYCVRGVS Lacedæmonius ciues nutriẽdæ comæ aſſuefecit, quòd diceret, pulchros quidem coma fieri decentiores, deformes autem formidabiliores. Ad eum uerò qui ad democratiã in urbe conſtituendam hortabatur: Tu igitur primus, inquit, in domo tua ſtatue democratiã. Cæterũ domos humiles ſerra tantùm & ſecuri ſtruere iubebat: pudere nanq; in humiles caſas pocula, lectosq́; ac menſas precioſas inferre. Pugnis autem & pancratio certare prohibuit, ut ne ludentes quidem defatigari conſueſcerent. Sæpius quoq; aduerſus eoſdem militare uetuit, ne hoſtes efficerentur bellicoſiores. Quare uulnerato poſtea Ageſilao, Antalcidas dixit, præclaræ diſciplinæ præmia ipſum à Thebanis accipere, qui illos bellum inuitos gerere docuiſſet.

CHARILLVS rex interrogatus, cur tam paucas leges Lycurgus tuliſſet: reſpondit, eos qui paucis uerbis utantur, haudquaq; multis legibus indigere. Helotũ uerò quidam cùm audacius aſperiusq́; ſe cum illo gereret: Per deos, inquit, te interfeciſſem, niſi iratus eſſem. Ad eum autem qui percõtatus eſt, cur comam Lacedæmonij geſtent: Quia ex omnibus, inquit, ornatibus hic eſt minimè ſumptuoſus.

Helotes ſerui Lacedæmoniorum.

TELECLVS rex ad fratrem ciues criminantem, quòd aſperius ſecum quàm cum illo ſe gererent: Tu nanq;, ait, iniurias pati neſcis.

THEOPOMPVS in quadam urbe ad eum qui ſibi murum oſtentabat, & interrogabat, num pulcher & altus uideretur: Minimè, ſi mulierum eſt, inquit.

ARCHIDAMVS in Peloponeſiaco bello rogantibus ſocijs ut ſibi tributa determinarentur: reſpondit, bellum non paſci determinatis.

BRASIDAS cùm in caricis murẽ cepiſſet, morſus dimiſit. Deinde ad eos qui aderãt: Nihil eſt, inquit, tam paruum, quòd ſe nõ ſeruet, dum audeat ulciſci aggredientes. Sed in pugna per ſcutum iaculo percuſſus, cùm è uulnere haſtam extraxiſſet, illa ipſa hoſtem uulneratum interemit. Sed rogatus quomodo uulneratus fuiſſet: Scuto, inquit, me prodente. Poſteaquàm uerò liberatis ijs Græcis, qui in Thracia erãt, cecidit, legati Lacedæmonem miſſi, ad Braſidæ quoq; ipſius matrem acceſſerunt: quæ primùm quidem eos interrogauit, an bene Braſidas obiſſet: ac laudantibus quidem illum Thracibus, dicentibusq́;, nullum alium talem fore: Ignoratis, inquit, ô hoſpites: nam Braſidas quidẽ fortis erat, ſed Lacedæmon multos habet illo fortiores.

AGIS rex dictitabat, Lacedæmonios interrogare non quot ſunt, ſed ubi ſunt hoſtes.

Apud

A Apud Mantineam uerò dum pugnare cum hoſtibus, qui plures erant, prohiberetur: Ne-
ceſſe eſt, inquit, cum multis pugnare, qui multis uelit imperare. Cùm autē Elæi laudaren-
tur, quòd in Olympijs præclarè ſe gererent: Quid mirum, inquit, faciunt, ſi quinto quoq;
annò per unum diem iuſtitia utuntur? Sed illis in laudando perſeuerātibus: Quid miran-
dum, inquit, ſi in re bona, bene utuntur iuſtitia? In hominem uerò improbum ſæpe inter-
rogantem, quis Spartiata optimus eſſet: qui tui diſsimillimus eſt, inquit. Sed alio interro-
gante, quot eſſent Lacedæmonij: Quot, inquit, ad malos arcendos ſatis ſunt. Cùm autem
ab alio idem quæreretur: Multi, inquit, tibi uidebuntur, ſi pugnantes ipſos ſpectaueris.

LYSANDER ueſtes precioſas, quas Dionyſius Siciliæ tyrannus ſuis filiabus miſerat,
non accepit, quòd diceret ſe uereri, ne illis indutæ deformiores uiderentur. In eos autem
à quibus uituperabatur, ut Hercule indignus, quòd dolo pleraq; ageret, dicebat: Quô leo
nina pellis nō peruenit, uulpinā eſſe aſſuendam. Sed aduerſus Argiuos, qui iuſtiora q̃ La
cedæmonij de quo cōtendebant loco dicere uidebant̃, diſtricto gladio inquit: Qui huius
eſt dominus, optimè de finib. diſſerit. Lacedæmonios uerò Corinthiorū murū ſegnius op
pugnare animaduertens, cùm leporē è foſſa exilientē uidiſſet: Eos inquit, timetis hoſtes,
quorum inertia lepores in muris dormiunt? Cùm autem Megarenſis quidam in cōmuni
conuentu aduerſus ipſum dicendi licentia uſus eſſet: Tua, inquit, uerba ciuitatis egent.

AGESILAVS dictitabat eos qui Aſiam incolerent, liberos quidem eſſe malos, bonos
autem ſeruos. Sed aſſuetis illis regem Perſarum magnum appellare: Ecquid ille, inquit,
me eſt maior, niſi & iuſtior, & modeſtior? De fortitudine uerò atq; iuſtitia percontatus, u-
tra ſit melior: Nihil, inquit, fortitudine indigeremus, ſi omnes iuſti eſſemus. Noctu autem
quum è terra hoſtili repentè caſtra moturus eſſet, uidens puerum quem amabat lachry-
mantem propter imbecillitatem relinqui: Difficilè eſt, inquit, ſimul & miſereri & ſapere.
Menecrates uerò cognomento Iupiter, cùm ad ipſum epiſtolā ita ſcripſiſſet: Menecrates
Iupiter regi Ageſilao felicitatē: reſcripſit, Rex Ageſilaus Menecrati ſanitatē. Lacedæmo-
nij autem cùm Athenieſes ac ſocios apud Corinthum debellaſſent, audita cadauerum ho
ſtilium multitudine: Heu miſerā, inquit, Græciam, quę tot in ſeipſam uiros perdidit, quot
B ſatis eſſent ad barbaros omnes debellandos. Oraculum uerò quod uolebat quū à Ioue in
Olympia accepiſſet, Ephoris iubentibus ut Pythiū quoq; de ijſdem conſuleret, Delphos
profectus deum rogauit, an quæ patri, eadem ipſi quoq; uiderentur. Quendam autem ex
amicis ab Icarieo Care petens, ad eum ita ſcripſit: Nicias ſi te iniuria non afficit, dimitte: ſi
iniuſtè agit, mihi dimitte: omnino autem dimitte. Idem ad eum audiendum inuitatus qui
luſciniæ uocem imitabatur: Ipſam, inquit, ſæpe audiui. Poſt Leuctricā uerò pugnā Epho-
ri animaduertētes urbem uiris uacuam eſſe, quòd lex iuberet omnes eos qui territi fugiſ-
ſent, ignominioſos eſſe, uolebant infamiæ notam ſoluere, proptereáq; legiſlatorem Age-
ſilaum declararunt. Is autem cùm in medium prodiſſet, cenſuit leges poſtridie ratas fore.
Aegyptiorum autem regi auxilio miſſus, unà cum eo ab hoſtibus obſidebatur, cùm mul-
tò plures hoſtes ipſi forent, caſtriſq; foſſam circunducerēt. Sed quum rex erumpere ac di-
micare iuſsiſſet: Hoſtes, inquit, uolentes nobis eſſe pares, impediendi non ſunt. Et quum
ſpacij parum adhuc ſupereſſet ad foſſam coniungendam, in eo quod relictum erat ſpacio
acie inſtructa, cùm totidem utrinq; pugnarent, uictores euaſerunt. Idem moriens amicos
nullam ſibi neque fictam, neque pictam imaginem ponere iuſsit: Si quod enim opus, in-
quit, bonum feci, hoc meum monumentum erit: ſin nullum, ne omnes quidem ſtatuæ.

ARCHIDAMVS Ageſilai filius, quum catapultæ iaculum tunc primū ex Sicilia adue-
ctum uidiſſet, exclamauit: O Hercules, uiri perit uirtus.

AGIS iunior Demade dicente, Laconicos enſes propter breuitatem à pręſtigiatoribus
deuorari: Atqui Lacedæmonij, inquit, his ipſis enſibus hoſtes aſſequuntur. Cùm autem
Ephori milites proditori committi iuberent: Alieni, inquit, ei fidem habere non debent,
qui ſuorum proditor fuerit.

CLEOMENES ei qui ſe gallos, qui pugnando interirent, ipſi daturum pollicebatur:
Minimè, inquit, iſtis egeo, ſed ijs potius qui pugnando interficiant.

PAEDARETVS inter trecentos nō delectus, qui in ciuitate quidē ordine primus erat ho
nor, hilaris ac ridēs abibat, ſe gaudere dicēs, ſi trecentos Sparta haberet ciues ſe meliores.

DAMONIDAS in ultimum chori ordinem à chori magiſtro collocatus: Euge, inquit,
excogitaſti quomodo hic quoq; in honore ſit locus.

NICOSTRATVS Argiuorum imperator multis pecunijs & nuptijs Lacenæ quam uel
let, præter regias oblatis, ad prodendum quendam locum ab Archidamo exhortatus, re-

C ſpondit, Archidamum ab Hercule genus nõ ducere: Herculem enim circumeuntem ma-
los pœna affeciſſe, Archidamum uerò eos qui ſunt probi, malos efficere.
EVDAEMONIDAS cùm in Academia Xenocratẽ uidiſſet iam ſeniorẽ cum diſcipulis
philoſophantẽ, audiſſetq; uirtutẽ ab ipſo inquiri: Quãdo, inquit, illa utetur? Rurſus cùm
alium audiſſet philoſophum diſſerentẽ, quòd ſolus ſapiens eſt bonus imperator: Sermo
quidem admirandus eſt, inquit: ſed qui loquitur, nunquam tubæ ſonitu fuit excitatus.
ANTIOCHVS cùm Ephorus eſſet, poſteaq; accepit agrum Meſſenijs à Philippo da-
tum, interrogauit, num etiam illis de agro pugnantibus, ut uincerent dediſſet.
ANTALCIDAS in Athenienſem, qui Lacedæmonios imperitos uocabat: Soli uideli
cet nos, inquit, nihil mali à uobis didicimus. Sed cùm alius Athenienſis in ipſum dixiſſet:
Atenim ſæpe uos à Cephiſo fugauimus: Nos uerò, inquit, nunquã uos ab Eurota. Rhe-
tore autem Herculis laudationem lecturo, Quis nempe illum uituperat? inquit.
EPAMINONDA Thebano exercitũ ducente, nunq; Panicus & repentinus terror in ca
ſtra incidit. Dicebat autem, in acie mori pulcherrimũ eſſe. Armatorũ uerò corpus non ſo-
lùm athleticè, ſed etiam militariter exercitatũ eſſe oportere cenſebat: eoq; corpulentis in-
fenſus erat, ac talem quendam exercitu expulit, dicens: Vix tribus quatuórue ſcutis uen-
trem illius tegi poſſe, propter quẽ ne ſua quidem pudenda unquã uidiſſet. Sic autẽ fruga
lis in uictu erat, ut à uicino ad cœnã inuitatus, cùm bellariorũ opſoniorumq;, ac unguen-
torum apparatũ inueniſſet, è ueſtigio abierit, dicens: Ego te ſacrificare, nõ laſciuire puta-
bam. Cùm uerò coquus dierũ quorundam impenſæ rationẽ collegis redderet, nimiũ olei
ſumptum duntaxat ægrè tulit. Sed collegis admirantibus impenſam quidem ſibi non eſ-
ſe moleſtam, dixit, ſed ſi tantum olei intra corpus ille excepiſſet. Quum autem feſtum
diem urbs celebraret, ac omnes compotationibus & ſodalitatibus dediti eſſent, familia-
rium cuidam ſqualidus & cogitabundus inter ambulandum occurrit: ac illo mirante at-
que percontante, cur nam ſolus ita affectus circumiret: Vt uobis, inquit, omnibus ebrie-
tati ac deſidiæ liceat indulgere. Hominẽ uerò nequam qui mediocre quoddam ſcelus ad-
miſerat, Pelopidæ quidem roganti nõ dimiſit, ſed amicæ ſupplicanti cõceſsit, dicens ſcor
D ta decere, nõ imperatores, eiuſmodi accipere dona. Cùm uerò Lacedæmonij copias edu-
cerent, oraculaq; Thebanis ferrent, alia quidẽ eos uictũ iri, alia uictores fore ſignificãtia,
hæc ad dexterã tribunalis partẽ, illa ad ſiniſtrã poni iuſsit, omnibusq; ita poſitis ſurrexit,
& dixit: Si imperatoribus quidem parêre uolueritis, ac ſimul inuadere hoſtes, hæc uobis
ſunt oracula, indicans meliora: Sin autẽ aduerſus pericula timidi fueritis, illa, reſpiciẽs ad
peiora. Idem contra hoſtes exercitũ educens, tonitru facto, ac ijs qui circa ipſum erant in-
terrogantibus quid deũ ſignificare putaret, attonitos eſſe hoſtes dixit: quippe qui cùm ta
lia adſint loca, in talibus caſtrametentur. Suauiſsimũ autẽ omniũ bene fortiterq; ſibi geſto-
rum illud eſſe dicebat, quòd ſuis adhuc uiuis parẽtibus apud Leuctra Lacedæmonios ſu-
peraſſet. Cæterũ poſtridie illius pugnæ cùm alio tempore ſolitus eſſet uncto corpore ſe-
renoq; uultu in publicũ prodire, ſqualidus & humilis ac ſordidus proceſsit. Interroganti
bus igitur amicis, num quid ſibi triſte accidiſſet, Nihil, inquit: ſed heri ſenſi me animo fuiſ-
ſe ꝙ par ſit elatiore, quocirca heſternæ lætitiæ intemperantiam hodierna triſtitia caſtigo.
Cùm autẽ Spartiatas ſuam calamitatẽ abſcondere ſenſiſſet, uolens illius magnitudinẽ de
clarare, nõ ſimul omnes, ſed ſingulas ciuitates cadauera colligere permiſit. Itaq; plura ꝙ
mille Lacedæmoniorũ cadauera fuere numerata. Iaſon uerò Theſſalorũ princeps cùm ſo
cius Thebas ueniſſet, ac duo millia aureorum Epaminondæ uehementer indigenti miſiſ-
ſet, aurum quidem nõ accepit, ſed cùm primũ Iaſonem uidit, Iniuſtis, inquit, deterior im-
peras: ac quinquaginta drachmis à quodam ciuium acceptis exercitus uiatico, in Pelopo
neſum irrupit. Rurſus cùm rex Perſarum triginta Daricorũ millia ei miſiſſet, Diomedon-
tem aſperè obiurgauit, quòd tantam nauigationẽ nauigaſſet, ut corrumperet Epaminon
dam. Sed regi renunciari iuſsit, ſi quæ Thebanis cõferant ſentiat, gratis amicũ Epaminon
dam eſſe habiturũ: ſin quæ minus utilia ſint, hoſtem. Argiui autem cùm Thebanorũ ſocij
eſſent, Athenienſiumq; legati in Arcadiam profecti utroſq; accuſarent, atq; Calliſtratus
orator Oedipum & Oreſtem ciuitatibus exprobraret: Confitemur, inquit Epaminon
das, & apud nos patricidam fuiſſe, & apud Argiuos matricidam. Sed qui iſta perpetra-
runt nos quidem expulimus, Athenienſes uerò ſuſceperũt. In Spartiatas autem qui mul-
tis & magnis in rebus Thebanos accuſauerant: Hi nempe uos, inquit, à breuiloquio de-
ſiſtere coegerunt. Sed poſteaquàm Alexandrum Pheræorum tyrannum, Thebanorum
hoſtem, Athenienſes ſibi amicum effecerunt & ſocium, qui promittebat ſe uenalem

carnis

A carnis libram ipſis ſemiobolo præbiturū: At nos, Epaminondas inquit, Athenienſibus ligna gratis ad illas carnes coquendas præſtabimus: nam niſi quieuerint, eorū agrum ſuccidemus. Bœotios autē ocio diſſolutos uolens in armis ſemper continere, cùm electus eſſet ipſorū imperator, admonens dicebat: Adhuc conſultatis Thebani? nam ſi ego ſum imperator, uobis eſt militandū. Ac regionē ſupinā & patentē, belli orcheſtram appellabat, quòd illam obtinere nō poſſent, niſi manū in ſcuti loro habeant. *Regio patēs belli orcheſtra.* Chabrias uerò cùm prope Corinthum perquā paucos Thebanorū quoſdam auidius ſub muris pugnantes interfeciſſet, ac trophæū erexiſſet, Epaminondas irridens: Hîc decebat, inquit, nō trophæum, ſed Hecateſium erexiſſe. Nam humilia Hecatæ ſacella in triuijs ante portas dedicabant. Cùm autē quidam nunciaſſet, exercitū nouis ornatū armis in Peloponeſum ab Athenienſibus miſſum: Quid igitur, inquit, Antigenidas gemit, cùm Tellen nouas tibias habeat? Tellen uerò peſsimus quidam erat tibicen, ut Antigenidas optimus. Idem cùm accepiſſet, ſcutiferū multas ab homine captiuo pecunias ſumpſiſſe: Redde, inquit, mihi quidem ſcutū, tibi uerò ipſi patriæq; cauponā redime, in qua reliquū tēporis uiuas: neq; enim poſthac te periculis itidem exponere uoles, quippe qui è diuitibus & beatis unus ſis factus. Interrogatus autē, utrū ſe meliorē duceret imperatorē, an Chabriam, an Iphicratem: Difficilè id eſt, inquit, donec uiuimus, iudicare. Poſteaq; uerò ex Laconica reuerſus capitis cauſam cum collegis dicere coactus eſt, quòd menſes quatuor imperiū Bœotiæ cōtra legem retinuiſſet, collegas quidem in ſeipſum crimen remouere iuſsit, tanq̄ ui coactos: ipſe autē ſe dixit non habere uerba rebus meliora. Sed ſi quid omnino apud iudices dicendū eſſet, cenſere ſe, ſi ab ipſis necandus iudicet, ut columnæ condemnationē inſcribant, quò Græci omnes ſciant, Thebanos uel nolentes ab Epaminonda fuiſſe coactos igne Laconicam deuaſtare, quæ per quingentos annos nunq; antea fuerat deprædata: & Meſenen populari, quæ triginta & ducentos annos ſeditionibus uexata nō fuit: & cōciliare inter ſe, ac in unum Arcades redigere, Græcisq; reſtituere libertatē: nam hæc in illo imperio fuerant geſta. Quare multo cum riſu iudices egreſsi ſunt, cùm ne ſuffragia quidem in illum ſumpſiſſent. Cæterùm in ultima uulneratus pugna, & in tentoriū relatus uocabat Daiphantum, B & poſt eum Hyolidam. Quos uiros cùm perijſſe audiſſet, bellum cum hoſtibus diſſolui iuſsit, ut quib. imperator nō eſſet. Ac res uerba eius, qui optimè ciues noſſet, cōprobauit.

PELOPIDAS Epaminondæ in prætura collega, dicentibus amicis, pecuniæ collectionem rem ualde neceſſariā ab ipſo nihil curari: Per Iouem, inquit, huic Nicomedi: hominē claudum ac mutilatū indicans. Sed uxore ipſum ad pugnā exeuntē rogante, ut ſe cuſtodiret, alios hoc dixit eſſe monendos: ducē uerò & imperatorē, ut ciues conſeruet. Cùm autē quidam è militibus dixiſſet, In hoſtes incidimus: Cur magis, inquit, quàm illi in nos? Cæterùm ab Alexandro Pheræorū tyranno fractis fœderibus cùm captus & ligatus male ei diceret, atq; ille ſubieciſſet, mori properas: Etiam per Iouem, inquit, ut magis in te excandeſcant Thebani, citiusq; perdaris. Thebe uerò, tyranni uxor, ad Pelopidā egreſſa quū ſe mirari dixiſſet, quòd ligatus tam hilaris eſſet: magis dixit ſe illā mirari, quòd nō ligata toleret Alexandrū. Sed ab Epaminōda liberatus, dicebat ſe gratiā Alexandro habere: nam ſeipſum expertum eſſe non ad bellum modò, uerùm ad mortem quoq; audacter habere.

MARCVS Curius à quibuſdam criminatus, quòd agri bello parti exiguā cuiq; partem diſtribuiſſet, ac magnam publicam feciſſet, precatus eſt, neminem è Romanorum numero fieri, qui quod agri ad alendum ſatis foret, parum putaret. Samnites uerò ab ipſo debellati, cùm ad eum ueniſſent aurum dono daturi, in olla fortè rapula coquebat. Samnitibus itaq; reſpondit, & auro nihil tale prandium indigere, & ſibi melius eſſe, quàm habere, aurum poſsidentibus imperare.

CAIVS Fabricius audiens Romanos à Pyrrho uictos, ad Labienū conuerſus: Pyrrhus, inquit, nō Epirotæ Romanos uicerunt. Ad redimendos autē captiuos ad Pyrrhum profectus, cùm auri multum Pyrrhus ipſi daret, nihil accepit. Poſtridie uerò maximū elephantem Pyrrhus ipſe inſtrui iuſsit, qui Fabricio ignorāti poſt terga maximo cum ſtridore uocē repentè emiſit. Quo quidem facto, cōuerſus Fabricius & ridens: Me, inquit, neq; aurum heri, neq; hodie bellua ſtupefecit. Sed Pyrrho ipſum rogante ut ſecū eſſet, ac poſt ſe primū locum haberet: Ne hoc quidē tibi expedit, inquit: nam ſi Epirotæ noſtrū utrunque nouerint, magis à me regi, quàm abs te uolent. Fabricio autem conſulatū gerenti Pyrrhi medicus epiſtolam miſit, qua pollicebatur ſe Pyrrhum ueneno (ſi iuſſerit) necaturum. Sed eam Fabricius epiſtolā remiſit ad Pyrrhū, animaduertere iubens, q̄ malus & amicorum eſſet iudex, & hoſtium. Poſteaq; uerò Pyrrhus inſidijs deprehenſis, medicū quidem

C ſuſpendit, Fabricioq́; captiuos abſq; redemptionis precio reddidit: gratis Fabricius non
accepit, ſed totidem illi reſtituit, ne mercedē recepiſſe uidereť. Neq; enim inſidias Pyrrhi
gratia indicaſſe, ſed ne uiderenť Romani dolo necare, perinde atq; ſi apertè non poſſent.

FABIVS Maximus cum Annibale pugnare nolens, ſed tempore illius exercitū & pe-
cuniatū & annonæ indigentem diſſoluere quærens, per aſpera & montoſa loca perſeque
batur, ſeſe illi ſubinde opponens. Quòd autem uulgò derideretur, Annibaliſq; pædago-
gus uocaretur, paruipendens, ſuis cōſilijs utebatur, amiciſq; dicebat: Qui deriſiones con
uiciaq́; metuat, eum ſibi timidiorem uideri, quàm qui hoſtes fugiat. Poſteaq; uerò de Mi-
nutio equitum magiſtro, qui hoſtium nonnullos debellauerat, ſermo cœpit eſſe multus,
tanq; digno Roma uiro, magis ſe dixit ſecundam Minutij fortunam timere, quàm aduer
ſam. Igitur paulò pòſt cùm Annibalis inſidijs circūuentus cum exercitu ſuo Minutius de
uita periclitareť, Fabius opem ferens & multos hoſtiū cæcidit, & illum ſeruauit. Annibal
itaq; ad amicos: Nōne ſæpe uobis, inquit, prædixi, montanā illam nebulā imbrem in nos
aliquando emiſſurā? Poſt Cannenſem uerò cladem imperator creatus cum Claudio Mar
cello, audaci & forti uiro, & qui cum Annibale ſemper pugnare amaret, in eam ſpem ipſe
adductus erat, ſi nemo pugnaret, feſſum Annibalis exercitum breui eſſe defecturū. Qua-
re dictitabat Annibal, ſe magis Fabium nō pugnantem, quàm Marcellum pugnantē for-
midare. Cùm autē Lucanus quidam miles accuſaretur, quòd amore mulierculæ captus,
noctu ſępenumero longè à caſtris uagaretur, quem alioqui admirandum in armis eſſe au
diret, illo ignaro comprehendi amicam, & ad ſe duci iuſsit. Adducta igitur illa cùm homi
nem acceſſiſſet: Nos, inquit, nō latuiſti, contra legem extra caſtra pernoctans: ſed neque
antea ſtrenuus eſſe nobis ignorabaris, quare fortiter ac rectè factis errata condonentur.
Cæterū poſthac nobiſcū eris, habeo nanq; fideiuſſorē: adductamq́; mulierculam illi com
mendauit. Cùm uerò Annibal Tarentū præter arcē præſidio teneret, abducto ipſo q̄ lon
giſsimè ab urbe per dolum, Fabius urbem cepit atq; diripuit. Sed cùm ſcriba percontare-
tur: Quid de ſimulachris deorū decernimus? Relinquamus, inquit, Tarentinis deos ira-
tos. M. autem Liuio, qui præſidio Tarentinā arcem tenebat, iactante, illum opera ſua ur-
D bem cepiſſe, alijs quidem ridentibus, Vera, inquit Fabius, narras: nam niſi tu urbem ami
ſiſſes, ego nunq; recepiſſem. Idem iam ſenior, filio Conſule, & publicè multis præſentibus
ius dicente, equum conſcendit ac prodijt. Sed cùm iuuenis lictorem miſiſſet, ac ex equo
deſcendere iuſsiſſet, alij quidem ſe auerterunt, ipſe uerò cùm equo deſiluiſſet, præter æta-
tem accurrit, & filium complexus, Euge, inquit, fili ſapis, intelligens & quibus imperes,
& quanti imperij magnitudinem ſuſtineas.

SCIPIO maior à re militari & reipub. adminiſtratione ocium ad literarū ſtudia cōuer-
tens, dictitabat ſe quando ocioſus eſſet plura facere. Poſteaq; autem ui Carthaginē cepit,
cùm quidam milites uirginem formoſam de multis ſelectam captiuis adduxiſſent illi tra-
dituri: Libenter, inquit, accepiſſem, ſi priuatus, & nō imperator eſſem. Obſidens autē mu
nitam foſsis profundis urbem, in qua Veneris templum eminebat, illic edici uadimonia
in tertium diem iuſsit, uelut illo die in Veneris templo litigantiū cauſas auditurus. Idq́; ut
prædixerat, urbe capta effecit. Idem à quodam in Sicilia rogatus, qua re fretus contra Car
thaginē traiecturus claſſem foret: indicatis illi & armatis tercentū uiris, qui ſe exercebāt,
& alta turri, quæ mari imminebat, Nemo, inquit, horū eſt, qui cùm hanc aſcēderit turrim,
nō ſe inde, ſi iuſſero, præcipitem iaciat. Poſteaq; uerò traiectis copijs & terra potitus eſt,
& hoſtium caſtra combuſsit, Carthaginenſes miſſa legatione pacti ſunt, ſe elephantes na
ueſq; ac pecunias eſſe tradituros. Sed cùm Annibal ex Italia nauibus Carthaginem rediſ-
ſet, cōuentorumq́; Carthaginenſes pœniteret, quòd Annibali cōfiderent, ea re audita Sci
pio dixit, ne uolentibus quidē ipſis ſe fœdera ſeruaturū, niſi talentorū quinq; millia prius
expoſuiſſent, quòd Annibalem accerſiſſent. Poſteaq; uerò Carthaginenſes uicti de pace
& fœderibus legatos ad eum miſerūt, è ueſtigio iuſsit eos qui uenerāt abire, perinde atq;
illos non antè auditurus, quàm L. Terentiū adduxiſſent. Romanus autem erat L. Teren
tius uir probus, qui à Carthaginenſibus fuerat captus. Sed cùm hominē adduxiſſent, & il
lum pro tribunali iuxta ſe in concilio ſedere iuſsit, & Carthaginenſibus auditis bellū diſ-
ſoluit. Terentius autē ipſum triumphantē ſubſecutus eſt pileatus ueluti libertus, ac poſt
illius mortem ijs qui ad efferendum funus cōuenerant, mulſum exhibuit bibendū, aliaq́;
ad ſepulturam pertinentia quādiligentiſsimè procurauit. Sed hæc poſterius. Antiochus
autem rex, poſtquàm Romani aduerſus eum traiecerant, cùm de bello ſoluendo legatos
ad Scipionem miſiſſet: Prius, inquit, oportebat, nō nunc, quando & frænum & ſeſſorem
accepiſti.

A accepiſti. Cùm uerò Senatus decreuiſſet, ut pecunias ex ærario ſumeret: nolentibus illo die Quæſtoribus ærarium aperire, ſe aperturum eſſe dixit: ſiquidem opera ſua claudi, qui tot illud pecunijs repleuiſſet. Pætilius uerò & Quintus tribuni plebis, cùm apud populũ multa in ipſum crimina intuliſſent: Hodie Quirites, inquit, Carthaginenſes & Annibalem uici, eoq́ coronatus in Capitolium aſcendo ſacrificaturus. Quiſquis autem uellet de ſe ferre ſuffragium, iuſsit. Et quum hæc dixiſſet, aſcendit: populusq́ ſubſecutus, accuſatores uerba facientes reliquit.

T. QVINTIVS adeò fuit ſtatim ab initio clarus, ut ante tribunatũ & præturam militum ædilitatemq́, Conſul fuerit deſignatus. Imperator autẽ cõtra Philippum miſſus, ut ſecum in colloquiũ ueniret perſuaſit. Et cùm Philippus obſides poſtularet, quòd diceret ipſum multosq́ alios Romanis eſſe duces, ſe uerò Macedonibus ſolum: Tu nempe, Quintius ait, ſolũ teipſum effeciſti, quippe qui & amicos & cognatos interemiſti. Poſteaq́ Philippum acie uicit, ſe permittere in Iſthmijs edixit, ut Græci legibus quiſq́ ſuis uterent, ac liberi eſſent. Quã quidem ob libertatẽ, quotquot Romanorũ etiam Annibalis temporibus captiui facti apud Græcos ſeruiebant, drachmis quingentis redempti dono ipſi dati ſunt, qui uelut liberti triumphantem illum pileati in urbem ſubſecuti ſunt. Achæos uerò de facienda contra Zacynthiorum inſulam expeditione cogitantes monuit, cauerent ne tanquam teſtudines capite extra Peloponeſum extenſo periclitarentur. Idem Antiocho rege ingentem exercitũ contra Græciam ducente, cùm omnes perterriti forent & propter multitudinẽ, & propter armorũ uarietatem, huiuſmodi Achæis fecit ſermonem: Se enim cùm in Chalcide apud hoſpitem cœnaret, miratum eſſe carnium uarietatem copiamq́ dixit: hoſpitem uerò affirmaſſe illas omnes ſuillas eſſe, cõdimentis & præparationibus differentes. Ne igitur uos quoq́ regium exercitum admiremini, haſtatos & cataphractos, & pedites & equeſtres ſagittarios audientes: iſti omnes Syri ſunt, armis quibuſdam à ſe ſe inuicem differentes. Philopœmeni autem Achæorum duci multos quidem & equites & armatos habenti, ſed pecunijs indigenti, iocabundus dicebat, Philopœmenem & manus & crura habere, ſed uentrem non habere. Et ſanè Philopœmen erã natura talis erat.

B C. DOMITIVS, quem Scipio maior loco ſui Lucio fratri legatũ dedit, in bello aduerſus Antiochum hoſtium aciem conſpicatus, præfectis hortantibus ut è ueſtigio aggrederetur: Hora, inquit, non ſufficit, ut tot hominũ millibus trucidatis, & impedimentis direptis, in caſtra redeuntes corpora curare poſsimus: ſed hoc ipſum cras, inquit, opportunè fiet. Itaq́ poſtridie congreſſus, hoſtium quinquaginta millia cæcidit.

P. LICINIVS Conſul à Perſeo Macedonũ rege equeſtri prælio uictus, milites ad duo millia octingentos amiſit, partim cæſos, partim captos. Sed poſt pugnã cùm Perſeus legatos de fœderibus & pace miſiſſet, uictus uictorem iuſsit ſe ac ſua Romanis cõmittere.

PAVLVS Aemilius ſecundum conſulatũ petens, repulſam tulit. Sed cùm bellum aduerſus Perſeũ & Macedonas, imperatorũ mollitie ac imperitia in longum duceretur, & idcirco ipſum Romani Conſulem deſignaſſent, ſe gratiam illis nullam habere dixit: ſe enim nõ quòd imperio indigeret, ſed quia ipſi imperatore, delectum fuiſſe. Cùm autẽ è foro domũ reueniſſet, Tertiamq́ filiolam lachrymantẽ cõſpicatus cauſam rogaſſet, ac puella reſpondiſſet, Quia nobis Perſeus mortuus eſt (catellus autẽ erat illo nomine, quẽ puella in delitijs habebat) Bona cum fortuna omen accipio filia, inquit. Sed cùm multã in caſtris temeritatẽ loquacitatemq́ deprehendiſſet eorum, qui & imperatoribus adhærent, & earum curioſi rerum ſunt, quæ nihil ad ſe ſpectant, omnes quietem agere, ac ſolùm gladios acuere iuſsit: ſibi nanq́ rerum aliarum curam fore. Nocturnas autẽ excubias ſine lancea atq́ enſe ſeruare iubebat, ut deſperantes ſe ab hoſtibus defendere poſſe, magis aduerſus ſomnum pugnarent. Cùm uerò per montiũ uertices Macedoniã inuaſiſſet, ac inſtructos hoſtes aſpexiſſet, hortante ipſum Naſica ut è ueſtigio aggrederetur: Si quidem tuã, inquit, agerem ætatem: ſed multa me experientia uetat aduerſus inſtructã aciem ex itinere decertare. Perſeo autẽ debellato, cùm ob partam uictoriam cõuiuia exhiberet, dicebat eiuſdem peritiæ eſſe, & terribiliorem hoſtibus exercitũ oſtentare, & conuiuiũ amicis ſuauiſsimũ exhibere. Idem Perſeo ne in triumphum duceretur deprecante: In te, inquit, hoc eſt: perinde ac ſi diceret, in te facultas eſt teipſum perimendi. Cùm autem pecunias in theſauris innumerabiles inueniſſet, ipſe quidem nihil accepit, ſed genero Tuberoni phialam argenteam librarũ quinq́, militiæ præmium dedit. Ac illam aiunt primũ argenteam ſupellectilem in domum Aemiliam intraſſe. Quatuor uerò filios mares quum ſuſtuliſſet, duos quidem antea in adoptionem alijs dederat, è duobus autem qui domi erant, alter qua-

C tuordecim annos natus, quinto ante triumphũ die mortuus eſt: alter quinto poſt trium-
phum, duodecimũ agens annũ. Sed cùm in publicũ prodiſſet, populusq; dolorem ac mœ
rorem præ ſe ferret: Nunc, inquit, de patriæ periculo deſino ſolicitus eſſe, quandò ſucceſ-
ſuum inuidiam, quam in domum meam fortuna euomuit, pro omnibus tulerim.

CATO ſenior cùm apud populũ in prodigalitatẽ & immodicos ſumptus inueheretur:
Quàm difficilè, inquit, eſt uerba facere uẽtri aures nõ habenti. Se uerò mirari dictitabat,
quomodo ſalua eſſe ciuitas poſsit, in qua pluris ꝙ bos piſcis uendatur. Cùm autẽ nimiam
mulierũ potentiã aliquando uituperaret: Omnes, inquit, uiri uxoribus imperãt, nos om-
nibus uiris, nobis uxores. Aiebat quoq; ſe pro beneficio collato malle gratiam nõ accipe
re, ꝙ pro illata iniuria pœnã nõ ſubire: ac ijs omnibus qui peccarent, præterꝙ ſibi, ueniã
dare. Idem magiſtratus incitans in eos qui delinquerent puniendos, dictitabat, eos qui
poſſent, nec propulſarẽt iniuriã, lapidibus eſſe obruendos. Aiebat præterea, ſe iuuenibus
magis delectari qui erubeſcerent, quàm qui palleſcerent. Se quoq; eum militẽ odio habe
re dicebat, qui inter ambulandum manus, ac inter pugnandum pedes moueret, magisq;
ſterteret, ꝙ clamaret. Peſsimũ autẽ imperatorẽ eſſe dictitabat, qui ſibiipſi nõ poſſet impe
rare. Maximè uerò quenq; exiſtimabat oportere ſeipſum uereri: nam neminẽ à ſeipſo un
quam ſeparatũ eſſe. Multorũ autẽ ſtatuas cùm uideret poſitas: Malo, inquit, homines de
me quærere, cur ſtatua nõ eſt poſita Catoni, quàm cur poſita eſt. Idem hortabatur poten-
tes, ut parcerent potentiæ, quò ſemper licentia uti poſſent. Qui autẽ à uirtute honorẽ au-
ferrent, eos aiebat à iuuentute uirtutẽ auferre. Magiſtratũ uerò iudicemq; neq; pro iuſtis
orandum, neq; pro iniuſtis exorandũ eſſe dictitabat. Cæterũ iniuriam aſſerebat, ꝙuis in-
ferentibus nihil periculi afferat, omnib. tamen eſſe periculoſam. Senectuti uerò cùm mul
ta turpia adſint, cenſebat malitiæ turpitudinẽ nõ eſſe addendam. Iraſcentẽ à furioſo tem-
pore ſolũ diſtare ſentiebat. Idem ijs minimè inuideri dicebat, qui fortuna frugaliter mode
ſteq; uterenĩ: neq; enim nobis, uerũ bonis quæ nobis adſunt inuideri. Qui autẽ ridiculis
ſtuderent, eos in ſerijs deridendos uideri aiebat. Pręclara item geſta, præclaris orationib.
indigere, ne gloria defraudarenĩ, cenſebat. Sed ciues increpabat, quòd eoſdem ſemper e-
D ligerent magiſtratus: Videmini ſiquidem, aiebat, aut nõ multi facere magiſtratũ, aut non
multos magiſtratu dignos exiſtimare. Qui uerò maritimos agros uẽdidiſſet, eum ſe admi
rari ſimulabat, uelut mari ualentiorẽ: nam quæ illud uix diluit, hunc ea facilè abſorbuiſſe.
Cenſurã autẽ petens, cùm ſupplicantes multitudini cõpetitores adulantesq; uideret, ipſe
clamabat, populũ indigere & ſeuero medico, & magna purgatione: eoq; nõ ſuauiſsimũ,
ſed inexorabilem eligendũ. Atq; hęc dicens, ante omnes Cenſor fuit deſignatus. Cùm ue
rò iuuenes fortiter pugnare doceret, ſępenumero dicebat, ſermone magis ꝙ enſe, ac uoçe
potius ꝙ manu in fugã uerti hoſtes atq; terreri. Idem bellũ aduerſus eos qui circa Bætim
fluuiũ habitant gerens, cùm in diſcrimen propter hoſtiũ multitudinẽ deductus eſſet, atq;
Celtiberi ducentis talentis opitulari uellent, neq; Romani ſinerent barbaris paciſci mer-
cedem, illos errare dixit: Vincẽtes enim nõ ex ſuis, ſed ex hoſtibus redditures eſſe: uictis
autẽ nec à quibus petanĩ, nec qui petant eſſe futuros. Sed ꝙuis, ut ipſe ait, plures urbes, ꝙ
dies fuerũt quibus inter hoſtes cõmoratus eſt, ceperit, nihil tamẽ ipſe plus ſumpſit, ꝙ quę
ex hoſtili terra & comedit & bibit. Cùm autẽ militũ unicuiq; argenti libram diſtribuiſſet,
melius eſſe dixit multos argentũ habentes, ꝙ paucos aurũ ex militia reuenire. Imperato-
ribus enim nihil aliud cõuenire, ꝙ ex prouincijs gloriam augere. Cęterũ quinq; ſeruos in
militia habebat, quorũ unus tres captiuos emit: quod quidem ut Catonẽ reſciuiſſe cogno
uit, anteꝙ in eius conſpectum ueniret, ſeipſum ſtrangulauit. Rogatus autẽ à Scipione A-
phricano, ut Achæorũ exulibus opem ferret, quò in patriã quiſq; ſuam redirent, nullã il-
lius negocij curam ſibi eſſe ſimulabat, ſed in Senatu cùm multa uerba fierent, aſſurgens:
Perinde ac ſi nihil, inquit, habeamus ꝗd agamus, ſedemus, de Græculis decrepitis quæ-
rentes, utrũ à noſtris, an ab illorũ pollinctoribus efferantur. Poſthumius uerò Labienus
quũ Romanas hiſtorias græcè ſcripſiſſet, ab auditoribusq; ueniam peteret, illudens Cato
dixit: Veniam quidem dandam eſſe, ſi Amphictyonũ decreto coactus græcè ſcripſiſſet.

Malus imperator qui ſibiipſi imperare neſciat.

SCIPIONEM minorẽ ferunt, annis quatuor & quinquaginta quibus uixit, nihil emiſ-
ſe, nihil alienaſſe, nihil ædificaſſe: ac tres & triginta argenti libras & auri duas, ut magnas
diuitias reliquiſſe, cùm præſertim Carthaginis dominus fuiſſet, ac milites maximè impe-
ratorũ omniũ locupletaſſet. Polybij autẽ præceptum obſeruans, non antè è foro deſcen-
dere ſtudebat, quàm ex ijs aliquem, qui quoquo modo occurriſſent, familiarem & amicũ
ſibi feciſſet. Quum uerò iuuenis adhuc eſſet, tanta fuit in exiſtimatione & fortitudinis &

pru-

A & prudentiæ, ut Cato maior de ijs interrogatus qui apud Carthaginem militarent, inter
quos & Scipio erat, dixerit:

Soli ſenſus ineſt, umbris par cætera turba.

Eoq; Romani ipſum ab exercitu in urbem reuocarunt, nequaq; ei gratificantes, ſed per il
lum citò ac facilè ſe Carthaginem capturos eſſe ſperantes. Cæterũ poſteaq; intra murum
penetrauit, cùm Carthaginenſes ex arce repugnarent, Polybiuſq; ipſi cõſuleret, ut in ma-
re, quod in medio erat nõ ualde profundũ, aut murices ferreos ſpargeret, aut tabulas cla-
uis præfixas inijceret, ne tranſeuntes hoſtes pro aggeribus pugnarent, ridiculũ eſſe dixit,
cùm iam muros cepiſſent, ac intra urbem eſſent, quærere ne cũ hoſtibus pugnẽt. Cùm ue
rò inueniſſet urbem & ſtatuis Græcis, & deorum donarijs ex Sicilia aſportatis refertam,
edixit, ut quiſquis ex ciuitatibus adeſſet, ſua agnoſceret, ac reportaret. Sed ex præda neq;
ſeruum neq; libertum ſumere quicquã permiſit, ac ne emere quidem, cùm omnes diripe-
rent atq; prædarẽtur. Idem C. Lælio ſodalium amiciſsimo Conſulatũ petenti ſuffragans,
Pompeium interrogauit, an & ipſe Conſulatum peteret. Pompeius autem tibicinis filius
putabatur. Is igitur cùm ſe petere negaſſet, ac pollicitus eſſet ſe Lælium deducturum, &
pro illo ambiturum, crediderunt quidem, ſed illum expectantes decepti ſunt: nam ipſe in
foro ambire, ac ciues prehenſare nunciatus eſt. Quam quidem rem alijs ægrè ferentibus,
Scipio ridens: Stultitia, inquit, noſtra tanq; nõ homines, ſed deos ſimus precaturi, iandiu
tempus terimus, tibicinem expectantes. Appio autẽ Claudio ipſius in Cenſura cõpetito
re iactante, Romanos omnes à ſe nominatim ſalutari, quos ferè Scipio ignoraret: Vera
narras, inquit: nã mihi nõ ut multos noſſem, ſed ut à nullo ignorarer, curæ fuit. Iubebatq;
ciues, à quibus utriq; ad exercitũ miſsi fuerãt, uel legatos uel tribunos militũ utriuſq; uir-
tutis teſtes ac iudices eos ſumere, qui bello illi interfuiſſent, quod cum Celtiberis gere-
bant. Sed Cenſor declaratus iuuenem quendam equo priuauit, quòd ſumptuoſe cœnans
quo tempore Carthago oppugnabatur, placentam ex melle in urbis ſimilitudinẽ compa
ctam, Carthaginemq; appellatã, propoſuiſſet conuiuis diripiendam. Ac rogante cauſam
iuuene propter quam equo priuatus fuiſſet: Quia me prior, inquit, Carthaginem diripui
B ſti. C. autẽ Liciniũ cùm prætereuntẽ uidiſſet, Iſtum, inquit, hominẽ ego peieraſſe ſcio: ſed
cùm illum nemo accuſet, nõ poſſum ipſe & accuſator eſſe & iudex. A ſenatu uerò tertium
emiſſus gentium ac regum ſpeculator, & ut Clitomachus canit, inſpecturus

Queis urbes hominesq; animis, qua lege tenentur:

cùm Alexandriam ueniſſet, nauiq; egreſſus capite penula tecto procederet, Alexandrini
undiq; concurrentes ipſum rogabant, ut & caput detegeret, & ſibi exoptantibus faciẽ ex
hiberet. Quod quidem cùm facilè impetraſſent, illũ clamore ac plauſu proſecuti ſunt. Sed
rege uix cum alijs propter deſidiam & corporis mollitiẽ incedente, Scipio uoce ſummiſ-
ſa murmurans ad Panætium inquit: Iam Alexandrini aliquid uoluptatis fructuſq; ex no-
ſtra peregrinatione perceperunt: noſtra nanq; cauſa regem ſuum ambulantem uiderunt.
Comitabantur autem ipſum amicus quidem unus Panætius philoſophus, & ſerui quin-
que, quorũ uno in peregrina terra defuncto, alium ne emeret, Roma accerſiuit. Numan-
tini uerò quum inexpugnabiles uiderentur, multoſq; Romanorũ imperatores uiciſſent,
Conſulem ad id bellum Scipionem populus iterum declarauit. Sed quũ in militiam mul
ti certatim irent, ſenatus non id ſolùm prohibuit, quòd Italia tanq; deſerta futura eſſet, ſed
etiam pecunias ex præparatis ſumere non permiſit. Cæterũ uectigales prouentus, quorũ
nondum tempus aderat, aſsignauit. Ac Scipio quidem pecunijs ſe non indigere dixit:
ſuas enim ipſius & amicorũ ſatis eſſe futuras: ſed de militibus incuſauit: difficile nanq; bel
lum eſſe. Nam ſi propter hoſtium fortitudinem toties uicti ſunt, quoniam aduerſus tales
pugnandum eſt. Sin propter ciuium ignauiam, quoniã cum talibus mittatur. Poſteaq; au
tem in caſtra uenit, multamq; & proteruitatẽ, & licentiam, & ſuperſtitionẽ, & delitias de-
prehendit, uates quidem & ariolos, & lixas, & lenones ſtatim eiecit, ac uaſa omnia, præ-
ter ollam & uericulum, & calicem fictilem, amandari iuſsit. Argenteũ quoq; poculũ non
maius duabus libris habere uolentibus permiſit. Lauari autem prohibuit, necnon unum
quenq; eorum qui ſe ungerent, ipſum ſe fricare iuſsit. Nam iumenta manus non habentia
alio fricante indigere. Vt ſtantes quoq; incoctũ opſoniũ pranderent edixit, ſed diſcum-
bentes panẽ uel pultẽ, & carnẽ toſtam aut elixatã cœnarent. Verũ ipſe nigro circundatus
ſago circũibat, lugere ſe turpitudinẽ exercitus dicens. Cùm autẽ Memmij cuiuſdã tribuni
militũ iumenta pelues ad refrigerandum ex lapide factas & patinas Thericlias portantia
deprehendiſſet: Mihi quidem, inquit, & patriæ dies triginta, ſed tibi per totam uitam

C quum talis ſis, teipſum inutilem reddidiſti. Alter uerò quidam cùm ſcutum pulcherrimè ornatum oſtentaret: Scutum quidem, ô adoleſcens, inquit, pulchrū, ſed Romanū uirum decet magis in dextra ſpem habere, ꝗ in ſiniſtra. Sublato autē in humeros uallo, cùm quidam ſe ualde illo premi diceret: Meritò, inquit: huic enim ligno magis, quàm gladio fidis. Cæterū deſperationē hoſtium uidens, dicebat ſe tempore ſecuritatē emere: nam bonum imperatorem ut medicum, ultima uti per ferrum curatione. Sed tamen Numantinos opportunè inuadens in fugam uertit. Quorū ſeniores quidem cùm ſuos uictos uituperarēt, quia quos toties fugaſſent, eos tum fugiſſent, quendam ex Numantinis iuuenibus dixiſſe ferunt: Pecora quidem & etiamnū eadem ſunt, ſed mutatus eſt paſtor. Poſteaq; uerò capta Numantia, iterū triumphauit, in contentionē cum C. Graccho pro ſenatu & ſocijs uenit: cumq; plebs dolore affecta ipſum pro roſtris tumultu terreret: Me caſtrorum, inquit, uociferatio nunquam perturbauit, nedum colluuiei hominū, quibus nō matrem Italiam eſſe ſcio, ſed nouercam. Cùm autem ij qui circa Gracchum erant, clamarent tyrannum eſſe interficiendū: Meritò patriæ oppugnatores, inquit, me antè uolunt interficere: neq; enim uiuo Scipione Romā cadere poſſe putant: neq; ſi Roma ceciderit, uicturū Scipionē.

CAECILIVS Metellus munito loco exercitū admouere uolens, cùm centurio dixiſſet, ſi ſolos decem uiros perdiderit, locum eſſe capturū: interrogauit eum, an unus ex decem illis eſſe uellet. Quodam autē ex iunioribus tribunis militum percontante, quid acturus eſſet: Si hanc, inquit, tuniculam mihi conſciā eſſe putarem, ipſam exutus in ignem inijcerem. Sed uiuenti Scipioni inimicus, mortuū ægrè tulit, filiosq; ſubire feretrum ac geſtare iuſsit. Se quoq; dijs gratiam habere pro ſalute urbis Romæ dixit, quoniam Scipio apud alios non fuerat natus.

C. MARIVS ex humili genere cùm ad rempub. acceſsiſſet, ob præclara militiæ geſta ædilitatem maiorem petijt. Sed cùm ſenſiſſet ſe præteriri, eodem die minorem ambijt. Et quamuis in illa quoq; repulſam tulerit, nō tamen ſe Romanorū principē fore deſperàuit. Varices autē cùm in utroq; haberet crure, ſolutus præbuit medico excidendos, ac neq; gemitu emiſſo, neq; cōtractis ſupercilijs ſectionē tolerauit. Sed medico ad crus alterū tranſ-

D eunte, noluit, quòd diceret illo dolore dignā non eſſe curationē. Cùm uerò Lucius ſororis ipſius filius quo tēpore ſecundum cōſulatū gerebat, cuidam militi, nomine Trebonio, uim attuliſſet, isq; illum occidiſſet, ac multis accuſantibus non negaſſet ſe tribunum militum interfeciſſe, cauſamq; expoſuiſſet atq; comprobaſſet, coronam quę ob fortiter facta datur, ad ſe ferri Marius iuſsit, illaq; Trebonium coronauit. Idem prope Teutonas caſtrametatus in loco parum aquæ habenti, cùm milites dicerent ſe ſitire, indicato illis flumine iuxta uallum hoſtium labente, Illinc uobis eſt, inquit, potus ſanguine emendus. Ipſi uerò uti ſe adduceret orabant, donec ſibi humidus ſanguis, nequedū propter ſitim coagulatus foret. Cimbricis autē bellis cùm mille ex Camertibus uiros fortes ſecūdum nullam legem ciues Romanos effeciſſet, aduerſus accuſantes dicebat, ſe legem inter armorū ſtrepitum non exaudiſſe. Verùm ciuili bello foſſa circundatus & obſeſſus, tolerabat ęquo animo, expectans occaſionē. Sed cùm Pompeius Silo ipſi dixiſſet: Si magnus es imperator, ô Mari, deſcēde in certamē: Tu igiť, inquit, ſi magnus es imperator, coge me uel inuitū decertare.

CATVLVS Luctatius bello Cimbrico apud Atheſim fluuium caſtrametatus, cùm Romani milites, quoniā barbaros tranſire conantes uidebant, retrocedentes contineri non poſſent, ad primos eorum qui fugiebant cucurrit, ut non hoſtes fugere, ſed imperatorem ſequi uiderentur.

SYLLA cognomento Felix, maximas ſuarum felicitatū duas exiſtimabat, & Pij Metelli amicitiam, & quòd Athenas non euertiſſet, ſed urbi peperciſſet.

C. POPILIVS ad Antiochum Syriæ regem à ſenatu miſſus eſt, epiſtolam ferens, qua iubebatur & ex Aegypto exercitum abducere, neq; filiorū Ptolemei pupillorum regnum occupare. Accedentem uerò ipſum per caſtra, cùm ex longinquo Antiochus benignè ſalutaſſet, ipſe nec regem reſalutauit, & literas illi reddidit. Quibus lectis cùm rex ſe conſultaturum & reſponſurum dixiſſet, circulum illi uirga circunduxit Popilius, ac dixit: Hîc igitur ſtans conſulta, & reſponde. Cunctis autem uiri grauitatem animiq; elationem admirantibus, Antiochoq; facturum ſe conſentiente quæ Romanis uiderentur, Popilius tunc ipſum & ſalutauit & amplexus eſt.

LVCVLLVS in Armenia cum decem millibus peditum & mille equitibus aduerſus Tigranem, centum & quinquaginta millia hominum in exercitu habentem, pridie nonas Octobres properabat, quo die Scipionis copiæ à Cimbris antea fuerant deletæ. Quare

cùm

A quum quidam dixiſſet, diem illum Romanis nefaſtum eſſe, ac religioſum: Ergo, inquit, hodie promptè fortiterꝗ pugnemus, ut hunc quoque diem ex nefaſto & triſti, hilarem & iucundum Romanis faciamus. Sed militibus Romanis cataphractos maximè timentibus, bono illos animo eſſe iuſsit: plus enim laboris in illis ſpoliandis, quàm debellandis futurum. Cùm uerò primus in montem aſcendiſſet, motumꝗ barbarorum inſpexiſſet, exclamauit: Vicimus ô cōmilitones. Ac nullo ſubſiſtente perſequens, Romanorū quidem ſolùm quinꝗ interemptos amiſit, ſed hoſtium ſupra centum millia cæcîdit.

MAGNVS Pompeius à Romanis tantopere fuit amatus, quanto pater odio habitus eſt. Is cùm iuuenis eſſet, Syllæ factioni ſeſe penitus addixit: & cùm neꝗ imperator, neꝗ ſenator eſſet, magnum ex Italia exercitū collegit. Cumꝗ à Sylla acceríeretur, nō ſine ſpolijs, inquit, nec abſꝗ ſanguine, imperatori copias oſtētabo. Neꝗ prius iuit, quàm multis prælijs duces hoſtium ſuperaſſet. Poſteaꝙ autē in Siciliam à Sylla miſſus, accepit in uijs milites uiolare ac rapere, uagantes quidem fruſtra & circumcurrentes caſtigauit: qui uerò à ſe præmittebant, eorum gladijs anulorū ſigna impreſsit. Idem Mamertinos, qui aduerſæ factionis erant, uniuerſos occidere decreuerat. Sed quum Sthenius populi princeps ipſum non iuſta agere dixiſſet, qui pro unius culpa multos inſontes puniret, atꝗ ſe eum eſſe, qui & amicos perſuaſiſſet, & inimicos Marij partes ſequi coëgiſſet, Pompeius uiri fortitudinē admiratus, ſe Mamertinis ueniam dare dixit, ab eo uiro perſuaſis, qui patriam ſuæ ipſius animæ præponeret: ſicꝗ & ciuitatē & Stheniū ſeruauit. Cùm uerò in Libyam aduerſus Domitium traieciſſet, ac magna pugna uiciſſet, ſalutantibus ſe imperatorem militibus, dixit, ſe honorē illum nō admiſſurū, donec hoſtiū uallum ſtaret. Tunc milites quāuis magna pluuia detinente, impetū fecerunt, & caſtra diripuerunt. Ac redeuntē quidem ipſum & alijs honoribus Sylla iucundè excepit, & Magnū ipſe primus appellauit, ſed triumphare uolentem nō permiſit, quòd nondum ſenator eſſet. Cùm uerò Pompeius ad eos qui aderant dixiſſet, Syllam ignorare, plures orientem ſolem quàm occidentem adorare, tum Sylla exclamauit, Triumphet. Cæterū Seruilius uir ſenatorius ægrè ferebat, multiꝗ militū triumpho reſiſtebāt, munera quędā repoſcentes. Quibus cùm Pom-
B peius dixiſſet, ſe potius triumphum eſſe dimiſſurū, quàm illis adulaturū: Nunc uerè, Seruilius inquit, & Magnum & dignum triumpho Pompeium cenſeo. Cùm autem Romæ conſuetudo foret, ut equites quandocunꝗ militaria munera legitimo tempore obiſſent, equum in forum ducerent ad duos uiros quos Cenſores uocant, enumeratiſꝗ expeditionibus ac imperatoribus ſub quibus militaſſent, cōgruas uel laudes uel uituperationes acciperent, Conſulem gerens Pompeius, ad Cenſores Gellium & Lentulum ipſe equū deduxit. Quibus quidem, ut mos eſt, percōtantibus, an omnia ſtipendia feciſſet: omnia, inquit, ſub meipſo imperatore. Sertorij autē literis in Hiſpania potitus, inter quas multorū ducū erant epiſtolæ, quibus ad res innouandas mutandamꝗ rempub. Sertoriū Romā uocabant, omnes combuſsit, ut permitteret malos & pœnitere, & fieri meliores. Poſteaquā uerò Phraates rex Parthorū miſit ad eum rogans, ut Euphrate fluuio termino uteretur: Imò uerò iuſtitia, inquit, Romani erga Parthos termino potius utantur. L. autē Lucullus militia functus, cùm ſeſe uoluptatibus dediſſet, ſumptuoſeꝗ ac delicatè uiueret, atꝗ Pompeium uituperaret, quòd præter ætatē multa gerere affectaret: Magis eſt præter ætatē, inquit Pompeius, ſenē delitijs indulgere, ꝙ cum imperio eſſe. Sed cùm ægrotaret, turdum quidem ſumere medicus iuſſerat: qui cùm ab ijs qui quærebāt nō inueniret, quòd eo iam tempore aues illæ auolaſſent, quidamꝗ dixiſſet, apud Lucullum inuentū iri, qui illos per totū aleret annū: Ergo niſi Lucullus delicatus eſſet, inquit, Pompeius nō uiueret? Ac medico ualere iuſſo, quiddam inuētu facilè ſumpſit. Cùm uerò magna annonæ penuria Roma laboraret, uerbo quidem fori curator declaratus, ſed re ipſa terræ mariſꝗ dominus, in Libyam, Sardiniam, & Siciliam nauigauit. Vbi cùm magnam frumenti uim cōgregaſſet, Romamꝗ redire feſtinaret, ac magna tempeſtate orta gubernatores morarentur, primus nauem ingreſſus ancoram tolli iuſsit, clamans: Nauigare neceſſe eſt, uiuere nō eſt neceſſe. Detecta autem aduerſus Cæſarem diſcordia, ac Marcellino quodam ex ijs qui à Pompeio prouecti uidebantur ad Cæſarem inclinato, & cōtra Pompeium ipſum in ſenatu dicente: Non pudet Marcelline, inquit, male mihi dicere, per quem è muto eloquens, è famelico uomens factus es? Ad Catonem uerò, à quo acerbè taxabatur, quòd cùm ipſe ſæpius prædixiſſet, potentiam Cæſaris & incrementū nequaꝙ è repub. eſſe, Pompeius uerò illum cōtrà iuuiſſet: Tua, inquit, uerba diuinationē magis ſapiūt, ſed mea ſunt amiciora. De ſeipſo autē liberè loquens dictitabat, ſe omne imperium & accepiſſe citius quàm

C expectarit,& citius depoſuiſſe quàm fuerit expectatus. Cæterũ poſt Pharſalicã pugnam
fugiens in Aegyptum, cùm è trireme foret egreſſurus in piſcatorium nauigiũ à rege miſ-
ſum, ad uxorem & filium conuerſus, nihil aliud quàm hanc Sophoclis ſententiam dixit:
Quiſquis ad tyrannũ uadit,illius eſt ſeruus, quamuis liber uenerit. Sed cùm in nauigium
tranſiiſſet, enſe percuſſus, gemitu ſemel emiſſo,ac nihil locutus,ſeipſum tegens cecidit.

CICERO orator, cùm iocis & cauillationibus nomen ipſius pateret,amicíq; ſuaderent
ut illud deponeret,dixit ſe effecturũ Ciceronem & Catonibus,& Catulis,& Scauris cla-
riorem. Ac poculum argenteum dijs dicaturus,prima quidem nomina literis notauit,ſed
Ciceronis loco cicer inſculpſit. Qui autem oratores ualde clamarent, eos propter infirmi
tatem,in clamorẽ,ut claudi in equum, aſcendere dictitabat. Idem cùm Verres filium ha-
bens,qui in adoleſcentia corpore abutebatur,in Ciceronẽ ut mollem conuicia ingereret,
cinædumq́; uocaret: Ignoras,inquit, liberos intra fores increpandos eſſe. Cùm uerò Me-
tellus Nepos in ipſum dixiſſet,plures teſtimonio peremiſti, ꝙ patrocinio ſeruaſti: Nem-
pe mihi,inquit,plus eſt fidei,quàm eloquẽtiæ. Interrogante præterea Metello, quis ei pa
ter eſſet: Hoc,inquit,reſponſum mater tua difficilius effecit. Nam Metelli mater impudi-
ca habebat̃,Metellusq́; ipſe & leuis & inconſtans,& libidini deditus erat. Is uerò cùm la-
pideum coruum Diodoti rhetoris uita functi ſepulchro inſculpi curaſſet: Iuſta,inquit,re-
tributio facta eſt: iſtum enim uolare,nõ orare docuit. Idem Vatinium ſibi inimicũ,& alio-
qui perditiſsimum hominem. cùm periſſe,ac paulò pòſt uiuere audiſſet: Male,inquit,pe-
reat,qui male mentitus eſt. In eum uerò qui cùm Libs genere eſſe uideretur, diceret ſe nõ
audire ipſum orantem: Atqui aures,inquit,imperforatas non habes. Caium autem Pom
pilium,qui Iuris peritus haberi uolebat, cùm eſſet imperitus ac ingenio tardus,ad cauſam
quandam teſtem aduocauit,qui cùm dixiſſet ſe nihil ſcire, Nimirum,inquit,te de iure for
ſitan putas interrogari. Cùm uerò Hortenſius orator argenteam Sphingem à Verre mer-
cedem accepiſſet,ac in Ciceronem obliquè neſcio quid elocutum dixiſſet,ſe ænigmatum
ſoluendorum imperitum eſſe: Atqui Sphinx,inquit,penes te eſt. Voconio autẽ cum tri-
bus filiabus perquàm deformi facie obuiam factus, ſubmiſſa uoce ad amicos: Hic, in-
D quit, Phœbo non permittente liberos ſeminauit. Idem quum Fauſtus Syllæ filius ſu-
pellectilem propter æris alieni magnitudinem proſcripſiſſet: Hanc, inquit, magis amo,
quàm patris eius proſcriptionẽ. Sed Pompeio & Cæſare diſsidentib. Quem fugiã,inquit,
noui,ad quẽ fugiam nõ noui. Ac Pompeiũ quidẽ accuſabat, quòd urbẽ deſeruiſſet, The-
miſtoclem magis ꝙ Periclem imitatus, cùm res illis minimè, ſed his ſimiles forent. Cùm
igitur ad Pompeiũ ueniſſet, ac rurſus pœniteret, ab illo interrogatus, ubinam Piſonẽ ge-
nerum reliquiſſet: Apud tuum ſocerũ, reſpondit. Sed cùm quidam à Cæſare ad Pompeiũ
transfugiſſet, diceretq́; ſe propter celeritatẽ ac promptitudinẽ equum reliquiſſe, melius
equo conſuluiſſe dixit. Nunciante autẽ quodam Cæſaris amicos triſtes eſſe: Ais, inquit,
ipſos Cæſari maleuolos eſſe. Poſt pugnã uerò Pharſalicã cùm Pompeius quidem iam fu-
giſſet, Nonio quodam dicente, adhuc aquilas ſeptem apud ſe eſſe, ac idcirco bono eſſe a-
nimo hortante: Bene,inquit,moneres,ſi cum graculis bellũ nobis foret. Sed poſteaꝙ Cę
ſar uictoria potitus, deiectas Pompeij ſtatuas honorificè reſtitueret, loquens de illo Cice
ro dixit, Cæſarẽ in erigẽdis Pompeij ſtatuis ſuas firmare. Bene autẽ dicere tanti faciebat,
atq; in id tantopere intentus erat, ut die ad cauſam apud Centũuiros agendam cõſtituto,
Erotem ſeruum, qui nunciarat in poſterũ diem iudiciũ fuiſſe dilatum, libertate donarit.

C. IVLIVS Cæſar, cùm Syllã fugeret adhuc adoleſcens, in prædones incidit, qui cùm
pecuniæ petitæ ſummã audiſſet, ipſos irriſit, uelut ignorantes quẽ tenerent, ſeq́; duplum
daturum pactus eſt. Itaq; aſſeruatus donec pecuniæ colligerent, ne ſibi dormienti obſtre-
perent, utq; ſilerent imperabat, quasq́; orationes atq; poëmata ſcripſiſſet, ipſis legebat, &
qui ea minus laudaſſent, fatuos barbarosq́; uocitabat, ac per iocum ridens ſe illos ſuſpen-
ſurum minabat̃: id quod etiã paulò pòſt effecit. Nam pecunijs allatis liberatus, collectis
ex Aſia uiris, & claſſe deducta, prædones ipſos & cepit & ſuſpendit. Romæ uerò quum
Pontificatum peteret, ac competitorem Q. Catulum, Romanorum facilè principem, ha-
beret, à matre oſculatus, & ad ianuã deductus: Hodie,inquit,mater filium uel Pontificẽ,
uel exulem habebis. Idem Pompeiam quidem uxorem, quæ à Clodio adulterata ferebat̃,
repudiauit: ſed poſtea Clodio propter id accuſato citatus teſtis, nihil mali de uxore dixit.
Verũ accuſatore interrogante, cur ergo illam dimiſiſti? quia Cæſaris uxorem, inquit, etiã
à calumnia puram eſſe oportet. Alexandri uerò titulis apud Gades lectis illachrymauit,
& ad amicos: Is,inquit, cùm ætate hac eſſet, Darium ſuperauit: at mihi in hunc uſq; diem

gestum

A geſtum eſt nihil. Caſtellum autē ſterile in Alpibus prætergrediens, amicis dubitantibus
an & illic de principatu cōtentiones æmulationesꝗ eſſent, cùm cogitabundus reſtitiſſet:
Mallem, inquit, hîc eſſe primus, quàm Romæ ſecūdus. Cæterū ex audacibus facinoribus
periculoſa & magna aggredienda eſſe dicebat, ſed citra conſultationē. Ac Rubiconē qui
dem fluuium ex Gallia prouincia aduerſus Pompeium tranſgreſſus: Omnis, inquit, iacta
eſt alea. Sed poſteaꝗ Pompeius Roma profugit ad mare, Metello ærarij præfecto ipſum
pecunias ſumere uolentē ærario clauſo impedienti, mortem minatus eſt. Quare Metello
perterrito: O adoleſcens, inquit, difficilius id mihi dictu quàm factu erat. Cùm uerò mili-
tes Brunduſio ad eum Dyrrhachium ſerius adueherentur, clam omnibus in paruū naui-
gium ingreſſus, pelagus tranſire conatus eſt. Sed fluctuante nauigio quū ſe gubernatori
aperuiſſet, clamauit: Confide fortunæ, ſciens abs te Cæſarem uehi. Tunc igitur & ualida
tempeſtate prohibitus, & à militibus cōcurrentibus, ac ęgrè ferentibus quòd aliâs copias
expectaret, quaſi ipſis diffideret, fuit diſſuaſus. Poſteaꝗ uerò Pompeius cōmiſſa pugna
ſuperior nō eſt uictoria uſus, ſed in caſtra receſſit: Hodie, inquit, uictoria penes hoſtes e-
rat, ſi peritū uincendi haberent imperatorē. Idem cùm apud Pharſalum Pompeius inſtru
ctam aciem ſtare, hoſtesꝗ expectare iuſsiſſet, illum erraſſe aiebat, quòd militū ex incurſu
cum quodam animi furore incitationē & impetum diſſoluiſſet. Poſteaꝗ uerò Ponticum
Pharnacē primo impetu uicit, ad amicos ſcripſit: Veni, uidi, uici. Poſt fugam autē eorum
qui in Libya cum Scipione erant factā, cùm ſeipſum Vticæ Cato peremiſſet: Inuideo, ait,
mortem tibi Cato: nam & tu mihi tuam ſalutem inuidiſti. Sed cùm quidam ipſum horta-
rentur, ut ſibi ab Antonio Dolabellaꝗ caueret: Non hos, dixit, pingues & unctos timen
dos eſſe, uerùm illos pallidos & macilentos, Brutum & Caſsium indicans. Sermone autē
inter cœnandum orto de morte, quænam ſit optima, inexpectatam prætulit.

CAESAR qui primus Auguſtus fuit cognominatus, cùm adhuc adoleſcens foret, ab An
tonio duo millia ſeſtertiûm & quingenta, quæ ex primi Cæſaris interfecti domo ad ſe An
tonius ipſe tranſtulerat, repetijt, uolens id reddere Romanis, quod illis à Cæſare fuerat le
gatū, ſeſtertios cuiꝗ tricenos. Sed cùm Antonius pecunias retineret, ipſumꝗ ab illis re-
B petendis, ſi prudens eſſet, deterreret, paterna bona proſcripſit & uendidit. Ac dono reddi
to, ut ſibi ciuiū beneuolentiam conciliauit, ſic in illum odium concitauit. Cùm autē Rhy-
metales, rex Thracum, qui ab Antonio ad ipſum transfugerat, in cōuiuijs diſſolutus eſſet
ac moleſtus, ſocietatē exprobrans, cuidam aliorū regū propinās Cæſar: Ego, inquit, pro-
ditionē quidem amo, ſed proditores nō laudo. Alexandrinis uerò poſt captiuitatē extre
ma ſe paſſuros expectantibus, poſteaꝗ cum Ario Alexandrino ſuggeſtū aſcendit, urbi ſe
parcere dixit, primū quidem propter eius & magnitudinē & pulchritudinē, deinde pro-
pter conditorem Alexandrum, tertiò propter Arium amicū. Idem cùm audiſſet Erotem
qui res Aegypti curabat, emiſſe coturnicem, omnes alias pugnandò ſuperantem atꝗ in-
uictam, & comediſſe aſſatam, eum ad ſe accerſiuit, ac iudicio conſtituto confeſſum, malo
nauis affigi iuſsit. In Sicilia uerò Arium pro Theodoro conſtituit gubernatorē. Sed cùm
ipſi quidam libellum dediſſet, in quo ſcriptū erat: Caluus Theodorus Tarſenſis fur erat,
quid tibi uidetur? Lecto illo Cæſar ſubſcripſit, Videtur. Idem à Mecœnate cōuictore ſuo
per ſingulos annos ſuo natali die phialam donum accipiebat. Cæterū Athenodoro phi-
loſopho propter ſenectutem ſe domū dimitti precanti conceſſit. Cùm igitur ſalutato ipſo
dixiſſet Athenodorus: Cùm iratus fueris Cæſar, nihil neꝗ dixeris, neꝗ feceris, priuſquā
quatuor & uiginti literas tecum ipſe percurreris: illo manu apprehenſo, Adhuc, inquit,
mihi te præſente opus eſt: ac ipſum per totum detinuit annum, aſſerens etiam taciturnita-
tis præmiū ſine periculo eſſe. Cùm uerò Alexandrū audiſſet, maxima terrarū parte ſuba-
cta addubitaſſe, quidnam per reliquū uitæ tempus facturus eſſet: demiratus eſt, quòd nō
maius opus Alexander exiſtimaſſet, partum gubernare imperium, quàm magnū acquiſi
uiſſe. De adulteris autem cùm legem tuliſſet, in qua præfinitū erat, quo pacto rei iudican
di, & condemnati forent puniendi, ac poſtea lapſus ira adoleſcentem propter Iuliam filiā
ſuā calumniatū manibus ipſe uerberaret, ac ille clamaſſet, Legē tuliſti Cæſar, adeò ipſum
pœnituit, ut illo die cœnam recuſarit. Caium uerò ſororis filium in Armeniam mittens, à
dijs ipſi precibus petebat Pompeij beneuolentiā, Alexandri audaciam, ſuam ipſius fortu
nam. Idem Romanis dictitabat, ſe eum imperij ſucceſſorē relicturū, qui nunꝗ eadem de
re bis conſultaſſet, Tiberiū uidilicet ſignificans. Tumultuantes uerò iuuenes qui in magi
ſtratu erant, cùm reprimere uellet, neꝗ illi attenderent, ſed tumultuarent: Audite, inquit,
iuuenes ſenem, quem iuuenem ſenes audiebant. Dum autē Athenarū populus quiddam

C uideretur deliquiſſe, ex Aegina ſcripſit, putare ſe ſuam illos iram non latêre: neq; enim in
Aegina ſe eſſe hyematurum. Aliud uerò nihil aduerſus eos neq; dixit neq; fecit. Sed cùm
unus ex Euryclis accuſatoribus immodeſtè & ad ſatietatem dicendi licentia uteretur, ac
prouectus tale quid dixiſſet: Si iſta tibi Cæſar magna nō uidentur, iube iſtum reddere mi
hi ſeptimū Thucydidis uolumen: indignatus illum abduci iuſsit. Sed cùm accepiſſet eum
ex Braſidæ poſteris reliquum eſſe, accerſiuit, & modeſtè caſtigatum dimiſit. Idem cùm Pi
ſo ædes à fundamentis ad culmen uſq; eleganter fabreq; ſtruxiſſet: Bono, inquit, animo
me facis Piſo, qui perinde ædificas, atq; ſi Roma æterna ſit futura.

Plutarchi apophthegmata Laconica.

RAPHAELE REGIO INTERPRETE.

AGASICLES rex Lacedæmoniorum, admirante quodam, quòd cùm
magna diſcendi audiendiq; teneretur cupiditate, Philophane rheto-
rices doctore non uteretur: Eorum, inquit, me diſcipulum eſſe opor-
tet, quorum etiam ſum filius. Ad eum uerò qui rogarat, quo modo
quis abſq; ſatellitibus tutò regnare poſſet; Si ſuis, inquit, populis ita
imperarit, ut parentes filijs.

AGESILAVS ille magnus cùm eſſet aliquando conuiuij princeps
ſorte ductus, à uini diſpenſatore rogatus, quantum uini cuiq; daret: Si multum, inquit,
paratum eſt, quantum quiſq; petierit; ſin parum, ex æquo omnibus impertito. Cùm ue-
rò maleficus quidam tormenta perquàm patienter toleraret: Quantam, inquit, homo
ſceleſtus ad res flagitioſas & turpes tolerantiam affert? Quodam autem laudante orato-
rem quòd parua amplificaret: Ego uerò ne ſutorem quidem, ait, puto bonum, qui ma-
gnos exiguo pedi calceos inducit. Idem quum quidam ei aliquando dixiſſet, Promiſiſti,
D ac ſæpius idem repeteret: Per Iouem, inquit, ſi quidem iuſtum eſt: ſin minus, dixi qui-
dem, ſed non promiſi. Ac illo ſubijciente: Atqui oportet reges præſtare quicquid uel ca
pite annuerint: Non magis, inquit, quàm eos qui ad reges accedunt, petere decet iuſta
& dicere, captantes & opportunitatem, & quicquid regibus cōmodum eſt. Cùm autem
aliquos laudantes uituperantéſue audiebat, non minus eorum qui dicerent, quàm de
quibus diceretur, mores ſpectandos eſſe aiebat. Sed quum puer adhuc eſſet, ac in gym-
nicorum ludorum celebratione in loco minus honeſto à chori magiſtro collocaretur, ob
temperauit quidem, licet iam rex foret declaratus, ac dixit, Euge: demonſtrabo etenim,
non locis uiros, ſed uiris loca effici honorata. Quodam autem medico difficiliorem ei cu-
rationem, ac minimè ſimplicem imperante: Per gemellos, inquit, non omnino mihi ui-
uere datum eſt, ne ſi omnia quidem ſumam. Altari uerò Mineruæ, ab ærea æde cogno-
mento Chalciœcæ, quodam die adſtans bouem immolaturus, quum à pediculo morde-
retur, non auerſus eſt quidem, ſed illum palàm captum omnium in conſpectu necauit,
ac dixit: Per deos lubenter uel in ara inſidiatorem. Idem quum uidiſſet murem à puero
trahi de feneſtra, & conuerſum detinentis pueri manum momordiſſe ac fugiſſe, ijs qui
aderant re oſtenſa: Quando minimum, inquit, animal ſe iniuria afficientes ſic ulciſcitur,
quid uiris faciendum ſit conſiderate. Volens autem bellum aduerſus regem Perſarum
mouere, quò Græcos Aſiam incolentes in libertatem uindicaret, Iouis Dodonæi oracu-
lum conſuluit: quod quum educendum eſſe exercitum reſpondiſſet, Ephoris oraculum
retulit. Ipſi uerò iuſſerunt eum Delphos proficiſci, ac ijſdem de rebus ſortes conſulere.
Profectus igitur ſic oraculum rogauit: Apollo, uidentur'ne tibi quæ & patri? Eo autem
annuente, electus ipſe imperator exercitum eduxit. Quum uerò Tiſſaphernes principiò
quidem territus cum Ageſilao fœdera percuſsiſſet, Græcas ipſi liberas ciuitates ſe eſſe di
miſſurum pollicitus, deinde quammaximo exercitu à rege accerſito bellum ei indixiſſet
niſi Aſia decederet, libenter fœderum tranſgreſsionem accepit, mouitq; caſtra, exerci-
tum in Cariam ducturus. Sed quum Tiſſaphernes illic copias congregaret, inde ſoluens
in Phrygiam impetum fecit, ac pluribus urbibus captis, multaq; pecunia parta, dixit ami
Hoſtes fallere honeſtum. cis: Fœdera quidem iniuſtè frangere impium eſt, ſed hoſtes fallere non iuſtum eſt modò
& honeſtum, uerùm iucundum quoque ac lucroſum. Cæterùm equitatu inferior, Ephe-
ſum reuerſus opulentos iuſsit equum pro ſe quenq; ac uirum exhibere, ſi ſe militia ſolu-

tos

A tos uellent. Ac poſteaquàm & equi & uiri idonei pro timidis atque diuitibus citò fuerũt
cõgregati, Agamemnonẽ ſe dixit imitari. Nam illum, quũ generoſam accepiſſet equam,
ignauum diuitemꝗ hominem militia liberaſſe. Cùm uerò nudos captiuos uendi iuſsiſſet,
ſpoliorum quidem uenditores ipſos uenum propoſuerunt: ac ueſtium ſanè multi empto-
res erant: ſed corpora, quòd alba & mollia eſſent propter umbratilem uitam, quum tanꝗ
inutilia nulloꝗ precio digna irriderentur, adſtans Ageſilaus: Hæc ſunt, inquit, propter
quæ, iſti autem quibus cum pugnatis. Idem in Lydia cùm Tiſſaphernem profligaſſet, plu
rimosꝗ interemiſſet, in agrum regium incurſionem fecit: ſed rex pecunijs ipſi præmiſsis
quum cenſeret bellum eſſe diſſoluendum, Ageſilaus reſpondit: Pacis quidem ciuitatem
dominam eſſe, ſe uerò locupletandis militibus quàm ſeipſo magis lætari: pulchrumꝗ pu-
tare, Græcos non munera ab hoſtibus accipere, ſed ſpolia acquirere. Megabatẽ uerò Spi
thridatis filium formoſiſsimum, quum ad eum acceſſiſſet ſalutaturus & oſculaturus, quia
uehementer amari uidebatur, declinauit Ageſilaus. At quum ille adire deſtitiſſet, ab Age
ſilao deſiderabatur. Dicentibusꝗ amicis ipſum in cauſa eſſe, qui ſe ab illius tam formoſi
oſculo auertiſſet, neꝗ illum præ pudore uenturum: poſteaꝗ ſecum tacitus pauliſper cogi
tauit, Nihil eſt opus, inquit, illum perſuadeatis: nam iſtiuſmodi rebus ſuperior eſſe malo,
quàm præpotentem hoſtium urbem ui capere. Satius eſt enim libertatem ſibijpſi cõſerua
re, quàm alijs auferre. Sed quum alijs in rebus diligens iuſtitiæ cultor eſſet, in amicorum
negocijs putabat occaſionem iuuandi eſſe perquàm iuſtam. Epiſtolium igitur ipſius fer-
tur ad Icarieum Carẽ, quo ex amicis quendam ſic petit: Si Nicias nihil iniuſti agit, dimit-
te: ſin agit, mihi dimitte: omnino autẽ dimitte. Itaꝗ ſe talem in pleriſꝗ Ageſilaus pro ami
cis præſtabat. Interdum tamen propter utilitatem occaſione potius utebatur. Quare mo-
tis tumultuoſius caſtris, cùm puerum, cuius amore tenebatur, infirmum reliquiſſet, ad il-
lum precantem, & cum lachrymis ſe reuocantem conuerſus dixit: Quàm difficile eſt nos
& miſereri ſimul & ſapere. Idem in uictu & ueſtitu nihil ijs qui cum ipſo erant, melius ha-
bebat: à ſatietate ac ebrietate penitus abſtinens, ſomnoꝗ non domino, ſed rebus agendis
ſeruienti utens. Aduerſus calorem autẽ & frigus ita ſe habebat, ut ſolus eadem ueſte qua-
B tuor anni temporibus ſemper uteretur, ac in medio caſtrorum tentorio erecto, lectum ni-
hilo alijs meliorem haberet. Dictitabat autem principi conuenire, non mollitie & delitijs,
ſed tolerantia & fortitudine priuatis hominibus præſtare. Roganti igitur cuidam, quid
Spartæ contuliſſent Lycurgi leges: cõtemnere, inquit, uoluptates. Ad eum uerò qui cùm
aliorum Lacedæmoniorũ, tum ſuæ ueſtis cibiꝗ mediocritatem mirabatur: Propter hunc,
inquit, frugalem ô hoſpes uiuendi modum, metimus libertatem. Idem alio ipſum hortan
te ut ſibi parceret, ac dicente, propter incertum fortunæ, ne quando mutetur: At ego, in-
quit, meipſum ſic aſſuefacio, ut in nulla mutatione quæram mutationem. Ac eodem uitæ
inſtituto etiam ſenex factus utebatur. Quare ad eum à quo interrogatus fuerat, cur uehe-
menti hyeme ſine tunica illa ętate circumiret: Quò, inquit, iuuenes imitentur, exemplum
habentes & ſenectute confectos & principes. Thaſij uerò per ſuum agrum ipſi cum exer-
citu iter facienti, farinam & anſeres, & bellaria, & liba ex melle cõfecta, & alios omnis ge-
neris cibos, & uina precioſa miſerunt. Sed farina ſola accepta, retrò aſportari reliqua ab ijs
qui illa apportarant, iuſsit, ut quæ ne ſibi quidem utilia forẽt. Precantibus autẽ illis ac ſup
plicantibus, ut omnino illa acciperet, mancipijs diſtribui iuſsit. Cęterũ illis cauſam rogan
tibus, dixit, eos qui probitati ac fortitudini ſtuderent, non decere iſtiuſmodi ganeis & gu
læ irritamẽtis delectari: quibus enim ſeruitia capiantur, ea ab ingenuis hominibus eſſc a-
liena. Rurſus Thaſii, quòd ab ipſo magnis affecti beneficijs uiderentur, cùm & templis &
deificationibus eum honoraſſent, & hac de re legatos ad ipſum miſiſſent, poſteaquàm ho
nores legit quos oratores attulerant, interrogauit, an ipſorum patria referendorũ in deos
hominũ facultatem haberet. Quibus affirmantibus: Agitè, inquit, uoſipſos prius efficite:
quod quidem ſi effeceritis, tunc credam me quoꝗ à uobis deum fieri poſſe. Idem cùm illæ
gentes græcæ quæ ſunt in Aſia, decreuiſſent ipſi in clariſsimis urbibus ſtatuas ponete, ad
eas ſcripſit: Mei ne una quidẽ ſit imago, neꝗ picta, neꝗ ficta, neꝗ conſtructa. Sed quũ in
Aſia domus contignationem ex quadratis trabibus factam uidiſſet, dominum ædium in-
terrogauit, an apud ipſos quadrata naſcerentur ligna. Quo negãte, ſed rotunda: Quid igi
tur, inquit, ſi quadrata eſſent, rotunda faceretis? Interrogatus autem olim, quouſꝗ Laco-
nicæ fines protendantur: cõcuſſa haſta, quouſꝗ, inquit, hæc perueniat. Sed alio deinceps
rogante, cur Sparta ſine muro eſſet: oſtenſis ciuibus armatis, hi ſunt, inquit, Lacedæmo-
niorum muri. Cæterũ alio idẽ quærente: Non lapidibus, inquit, & lignis, ſed inhabitan-

C tium uirtutibus urbes munitas eſſe oportet. Amicos uerò monebat, ut non pecunia, ſed
fortitudine & uirtute diteſcere ſtuderent. Quando autē uolebat aliquod opus à militibus
citò perfici, primus ipſe in omniū conſpectu aggrediebatur. Verū in eo gloriabatur, quòd ne-
mini in labore cederet, quodq; ſibi ipſe magis quàm alijs imperaret. Quodam autē admi-
rante Laconem claudum ad bellum exeuntē, ac equū quærente: An ignoras, inquit, non
fugientibus, ſed permanentibus in bello opus eſſe? Idem rogatus à quodā, quo modo ma
gnam gloriā acquireret: ſi mortē, inquit, cōtempſeris. Quærente autē quodam, cur Spar-
tiatæ ad tibias pugnant? Quoniā, inquit, quandocunq; ad numerū modulationemq; in-
ceſſerint, liquidò pateat & qui meticuloſi ſint, & qui fortes. Cùm uerò quidam Perſarū re
gem beatū eſſe diceret, quia perq; iuuenis eſſet: Atqui Priamus, inquit, ne id quidem æta-
tis agens infortuniū eſt paſſus. Sed cùm magnam Aſiæ partē ſubiugaſſet, aduerſus regem
ipſum properare decreuit, quò illum ab ocio, & à corrumpendis Græcorū populorū prin
cipibus deterreret. Sed ab Ephoris reuocatus propter Græcorū bellum, quo Sparta obſi
debatur, ob pecunias à Perſa miſſas, dicens bonum imperatorem oportere legibus parē-
re, ex Aſia ſoluit, multo ſui deſiderio Græcis Aſiaticis relicto. Ac cùm numus Perſicus ſa-
gittarij nota ſignatus eſſet, recedens dictitabat, ſe triginta millibus ſagittariorū à rege ex
Aſia pelli: tot enim Daricis aureis Athenas Thebasq; à Timocrate allatis, & populorum
principibus diſtributis, populi ipſi ad bellū contra Spartiatas concitati fuerant. Ac Epho
ris quidem hanc reſcripſit epiſtolam: Ageſilaus Ephoris gaudium. Multas Aſiæ partes *Ageſilai ad Ephoros epiſtola.*
ſubiugauimus, barbarosq; expulimus, ac in Ionia multa arma fecimus. Sed poſteaquā iu-
betis me ad præſcriptū diem redire, ſequor epiſtolam, ac ferè ipſam uel præueniam. Nam
imperiū nō mihi, ſed ciuitati ac ſocijs gero. Ac tūc quidem uerè iuſteq; dux imperat, quan
do & legibus & Ephoris paret, uel quicunq; alij in urbe ſint magiſtratus. Traiecto igi-
tur Helleſponto cùm per Thraciam iter faceret, barbarorū quidem rogauit neminē, ſed
ad ſingulos mittens interrogabat, utrum per amicā, an hoſtilem terram tranſiret. Ac alij
quidem ipſum amicè & excipiebant & deducebant: cæterū qui Troades nominantur, qui-
bus & Xerxes, ut fertur, dona dedit tranſitus mercedem, argēti talenta centū, & totidem
D mulieres ab Ageſilao petiere. Sed illos ipſe deludens, ac dicens, Eccur nō ſtatimueniſtis
accepturi? procedebat: & cùm congreſſus, ex illis perturbatis multos cæcidiſſet, tranſiuit.
Cùm uerò idem à rege Macedonum per nuncios quæſiſſet, iſq; ſe cōſultaturum dixiſſet:
Conſultet igitur, inquit, ſed nos interim procedemus. Admiratus itaq; uiri audaciam, &
ueritus, iuſsit ut amicum progredi. Theſſalorū autem, qui hoſtium ſocij erāt, deprædatus
eſt agrum. Ac Xenoclem quidem & Scythen de amicitia acturos Lariſſam miſit, quibus
comprehenſis & aſſeruatis, alij quidem ægrè ferentes cenſebant Lariſſam caſtris cingen-
dam eſſe ab Ageſilao, & obſidendam: ſed aſſerens ipſe, ne alterius quidem illorū uirorum
interitu uelle totam capere Theſſaliam, eos fœderibus percuſsis accepit. Audiens autem
apud Corinthum fuiſſe pugnatum, & Spartiatarum quidem perquàm paucos cecidiſſe,
Corinthiorum autem & Athenienſium, aliorumq; illis ſociorum q; plurimos, neque læta
ri, neq; efferri illa uictoria uiſus eſt, ſed perquàm graui ſuſpirio emiſſo: Væ, inquit, Græ-
ciæ, quæ tot uiros inteſtino bello perdidit, quot ad debellādos omnes barbaros ſatis fuiſ-
ſent. Pharſalios autem urgentes, latrocinijsq; ipſius exercitum uexantes, quum quingen
tis equitibus in fugam uertiſſet, trophæum ſub Narthacijs erexit: ac illa quidem uictoria
præ omnibus lætatus eſt, quòd cùm per ſe ipſe equitatum inſtituiſſet, illo ſolo eos qui ma
ximè pugna equeſtri gloriabantur, ſuperaſſet. Cùm uerò Diphridas domo ueniens ipſi
nunciaſſet, ut cōtinuò prætergrediens, in Bœotiam impetum faceret: quanq; maiore ap-
paratu id poſtea facturus erat, tamen magiſtratibus parens, accerſitis uiginti millibus ex
illo exercitu qui apud Corinthū erat, Bœotiam ingreſſus eſt, & apud Coroneā cum The-
banis & Athenienſibus, ſimul cum Argiuis & Corinthijs congreſſus, utroſq; maxima o-
mniū pugna, quæcunq; illo tempore cōmiſſæ fuerunt, ut Xenophon ſcribit, etſi corpore
propter uulnerum multitudinem male affectus, ſuperauit. Idem domum reuerſus, nihil
nec circa uitam, nec circa mores, ob tantos ſucceſſus uictoriasq; mutauit. Cæterū uidens
quoſdam ex alendis equis in aliquo precio eſſe, animoq; efferri & gloriari, Cyniſcæ ſoro-
ri perſuaſit, ut in curru ſedens in Olympijs certaret, Græcis oſtendere uolens, iſtiuſmodi
res nullius eſſe uirtutis, ſed diuitiarum & impenſæ. Xenophontem uerò illum ſapientem
multi faciens ac ſecum habens, iuſsit filios accerſere, Spartæq; educare, quò diſciplinarū
pulcherrimā docerentur, & imperare, & imperium ferre. Idem aliquando interrogatus,
cur maximè omnium felices ſint Spartiatæ: Quia, inquit, maximè aliorum ſe exercent, ut

imperent

A imperent & obtemperent. Lyſandro autem uita functo cùm multorum ſodalitatem conſtitutam inueniſſet, quam ille ex Aſia ſtatim reuerſus contra Ageſilaum inſtituerat, eum redarguere tentauit, ac oſtendere cuiuſmodi ciuis uiuens fuiſſet. Cumq; orationem legiſſet in quodam relictam libro, quam Creon Halicarnaſſeus ſcripſerat quidem, ſed Lyſander memoriæ cõmendatam ad populum de rebus nouis & de republica mutanda habiturus eſſet, in publicũ illam efferre uolebat: uerùm ex ſenioribus quidam, cùm eam orationem percurriſſet, ueritusq; illius grauitatẽ cõſuluiſſet, ne Lyſandrũ effoderet ac ſuſcitaret, perſuaſus acquieuit. Eos uerò qui ſibi occultè aduerſarentur, apertè quidem nõ uexabat, ſed exigens ut ſe ſequerent, ex ipſis aliquos & duces & magiſtratus deſignabat: ſed in magiſtratibus improbi deprehenſi & auari, ne cõdemnarentur, rurſus auxilio erat, ſicq; eos ſibi cõciliabat, & ad ſeipſum traducebat, ut neminẽ aduerſariũ haberet. Quidam autẽ cùm eum rogaſſet ut ſuos ad hoſpites Aſianos literas daret, quò ius ſuũ cõſequeretur: At mei, inquit, hoſpites iuſta ſponte ſua, etiam ſi nihil ſcribam, faciunt. Cæterùm quidam illi murum urbis benè munitum & laborioſe admodum exædificatũ oſtentans, rogabat an pulcher ſibi uideretur: Per Iouem, inquit, pulcher, nõ ut uiri, ſed ut fœminæ inhabitent. Cùm autem Megarenſis quidam aduerſus ipſum de ciuitate gloriaretur: Adoleſcens, inquit, uerba tua multa ui egent. Quæ uerò alios admirantes uidebat, ea ne noſſe quidem uidebatur. Quodam igitur tempore Callipides tragœdiarũ actor nomen & gloriã inter Græcos habens, ut qui ab omnibus celebraretur, primũ quidem illi occurrit & ſalutauit, deinde arroganter ſeſe inter inambulantes conijciens, ſeipſum regi oſtentabat, putans fore, ut aliqua comitate exciperetur. Sed cùm tandem dixiſſet: Non mé agnoſcis, ô rex, neq; audiſti qui ſim? Ageſilaus in ipſum reſpiciens: At an tu es, inquit, Callipides Diceliſta? ſic enim Lacedæmonij hiſtriones uocant. Idem cùm à quodam inuitaret ad eum audiendum qui luſciniæ uocem imitabatur, recuſauit, inquiens: Sæpe ipſam audiui. Menecrates uerò medicus poſteaq; in deſperatis quibuſdam curationibus fuit fortunatus, Iupiter appellari cœpit. Sed illo cognomento importunius utens, cùm ad Ageſilaum quoq; ſic aliquando epiſtolam ſcribere auſus foret: Menecrates Iupiter Ageſilao regi felicitatẽ: reliquis non le-

Diceliſtæ Lacedæmoniorum hiſtriones.

B ctis, reſcripſit: Rex Ageſilaus Menecrati ſanitatẽ. Cùm autẽ Conon & Pharnabazus mari potiti, regia claſſe maritimas Laconiæ oras obſiderent, ac urbs Athenienſium muro cincta foret, pecunijs à Pharnabazo datis pacẽ cum rege Lacedæmonij fecerunt, miſeruntq; Antalcidam ad Teribazum, qui Græcos Aſiam incolentes, pro quibus pugnauerat Ageſilaus, regi traderet. Qua ex re euenit, ut Ageſilaus ipſe ignominiæ eius iniquiſsimè particeps eſſet: nam Antalcidas ipſi inimicus erat. Ideoq; pacem quocunq; modo fecit, quòd Ageſilaus incrementa ex bello ſuſciperet, ac maximus clariſsimusq; euaderet. Ad eum uerò qui dixerat Lacedæmonios Medorũ partibus fauere: Imò uerò, inquit, Medi Lacedæmoniorum. Idem aliquando rogatus, utra uirtus melior eſſet, fortitudo an iuſtitia: nullam fortitudinis utilitatẽ eſſe dixit abſente iuſtitia: nam ſi omnes iuſti forent, nihil fortitudine opus eſſe. Cùm autem ij qui Aſiam incolunt, ex cõſuetudine Perſarũ regem Magnũ appellarent: Ecquid ille me maior eſt, inquit, niſi & iuſtior ſit & continentior? Ac eos quidẽ qui Aſiam inhabitarent, ingenuos quidẽ malos, ſeruos autẽ bonos eſſe dictitabat. Idem interrogatus, quomodo quis maximè apud homines probaret: Si dicat, inquit, optima, & faciat honeſtiſsima. Imperatorẽ uerò dicebat oportere & in hoſtes audaciã, & in ſubditos beneuolentiã habere. Cuidam autem quærenti, quænã pueris diſcenda forent: Ea reſpondit, quibus & uiri ſint uſuri. Verùm cauſæ cuiuſdam iudex, cùm accuſator bene quidem dixiſſet, reus autem male, quippe qui ad ſingula diceret, Ageſilaë oportet regem legibus opitulari: Et domum, inquit, ſi quis tibi euerteret, & ueſtimentũ ſi quis auferret, expectares ne ut architectus, aut qui ueſtimentũ confecit, tibi auxiliũ ferat? Idem à rege Perſarum epiſtolam pace iam facta ſibi miſſam, quam unà cum Callia Lacedæmonio uir Perſa de hoſpitalitate & amicitia attulerat, haud quaq; accepit, dicens regi nunciaret, minimè opus eſſe ad ſe literas priuatim daret. Nam ſi & amicus Lacedæmoni, & Græciæ beneuolus eſſe uidebitur, ſe quoq; pro uiribus ipſi amicũ eſſe futurum: ſin autẽ inſidiari deprehendetur, ne ſi multas quidẽ acciperẽ literas, credat me ſibi amicum eſſe futurũ. Filiorum autem cùm amantiſsimus eſſet, fertur unà cum paruis pueris domi colludere ſolitus, in arundinem ut in equũ aſcendens: fedã quodã amicorũ uiſus rogauit, ne cui prius id diceret, ꝙ ipſe quoq; puerorũ pater eſſet. Cæterùm Thebanos aſsiduis bellis cùm infeſtaret, ac in pugna uulneratus foret, Antalcidã dixiſſe ferunt: Pulchra diſciplinæ præmia à Thebanis accipis, quos nolentes ac ne ſcientes quidẽ pugnare docueris. Tunc enim Thebanos ſeipſis

C bellicoſiores aiunt factos, propter aſsiduas Lacedæmoniorũ in ipſos expeditiones. Qua
re Lycurgus quoq; ille antiquus, in legibus quę Rhetræ uocant, prohibuit aduerſus eoſ-
dem ſæpius militare, ne bellandi peritiam diſcerent. Poſteaquàm uerò audiuit ſocios æ-
grè ferre continuas expeditiones, quia multi paucos Lacedæmonios ſequerentur, refel-
lere uolens illorum multitudinem, iuſsit omnes quidem ſocios ſedere ſibi inuicem permi
xtos, Lacedæmonios autem ſeparatim ſolos. Deinde edixit, ut figuli ſurgerẽt primi. Qui
quum ſurrexiſſent, edixit ut ſecundi ſurgerent fabri ærarij, deinde architecti & domorũ
ædificatores, & ſingulæ aliæ artes. Ita ſocij ferè omnes quidem ſurrexerunt, Lacedæmo-
niorum autem nemo: ipſis nanq; prohibitum eſt artem ſordidam uel exercere uel diſce-
re. Itaq; ridens Ageſilaus: Videte, inquit, uiri quantò plures quàm uos milites nos emit-
tamus. In Leuctrica uerò pugna cùm Lacedæmoniorũ multi fugiſſent, qui legitimis pœ
nis erant obnoxij, uidentes Ephori urbem uiris deſtitutam militibus indigere, uolebant
ignominiam illam ſoluere, ac leges ſeruare. Ageſilaum igitur eligunt legumlatorẽ. Is ue-
rò in concionem cùm prodiſſet: Legum, inquit, lator aliarum minimè ſim, ac ne ijs qui-
dem quæ exiſtunt, adijcerem quicquam, uel auferrem, uel mutarem: ſed non abre erit, le-
ges quæ nobis ſunt, à poſtero die ius ſuum retinere. Epaminondam uerò tanto cum flu-
ctu ac tempeſtate Spartam inuadentem, Thebanis & illorũ ſocijs uictoria Leuctrica glo
riantibus, ab urbe quidem repulit, & quãuis pauci in urbe forent, retrocedere tamen coë-
git. Idem in pugna apud Mantineã geſta imperauit Lacedęmonijs, ut alijs omiſsis unum
oppugnarent Epaminondam, ſolos aſſerens prudentes & fortes, & uictoriæ autores eſ-
ſe. Nam ſi iſtum è medio ſuſtulerimus, facillimè alios captiuos fore: ſiquidem & amẽtes,
& nullo precio dignos eſſe. Id quod etiam euenit. Cùm enim uictoria ab Epaminonda fo
ret, iamq; Lacedæmonij fugerent, illum conuerſum ac ſuos reuocantem, quidam ex La-
cedæmonijs letaliter percuſsit. Is uerò quum cecidiſſet, à fuga cõuerſi qui cum Ageſilao
erant, ſuam certando uictoriam effecerunt, cùm Thebani Lacedæmonijs longè fortiores
uiſi fuiſſent. Sparta uerò pecunijs indigente, quippe quæ peregrinos aleret milites, Age-
ſilaus in Aegyptum profectus eſt, ab Aegyptiorum rege mercede conductus. Sed quum
D propter ueſtis tenuitatem indigenis contemptui foret (expectabant enim Spartæ regem
ut Perſarum, decenter ac ſumptuoſe ornatũ uidere) eoq; male de ipſo ſentirẽt, breui decla
rauit Ageſilaus, magnificentiam & dignitatem prudentia ac fortitudine parari oportere.
Cùm autẽ eos quos inſtructurus erat, impendenti periculo territos uideret, tum propter
hoſtium multitudinem, ducenta nanq; millia erant, tum propter ſuorum paucitatem, de-
creuit prius quàm confligeret ſacrificium facere, ac alijs inſcijs in ſiniſtrę manus palma ui
ctoriã deſcripſit, acceptũq; ab aruſpice iecur inſcriptæ manui impoſuit. Id uerò tantiſper
tenens dum literarum notæ iecori imprimerentur, ſe ambiguũ eſſe ſimulabat. Poſtea ue-
rò cõmilitonibus iecur ipſum oſtendit, aſſerens deos ex ſcriptis uictoriam demonſtrare.
Certum igitur id uictoriæ ſignum rati, ad pugnam audacter ineundam ſunt confirmati.
Sed hoſtibus multitudine ſua Aegyptiorum caſtra foſſa cingentibus, Nectabioq; cui au-
xilio erat, cenſente erumpendum ac decertandum eſſe: nequaquam impediendi, inquit,
ſunt hoſtes, nobis pares eſſe uolentes. Ac ita quum adhuc ſpacij parum ad cõiungendam
ſupereſſet foſſam, in illo quod reliquũ erat interuallo acie inſtructa, cum paribus par con
greſſus, eos in fugam uertit, & paucis militum ſuorum amiſsis, magna hoſtium edita cæ-
de, ingentem pecuniæ uim in patriam miſit. Ex Aegypto autem quum claſſe rediens in
morbum incidiſſet, ijs qui ſecum erant mandauit moriens, ne ſibi fictam pictámue aut ef
figiatam corporis imaginem efficerent. Nam ſi quid præclari operis, inquit, geſsi, id mei
monumentum erit: Sin minus, ne omnes quidem ſtatuæ, ut quæ uilium hominũ ac nul-
lo precio dignorum opera ſint.

AGESIPOLIS Cleombroti cùm quidam dixiſſet, Philippum paucis diebus Olynthũ
euertiſſe: Per deos, inquit, talem aliam urbem multò longiori tempore non ædificabit.
Alius item cùm dixiſſet, ipſum cum æqualibus regem obſidem fuiſſe, nõ autem filios eo-
rum & uxores: Meritò, inquit: decet enim nos peccata noſtra ferre. Sed quum ipſe uellet
catulos è domo Spartana ſibi mitti, quidamq; dixiſſet, illorum apud ſe non eſſe educatio-
nem: Ne uirorum quidem antea, inquit, fuit, quæ tamen nunc eſt.

AGESIPOLIS Pauſaniæ Athenienſibus de mutuis criminibus ad Megarenſium ciui-
tatem prouocantibus: Turpe, inquit, eſt ô Athenienſes, eos qui ſint Gręcorum duces, mi
nus quàm Megarenſes ius ſcire.

AGIS Archidami, quum olim Ephori dixiſſent: Vade iuuenes tecum ducens in huius

A patriam: dux nanq; hic ipſe tibi erit ad arcem occupandam: Et quo, inquit, modo tutum
eſt, ô Ephori, tot iuuenes credere patriæ ſuæ proditori? Interrogatus autem, quæ potiſsi-
mum diſciplina Spartæ exerceretur: Scire, inquit, & imperare, & obtemperare. Lacedæ-
monios uerò dictitabat interrogare, nõ quot ſunt hoſtes, ſed ubi ſunt. Verùm apud Man
tineam cùm dimicare cum hoſtibus quòd plures forent prohiberẽt: Neceſſe eſt, inquit,
cum multis pugnare, qui multis uelit imperare. Quodã autẽ interrogante, quot ſunt La-
cedæmonij? Quot, inquit, ſatis ſunt ad malos arcendos. Cùm uerò Corinthiorum muros
præteriret, ac illos & altos, & munitos, & in multũ ſpatium protenſos uideret: quænã, in-
quit, ſunt hũc locum habitantes mulieres? Idem, cùm rhetor quidam dixiſſet, orationem
rerum omnium potentiſsimã eſſe: Igitur ſi tu taces, inquit, nullo precio dignus es. Argiui
autem poſtq; fuerãt ſuperati, rurſum audacius multò cùm ipſi obuiam eſſent facti, ſocios
uidens perturbari: Confidite, inquit, ô uiri: nam quandò nos uictores timemus, quid pu-
tatis eos facere, qui à nobis uicti fuerũt? Idem Abderitarum legato, qui cùm multa locu-
tus finem dicendi feciſſet, rogaret quidnã ciuibus ſuis renunciaret: Te, inquit, mihi tacen
ti tanto tempore auditum fuiſſe, quantum tu dicendo conſumpſiſti. Quibuſdam uerò Ele
os laudantibus, quòd in Olympiorum certamine iuſtiſsimi forent: Ecquid magnum, in-
quit, aut mirandũ faciunt, ſi per annos quinque uno duntaxat die iuſtitia utuntur? Quo-
dam autem dicente, nonnullos ex alia domo ipſi inuidere: Igitur & ſua, inquit, mala, &
ad hęc tum mea, tum amicorum bona illos cruciabunt. Idem cùm quidam cõſuleret tran-
ſitum hoſtibus fugientibus eſſe dandum: Et quò, inquit, modo cum ijs qui ob timiditatẽ
fugiunt, non pugnantes, cum ijs qui ob fortitudinem manent pugnabimus? Quodam au
tem de Græcorum libertate ſermonem inferente non ignobilem quidem, ſed effectu diſ-
ficilem: Tua, inquit, ô hoſpes, uerba & uirium indigent & pecuniarum. Cùm uerò qui-
dam diceret Philippum imperuiam Lacedæmonijs Gręciam eſſe facturum: Satis, inquit,
nobis eſt in propria terra conuerſari. Legatus autem ex Perintho cùm Lacedæmona ue-
niſſet, longiore uſus eſt oratione. Sed poſtq; fine dicendi facto Agin rogauit, quid Perin-
thijs renũciaturus eſſet: Quid aliud, inquit, quàm te uix finem dicendi feciſſe, me uerò ta-
B cuiſſe? Cæterũ ſolus cùm ad Philippum legatus ueniſſet, ac ille dixiſſet: Quid ita unus ue-
niſti? Nempe ad unum, inquit. Idem cùm ex ſenioribus quidam, qui uidebat ſolutis uete-
ribus legitimis alia quædã flagitioſa induci, ei iam ſeneſcenti dixiſſet: quare ſuperna Spar
tæ fiunt inferna? iocans ait, ex ratione ſic res procedere, ſi illud fiat: etenim quũ ego puer
eſſem, ex patre audiebã, ſuperiora apud ipſos inferiora fuiſſe. Aiebat autẽ patrẽ puero ſibi
ea dixiſſe: non eſſe mirandũ, ſi poſteriora prioribus ſint peiora, ſed ſicubi meliora, & ſimi-
lia. Interrogatus autem, quomodo quis liber permaneat: ſi mortem, inquit, cõtempſerit.

AGIS iunior dicente Demade, enſes Laconicos à præſtigiatoribus propter breui-
tatem deuorari: At Lacedæmonij, inquit, huiuſcemodi enſibus hoſtes aſſequuntur. Ad
improbum uerò hominem ſæpe interrogantẽ, quis optimus Spartiata foret: Qui tui diſ-
ſimillimus eſt, inquit.

AGIS ultimus rex Lacedæmoniorũ ex inſidijs captus, & indicta cauſa ab Ephoris con
demnatus, cùm ad laqueũ abduceretur, intuitus quendam ex miniſtris flentem: Deſine,
inquit, ô homo, propter me flere: nam adeò iniquè & iniuſtè moriens, melior ijs ſum qui
me interficiũt. Et cùm hæc dixiſſet, ultrò collũ laqueo tradidit. Idem cùm à parentibus ro
garetur, ut ſibi ad iniuſti quiddam adiutor eſſet, aliquandiu cõtradixit: ſed quũ inſtarent,
Quandiu, inquit, apud uos fui, ne unam quidem iuſtitiæ cognitionem habui: poſteaq; au
tem me patriæ tradidiſtis, legitimiſq; ipſius inſtitutis, ac etiam iuſtitia & probitate erudi-
ſtis, ut potuiſtis, hæc potius quàm uos ſequi tentabo. Et quoniam uultis me optima face-
re (optima uerò ſunt cùm homini priuato, tum multò magis principi, quæ iuſta ſunt) fa-
ciam quidem quæ uultis, ſed quæ dicitis recuſabo.

ALCAMENES Telecri quodam rogante, quomodo regnum quis optimè ſeruaret: Si
lucrum, inquit, non multi fecerit. Altero autem quærente, cur à Meſſenijs munera non ac
cepiſſet: quia ſi accepiſſem, inquit, cum legibus pacem agere nequirem. Sed quodam di-
cente, ipſum parcè uiuere amplas ſatis diuitias poſsidentẽ: Nempe illum qui multa poſsi
deat, inquit, non ex libidine, ſed ex ratione uiuere decet.

ALEXANDRIDAS Leontis ad eum qui ægrè ferebat quòd exularet: O bone, inquit,
ne urbem relinquens horreas, ſed iuſtitiã. Dicenti uerò cuidam Ephoris opportuna qui-
dem, ſed pluribus quàm par erat: ô hoſpes, inquit, nõ opportunè uteris opportuno. Quo
dam autem percontante, cur agros helotibus & mancipijs colendos traderent, ac non

C ipſi colerent: quia illos, inquit, non ut ipſos coleremus, ſed ut nos, comparauimus. Cùm
autem quidam alius diceret, gloriam nocere, atq; felicem eum eſſe, qui ab illa ſit alienus:
Igitur qui iniuſta perpetrant, inquit, ex oratione tua eſſent felices: nam quomodo ſacrile-
gus iniuſtúsue gloriam curet? Alio autem interrogante, Cur in bellis Spartiatæ audacter
periculis ſe exponunt? quia, inquit, de uita uereri, non ut alij timere ſtudemus. Idem alio
quodam percontante, quare capitales cauſas pluribus diebus ſeniores audiunt, & ſi quis
eſt liberatus, nihilominus eſt reus: Pluribus, inquit, diebus iudicant, quia de morte qui er
rauerint, ij conſilium mutare nõ poſſunt. Legibus autem obnoxium eſſe oportet, quia ſe-
cundum hanc legem licet etiam melius conſultare.

ANAXANDER Eurycratis, quodam rogante, cur Lacedæmonij pecunias in publi-
cum non congregent: ne qui cuſtodes illarum ſint, inquit, corrumpantur.

ANAXILAS ad eum qui mirabatur, cur Ephori non aſſurgant regibus, præſertim à re-
gibus ipſis conſtituti: Eadem, inquit, cauſa qua Ephori ſunt.

ANDROCLIDAS Lacon crure mutilatus inter bellatores ſeipſum locauit. Sed quum
quidam ipſum prohiberent, quia mutilatus erat: Atqui non fugientẽ, inquit, ſed manen-
tem oportet cum hoſtibus ex oppoſito inſtructis pugnare.

ANTALCIDAS cùm in Samothracia initiaretur, à ſacerdote rogatus, quid grauiſsimũ
in uita perpetraſſet: ſi quid mihi, inquit, tale perpetratũ eſt, dij ipſi ſciunt. Aduerſus Athe
nienſem uerò quendam Lacedæmonios indoctos appellantem: Nos nimirũ, inquit, ſoli
nihil mali à uobis didicimus. Sed cùm alius Athenienſis aduerſus eum dixiſſet, nos qui-
dem à Cephiſo perſæpe uos fugauimus: At nos, inquit, ab Eurota uos nunquam. Interro
gatus autem, quomodo quis maximè hominibus placere poſſet: ſi cum ipſis, inquit, quã
ſuauiſsimè conuerſetur, ac utiliſsima afferat. Idem cùm declamator quidam Herculis lau
dationem lecturus eſſet: quis enim, inquit, illum uituperat? In Ageſilaum uerò à Theba-
nis in pugna uulneratũ: Mercedem, inquit, à Thebanis recipis, quos neq; uolentes, neq;
ſcientes pugnare, docuiſti. Videbantur enim Thebani aſsiduis Ageſilai contra ipſos ex-
peditionibus pugnaces effecti. Spartæ uerò muros eſſe iuuenes dictitabat: fines autẽ, ha-
D ſtarum cuſpides. Sed ad eum qui quærebat, cur breuibus Spartiatæ pugionibus in bello
uterentur, Quia cum hoſtibus, inquit, cominus dimicamus.

ANTIOCHVS cùm eſſet Ephorus, poſtquàm audiuit Philippum Meſſenijs agrum de
diſſe, interrogauit an etiam uim illis tribuiſſet, qua de agro certantes fierent ſuperiores.

ARGEVS quibuſdam laudantibus non ſuas, ſed quaſdam ex uxoribus alienis: Per de-
os, inquit, de uxoribus aliorum bonis & honeſtis nihil temerè dicendum eſt: ipſas enim
prorſus ignorari quales ſint, præterquàm ab ijs quibus cum uiuunt. Idem per Siciliæ Seli
nuntem iter olim faciens, cùm in ſepulchro quodam uidiſſet elegiacum hoc inſcriptum,

Hiſce Selinuntos ſub portis, quando tyrannis
Stinguitur, euenit marte fero cadere:

Iure periſtis, inquit, qui ardentem tyrannidem extinguere conati eſtis: contrà nanq; per-
mittendum fuerat, totam concremari.

ARISTON laudante quodam Cleomenis reſponſum, quòd interrogatus quid bonũ
regem facere oporteat, dixerit, amicis quidem benefacere, inimicis autem male: Et quan
tò, inquit, melius eſt, ô bone, amicis quidem benefacere, inimicos uerò ſibi conciliare? Id
quidem reſponſum etſi omnium confeſſione, Socratis eſt in primis, ad Ariſtonem tamen
etiam refertur. Quodam autem percontante, quot ſint numero Spartiatæ: quot, inquit,
ſatis ſunt ad hoſtes arcendos. Sed quum quidam Athenienſium funebrem eorum lauda-
tionem, qui fuerant à Lacedæmonijs interfecti, legeret: Quales igitur noſtros, ait, eſſe cen
ſes, qui iſtos deuicerunt?

ARCHIDAMIDAS aduerſus eum qui Chariſſum laudaret, quòd in omnes ſimiliter mi
tis foret: Ecquo, inquit, modo iuſtè quis laudetur, ſi in improbos quoque ſit mitis? Accu-
ſante autẽ quodã Hecatæũ rhetorẽ, quòd admiſſus ad ipſorũ conuiuiũ nihil dixerat: Igno
rare mihi uidêris, inquit, eum qui dicendi peritus ſit, dicendi quoque tempus cognoſcere.

ARCHIDAMVS Zeuxidami, quum à quodam interrogaretur, quinam Spartæ eſſent
præfecti: Leges, inquit, & ſecundũ leges magiſtratus. Ad eum uerò qui citharœdũ lauda
bat, & eius facultatẽ admirabatur: O bone, inquit, quod præmiũ abs te probis uiris ſtatue
tur, quandò citharœdum tantopere laudas? Idem quodam cantorem cõmendante ac di-
cente, hic bonus eſt cantor: At apud nos, inquit, hic bonus eſt coquus: tanquam nihil in-
tereſſet, ſiue per uocis inſtrumenta, ſiue per opſoniorum & iuris conditura uoluptas

efficia-

A efficiatur. Quodam autem ipſi pollicente uinum ſuaue: Ad quid? ait, nam & plus abſume
tur, & quæ ad uirilitatem ſpectant, inutiliora efficientur. Sed Corinthiorũ urbem cum ex
ercitu aliquando aggreſſus, cùm lepus ex loco muris uicino excitatus eſſet, ad milites in-
quit: Faciles captu noſtri ſunt hoſtes. Duo autem quidam cùm ipſum arbitrum ſumpſiſ-
ſent, ductos illos in Chalciœcæ lucum iurare coëgit, ſe ijs quæ forent iudicata, ſtaturos. Et
cùm illi iuraſſent: iudico, inquit, ne prius ex hoc luco recedatis, quàm quæ inuicem uobis
controuerſiæ ſunt diſſolueritis. Filiabus uerò ſuis cùm Dionyſius Siciliæ tyrannus precio
ſa miſiſſet ueſtimenta, non accepit, dicens: Vereor ne puellæ iſtis indutæ mihi turpes ui-
deantur. Filium autem cùm uidiſſet cum Athenienſibus præcipitanter pugnantem: Vel
adde uiribus, inquit, uel magnanimitati detrahe.

ARCHIDAMVS Ageſilai, cùm à Philippo poſt pugnam Chæronenſem aſperiorẽ ac-
cepiſſet epiſtolam, reſcripſit: Si umbram tuam metitus fueris, nequaq̃ inuenies ipſam ma
iorem factam, quàm eſſet antequàm uiciſſes. Rogatus autem, quantã regionem obtine-
rent Spartiatæ: quantã, inquit, haſta aſſequuntur. Cùm uerò Periander medicinæ arte cla
rus maximè quidem laudaretur, ſed mala poëmata ſcriberet: Quidnã, inquit, ô Periãder,
pro gratioſo medico malus poëta uocitari affectas? Idem in bello contra Philippum qui-
buſdam conſulentibus, procul à domo eſſe pugnandũ: At hoc, inquit, nõ eſt uidendum,
ſed an pugnantes hoſtib. ſuperiores futuri ſimus. Ad eos uerò qui ipſum laudabant, quòd
Arcadas pugna ſuperaſſet: Melius, inquit, fuiſſet ſi prudẽtia illos potius quàm uiribus ui
ciſſemus. Sed quando inuaſit Arcadiam, audiens Eleos Arcadibus ipſis opitulari, hanc
ad illos epiſtolam dedit: Archidamus Eleis: Quies bonum. Socijs uerò in bello Pelo
poneſiaco quærentibus, quot pecuniæ ſatis forent, rogantibusq; ut tributa determina-
ret: Bellum, inquit, ſtatuta non quærit. Catapultæ autem iaculũ cùm uidiſſet tunc primũ
ex Sicilia aduectum: Hercules, exclamauit, uiri perit uirtus. Idem cùm Græci nollent ipſi
obedire, ac fœdera quæ cum Antigono & Cratero Macedonib. icta fuerãt, ſoluere, & libe
ri eſſe, tanq̃ Lacedæmonij moleſtiores futuri eſſent q̃ Macedones: Ouis, inquit, ſemper
quidẽ eandẽ emittit uocẽ, ſed homo multas & uarias, quouſq; id q̃d uiſum eſt perficiat.

B ASTYCRATIDAS poſteaq̃ Agis apud Megalopolin uictus fuit in pugna contra Anti
gonum, cùm ei quidã dixiſſet: quid nunc facietis, ô Lacedæmonij? an Macedonib. ſeruie-
tis? Ecquid, ait, poſſet ne Antigonus pro Sparta nos pugnãtes, ne moriamur prohibere?

BIAS inſidijs ab Iphicrate Athenienſium imperatore circumuentus, militibus interro
gantibus, quidnam eſſet faciundum: Quid aliud, inquit, quàm ut uos ſeruemini, ego ue-
rò pugnando moriar?

BRASIDAS cùm in caricis murẽ comprehendiſſet, morſus dimiſit. Tum ad eos qui ad-
erant: Nihil, inquit, adeò paruũ eſt, quod ſeruari nõ poſsit, ſi eos ulciſci audeat, à quibus
inuadatur. In quadam uerò pugna iaculo per ſcutum uulneratus, illa ipſa haſta è uulnere
extracta hoſtem interemit. Sed interrogatus, quomodo fuiſſet uulneratus: prodente me
ſcuto, reſpondit. Ad bellum autẽ egreſſus ad Ephoros ſcripſit: Quæcunq; belli nocumen-
ta aut repellam, aut moriar. Sed poſteaquàm ipſum cadere contigit, Græcis Thraciæ libe
ratis qui miſsi Lacedæmonem fuerant legati, ad matrem quoq; eius Archileonidem ac-
ceſſerunt. Quos quidẽ illa cùm interrogaſſet primùm, an Braſidas fortiter diem obijſſet:
ac Thracibus laudantibus & dicentibus, nullum alium talem eſſe: Ignoratis, ô hoſpites,
inquit: nam Braſidas fortis quidem erat, ſed multi Spartæ illo ſunt fortiores.

CALLICRATIDAS cùm eſſet nauarchus, amicis Lyſandri rogantibus, ut ſibi u-
num quendam ex inimicis cõcederet necandũ, acciperetq; talenta quinquaginta, quam-
uis pecuniarum tunc maximè ad nautarum commeatum emendum indigeret, non con-
ceſſit. Sed quum Cleander conſiliarius dixiſſet: At ego quidem accepiſſem, ſi tu fuiſſem:
Et ego, inquit, ſi tu eſſem. Ad Cyrum autẽ iuniorẽ, qui Lacedæmoniorũ ſocius erat, cùm
ad accipiendas pecunias claſsi neceſſarias Sardis perueniſſet, primo quidẽ die iuſsit nun-
ciare, ſe Cyrum conuenire uelle. Sed ubi illum bibere audiuit, Expectabo, inquit, donec
bibat. Ac tunc quidem receſsit, poſtquàm cognouit illo die ſe cum eo colloqui nõ poſſe,
ueritus ne agreſtior eſſe uideret. Sed poſtridie cùm rurſus illum bibere audiſſet, ac ſe non
admitti, indignatus, ſic pecunijs accipiendis ſtudendũ eſſe dixit, ne quid indignũ Sparta
fiat. Epheſumq; profectus eſt, multa quidem in eos mala imprecatus, qui primi Barbaro-
rum delitijs pellecti, diuitijs illos ad cõtumelias abuti docuerũt. Iurauitq; ijs qui aderant,
ſe cùm primum Spartam reueniſſet, omnia facturum, ut Græcos reconciliaret, quò bar-
baris ſint formidoloſiores, ac illorum uiribus contra ſe inuicem egere ceſſarent. Rogatus

C uerò quales uiri ſint Iones: Ingenui quidem mali, inquit, ſerui autem boni. Sed Cyrus cùm ſtipendiũ militibus præmiſiſſet, ac ipſi munera, mercedem quidem ſolam accepit, munera autem remiſit, quòd diceret, non oportere ſibi priuatam cum ipſo amicitiam eſſe, cæterùm quæ cum omnibus Lacedæmonijs communis ſit, ſecum quoque eſſe. Pugnam uerò naualem quum apud Arginuſas commiſſurus eſſet, ac Hermon gubernator dixiſſet, benerem habere ſi inde ſoluerent, triremes enim Athenienſium multò plures eſſe: Ecquid hoc, inquit, quum fugere & turpe Spartæ ſit, & damnoſum: manentem uerò uel mori, uel uincere honeſtiſsimũ? Facto autem ſacrificio, cùm ex uate audiſſet, extis uictoriam exercitui quidem portendi, ſed imperatori mortem: nihil perterritus, Nõ ab uno, inquit, Sparta: me nanq; mortuo nihil Sparta diminuetur, ſed ſi hoſtibus ceſſero, minor fiet. Igitũ cùm Cleandrum loco ſui ducem declaraſſet, nauali prælio cum hoſtibus cõgreſſus, fortiter pugnans uitam cum morte commutauit.

CHARILLVS interrogatus, cur Lycurgus tam paucas leges tuliſſet: quia, inquit, pauca loquentibus, paucis legibus eſt opus. Sed quodã rogante, cur uirgines aperta quidem facie, uxores autem uelata in publicum prodirent: Quia uirgines, inquit, maritos quidem ſibi inuenire oportet, ſed qui habẽt uxores, ſeruare. Helotum uerò quodam ſe cum eo audacius gerente: Niſi, inquit, iratus eſſem, te occidiſſem. Interrogatus autem quam putaret optimam rempublicam: In qua plurimi, inquit, ciues de uirtute ſine ſeditione inter ſe certent. Quodam uerò percontante, cur omnia deorũ ſimulachra apud Lacedæmonios cum armis poſita eſſent: Vt, inquit, ne quæ in homines propter timiditatem opprobria dicuntur, ea in deos referamus, ac ne iuuenes quidẽ inermes dijs ſupplicẽt. Idem aduerſus Thebanos de quibuſdam contradicentes: Aut minus, inquit, efferri oportet, aut plus poſſe.

CLEOMBROTVS Pauſaniæ peregrino quodam cum patre de uirtute contendente: Tantiſper, inquit, ſolùm te pater eſt melior, donec tu quoq; genueris.

CLEOMENES Anaxandridæ Homerũ quidem Lacedæmoniorũ poëtam eſſe aiebat, Heſiodũ autẽ helotũ & agricolarũ. Illum enim ut bella ſint gerenda, hunc autẽ ut colendi D ſint agri præcepiſſe. Cùm uerò ſeptẽ dierũ cum Argiuis inducias feciſſet, captato tempore tertia nocte dormientes (nam fœderibus fidebãt) inuaſit, ac alios quidẽ interemit, alios in ſeruitutẽ redegit. Sed cùm obiurgaretũ quòd iuſiurandũ tranſgreſſus eſſet, dicebat, ad dierum iuſiurandum noctes additas non fuiſſe, quũ præſertim quicquid mali contra hoſtes fiat, id apud & deos & homines iuſtitia ſuperius eſſe putetur. Sed euenit ne Argis, cuius urbis gratia fœdera uiolauerat, poriretur. Nam mulieres cùm è templis arma detraxiſſent, ipſum repulerunt: ac deinde furioſus effectus, quodam arrepto gladiolo, ſeipſum à talis ad membra uſq; letalia trucidauit, ſicq; ridens & diducto ore uitam reliquit. Sed cùm uates eum deterreret, ne exercitũ aduerſus Argiuorũ urbem duceret, inde enim turpem reditũ futurũ, cùm ad urbem acceſsiſſet, ac portas quidẽ clauſas, mulieresq; in muris uidiſſet: Hicne tibi, inquit, reditus uidetũ eſſe turpis, cùm uxores uiris cæſis portas clauſerint? In Argiuos uerò, ſe ut periurũ & impiũ conuicijs proſequentes: Male, inquit, dicendi uos quidem eſtis domini, ſed male uobis faciendi ego. Samiorum autem legatis eum rogantibus, ut aduerſus Polycratẽ tyrannum bellum gereret, ac propterea longiore utentibus oratione: Quæ, inquit, à principio dixiſtis non memini, & idcirco ne media quidem intelligo, ſed poſtrema non probo. Pirata uerò cùm in agrum Lacedæmoniũ incurſionẽ feciſſet, captusq; diceret: Quoniam alimenta quæ militibus præberem, non habebam, idcirco ad eos qui habebant, nec ſpontè dare uolebant, ui ſumpturus acceſsi: Conciſa, inquit, & breuis malitia. Quodam autem nequam male ipſi dicente: An propter hoc, inquit, tu omnibus male dicis, ne tempus de tua loquendi malignitate habeamus? Ciuium uerò quodam dicente, oportere bonũ regem omnino mitem eſſe: Eouſq;, inquit, dum contemptui non ſit. Cęterùm longo morbo uexatus, cùm expiatoribus uatibusq; mentem non ſolitus antea adhiberet, quodã admirante: Quid miraris? inquit. Neq; enim nunc idem ſum, qui tunc eram: ſed cùm idem non ſim, ne eadem quidem probo. Rhetore autem quodam de fortitudine orationem habente, plurimũ ridebat. Sed ille cùm dixiſſet, quid rides Cleomenes, me de fortitudine uerba facientem audiens, cùm præcipuè rex ſis? Quia, inquit, ô hoſpes, ſi & hirundo de ipſa diceret, hoc idem facerem: ſin aquila, magnã agerem quietem. Idem quum Argiui dicerent, priorem pugnam qua fuerant ſuperati, refici debere: Miror, inquit, ſi † unius ſyllabæ additione nũc fortiores facti eſtis, quàm antea fueritis. Quodam autem ipſum cõuicijs proſequente ac dicente, delicatus es, ô Cleomenes: At melius eſt, inquit, quàm iniuſtum eſſe. Tu uerò pecuniarum es ſtudioſus, quamuis quę tibi ſatis ſunt para-

† Vnius ſyllabæ, ſcilicet, facio & reficio. Sic interpres. Plutarchus aũt μάχομαι et ἀναμάχομαι. Ideo, Si duarum ſyllabarũ additione &c. ſcripſit.

A paraueris. Sed cantorem quidam cùm ipſi cõmendare uellet, ac hominem & ex alijs laudaret, & cantorem Græcorũ optimũ diceret: oſtenſo quodam ex ijs qui propè aderant: Per deos, inquit, iſte mihi eſt coquus, iuris condiendi peritiſsimus. Cùm uerò Mæander Sami tyrannus, propter inuaſionem Perſarum Spartam fugiſſet, ac oſtentaſſet quotquot pecunias attuliſſet, donaretq; quotcunq; uellet, nihil quidem accepit, ſed ueritus ne alijs ciuium quibuſdam diſtribueret, ad Ephoros profectus, melius dixit fore Spartæ, ſi Samius hoſpes ſuus ex Peloponeſo recederet, ne quem Spartiatarũ ſuis perſuaſionibus malum efficiat. Ac illi quidem obtemperantes, illo ipſo die Mæandrum edicto exegerunt. Quidam uerò cùm dixiſſet, cur Argiuos, qui ſæpe uobiſcũ bellum geſſerunt, parta uictoria nõ deleuiſtis? Si deleuiſſemus, inquit, qui noſtros iuuenes exercerent nõ haberemus. Rogante autem quodam, cur Spartiatæ dijs nõ dedicant ſpolia hoſtibus erepta: quia, inquit, à timidis ſunt. Quę igitur ab his qui ob timiditatẽ capti ſunt, parta ſunt, nec iuuenes intueri honeſtum eſt, nec dijs dicare.

CLEOMENES Cleombroti, quodam ei dante pugnaces gallos gallinaceos, ac dicente, illos certantes pro uictoria interire: Igitur aliquos, inquit, ex ijs qui illos interimunt, da mihi: nam illis hi ſunt meliores.

DAMONIDAS cũ à chori magiſtro in ultima chori parte locatus eſſet: Euge, inquit, ô chori magiſter, excogitaſti q̃ modo hic quoq; locus, alioq inhonoratus, fieret honoratus.

DAMIS ad ea quæ ſcripta erant ab Alexandro, ut deus decerneretur: permittamus, inquit, Alexandro, ſi uelit deus uocari.

DAMIDAS cùm Philippus Peloponeſum intraſiſſet, ac quidam dixiſſet: Periclitantur Lacedæmonij grauia pati, niſi cum Philippo in gratiã redeant: Semiuir, inquit, quidnam graue pati poſſumus, mortem contemnentes?

DERCYLLIDAS ad Pyrrhum caſtra in agro Spartano habentem legatus, Pyrrho ipſo iubente ut regem ſuum Cleonymum reciperent, niſi cognoſcere malint ſe nullo alio fortiores eſſe, excipiens inquit: Si quidem es deus, nihil timemus, neque enim iniuſti ſumus: ſin homo, nobis certè melior non es.

B DEMARATVS Oronte ipſum aſperius allocuto, cùm quidam dixiſſet: Aſperè ſe tecũ geſsit Orontes, ô Demarate: Nihil in me, inquit, peccauit: qui nanq; ad gratiam loquuntur, nocent, non qui cum odio. Quodam autem percontato, cur qui apud Lacedæmonios ſcutum abijciunt, ignominia afficiuntur, qui uerò galeas thoracaſue, minimè: Quia hæc, inquit, ſua ipſorũ cauſa induuntur, ſcutum uerò cõmunis aciei gratia. Idem cantorẽ cùm audiſſet: non male, inquit, mihi nugari uidetur. In quodam autẽ conſeſſu rogatus, utrum propter fatuitatem, an propter ſermonis inopiam taceret: Atqui fatuus, inquit, tacere nõ poteſt. Sed quodã interrogante, cur rex cùm eſſet, Spartã fugeret: Quia leges, inquit, ſunt illic potentiores. Cùm uerò Perſarum quidam aſsiduis muneribus concubinum ſuum abduxiſſet, ac diceret: ô Lacon, puerũ quem amas uenatus ſum: At minimè, inquit, per deos tu quidem, ſed emiſti. Perſarum autẽ quidam cùm à rege defeciſſet, à Demaratoq; perſuaſus rediſſet, ac Perſam ipſum rex occidere uellet: Turpe eſt, inquit, rex cùm tibi quidem erat inimicus, tum nõ potuiſſe ab ipſo defectionis pœnam ſumere, nunc uerò cùm factus eſt amicus, necare. Sed ad regis paraſitum ſæpius exilium ſibi exprobrantem: Nõ pugnabo, inquit, tecum ô hoſpes, nam uitæ ordinem abſumpſi.

EMEREPES Ephorus Phrynidis muſici duas è nouem chordis bipenni excîdit, dicens: Muſicam ne depraues.

EPAENETVS omnium dictitabat & delictorum & iniuriarum mendaces eſſe autores.

EVBOIDAS quoſdam audiens uxorem alienam laudantes, non approbabat, quòd diceret, nullum omnino uerbum de muliebri ingenio ab externis eſſe faciundum.

EVDAEMONIDAS Archidami filius Agidiſq; frater, cùm in Academia Xenocratem iam ſeniorem cum familiaribus diſputantem audiſſet, interrogauit quiſnam ſenex eſſet. Cui cùm quidam reſpondiſſet, illum ſapientem eſſe uirum, ac ex eorum numero qui uirtutem quærerent: Et quando illa utetur, inquit, ſi etiamnum quærit? Audiens uerò philoſophum qui diſſerendo colligeret, ſolum ſapientẽ bonum eſſe imperatorẽ: Sermo quidem admirandus eſt, inquit, ſed qui illum facit, fide caret: neq; enim unquam tubarũ clangore fuit excitatus. Idem cùm Xenocrates quæſtionem iam ediſſeruiſſet, ac finem dicendi faceret, fortè aduenit: cumq; eorum quidam qui cum ipſo erant, dixiſſet: poſteaquàm nos aduenimus ceſſauit: Bene, inquit, ſiquidem iam ea dixerat quæ uolebat. Sed cùm ille dixiſſet, At pulchrum erat audire: An & ad eum qui cœnatus ſit uenientes, ut iterum cœnet

C rogemus? Percontante uerò quodam, cur ciuibus aduerſus Macedonas bellum decernentibus ipſe quietē agere probet: quia nolo, inquit, ipſos mendacij arguere. Sed alter cùm uictorias de Perſis partas cōmemoraret, ad bellumq́ꝫ exhortaret: Ignorare mihi uideris, inquit, idem non eſſe, mille pecora ſuperare, & cum quinquaginta lupis pugnare. De cantore autem quodam approbato interrogatus, qualis ſibi eſſe uideretur: Magnus, inquit, in re parua delinitor. Quidam uerò quū Athenas laudaret: Ecquis, inquit, eam urbem laudet, quam nemo probus unquam dilexit? Cùm autem quidam Argiuus dixiſſet, Laconas peregrinationibus deteriores fieri, quippe qui à patrijs legibus recedant: At non uos, inquit, Spartam uenientes peiores euaditis, ſed meliores. Alexander uerò cùm in Olympijs edixiſſet, omnibus exulibus in ſuam cuiq́ꝫ patriā reditum patêre præterq́ꝫ Thebanis: Aduerſum quidem uobis, ô Thebani, inquit, edictum, ſed glorioſum: ſolos nāq́ꝫ uos Alexander timet. Idem interrogatus, cuius rei gratia Muſis ante pericula immolent Spartiatę: Vt præclaris, inquit, geſtis, præclaræ quoq́ꝫ orationes contingant.

EVRYCRATIDAS Anaxandridæ percontanre quodam, cur de contractibus Ephori iura quotidie reddant: Vt, inquit, inter hoſtes quoq́ꝫ fidem mutuam habeamus.

HERONDAS cùm Athenis quidam ocij damnatus foret, iuſsit oſtendi ſibi eum, qui in cauſa liberali conuictus foret.

HIPPODAMVS: quando Agis contra Archidamum aciem inſtruebat, cùm ab Agide Spartam remitteretur, ut illic quæ neceſſaria forenr præpararet: At hîc, inquit, nónne præclarius diem obibo, ſi pro omnibus fortiter fecero? Natus autem erat annos ultra octoginta. Sumptis igitur armis ſtans ad regis dexteram pugnando fuit interfectus.

HIPPOCRATIDAS ad Cariæ ſatrapam, à quo literas acceperat de Lacedæmonio uiro, qui inſidiantibus quibuſdā inſidiarum conſcius tacuerit, rogatusq́ꝫ erat, quomodo uti illo deberet, reſcripſit: Si quo magno quidem bono ipſum affeciſti, occîde: ſin minus, è regione pelle, ut qui ad uirturem timidus ſit. Cùm autē quidam adoleſcens, quem amator ſequebatur, ipſi occurriſſet, ac ſe auertiſſet: Cum ijs, inquit, eundum eſt, quibus cum uiſus eundem ſerues colorem.

D LABOTVS cùm quidam longa uteretur oratione, quid mihi, inquit, de paruis rebus longa procemia? Nam quanta res eſt, tanta & oratio qua uteris eſſe debet.

LEOTYCHIDAS primus cùm à quodam facilè mutari diceretur: Propter tempora, inquit: nō ut uos, propter ueſtrū ipſorū uitiū. Ad eum uerò qui rogabat, quo modo quis maximè præſentia bona tueretur: Si nō omnia, inquit, fortunę crediderit. Interrogatus quoque, quid ingenuos pueros diſcere potiſsimū oporteat: quæcunq́ꝫ, ait, ipſos cùm uiri fuerint, iuuent. Quodam autem rogante, quam ob cauſam parum bibant Spartiatæ: Ne pro nobis, inquit, alij conſultent, ſed nos pro alijs.

LEOTYCHIDAS Ariſtonis ad eum qui dixerat, Demarati filios ipſi maledicere: Per deos, inquit, nihil miror: neq́ꝫ enim illorum quiſquā bene dicere poſſet. Cùm autem propinquioris portæ claui draco circumuolutus foret, ac uates monſtrum eſſe denunciarent: Minimè, inquit, mihi quidem uidetur, ſed ſi clauis draconi circumuoluta foret, mōſtrum eſſet. Ad Philippum uerò Orphei ſacris initianrem prorſus quidem mendicū, ſed aſſerentem omnes apud ſeipſum initiatos poſt uitæ finem felices fore: Cur igitur, inquit, ô ſtolide, quamprimùm non moreris, quò & infelicitatem, & egeſtatem flere deſinas?

LEON Eurycratidis interrogatus, quam quis urbem incolens tutus ſit: Vbi, inquit, neque plura, neque pauciora inhabitantes poſsideant, & ubi iuſtitia polleat, & iniuſtitia iaceat. Curſores autē in Olympijs ſpectans de emiſsione ſolicitos eſſe, ut meliore quiſq́ꝫ forent conditione: Quanto, inquit, magis curſores uelocitati ſtudent, quàm iuſtitiæ. Quum uerò quidam intempeſtiuè de rebus non inutilibus diſſeruiſſet: Non opportunè, inquit, ô hoſpes, opportuno uteris.

LEONIDAS Anaxandridæ filius, & Cleomenis frater, ad quendam dicentem, Præterquàm quòd rex es, nihilo nobis præſtas: Atqui nunq́ꝫ, ait, niſi uobis melior eſſem, rex fuiſſem. Cùm autem Gorgo uxor percontaret, quando ad Thermopylas proficiſcebatur cum Perſis dimicaturus, nunquid ſibi mandaret: Vt, inquit, & probis nubas, & probos liberos parias. Dicentib. uerò Ephoris, paucos ad Thermopylas ab ipſo duci: Et ad quod, inquit, uadimus opus? Sed cùm illi iterum dixiſſent, nūquid aliud facere decreuiſti? Tranſitum, inquit, barbarorum uerbo quidem impedire, ſed re ipſa pro Græcis mortem obire. Atqui in Thermopylis cùm iam eſſet, ait ad cōmilitones: Dicunt barbarum in proximo eſſe, quare tempus non eſt terendum: iam enim aut uinci à nobis barbaros, aut nos mori

licet,

A licet. Et quopiam dicente, propter barbarorũ ſagittas ſolem uidere non eſt: Ergo cum ip-
ſis, inquit, iucundè in umbra pugnabimus. Cùm uerò alius dixiſſet: Adſunt prope nos:
Igitur, inquit, & nos prope illos. Sed cùm alius dixiſſet: Aduerſus multos, ô Leonida,
cum paucis periclitaturus ſic ades? Si me quidem multitudini fidere putatis, ne tota qui-
dem Græcia ſufficeret: nam parua illorũ multitudinis pars eſt. Sin autẽ uirtutibus, & hic
numerus eſt ſatis. Alio uerò idẽ dicente: Attamen, inquit, multos ut morituros duco. Xer
xes autem cùm ipſi ſcripſiſſet: Licet tibi cum dijs nõ pugnanti, ſed mecũ militãti, Græciæ
principatum obtinere. reſcripſit: Si uitæ bona cognoſceres, longè ab alienorũ cupiditate
abeſſes. Mihi uerò melius eſt pro Græcia mori, quàm cõtribulibus & finitimis imperare. Sed
cùm Xerxes iterũ ſcripſiſſet: Mitte arma. reſcripſit: Veni & cape. Cùm uerò iam hoſtes ag
gredi uellet, belli præfecti dixerũt, oportere ipſum alios expectare: neque enim adeſſe, qui
ſunt pugnaturi: An ignoratis, inquit, eos ſolos cõtra hoſtes pugnare, qui reges & uerenẽ
& timent? Militib. autẽ præcepit, pranderẽt tanquam apud inferos cœnaturi. Idem interroga
tus, cur fortiſsimi uiri clarã mortẽ obſcuræ uitæ anteponãt: Quia, inquit, hoc quidẽ naturæ
propriũ, illud uerò ſuũ ipſorũ eſſe putãt. Iuuenes uerò cœlibes uolens ſeruare, cùm ſciret
eos id apertè nõ toleraturos, ſcytalis unicuique ipſorum datis ad Ephoros miſit. Ac tres quoque
ex ijs qui duxerãt uxores, ſeruare uolebat: ſed quũ ipſi id animaduertiſſent, ſcytalas accipe
re nõ ſuſtinuerũt. Ac eorũ quidẽ unus dixit: Nõ præco, ſed pugnator te ſum ſecutus. Alter
uerò: Hîc manẽs melior ero. At tertius: Nõ horũ poſtremus, inquit, ſed primus pugnabo.

LOCHADVS Polyænidæ filius & Sironis pater, cùm quidam ei nunciaſſet, alterum è
filijs mortuum eſſe: Iampridem, inquit, ſciebam illum mori oportere.

LYCVRGVS ille legumlator uolens ex eo uiuendi modo qui antea fuiſſet, ad tempera
tiorem uitæ ordinem ſuos ciues traducere, ac honeſtos forteſque efficere (nam delicatiores
erant) duos educauit catulos ex ijſdem parentibus natos, quorũ alterum quidem gulæ aſ-
ſuefecit, domi eſſe permittens: alterum autẽ educens ad uenationẽ exercuit. Deinde illis
in concionem adductis, diſpoſuit & ſpinas & quædã gulæ irritamenta, poſtea uerò etiam
leporem dimiſit. Sed cùm ad cõſueta uterque cucurriſſet, ac leporẽ alter cepiſſet: Videte, in-
B quit, ô ciues, cùm ex eodem ſint genere, quàm diſſimiles ob educationẽ inter ſe euaſerint,
quantòque efficacior quàm natura ad res honeſtas ſit exercitatio. Quidam tamen ferũt ip-
ſum educaſſe catulos non ex ijſdem ortos, ſed alterum ex domeſticis, alterũ è uenatorijs:
ac peiori quidem ex genere natum ad uenatoria exercuiſſe, ex meliori autẽ ganeæ & gu-
læ ſolùm aſſuefeciſſe: ac poſtea cùm uterque ad ea quibus aſſuetus erat, impetum feciſſet, a-
pertèque patêret quantùm educatio & ad meliora ualeat & ad peiora, Igitur & nos ô ciues,
inquit, nihil generoſitas, quæ uulgo eſt admirationi, & ab Hercule ductum genus iuuat,
niſi ea faciamus, per quæ ille hominũ clariſsimus fortiſsimuſque eſt uiſus, per totam uitã ho
neſta diſcentes ac exercentes. Ac facta agri diuiſione, æqualique omnibus ciuibus portione
diſtributa, fertur cùm aliquãdo per agrũ Laconicũ paulò antè demeſſum peregrè ueniens
tranſiret, intuitus aceruos iuxta ſe inuicẽ poſitos ac æquales, gauiſus eſſe, atque ijs qui ade-
rant dixiſſe: Quàm tota Laconica uidetur eſſe multorũ fratrũ, qui nuper illam inter ſe diuiſe
rint. Cùm autẽ nouas tabulas & debitorũ ſublationẽ inuexiſſet, omnes quoque res domeſti
cas ex æquo diuidere aggreſſus eſt, ut omnẽ & imparitatẽ & inæqualitatẽ penitus aufer-
ret. Sed quoniã uidebat pleroſque diuitũ manifeſtam priuationẽ ægrè ferentes, numũ & au
reum & argenteũ irritum effecit, ferreoque duntaxat uti iuſsit, ac quouſque tota ſubſtãtia ha-
benda foret, ex illius permutatione definiuit. Quo quidem facto omnis ex Lacedæmone
iniuſtitia excidit. Nam neque furari, neque largitionibus corrumpere, neque auferre aut rapere
cuiquã amplius libebat, quod nec abſcõdere, nec iucundè poſsidere, nec ſine periculo uti
poterat, nec uel exportare, uel importare tutum erat. Ad hæc, quæcunque peregrina quoque
& ſuperuacanea ex urbe eiecit: quare neque mercator, neque rhetor, neque uates circulatórue,
neque apparatuũ artifex Spartã ingrediebatur. Neque enim numus apud ipſos utilis relictus,
ſed ferreus ſolũ in uſu erat, quæ quidem eſt mina pondere Aeginetica, ui autem æreí qua
tuor. Quũ uerò delitias inuadere, ac diuitiarũ amorem auferre cogitaſſet, conuiuia publi
ca inuexit. Ad illos autẽ qui quærebãt, cur illa inſtituiſſet, atque ita diſtinxiſſet, ut ciues pau
ci cum armis ſimul diſcumberent: Vt, inquit, prõptè imperata accipiant, & ſi quid innoua
uerint, in paucis ſit peccatũ. Aequalitas uerò & cibi & potus erat, ac non ſolùm epulis di-
ues pauperi nõ præcellebat, ſed ne ſtrato quidẽ, aut uaſis, aut prorſus ulla alia re ſuperior
erat. Sed quũ diuitias uiles effeciſſet, quippe quas nemo uel in uſu habere, uel oſtẽtare uel
let, ad familiares dicebat: Quàm pulchrũ eſt, ô ſodales, re ipſa demõſtrare, quales omnino

C ſint diuitiæ: ſunt enim cæcæ. Præterea cauit ne iјs qui domi antè cœnaſſent, liceret ad pu-
blica conuiuia ire, aliјs epulis potionibusq́; repletis. Vituperabant autē reliqui eum qui
neq; biberet ſecū, neq; comederet, perinde atq; incontinentē, & à cōmuni uictu propter
mollitiem alienū. Quicunq; uerò deprehenſus fuiſſet mulctabat̃. Vnde Agis, qui multò
pòſt tempore fuit rex, ab exercitu reuerſus (nam Athenienſes debellauerat) cùm uellet
quodam die apud uxorē cœnare, ac portiunculas poſceret, belli præfecti nō miſerunt: ſed
cùm poſtridie id Ephoris innotuiſſet, mulctatus eſt. Iſtiuſmodi igitur legū conſtitutiones
cùm diuites ægreferrent, in illum inſurrexerūt, conuiciјs proſequentes, cædentesq́;, & la-
pidare uolentes: ac è foro pulſus ab iјs qui eum perſequebant̃, alios quidem præteriens
in templum Chalciœcæ Mineruæ confugit, ſed Alcander ipſi reſpicienti oculum baculo
eruit. Quem publico quidem decreto cùm ad ſuppliciū poſtea accepiſſet, neq; ullo malo
affecit, neq; accuſauit, ſed unà uiuentē ſecum habens, effecit & ſui laudatorem, & uictus
quo utebatur, & prorſus inſtitutionis illius approbatorē. Cæterū calamitatis illius monu
mentum in luco Chalciœcę Mineruæ ſacellū erexit, ac Optiletin appellauit. Nam oculos
Dorienſes, qui in illa ſunt regione, optilos uocant. Interrogatus autē cur legibus ſcriptis
nō ſit uſus: quia, inquit, rectè eruditi ac bene honeſtéq; inſtituti, temporis rationē habēt.
Percontantibus uerò quibuſdā cur tectū à ſecuri ſabrefactū domibus imponi iuſsiſſet, ia-
nuam autē ſolùm à ſerra, nulloq́; aliorū inſtrumentorū: Vt ciues, inquit, omnib. in rebus,
quas in domū inferūt, mediocritate utant̃, & nihil eorū quæ aliјs chara ſunt habeant, qua
lia ſunt pocula, & lecti, ac menſæ precioſæ. Ex hac uerò conſuetudine ferunt & Leotychi
den primū regem apud quendā cœnantē, cùm ſumptuoſam cōtignationis domus cōſtru
ctionē & lacunatā ſpectaſſet, interrogaſſe hoſpitē, an quadrata apud ipſos ligna naſceren
tur. Interrogatus etiā cur in eoſdē hoſtes uetuiſſet ſæpius expeditionē facere: Ne ſæpe, in-
quit, repugnare aſſueti, bellandi peritiam aſſequant̃. Vnde & Ageſilao nō paruo crimini
datum eſt, quòd aſsiduis in Bœotiam incurſionib. Thebanos Lacedæmoniorū hoſtes in-
ſtruxiſſet. Vulneratum igitur ipſum cùm uidiſſet Antalcidas, accuſauit, quòd Thebanos
ipſos nec uolentes nec ſciētes pugnare, docuiſſet. Pulchra uerò, inquit, doctrinæ præmia
D accipis à Thebanis, cùm illos aſſuefeceris ac docueris uel inuitos pugnare. Alio item quæ
rente, cur uirginū corpora curſibus & luctis, ac iaculorū diſcorumq́; iactibus exercenda
cenſuiſſet: Vt ſtirps, inquit, eorū qui gignerent̃, ualidum in ualentibus corporibus princi
pium ſumens, bene germinaret, ac ipſæ partus robuſtè perferentes, facilè ſimul & fortiter
dolotibus reſiſtant: & ſi qua neceſsitas coëgerit, poſsint & pro ſeipſis, & pro filiјs, & pro
patria pugnare. Sed uirginū in pompis denudationē quibuſdam accuſantibus, & cauſam
quærentibus: Vt iјſdem, inquit, ſtudiјs quibus & uiri exercitatæ, nihil minus neq; circa ro-
bur corporis & ſanitatē, neq; circa animi ambitionē ac uirtutē habeant, & uulgatem glo-
riam contemnant. Vnde & Gorgo Leonidæ uxor ita reſpondiſſe memoratur. Cùm enim
quædam hoſpes, ut uidet̃, ipſi dixiſſet: Solæ uos Lacænæ uiris imperatis, reſpondit: Nem
pe nos ſolæ uiros parimus. Cœlibes uerò à ſpectaculo gymnicorū ludorū prohibendo,
ignominiaq́; afficiendo, magnā liberos gignendi curam iniecit. Nam honore eo ac reue-
rentia, quam iuuenes ſenioribus exhibebant, illos priuauit. Vnde & illud in Dercyllidam
dictum, q̃uis ſpectatus eſſet imperator, reprehendit nemo. Illi nanq; aduenienti iuniorū
nemo ſede ceſsit, cùm dicerent pro ſe quiſq;: Ne tu quidem, qui mihi ceſſurus ſit, genui-
Virtus, non dos, in uxoris delectu ſpectanda. ſti. Quodam autē percontante, cur uirgines indotatas nubere lege cauiſſet: Vt neq; pro-
pter egeſtatē, inquit, aliquæ relinquātur innuptæ, neq; propter opulentiam colantur, ſed
unuſquiſq; puellæ mores ſpectans, ex uirtute faciat electionē. Nam ob id omnē quoq; fu-
catorium ornatum ex urbe eiecit. Cùm uerò nuptiarū tempus & maribus & fœminis ſta-
tuiſſet, ad eum qui cauſſm quærebat: Vt qui ex perfectis, inquit, generantur robuſti ſint.
Sed ad eum qui mirabatur, quòd ſpōſum cum ſponſa prohibuiſſet ſimul dormire, illumq́;
iuſsiſſet maximā diei partem cum æqualibus conuerſari, & totas quieſcere noctes, & fur-
tim ac pudibundè cum ſponſa coire: Vt & corporibus, inquit, ſint robuſti, & non ſatiati
amando ſemper ſint noui, & liberos ualidiores ædant. Vnguentum præterea, tanq̃ olei
corruptionē atq; perditionē, ac tingendi artē ut ſenſus adulationē, expulit. Omnibus au-
tem ornatus corporis artificibus Sparta interdixit, perinde atq; artis prauitate artes inqui
nantib. Tanta uerò temporib. illis mulierū pudicitia erat, tantūq; à facilitate, qua poſtea
fuerūt inquinatæ, aberāt, ut incredibile in ipſis prius adulteriū fuerit. Ac ſermo quidē Ge
radatæ cuiuſdam Spartiatæ antiquiſsimi memorat̃, qui ab hoſpite rogatus, quid adulteri
Spartæ patiant̃, nā ſe nullā uidere legē ſuper hoc à Lycurgo latā: Nullus, ô hoſpes, inquit,

adulter

A adulter apud nos eſt. Sed illo ſubijciente, Si igitur fieret? idem Geradatas: Quónam, in-
quit, modo adulter Spartæ fiat, ubi & diuitiæ, & delitiæ, & corporis ornamenta in nullo
ſunt honore, pudicitia autē ac modeſtia, & magiſtratuū obſeruantia magno æſtimantur?
Ad eum uerò qui cenſebat democratiā in urbe inſtituendam eſſe: Tu primus, inquit, in
domo tua conſtitue democratiā. Quodam autē percontante, cur tam exigua tenuiaq; ſa-
crificia ſtatuiſſet: Vt deos, inquit, uenerari nunq; deſinamus. Sola uerò certaminū cùm ea
permiſiſſet ciuibus certare, in quibus manus nō protenditur, quidam cauſam rogauit: hic
autē, Vt nemo ipſorū, inquit, laborādo deficere aſſueſcat. Sed cùm quidam interrogaret,
cur frequenter mutari caſtra iuberet: Vt hoſtibus, inquit, magis noceamus. Alio autē ro-
gante, cur turres oppugnare uetuiſſet: Ne uel à muliere, inquit, uel à puero, uel ab aliquo
ſimili homunculo, fortiores interimant. Conſulentibus uerò Thebanis de ſacrificio & lu-
ctu, quē Leucotheæ exhibent, reſpondit: Si deam quidem putatis, nō eſt lugenda: ſin ho-
minē, illi nō eſt ut deo ſacrificandū. Ad eos autē ciues qui quærebant, quomodo hoſtium
incurſionē repellerent: Si egeni, inquit, ſitis, nec plus alter altero quærat. Ac rurſus de mu
ris interrogantibus, minimè ſine muris eam urbem eſſe dixit, quæ uiris, nō lateribus coro
nata foret. Nutriebant autē & comam Spartiatæ, quandam Lycurgi de hac re legem cō-
memorantes, pulchros quidem coma honeſtiores fieri, deformes autē terribiliores. Præci
piebat uero ut in bellis, quotieſcunq; in fugam uertiſſent hoſtes ac uiciſſent, quouſq; con-
firmarent uictoria, perſequerent, ac ſtatim retrò cederent: neq; enim Græcorū eſſe, eos inte
rimere qui ceſsiſſent. Ad hoc utile quoq; eſſe aiebat: nam ſcientes eos qui aduerſus ſe pu-
gnant, parcere cedentibus, ac repugnātes occidere, utilius fugere ꝗ reſiſtere putant. Sed
quodam percōtante, cur hoſtiū cadauera ſpoliari uetuiſſet: Non ſolū, inquit, ne circa ſpo
lia occupati pugnam negligant, ſed etiam ut paupertatem unà cum aciei ordine ſeruent.

LYSANDER miſſas à Dionyſio Siciliæ tyranno precioſas ueſtes ſuis filiabus, nō acce-
pit, quòd diceret ſe uereri, ne illis indutæ deformiores uiderentur. Sed haud multò pòſt
cùm Dionyſius ipſe duas miſiſſet ſtolas, hortatuſq; foret, utram illarū uellet eligeret, ad fi
liamq; ferret: Ipſa, inquit, illa melius eliget: ac utraq; accepta abijt. Vafer autem ſimulator
B Lyſander factus, quū multa deceptionibus perageret, ac iuſtū in ſola utilitate, & honeſtū
in cōmoditate eſſe putaret, ueritatē quidē mendacio potentiorē eſſe dicebat, ſed utriuſq;
dignitatē & honorē uſu definiri. Ad eos uerò à quibus uituperabatur, quòd plurima deci
piendo perageret, ut Hercule indignus, & dolo, nō apertè quicq; gereret: ridens aiebat,
quô leonina pellis nō peruenit, uulpinā eſſe aſſuendam. Præterea alijs quoq; accuſantib.
ipſum, quòd quæ Mileti iurauerat tranſgreſſus eſſet: dicebat, pueros quidē talis decipere
oportere, ſed uiros iureiurando. Athenienſes uerò quū ex inſidijs uiciſſet apud Aegos. ſi-
ue Capræ flumina, & fame ipſos preſsiſſet, ad deditionē coēgit, & ad Ephoros ſcripſit: Ca
ptæ ſunt Athenæ. Cum Argiuis autē de terræ finibus cōtendentibus Lacedæmonijs, ac il
lis iactantibus ſe iuſtiora dicere: ſtricto gladio, Qui hunc, inquit, obtinet, de agri finibus
optimè diſſerit. Bœotos uerò dubitare uidens, utri parti adhærerent, quū per illorū agrū
tranſiret, miſit ad eos ſciſcitans, utrum rectis an inclinatis haſtis per illorū agrū tranſiret.
Megarenſis autē uir cùm in cōmuni conuentu contra ipſum loquendi licentia uteretur:
Tua, inquit, ô hoſpes uerba ciuitatis egent. Poſteaq; uerò Corinthij defecerūt, cùm iuxta
illorū muros tranſiret, Lacedæmonioſq; uideret pigrè inuadere, ac leporē è foſſa quidem
exilire ſpectaſſet: Non pudet uos, inquit, ô Spartiatæ, iſtiuſmodi hoſtes timere, quorū in-
ertia lepores in muris dormiunt? Eundem uerò in Samothracia oraculū petentē, quū ſa-
cerdos iuſsiſſet dicere, quid deterrimū in uita feciſſet, ipſe quoq; ſacerdotē interrogauit:
Vtrū iuſſu tuo, inquiens, an deorū hoc facere oportet? Ac illo dicēte, deorū: Tu igitur, in-
quit, mihi concede, ut illis, ſi percontent, dicā. Perſa autē interrogāte, quā maximè lauda
ret rempub. Quæ, inquit, fortibus & timidis cōuenietia retribuit præmia. Sed ad eum qui
dixerat, ipſum à ſe & laudari & defendi: Duos, inquit, boues in agro habeo, quibus quidē
tacentibus pulchrè ſcio uter ipſorū & operetur & ocietur. Quodam autē conuicijs ipſum
onerante: dic, inquit, frequenter, ô peregrinelle dic, nihil omittens, ſi fortè tuū ijs malis a-
nimū, quibus plenus eſſe uideris, euacuare poſsis. Poſt ipſius uerò mortē quū de ſocietate
diſſenſio foret, Ageſilaus ad Lyſandri domū ſe cōtulit, de ipſa literas inſpecturus: illas e-
nim penes ſe Lyſander tenebat. Sed librū quoq; à Lyſandro ſcriptū de repub. inuenit, ut
oportebat ab Eurypronidis & Agidis regnū auferri, & in medium poni, electionemq; ex
optimatibus fieri, ne eorū qui ab Hercule, ſed eius qui talis uirtute, qualis Hercules fuit,
iudicetur, præmium ſit, cùm præſertim & ille ad deorū honores ſola uirtute ſublatus ſit.

C Ac orationem quidem hanc ciuibus exhibere tentauit, ut oſtenderet qualis ciuis fuiſſet
Lyſander ignorari, & id quidem in Lyſandri amicorum calumniã. Sed Cratidem ferunt,
tunc inter Ephoros eminentem, ueritum ne lecta oratio perſuaderet, reprehendiſſe Age-
ſilaum ac dixiſſe, non ſolùm non oportere effodere Lyſandrum, ſed etiam orationem unà
cum ipſo defodere, callidè ad perſuadendum compoſitam. Eos uerò qui ipſius filias ſibi
deſponſaſſent, ac deinde poſt mortem, quia pauper inuentus eſt, aſpernarentur, Ephori
mulctauerunt: quia quem diuitem putantes colebant, eum & frugi & iuſtum ex pauper-
tate cognoſcentes deſpiciebant.

NAMERTES orator miſſus, cùm quidam ipſum beatum eſſe diceret, quòd multos ha-
beret amicos: interrogauit, an exploratum haberet, quo modo quis ſe multos habere ami
cos experiatur. Sed quum alter id diſcere quæreret: Aduerſa, inquit, fortuna.

NICANDER aſſerente quodam, Argiuos ipſi maledicere: Igitur dant pœnas, inquit,
bonis maledicentes. Quodam autem percontante, cur comam barbamq; nutriant Spar-
tiatæ: Quia, inquit, omnium pulcherrimus ac minimè ſumptuoſus uiro ſuus cuiq; eſt or-
natus. Cùm uerò Athenienſium quidam dixiſſet: Valde amplectimini ocium, ô Nican-
der: Vera, inquit, narras, ſed non ſicut uos prout contigit, huic rei ſtudemus.

PANTHOEDAS legatus in Aſiam uadens, oſtentantibus ei quibuſdam murum & ma
gnum & altum: Per deos, inquit, ô hoſpites, pulchra hæc eſt mulierum habitatio. In Aca-
demia uerò quum Philoſophi de multis & grauibus quidem diſſeruiſſent, ac deinde Pan
thœdam interrogaſſent, quid ſibi de illis ſermonibus uideretur: Quid nempe aliud, in-
quit, quàm quòd ſtudioſi, ſed utiles nihil, niſi uos ipſis utamini?

PAVSANIAS Cleombroti, Delijs cum Athenienſib. de inſula Delo diſceptantibus &
dicentibus, neq; mulieres ex lege quæ apud ipſos eſt, in inſula párere, nec mortuos ſepeli
ri: Quo igitur modo, inquit, ea ueſtra ſit patria, in qua nemo ueſtrûm nec natus eſt, nec e-
rit ſepultus? Exulibus autem ipſum hortantib. ad ducendũ in Athenienſes exercitũ, dicen-
tibusq; ab illis ſolis tum in Olympijs fuiſſe exibilatũ, quũ uictor fuit declaratus: Quid igi-
tur, inquit, putatis eos eſſe facturos, ſi quid mali à me paſsi fuerint, qui beneficio affecti exi
D bilant? Percontante uerò quodã, cur Tyrtæũ poëtã ciuitate donaſſent: ne, inquit, peregri
nus nobis dux fuiſſe uideatur. Idem ad eum qui quũ infirmus corpore eſſet, tamen conſu-
lebat cum hoſtibus terra mariq; periclitandum eſſe: Vis igitur, inquit, teipſum exuens o-
ſtendere qualis ſis, qui nobis ut pugnemus conſulis? Admirantibus uerò quibuſdã in bar
barorum ſpolijs ueſtium ſumptũ: Melius eſſet, inquit, ipſos multi fieri, quàm multi facien
da poſsidere. Poſt uictoriam autem de Medis apud Platæas partam, iuſsit Perſicã cœnam
antea ab illis præparatã ſibi apponi, in qua quidem cùm admirandus ineſſet ſumptus: Per
deos, inquit, lurco Perſa erat, qui cùm tot haberet, ad noſtram uenerit mazam.

PAVSANIAS Pliſtanactis ad quendã interrogantẽ, cur ex priſcis legibus nullam mo-
uere apud Spartiatas liceret: Quia leges, inquit, hominũ, non homines legum dominos
eſſe oportet. Cùm autẽ ipſe Lacedæmonios Tegeæ, ubi exulabat, laudaret, ac quidam di-
xiſſet, Cur igitur Spartæ non manebas? cur illinc aufugiſti? Quia, inquit, ne medici quidẽ
apud ſanos, ſed ubi ſunt ægroti, uerſari conſueuerunt. Idem quodã percontante, quo mo-
do Thraces debellare poſſent: ſi optimũ, inquit, imperatorẽ delegerimus. Medicus uerò
cùm ipſum inſpiceret, ac diceret, Nihi mali habes: Te nempe, inquit, medico non utor.
Amicorum autem quodam ipſum accuſante, quòd medico cuidam detraheret, nullam e-
ius peritiam habens, ac ne ulla quidem iniuria affectus: Quia, inquit, ſi de illo periculum
feciſſem, nequaquam uiuerem. Sed quum medicus ipſi dixiſſet, At ſenex factus es: Quia
te, inquit, medico non ſum uſus. Optimum autem illum dictitabat eſſe medicum, qui æ-
grotantes tabeſcere non ſineret, ſed quamprimùm ſepeliret.

PAEDARETVS quodam dicente, multos eſſe hoſtes: Nos igitur, ait, maiorem gloriã aſ-
ſequemur, nam plures interficiemus. Cùm autem quendam uidiſſet natura quidem mol-
lem, ſed qui propter modeſtiam à ciuibus laudaretur: Nec uiros, inquit, mulieribus ſimi-
les laudare oportet, nec uirorum ſimiles mulieres, niſi mulier aliqua neceſsitate cogatur.
Inter trecentos autem quum non eſſet delectus, qui honor in urbe ordine primus erat, hi-
laris quidem ac ridens abibat: ſed reuocatus ab Ephoris, & interrogatus cur rideret: quia
gratulor, inquit, ciuitati trecentos ciues quàm ego ſim meliores habenti.

PLISTARCHVS Leonidæ ad eum qui interrogarat, quã ob cauſam à primis regibus
non cognominarentur: Quia illi magis, inquit, duces eſſe quàm regnare uolebant, illo-
rum autem poſteri minimè. Quum uerò cauſidicus quidam ridicula diceret: Nõ ceſſabis,
inquit,

A inquit, ô hoſpes, à ridiculis continuè dicendis, ne ridiculus fias, ut qui aſsiduè luctantur, luctatores? Dicente autem quodam ipſum à maledico laudari: Miror, inquit: niſi ſi quis illi dixit me mortuum eſſe: nam uiuentem ille poſſet laudare neminem.

PLISTONAX Pauſaniæ filius cùm Atticus quiſpiã rhetor inſcitiã Lacedæmonijs obijceret: Rectè, inquit, narras, nam è Græcis omnibus ſoli nos mali nihil à uobis didicimus.

POLYDORVS Alcamenis, cùm quidam inimicis aſsiduè minitaretur: nõ uides, inquit, maximam ultionis partem abs te conſumi? Cùm uerò contra Meſſenem exercitum educeret, interrogauit quidam, an eſſet aduerſus fratres pugnaturus: minimè, dixit, ſed ad regionem nondum ſortitam ſe proficiſci. Argiuis autem poſt trecentorũ illorũ pugnam uniuerſis acie ſuperatis, Polydorũ ſocij exhortabant, ne occaſionẽ prætermitteret, ſed hoſtiũ murum inuadens urbem caperet. Faciliimũ nanq; futurum, cùm & uiri perierint, & uxores deſertæ ſint. Ad eos igitur dixit: Hoſtes quidem pugnando ex æquo uincere mihi eſt honeſtum: ſed qui pro agri finibus pugnauerit, eum affectare ut capiat urbem, minimè iuſtum eſſe duco. Nam ueni ut agrũ recuperarẽ, nõ ut urbem occuparẽ. Interrogatus autẽ, cur Spartiatę in bello fortiter periclitent? quia duces, inquit, uereri, nõ metuere didicerũt.

POLYCRATIDAS ad regios duces legatione fungens cum quibuſdam alijs, ab illis interrogatus, utrũ priuatim aduenißent, an publicè miſsi fuiſſent: Si impetrauerimus, inquit, publicè: ſin minus, priuatim.

SOEBIDAS ante periculum Leuctricum quibuſdam dicentibus, illum ipſum diem oſtenſurum eſſe fortem uirum: Multi faciendum, inquit, diem, qui uirum fortem ſaluum monſtrare poſsit. Fertur cùm in loco difficili & aquæ indigo à Clitorijs obſideretur, pactus eſſe, ut terra bello parta illis cederet, ſi omnes unà ſecum milites è proximo bibiſſent fonte: nam illum hoſtes præſidijs tenebant. Percuſsis igitur fœderibus, quum eos qui ſecum erant induxiſſet, ut regnum ei darent qui nõ bibiſſet, ac nemo ſitim tolerare potuiſſet, ſed omnes bibiſſent, ipſe poſt omnes deſcendit, & circũaſperſus, hoſtibus adhuc præſentibus, agrum, ut qui non bibiſſet, & inuaſit & recepit.

TELECRVS ad eum qui dixerat, patrẽ ipſi maledicere: niſi, inquit, dicendum ei foret,
B nunq; dixiſſet. Cùm uerò frater queſtus eſſet, quòd à ciuibus nõ ſimiliter acciperet ut ille, quũ ex ijſdem ſit natus, ſed ingratius: Tu nempe, inquit, iniurias, ut ego, pati neſcis. Interrogatus autẽ cur apud Spartiatas conſuetudo ſit, ut iuniores ſenioribus aſſurgant: Vt in ijs, qui nihil attinent, inquit, honorandis ita ſe gerentes, magis honorent parentes. Quodam uerò percontante, quantas diuitias poſsideret: nõ maiores, inquit, q; quæ ſint ſatis.

THEARIDAS enſem acuens quum interrogaretur an acutus eſſet: Acutior eſt, inquit, quàm calumnia.

THECTAMENES ab Ephoris morti adiudicatus abibat ridens. Sed cùm quidam ex ijs qui aderant interrogaſſet, an etiam Spartæ iura contemneret: Minimè, inquit, ſed lætatus ſum, quia me oportet hanc exoluere mulctam, quam neque à quopiam petij, nec mutuò accepi.

THEMISTEAS quũ eſſet uates, Leonidæ regi futurum apud Thermopylas & ipſi & cõmilitonibus exitium prædixit. Sed quum Lacedæmonẽ à Leonida remitteretur ſub prætextu quidem annunciandi quæ futura erant, ſed reuera ne periret, non ſuſtinuit, ſed dixit: Pugnator miſſus fui, non ut nuncios ferrem.

THEOPOMPVS ad eum qui rogarat, quo modo quis regnum ſecuriſsimè tueretur: Si amicis, inquit, libertatẽ iuſta loquendi conceſſerit, & ſubditos qui iniuria afficiantur, pro uiribus non neglexerit. Ad hoſpitem uerò dicentem, ſe à ciuibus philolacona, & Lacedæmonijs amicum uocari: Melius, inquit, eſſet te philopoliten & amicũ ciuibus, quàm philolacona nominari. Quum autem Eleorum legatus dixiſſet, ſe idcirco à ciuibus miſſum, quòd ſolus Laconicæ uitæ ſit ſtudioſus: Et utra, inquit, ô Elee uita, tua'ne an aliorum ciuium melior eſt? Is uerò cùm, mea, dixiſſet: Quo igitur modo, inquit, urbs ſeruari poſsit, in qua duntaxat unus de multis probus ſit? Quodam præterea dicente, Spartam idcirco ſeruari, quia reges ſcirent imperare: Minimè, inquit, ſed quia ciues parêre. Cùm uerò Pylij maiores ipſi decreuiſſent honores, ſcripſit: Mediocres quidem honores tempore augeri, ſed excedentes nimiosq; euaneſcere.

THERYCION Delphis rediens quum Philippi caſtra in Iſthmo anguſtiasq; occupatas uidiſſet: Malos, inquit, ianitores uos, ô Corinthij, Peloponeſus habet.

ZEVXIDAMVS percontante quodam, cur de fortitudine leges ſine ſcriptis ſeruent, nec deſcriptas iuuenibus præbeant legendas: Quia melius eſt, inquit, aſſueſcere fortibus

C geſtis, quàm ſcripturis ſtudere. Aetolo autē quodam dicente, bellum pace aptius eſſe for-
titer facere uolentibus: Minimè, inquit, per deos: ſed his mors eſt quàm uita melior.

Varia diuerſorum Laconum apophthegmata.

SPartiatæ Samiorum legatis longiore uſis oratione dixerunt: Priora quidem obliti ſu-
mus, ſed nec poſteriora percepimus, quòd prima memoria exciderunt.
LACON interrogatus cur barbam perꝗ longam haberet, Vt canos, inquit, uidens, ni-
hil indignū illis faciam. Quendam uerò optimos pugnatores laudantē cùm Lacon audiſ-
ſet: Apud Troiam, inquit. Alius cùm audiſſet quoſdam cœnatos coactos bibere: nō & co
medere, inquit, cogūtur? Pindarus cùm ſcripſiſſet, Græciæ columen eſſe Athenas: Lacon
dixit, Græciam facilè ruituram eſſe tali columine innitentē. Quidam autē in tabula picta
cùm Lacones uidiſſet ab Athenienſibus iugulari, ac diceret, fortes nimirū Athenienſes:
Lacon fortè excipiens, In tabula, inquit. Aduerſus quendam libēter maledicta ex calum-
nia admittentē, Lacon dixit: Deſine cōtra me aures ſuppeditare. Ad eum uerò qui punie
batur, & dicebat, inuitus peccaui: caſtigare igitur Lacon inquit, etiā inuitus. Cùm Lacon
in peregrinatione ſedentes in curribus homines uidiſſet, Abſit ut ſibi ſedeam, inquit, un-
de nō eſt aſſurgere ſeniori. Chij cùm in peregrinatione quodam die póſt cœnam in Epho
rorum curia uomuiſſent, ac in illorum ſedibus cacaſſent, primū quidem Ephori ipſi ualde
perquirebant eos qui feciſſent, an ciues fortè eſſent: ſed poſtꝗ cognouerunt Chios fuiſſe,
edixerūt, ſe Chijs permittere petulantibus eſſe. Lacon duras amygdalas cùm duplo uen-
di uideret: An rari, inquit, lapides ſunt? Lacon luſciniam cùm depilaſſet, ac carnis perquā
exiguū inueniſſet: Vox, inquit, tu quidem es, & aliud nihil. Lacon Diogenē illum canem
cùm uidiſſet in magno frigore ſtatuam æream complectentē, percontatus eſt an frigeret.
quod cùm ille negaſſet, Quid igitur magnū, inquit, facis? Lacon Metapontino cuidam ti
miditatē exprobrabat: qui cùm dixiſſet, Atqui nō parum alienæ terræ poſsidemus: nō ſo-
lùm ergo timidi, inquit, ſed etiā iniurij eſtis. Peregrinus quidam Spartæ dum crepida ipſi
indueretur, in altero pede ſtans rectus ad Lacona dixit: Nequaꝗ puto te, ô Lacon, tantū
D temporis quantū ego in pede ſtare poſſe. At is excipiēs: Minimè, inquit, ſed ex anſeribus
nullus eſt qui nō. Cùm quidam arte rhetorica gloriaretur, Lacon inquit: Atqui per deos
ars niſi ueritatē contigerit, neq; eſt, neq; erit unꝗ. Argiuus quidā cùm olim dixiſſet, mul-
ta ſunt apud nos Spartiatarū ſepulchra: Lacon excipiens, At enim apud nos, inquit, Argi
uorū nullū: quòd uidelicet ipſi Argos ſæpe inuaſiſſent, nunꝗ autē Argiui Spartā. Lacon
captiuus cùm uenderetur, ac præco diceret, Lacona uendo, os illi obſtruens dixit: Capti-
uum clama. Lacon quidā eorū qui cum Lyſimacho militabant, ab ipſo interrogatus, num
aliquis ex helotibus eſſet: Tu uerò putas, inquit, Lacona quenquā ad tuos quatuor obo-
los eſſe uenturū? Thebani Laconibus apud Leuctra uictis, cùm ad ipſum uſq; Eurotam
iuiſſent, ac iactabundus quidam dixiſſet, Vbi nunc Lacones ſunt? Lacon ab illis captus:
Non adſunt, inquit: neq; enim uos huc ueniſſetis. Athenienſibus autē rogantibus quan-
do urbem tradiderunt, ut ſibi Samū relinquerent: Lacones dixerunt, Cùm ueſtri nō ſitis,
tunc & alios habere quæritis. Vnde & illud prouerbiū: Qui ſe ipſe non habet, Samū uult.
Lacedæmonij cùm urbem quandā ui cepiſſent, Ephori dixerunt, iuuenū certamē periſſe:
nam poſthac nō habebunt, quib. cum pugnēt. Aliam uerò urbē pollicente ipſorū rege ſe
penitus euerſurū, quæ Lacedæmonios multis ſæpe moleſtijs affecerat, non permiſerūt E-
phori, dicētes: Ne deſtruas tollas'ue iuuenū cotem. Luctantib. pueris magiſtros qui illos
exercerent Lacedæmonij nō præficiebant, ut non artis, ſed uirtutis æmulatio foret. Vnde
& Lyſander interrogatus, quo modo à Charonte uictus eſſet: multa, inquit, arte. Philip-
pus cùm in Laconicū agrum perueniſſet, ad Lacedæmonios ſcripſit, utrū amicū ſe uellent
uenire, an hoſtē? Neutrū reclamauerunt. Legatū quendā cùm ad Antigonū Demetrij fi-
lium miſiſſent, mulctauere, quòd regem acceperāt ab ipſo fuiſſe uocatū: tametſi ſingulos
tritici modios ſingulis in magna frumēti penuria ab rege ipſo reportaſſet. Demetrio quæ
rente, quòd legarum unum ad ſe miſiſſent: Non igitur ſatis, inquiunt, ſi ad unū unus? Fla-
gitioſus quidam cùm optimā dixiſſet ſententiā, ipſam quidem approbarunt, ſed illi abla-
tam, alij qui bene uixerat, adſcripſerunt. Cùm fratres inter ſe contenderent, patrē mulcta-
uere, quòd filios diſsidentes negligeret. Cantorē peregrinū mulctarūt, quòd digitis citha
ram pulſaret. Cùm duo pueri fortè pugnarent, alter letali uulnere alterū falce percuſſit. Fa
miliaribus autem pueris quum is moriturus eſſet, pollicentibus ſe uindicaturos, ac illum
qui uulnerauerat eſſe necaturos: Minimè per deos, inquit: neq; enim iuſtū eſt: nam & ego
hoc

A hoc idem feciſſem,ſi occupaſſem,ac fortis fuiſſem. Alius quidam puellus,cùm adeſſet tem
pus quo lege cautum erat, ut ingenui pueri quod quiſqꝫ poſſet ita furarent̃, ne deprehen-
derentur in furto (nam id turpe erat) uiuam uulpeculam, quam pueri quibus cum erat, ſu
rari fuerant, accepit ſeruandam. Sed aduenientibus ijs qui amiſerant, ad quærendũ illam,
ſub ueſte quamprimũ occultauit. Fera uerò ſæuiente, ac pueri ipſius latus ad uiſcera uſqꝫ la
cerante, tantiſper tolerauit ne deprehenderet̃, dum ij qui quærebant abiſſent. Sed quum
pueri id quod factum erat uidiſſent, accuſarentqꝫ dicentes: Melius erat manifeſtare uul-
peculam, ꝙ uſqꝫ ad mortẽ occultare: Minimè uerò, inquit: ſed ſatius eſt doloribus immo-
ri, quàm in furto deprehendi, ac propter mollitiẽ turpiter uitã affectaſſe uideri. Cùm qui-
dam in itinere Laconibus obuiãtes dixiſſent: Fortunati nimirũ eſtis, cùm hinc nuper abie
rint latrones: Atqui non, per Martẽ, nos, Lacones inquiunt, ſed illi quia in nos non inci-
derunt. Lacon interrogatus quid ſciret: liber eſſe, inquit. Puer Spartiata ab Antigono ca-
ptus & uenditus, emptori quidẽ in omnib. parebat, quæcunqꝫ ingenuo faciunda putabat.
Sed poſteaqꝫ dominus iuſsit illum matulam afferre, nõ ſuſtinuit, inquiens, non ſeruiã. Ac
inſtante quidẽ domino, is cùm aſcendiſſet in tectum, ac dixiſſet, ſenties quem emeris, ſeip
ſum præcipitauit, & mortuus eſt. Lacon quũ uenderet̃, quodã dicente: Frugi eris, ſi te e-
mero? Etiã ſi non emeris, inquit. Lacon captiuus quũ uenderet̃, præcone ſubinde claman
te, ſe mancipiũ uendere: execrande, inquit, non dices captiuũ? Lacon in ſcuto habens inſi
gne muſcam uera non maiorẽ, quũ quidã irridentes dixiſſent, illud eſſe factum ut lateret:
Imò uerò, inquit, ut ſim manifeſtus: ita nanqꝫ ad hoſtes accedo, ut hoc inſigne, quantũ eſt;
ab ipſis uideatur. Lacon in conuiuio illata lyra: Nequaquã, inquit, nugari Laconicum eſt.
Spartiata interrogatus an eſſet tuta ad Spartam uia: qualis, inquit, acceſſeris: nam leones
uadentes plorant, lepores autẽ in umbraculis uenamur. In palæſtrico manuũ nexu cùm
proſtratus quidã fruſtra percuteret, ad terramqꝫ traheret, corpore deficiens qui cadebat,
aduerſarij brachium mordebat. Cui alter: Mordes, inquit, ut fœminæ, ô Lacon: Minimè
uerò, inquit, ſed ut leones. Lacon claudus ad bellum egreſſus, cùm à quibuſdam irridere-
tur: Non eſt opus, inquit, fugientibus, ſed manentibus, ordinemqꝫ ſeruantibus. Lacon ſa-
B gitta percuſſus & uitam relinquẽs dicebat: Hoc mihi non eſt curæ quòd morior, ſed quòd
ab effœminato ſagittario, cùm nihildum geſſerim. Cùm Lacon ad diuerſoriũ ueniſſet, de-
diſſetqꝫ piſciculum cauponi præparandum, alterqꝫ & caſeum & acetum & oleum peteret:
Si iſta, inquit, habuiſſem, piſciculum nõ emiſſem. Lacon ad eum qui Lampen Æginetã
beatũ eſſe dicebat, quia ditiſſimus eſſe uidebatur, quòd multorũ nauigiorum dominus e-
rat: Nihil, inquit, curo felicitatem ex funibus pendentem. Quum Laconi quidam dixiſſet,
mentiris: reſpondit, Nam liberi ſumus, ſed alij ſi quãdo uera non dixerint, flebunt. Lacon
ſic erigere cadauer ut rectum ſtaret, quum tentaſſet, nec ullo modo poſſet: Per Iouem, in-
quit, aliquid intus eſſe oportet. Tynnichus Thraſybuli filij mortem fortiter tulit, in quem
huiuſmodi epigramma ſcriptum eſt:

Exanimis Pitanen clypeo Thraſybulus in acri
Confoſſus ſeptem uulneribus redijt,
Paſſus ab Argiuis, quæ tergo nulla gerebat.
Tynnichus hunc igni quum daret, hæc loquitur:
Flere decet timidos, oculis te nate ſepulchro
Condo meum ſiccis, ac Lacedæmonium.

Alcibiadi Athenienſi cùm aquæ plurimũ balneator infunderet, Lacon, quidnã hoc, ait,
quòd ut immundo ualdeqꝫ ſordido plus aquæ præbet? Cùm Philippus in agrum Laconi
cum impetum feciſſet, ac omnes perituri uiderent̃, quidã Laconi dixit: Quid nunc facietis
ô Lacones? Quid enim aliud, inquit, ꝙ quòd fortiter moriemur? Nam Græcorũ nos ſoli
& liberi eſſe, & alijs non parêre didicimus. Poſt aduerſam autẽ Agidis pugnã, Antipatro
petente obſides pueros quinquaginta, Eteocles Ephorus dixit, ſe pueros quidẽ nõ datu-
rum, ne paterna priuati educatione malis moribus imbuerent̃, qua ſanè carentes ne ciues
quidem eſſent: ſed ſenes ac mulieres duplo, ſi uelit, plures daturũ. Illo autẽ grauia minan-
te, niſi acciperet, una uoce reſponderunt: Si grauiora morte imperites, facilius moriemur.
Senex in Olympijs quũ ludi cõmitterent̃, ſpectare quidẽ cupiebat: ſed cùm ſede careret,
ad multaqꝫ loca ſe conferret, non ſolũ à quoqꝫ nõ admittebatur, ſed etiã irridebat̃, & cõui-
cijs afficiebat̃. Poſteaqꝫ uerò ad Lacedæmonios uenit, pueri omnes aſſurrexerũt, & multi
ex uiris loco ceſſerũt. Quũ autẽ id moris cuncti Græci plauſu approbaſſent, ac ſummis lau
dibus extuliſſent, ſenex ipſe cõmouit canũqꝫ caput barbãqꝫ ſenilẽ, ac lachrymãs: Heu ma

C la,inquit,quàm Græci omnes honeſta quidem cognoſcunt,ſed bis ſoli utuntur Lacedæ-
monij. Ferunt autem quidam idem Athenis quoque accidiſſe. Nam quum Panathe-
næa celebrarentur, Attici ſenem ſedere quærentē deludebant, inuitantes quidem illum
tanq; admiſſuri, ſed accedentē nō admittentes. Cùm autē ferè omnes iam præteriſſet, ad
Lacedæmonioſq; ſpectatores perueniſſet,uniuerſi è ſedibus aſſurgentes loco ceſſerūt. Id
uerò factū turba admirata,inſigni applauſu cōprobauit. Tunc autē Spartiatarū quidam,
Per gemellos,inquit,Athenienſes quidē honeſta ſciūt,ſed minimè faciūt. Mendicus à La
cone petijt: At ſi tibi dedero,ille inquit, magis mendicabis. Ac iſtius quidē turpitudinis
tuæ cauſa fuit,qui tibi primus erogauit,quippe qui te inertem reddidit. Lacon quendam
dijs cōgregantē cùm uidiſſet, nihil dixit ſe curare deos ſeipſo egeniores. Lacon adultero
cum turpi uxore deprehenſo: Miſer, inquit, quæ tibi neceſsitas? Lacon oratorē audiens
magnas periodos uertentē: Vehemens quidē homo iſte,inquit,ad nullū propoſitū bene
uoluit linguā. Cùm quidam Lacedæmonē ueniſſet, honoremq; ſpectaſſet quē iuniores
ſenioribus exhiberent: Spartæ,inquit,ſolùm ſeneſcere bonū eſt. Lacon interrogatus,qua
lis eſt Tyrtæus poëta? Bonus,inquit,ad excitandos iuuenū animos. Lacon oculorū mor-
bo laborans ad bellum proficiſcebať. Sed quibuſdam dicētibus quô abis ſic affectus? aut
quid facturus? Quāuis,inquit,nihil aliud egero,hoſtis ſaltem gladiū hebetabo. Buris &
Spertis Lacedæmonij ſpōtè profecti ſunt ad Xerxem Perſarū regem ad cruciatū,cui La-
cedæmon ex oraculo obnoxia erat,quòd caduceatores ad ſe à Perſa miſſos interemerant
Lacedæmonij. Poſtq; igitur ad Xerxem uenerūt,hortati ſunt eum,ut quoquo modo uel-
let,ſe pro Lacedæmonijs interimeret. At ille uirtutē eorū admiratus, cùm uiros abſoluiſ-
ſet,rogaretq; ut apud ſe manerēt: Et quónam,inquiūt,modo hîc uiuere poſſemus,patria
legibuſq; relictis, & his uiris,pro quibus tantum itineris fecimus morituri? Sed Indarno
præfecto magis magiſq; rogante,ac dicente ipſos in æquali honore ijs futuros,qui amici
regis maximè dignitate præſtarent: Nobis,inquiūt,ignorare uideris,quantū ſit libertatis
bonū, quam nemo cōpos mentis cum Perſarū regno permutaret. Lacon pridie quidē ab
hoſpite declinatus, ſed poſtridie lectis ſtratiſq; conductis liberaliter acceptus, ſtrata ipſa
D cōſcendit,& cōculcare cœpit,dicens: Propter hæc heri ne in palea quidem dormiui. La-
con quū Athenas fuiſſet,uidens Athenienſes ſalſamenta & opſonia uenditantes,& uecti
galia cōducentes,& lenocinia exercentes, aliaq; opera minus honeſta facientes, ac nihil
turpe exiſtimātes,reuerſus in patriam & à ciuibus rogatus quales Athenis res forent: om
nia,inquit,honeſta: per ſimulationē innuens omnia apud Athenienſes honeſta putari,ac
turpe nihil. Lacon de re quadam interrogatus reſpōdit,nō. Sed cùm is qui rogarat dixiſ-
ſet ipſum mentiri: Vides igitur,inquit,te ſtolidū eſſe, qui quæ noris interroges? Lacones
olim iuerunt legati ad Lygdamin tyrannū: ſed quū ille cōgreſſum ſæpius differret, dicens
ſe molliter habere: Dic illi,inquiūt legati,per deos,nos non ueniſſe cum ipſo colluctatu-
ros,ſed collocuturos. Laconē initians quidam interrogabat, quid maximè impium ſe fe-
ciſſe conſcius eſſet: Is uerò,hoc,inquit,dij ſciunt. Sed illo magis magiſq; inſtante ac dicen
te,omnino te dicere oportet: Lacon uiciſsim illum interrogauit, Vtri me dicere oportet,
tibi an deo? Cùm autē ille dixiſſet, Deo: Tu igitur,inquit,recede. Lacon noctu cùm ſepul
chrum tranſiret,ac dęmoniū quoddam uidere ſibi uiſus eſſet,incurrit lancea excepturus,
& inhærens,inquit: Quô me fugis bis peritura anima? Lacon cùm uoto ſe obſtrinxiſſet,
ut ſe ab Leucate proijceret,aſcendit, & inſpecta altitudine ſe auertit. Quod quidem cùm
illi probro daretur: nō putabam,inquit, hoc uotum alio maiore uoto indigere. Lacon in
acie cùm enſem foret in hoſtem illaturus, ſigno receptui dato non intulit. Sed quodam
percontante, cur hoſtem quem ceperat nō occidiſſet: Quia parêre,inquit,imperatori me-
lius eſt, quàm hoſtem necare. Laconi in Olympijs uicto quidam dixit, aduerſarius te for-
tior fuit: Nequaquam uerò, is ait, ſed in proſternendo aptior.

ANTIQVA LACEDAEMONIORVM INSTITVTA.

QVI ad publica ingrederentur conuiuia, eorum cuiq; natu maximus fores indicans di
cebat: Per has fores nullum egreditur uerbum. Cùm apud Laconas maximè probetur ius
quod nigrum uocatur, ut ſeniores carnibus quidem nō ueſcantur, ſed iunioribus cedant,
fertur Dionyſius Siciliæ tyrannus iuris ipſius gratia Laconicū emiſſe coquū, ac iuſsiſſe id
ſibi præparari nulla impenſæ habita ratione: ſed cùm guſtaſſet, indignabundus deſpuiſſe.
Tum uerò coquus: O rex,inquit, hoc ius tibi ſumendum eſt cùm te Laconicè exercueris,
in Eurotaq; laueris. Lacones in conuiuijs publicis modeſtè poti abeunt ſine funali. Neq;
enim licet ad lumen ire noctu, neq; per hanc, neq; per illam uiam, ut per diem ſimul ac no

ctem

A ctem fidenter ac intrepidè iter facere cõſueſcant. Lacones utilitatis gratia literas quidem
diſcebant, ſed reliquarũ diſciplinarũ peregrinos nõ minus artifices, ꝙ artes expellebant.
Hæc uerò illis diſciplina erat: bene magiſtratibus parêre, laborẽ tolerare, ac pugnãdo uel *Diſciplina Lacedæmoniorum.*
uincere uel mori. Degebãt autẽ & ſine tunica, unam ueſtem in totũ annũ ſumentes, ſqua-
lidi corporibus, & balneis & unguentis ut plurimũ abſtinentes. Iuuenes uerò ſimul tur-
matim gregatimq; dormiebant in herbis, quas ipſi cõgregabant ex arundinibus apud Eu
rotam natis, quarũ ſummitates manibus ſine ferro detringebãt. Sed per hyemẽ eos qui ly
cophones uocantᷣ, ſibi ſubijciebant, herbiſq; cõmiſcebant: nam illa materia calidi aliquid
habere uideť. Proborũ ingeniũ puerorũ amare permiſſum erat: ſed coire cum ipſis, ut tur-
piſsimũ, lege prohibebatur, tanq; corpus nõ animus amaretur. Qui ergo foret accuſatus
tanq; ad dedecus cõgrediens, per totam uitam infamis habebatur. Moris erat iuniores à
ſenioribus interrogari, quô uadant, & ad quid: & qui nõ reſpõderet, aut excuſationes ne-
cteret, obiurgari. Qui uerò ſe præſente peccantẽ iuniorẽ nõ reprehendiſſet, perinde ac ſi
peccaſſet, ipſe plectebať: & qui obiurgari moleſtè tuliſſet, magna ignominia afficiebať. Si
quis peccans fuiſſet deprehenſus, eum oportebat aram in urbe quandam circumire, ac ui
tuperationem in ſeipſum cõpoſitam cantare. quod quidem nihil aliud erat, ꝙ ſeipſum in-
crepare. Mos quoq; erat, ut iuuenes nõ ſolùm proprios patres uererenť, illiſq; parêrẽt, ſed
omnes quoq; ſeniores uenerarentur, illis & in uijs cedentes, & ex ſedibus aſſurgentes, &
tranſeuntibus quieſcentes. Quocirca nõ ſolùm, ut in alijs urbibus, patres domini erãt ſuo
rum quiſq; filiorũ & ſeruorũ & prædiorũ, ſed etiam uicini ut ſuorũ, eò quòd illa ꝙ maximè
cõmunia putarẽt, & tanq; propria curarent. Puer autẽ ab aliquo caſtigatus, ſi apud patrẽ
queſtus foret, patri ipſi turpe erat poſteaquã audiſſet, niſi alias & ipſe rurſus caſtigationes
addidiſſet. Credebant enim ipſos ex patria inſtitutione nihil turpe filijs imperare. Furanť
autẽ iuuenes uel eſculentorũ quicquid poſſunt, diſcentes dormientibus negligenterq; cu
ſtodiẽtibus inſidias ingenioſe callideq; ſtruere: ſed deprehenſo pœna ſunt uerbera & ine-
dia. Tenuis enim ipſis eſt cœna, ut per ſeipſos egeſtatẽ propulſantes, cogantur & audere
& aſtuti eſſe. Conuiuiũ autẽ publicũ idcirco tenue erat, ut aſſueſcerent nunq; repleri, & fa
B mem poſſe ferre. Sic enim putabant & in bello utiliores fore, ſi poſſent etiam ſine cibo la-
bores tolerare, & cõtinentiores frugalioreſq;, ſi multũ temporis exigua impenſa degerẽt.
Sed enim abſq; opſonio degendo, & cibum quemlibet ac uulgarem ſumendo, putabant
corpora cibi paucitate reddi & ſaniora & pulchriora, ut quæ inde incrementũ facerent ad
proceritatem, cùm nimio cibo ad profundum ac latum deprimerentur. Graciles nanq; &
macilentas habitudines membrorũ articulorumq; agilitati obedire, craſsiores autẽ & pin
gues propter onus reluctari. Sed nihilo minus & modulationibus & carminibus incũbe
bant, quæ ſanè ſtimulũ quendã animo excitando accõmodatũ habebãt, & ad elationẽ &
ad impetũ quendã furentẽ inducendũ. Ac cõpoſitio quidẽ erat ſimplex & ſeuera, nihilq;
aliud continebat ꝙ laudes eorũ, qui generoſe & uixiſſent, & pro Sparta mortui eſſent, &
qui beati haberenť: eorũq; uituperationes, qui timidi fuiſſent, perinde atq; ſi miſerã & in-
felicẽ uitã uixiſſent. Exhortatio præterea & oſtentatio ad uirtutẽ ætatibus cõueniens cele
brabatur. Nam tres chori, ſecundũ tres ætates, in ſolennitatibus conſtituebanť, quorũ pri *Tres chori Lacedæmoniorum ſolennes.*
mus, qui ſeniorũ erat, incipiens canebat: Nos olim ualidi fuimus iuuenes. Secũdus floren
tis ætatis reſpõdebat: Nos autẽ ſumus, ac ſi uis, intuere. Tertius puerorũ cantabat: At nos
multò erimus fortiores. Ac greſſuũ quidem rhythmi, quibus & in choris utebanť, & cùm
ad tibiã cum hoſtibus congrederenť, ad fortitudinẽ & fiduciã, & mortis contemptũ incita
bant. Lycurgus enim bellicæ exercitationi ſtudium Muſicæ annexuit, quò bellandi uehe
mentia modulatione tẽperata, conſonantiã cõuenientiamq; haberet. Rex etiã Muſis an-
te pugnam ſacrificabat, ut geſta illuſtri & memoria & oratione digna pugnantes exhibe-
rent. Sed ſi quis aliquid ex antiqua Muſica tranſgredereť, nõ permittebant. Vnde & Ter
pandrum, ꝙuis antiquitatis ſtudioſiſsimus, ac ætatis ſuæ citharœdorũ optimus, heroico-
rumq; geſtorũ eximius laudator eſſet, Ephori tamen mulctauere, ac eius citharã clauo af-
fixere, quòd dicerent unam ab illo chordam uariandæ uocis gratia ſuperfluè intentã fuiſ-
ſe. Nam ſimpliciores duntaxat modulationes probabãt. Eoq; & Timotheũ in Carnijs cer
tantẽ unus ex Ephoris arrepto cultro interrogauit, ex utra parte recideret plures chordis
ſeptẽ. Lycurgus præterea omnẽ ſepulchrorũ ſuperſtitionẽ ſuſtulit, permittẽs & in urbe ca
dauera ſepelire, & monumẽta prope tẽpla habere. Sed piacula quoq; ſuſtulit, ac ne quid
unà cũ cadauerib. ſepelirẽt mandauit, præter puniceã ueſtẽ & oliuæ folia, in quibus æquè

C omnes cadauera ipſa componerent. Suſtulit & luctus, & lamentationes, & inſcriptiones monumentorum, extraq; eorũ qui in bello cecidiſſent. Peregrinari autẽ ipſis non licebat, ne moribus externis, & intẽperanter uiuendi modis imbuerent. Sed peregrinorũ quoq; expulſionem Lycurgus inuexit, ne confluentes alicuius mali doctores ciuibus eſſent. Quiſquis uerò ciuium inſtitutionẽ puerorũ negligeret, ciuitatis iurium expers erat. Quidam autẽ tradiderunt, peregrinos etiã quicũq; hanc ciuilitatis exercitationẽ ſubiſſent, ex Lycurgi ſententia participes fuiſſe portionis ab initio inſtitutæ, ſed illam uendere nõ licebat. Vicinorũ ſeruis & canibus & equis perinde ac proprijs uti mos erat, ſicubi illis opus erat, niſi eorũ domini indigerent. Ac in agro quidem ſi cui re aliqua opus erat, apertis uillis atq; ijs ablatis quæ domino cõmoda forent, obſignata horrea relinquebat. In bellis uerò puniceis ueſtibus utebantur: nam color ille ſimul & uirilis eſſe ipſis uidebatur, ſimul & coloris ipſius ſanguinolentia plus formidinis affert imperitis, ſimul ne facilè ab hoſtibus dignoſcerentur, ſi quis eorũ eſſet uulneratus: nam latêre propter coloris ſimilitudinẽ utile erat. Cùm ſtratagemate, id eſt, imperatoris calliditate hoſtes ſuperaſſent, Marti bouem ſacrificabant: ſed cùm ui aperta, gallum: aſſuefacientes hoc modo duces non ſolùm bellicoſos, ſed etiã aſtutos & callidos eſſe. Precibus adijciunt, ut iniurijs quoq; affici poſsint. Preces autem ipſorum erant, ut ex bonis actionibus bona darentur, & aliud nihil. Venerem armatã colũt: ac omnes quidem deos & fœminas & mares, lanceas habentes conficiunt, uelut omnibus bellicam uirtutem habentibus. Prouerbijs quoque utentes, aiunt fortunam admota manu eſſe inuocandam, tanquam oporteat deos tum inuocari, quum quid aggreſſuri acturiq; ſumus, aliter autem nequaquam. Pueris ſeruos ebrios oſtentabant, ut ipſos à multo bibendo uino deterrerent. Moris erat ipſis, ne domorum ianuas pulſarent, ſed extrinſecus clamarent. Strigilibus nõ ferreis, ſed arundineis utebantur. Comœdias & tragœdias minimè ſpectabãt, ut neq; ſerio neq; ioco audirent eos, qui legibus contradicerent. Archilochum poëtam cùm Spartam ueniſſet, eadem bora expulere, quia eum acceperãt in carminibus ſcripſiſſe, melius eſſe abijcere arma quàm mori, cùm inquit:

At caruiſſe armis quàm mortem occumbere præſtat,
D Aſpide proiecta mox melior dabitur.

Virginibus & pueris cõmunia ſacra erant. Sciraphidam condemnauerunt Ephori, quòd à multis iniuria foret affectus. Scutiferum interemerunt, quòd telam quandam uerſicolorem ſcuto inieciſſet. Adoleſcentẽ exercitationi deditum, quòd uiam quæ ad Pylæam ducit ſciret, increpuerunt. Cteſiphontẽ qui iactaret de qualibet re ſe poſſe totum diem dicere, eiecerunt, quòd aſſererẽt, bonum oratorem oportere parem rebus habere orationem. Pueri apud ipſos cæſi ſcuticis, per totum diem in ara Orthiæ Dianæ uſq; ad mortem ſæpe uerbera tolerant hilares ac geſtientes, inuicemq; de uictoria contendentes, quiſnam ipſorum diutius ac magis toleret dum uerberatur, & qui ſuperior fuerit inter præclaros habetur. Certamen autẽ ipſum flagellatio uocatur, quæ per ſingulos annos celebratur. Vnum uerò pulcherrimũ & feliciſsimũ ciuibus Lycurgus inſtituiſſe uidebatur, abundantiã ocij: nam ſordidam exercere artem illis prorſus nõ licebat. Neq; uerò difficili pecuniæ congregatione, ac negociatione opus erat, quia diuitias ualde & abiecerat & uiles reddiderat. Helotes autem ipſis agrum colebant, & prouentũ reddebant conſtitutũ. Execrãdus uerò putabatur, ſi quis pluris eo quod erat ſtatutũ locaret, quò & illi quidem lucrantes libenter ſeruirent, nec bi plus iuſto lucrarent. Iiſdem interdictum quoq; erat & nautis eſſe, & nauali pugna decertare. Cæterùm poſterius quidem & in mari pugnarunt, & cùm mari potiti eſſent, rurſus deſtiterunt, cùm mores ciuium corrumpi animaduertiſſent. Sed iterum quoq; ſuper hoc mutati ſunt, quemadmodũ & in omnibus alijs. Etenim qui ad Lacedæmonios pecunias primùm inuexerunt, damnati uitam cum morte cõmutare coacti ſunt. Nam Alcameni & Theopompo regibus oraculum datum erat, fore ut Sparta auaritia perderetur. Sed tamen Lyſander cùm Athenas cepiſſet, multum auri argentiq; intulit: quod quidem non ſolùm acceperunt, ſed etiam hominem honorarunt. Quandiu igitur Lycurgi legibus uſa fuit Sparta, neq; iuſiurandum à Lycurgo ipſo exactum uiolauit, Græciæ principatu propter legum ipſarum æquitatem quingentos per annos potita eſt. Poſteaquàm uerò paulatim illas tranſgreſſa eſt, diuitiarumq; ſtudium & plus habendi cupiditas inuaſit, tum uires diminutæ ſunt, tum ſocij propter illa ipſis facti ſunt inimici. Quãuis autem ita ſe haberent, poſt Philippi tamen Macedonis Chæronenſem uictoriam, cùm omnes ipſum Græci ducem terra mariq; declaraſſent, ac deinceps Alexandrum quoq; eius filium

Cteſiphon cur Lacedæmone eiectus.

A filium poſt Thebanorum euerſionem: Lacedæmonij ſoli, tametſi urbem ſine muris haberent, ac pauci ualde propter aſsidua bella, multoq́; imbecilliores & captu faciles forent, perquàm exiguas tamen Lycurgi inſtitutionis ſcintillas retinentes, neq; cum ipſis, neq; cum alijs Macedoniæ regibus ſimul militauere, neq; in commune cum illis concilium ingreſsi ſunt, neq; tantiſper tributum pependerunt, donec penitus Lycurgi inſtitutionem negligentes, à ſuis ipſorum ciuibus ſubiugati fuere, quũ iam nihil ex patrijs inſtitutis ſeruarent, ac ſimiles alijs facti, priorem & gloriam & libertatem amiſerunt, in ſeruitutemq́; reciderunt. Ac nunc quidem, ut alij quoque Græci, Romanis ſubiecti ſunt.

LACAENARVM APOPHTHEGMATA.

ARgileonis Braſidæ mater, cùm Amphipolitarũ quidam poſt Braſidæ ipſius mortẽ Spartam ueniſſent, ipſamq́; adiſſent, interrogauit an honeſtè, ac ex Spartæ dignitate filius ſuus occubuiſſet. Illis uerò maximè laudantibus, & dicentibus, eum Lacedæmoniorũ omniũ in operibus præſtantiſsimũ fuiſſe: O hoſpites, inquit, fortis quidẽ & probus filius meus erat, ſed multos uiros Lacedæmon habet longè q̃ fuerit ille præſtantiores.

DAMATRIA quum audiſſet filium & timidum & ſe indignum aduenìſſe, necauit. In quam hoc extat epigramma:

Hunc timidum mater Damatrion ipſa peremit,
Nec dignum matre, nec Lacedæmonium.

GORGO regis Cleomenis filia, cùm Ariſtagoras illum ad bellum contra Perſarum regem pro Ionibus adhortaretur, multumq́; pecuniæ polliceretur, & quo magis ille contradiceret, hic eò plus pecuniarũ adijceret: Corrumpet, inquit, te ô pater peregrinellus iſte, niſi ex ædibus ipſum celerius eieceris. Gorgo cùm ipſi pater aliquando mandaſſet, ut cuidam pro mercede frumentũ daret, adiecisſetq́;, nam me docuit uinũ melius facere: Igitur, ô pater, inquit, & plus uini potabitur, & qui biberint delicatiores peioresq́; fient. Gorgo quum Ariſtagoram à quodam famulorũ calceos indui uidiſſet: Pater, inquit, peregrinus iſte manus non habet. Gorgo cùm peregrinus quidam ueſtem molliter traheret, propellens eum: Non abis hinc, inquit, cùm ne ea quidem quæ ſunt mulierum poſsis?

B GYRTIAS cùm Acrotatas, ipſius ex filia nepos, ex quadam puerorũ pugna multas plagas accepiſſet, domumq́; ut mortuus relatus eſſet, famulis & amicis flentibus: Non ſilebitis, inquit? declarauit enim ex quo ſit ſanguine. ac, Non, inquit, fortes ſunt cum clamore plorandi, ſed curãdi. Cùm autẽ nũcius ex Creta de Acrotatæ morte ueniſſet: Nónne debebat, inquit, cũ ad hoſtes ierit, aut ipſe mori, aut illos interimere? Mihi quidẽ ſuauius eſt audire ipſum obijſſe ex dignitate & mea, & urbis, & maiorũ, q̃ ſi omẽ tẽpus uiueret ignauus.

LACAENA filium qui ex acie aufugerat interfecit, inquiens: Non eſt meũ hoc germen. In quam hoc epigramma fuit ſcriptum:

Vade malum tenebras germen pete, quenq; peroſus,
Eurotas ceruas ne fluat ad timidas.
Sic catulus nequam perrexeris, ito ſub umbras,
Nec Sparta dignus, nec generis titulis.

LACAENA cùm filium in acie cecidiſſe audiſſet: Timidi, ait, lugeantur, ego uerò te fili ſine lachrymis ac læta ſepelio, & meum, & Lacedæmoniũ. Cùm audiſſet quædam filiũ & ſaluum eſſe, & ab hoſtibus fugiſſe, illi ſcripſit: Mala fama de te uulgata eſt: aut igitur eam quamprimũ elue, aut ne ſis. Alia quum filij ex pugna fugiſſent, ad illamq́; uenirent: Quô, inquit, recurritis fugientes mala mancipia? an unde egreſsi eſtis reuerſuri? ſublatis ueſtibus uentrem illis oſtendens. Quædam aduentantẽ filium cùm uidiſſet, rogauit quidnam patria ageret. Illo autẽ reſpondente, omnes periere: correptã in ipſum teſtam immiſit, & occîdit, dicens: Ergo te malum nuncium miſére nobis? Quodam matri generoſam fratris mortem narrante: Et non turpe eſt, illa inquit, à tali comite aberraſſe? Alia quinq; filijs ad bellum emiſsis, in primis ſuburbijs ſubſtitit, pugnæ euentũ expectans. Cùm igitur quidã ueniſſet, ipſiq; percõtanti nunciaſſet, filios omnes periſſe: Atqui nõ hoc, inquit, rogabam malum mancipiũ, ſed quid patria agat. Cùm uerò is reſpõdiſſet illam uincere: Libens igitur, inquit, etiam filiorũ mortem accipio. Alia ſepeliens filium, cùm pauper quædam uetula ad ipſam acceſsiſſet, dixiſſetq́;, O mulier fortunæ: Per gemellos, inquit, bonæ: nam qua gratia illum pepereram, ut pro Sparta periret, id mihi euenit. Quum quædam mulier Ionica, ſua quadam textura gloriaretur, quòd eſſet ſumptuoſa: Lacæna quum quatuor ei filios omni uirtute præditos indicaſſet, Talia, inquit, oportet eſſet bonæ probæq́; mulieris opera, & in his extolli atque gloriari. Alia quum filium male apud hoſpites uer-

C ſatum eſſe audiſſet, ad illum ſcripſit: Mala de te fama uulgata eſt, aut illam dilue, aut ne ſis.
Itidem cùm Chiorũ exules Spartam profecti, Pędaretũ in mulnis accuſarent: illis ad ſe ac-
cerſitis, ijſq; auditis quibus accuſabat, mater Telcucia, quòd filius delinquere uidebatur,
has ad eum literas dedit. Mater filiolo: Aut meliora fac, aut iſtic mane, abiecta ſpe, te ſaluũ
Spartæ eſſe poſſe. Alia cùm iniuriarũ filius eſſet accuſatus: Fili, inquit, aut crimine, aut ui-
ta teipſum abſolue. Alia filium claudũ in aciem præmittens: Fili, inquit, uirtutis inter eun
dum memento. Alia cùm filius ex acie uulnerato pede rediret, ualdeq; doleret: Si uirtu-
tis, inquit, fili memineris, & dolore carebis, & fiduciam habebis. Lacon in pugna uulnera
tus cùm ire nõ poſſet, quadrupedis more ſeſe agebat. Sed cùm ipſum irrideri puderet, ma
ter ad eum: Et quantò eſt, inquit, fili melius, fortitudine lætari, quàm pudore ob ſtolidum
riſum affici? Alia ſcutum filio prębens, ipſumq; exhortans: Fili, inquit, aut hoc, aut in hoc.
Alia proficiſcenti ad bellum filio ſcutum tradens: Hoc, inquit, pater tibi ſeruauit: igitur tu
quoq; ſerua, aut ne ſis. Alia ad filiũ dicentẽ, ſe paruum habere enſem: adde, inquit, & greſ-
ſum. Alia cùm audiſſet filium in acie fortiter facientẽ interijſſe: Meus, inquit, nimirũ erat.
Sed alterum ob timiditatẽ ſaluũ eſſe accipiens: Nõ enim meus erat, inquit. Alia cùm in pu
gna filium periſſe accepiſſet, quo fuerat ordine locatus: Deponite, inquit, eum, ac locum
illius ſuppleat frater. Alia publicam celebrans pompam, audiuit filium in acie quidem ui
ciſſe, ſed ex uulnerum multitudine mori: quare coronam minimè depoſuit, uerùm iacta-
bunda ad proximas: Quantò, inquit, melius eſt, ô ſodales, in acie uincentem mori, quàm
Olympia uincentem uiuere? Quum quidam ſorori narraret generoſam filij eius mortem:
ea dixit, Quantũ ex ipſo gaudij concepi, tantò propter te dolore afficior, qui tam præſtan
tem uirtute comitem reliqueris. Lacænam quidam cùm per nuncium tentaſſet, an ſecum
rem habere cõſentiret: Quum, inquit, puella eſſem patri parêre didici, itaq; feci: at mulier
facta, uiro. Si igitur me iuſta rogat, id primò ipſi faciat manifeſtum. Lacæna uirgo pauper
cula percontata, quam dotem ei qui ſe duceret uxorem, datura eſſet: patriam pudicitiam,
reſpondit. Alia interrogata, an ad uirum acceſsiſſet: Nequaq; ego, inquit, ſed uir ad me.
Quædam cùm occultè cõpreſſa foret, fœtumq; corrupiſſet, abortũ faciens adeò patienter
D dolores tulit, nullam emittens uocem, ut & parentes, & alios multos qui propinqui erãt,
latuerit. Nam dolorũ magnitudinẽ turpitudo adiuncta ſuperauit. Lacęna cùm uenderet,
percontata quid facere ſciret: Fidelis, inquit, eſſe. Alia captiua facta, cùm interrogaretur
quid facere ſciret: Domum, inquit, bene gubernare. Interrogata quędam à neſcio quo, an
bona futura eſſet ſi ipſam emerit: etiam ſi nõ emeris, inquit. Alia cùm uenderetur, præco-
ne percontante, quidnam facere ſciret: libera eſſe, inquit. Ac poſteaquàm emptor impera
uit quædam liberæ minus conuenientia, quum dixiſſet, Flebis, qui tibi ijpſi talem inuide-
ris poſſeſsionem, ſe interfecit.

Plutarchi dialogus, quòd bruta animalia ratione utantur.

IOANNE REGIO INTERPRETE.

COLLOCVTORES, VLYSSES, CIRCE, GRYLLVS.

VLYSSES.

EQVIDEM, ô Circe, hæc mihi & didiciſſe uideor, & in poſterum quoq;
recordaturus. Sed libenter ex te audirem, an quos alios detineas Græ-
cos unà cum ijs, quos ex hominibus lupos leoneſq; feciſti. CIRCE.
Et multos quidem, ô dilecte Vlyſſes. Sed quorſum hoc rogas? VLYS.
Quòd Hercule apud Græcos præclaram mihi uideor gloriam adeptu
rus, ſi hiſce ſocijs benignitate tua mihi redditis, alij rurſus humanæ figu
ræ meis precibus reſtituerentur, neq; eos negligere uiderer inferarum
corporibus contra naturam conſeneſcentes, uitamq; adeò miſeram & inhonoratam de-
gentes. CIRCE. Iſte uir propter ſtoliditatem non ſolùm ſibi ac ſocijs, ſed nihil quoque
attinentibus, ambitionẽ ſuam uult eſſe calamitoſam. VLYS. Aliam rurſus uerborũ po-
tionem temperas, ô Circe, atq; cõmiſces, qua me proculdubio feram efficis, ſi tibi credam,
calamitatem eſſe, ex fera hominem fieri. CIRCE. Quaſi uerò dudum his abſurdiora in
teipſum

A teipſum nō cōmiſeris, qui relicta mecum immortali minimeq; ſeneſcente uita, ad morta-
lem fœminam, ac potius, ut ego quidem ſentio, iam uetulam, per mille adhuc incōmoda
properes, quo magis conſpicuus ex hoc clariorq; etiam quàm nunc ſis uidearis, inane bo
num, ac potius boni ſimulachrum, neglecto uero bono, ſecutus. VLYS. Eſto ut ais, ô
Circe: quid enim nos de ijſdem ſæpius altercari oportet? Sed iſtos mihi Græcos libera-
tos dona. CIRCE. Minimè uerò, per Hecaten, tam inconſultè, atq; indicta cauſa: neq;
enim quilibet ſunt è uulgo. Quare prius ipſos interroga, an uelint: ac ſi ſe nolle dixerint,
coneris, ô generoſe Vlyſſes, eloquentia tua perſuadere: ſin minus perſuaſeris, ac potius il-
li in diſputatione ſuperiores fuerint, ſatis tibi ſit, quòd & tibijpſi & ſocijs peſsimè conſu-
luiſti. VLYS. Quid me, ô dea, illudis? Quónā pacto iſti aut reddere, aut accipere ſermo-
nem poſsint, tantiſper dum aſini ſunt, uel ſues, uel leones? CIR. Quieſce hominum am
bitioſiſsime: nam ego tibi illos exhibebo & intelligentes & diſputantes. Imò uerò unus
ſatis ſit, qui pro omnibus uerba & faciat, & accipiat. En cum iſto diſputa. VLYS. Et quo
nomine hunc, ô Circe, nuncupabimus? aut quis hominū hic erat? CIR. Quidnam hoc
ad diſputationem? Sed ſi uis, eum nominato Gryllum. Ego autem uobis cedo, ne præter
ſententiā ſuam mihi gratificans diſputare uideatur. GRYL. Salue Vlyſſes. VLYS. Tu
quoq; ſalue Grylle. GRYL. Quid me uis? VLYS. Ego uos homines natos eſſe ſcio.
Cùm aliorum igitur ſic affectorum miſereor, tum quicunq; Græci in iſtiuſmodi miſeriam
inciderunt, ijs maximè par eſt me cōmoueri. Circæ igitur nuper ſupplicaui, ut ex uobis
quicunq; uellet mihi liberaret, priſtinæq; formæ reſtitueret, quò nobiſcum in patriam re-
deatis. GRYL. Quieſcas Vlyſſes, ac nihil ulterius dicas: nam te nos omnes æquè de-
ſpicimus, ut qui & eloquentia & prudentia cæteris hominibus multò præſtare falſò iacte
ris, quum ex peioribus in meliora mutationē timueris, nihil rem ipſam ſcrutatus. Vt enim
pueri & medicorū potiones horrent, & doctorū uerbera fugiunt, quibus ex ualetudina-
rijs & imperitis tum firmiores, tum prudentiores fierent: ſic tu alium ex alio fieri metuiſti,
ac nunc quoq; horreſcis & trepidas unà cum Circe uiuere, ne te ſuem lupúmue faciat: no
bis uerò qui infinitis fruimur bonis, ſimul illa, ſimul eorum autorem deſerere, ac rurſus in
B hominē, animal omniū infelicisſimū, refictos tecū enauigare ſuades. VLYS. Tu quidē
mihi uideris Grylle non faciem ſolùm, ſed etiam mentem illo poculo corruptus amiſiſſe,
abſurdarumq; opinionum & prorſus inutiliū repletus eſſe: niſi fortè conſuetudinis uolu-
ptas, quæ tibi cum iſto corpore eſt, te blanditijs irretiuit. GRYL. Ex iſtis neutrum eſt
uerum, ô rex Cephallenorum. Sed ſi diſputare mauis quàm conuiciari & mordere, nos
qui utranq; uitā pulchrè ſumus experti, è ueſtigio tibi perſuadebimus, hanc magis quàm
ueſtram meritò nobis adamari. VLYS. Id uerò perquàm cupio à uobis audire. GRYL.
Et nos itaq; dicere. Sed principiū à uirtutibus eſt ſumendum, quibus uos magnopere glo
riari uidemus, perinde ac ſi multò brutis & iuſtitia, & fortitudine, & prudentia, & cæteris
uirtutibus præſtaretis. Velim itaque mihi tu reſpondeas, uirorum ſapientiſsime: nam te
nuper audiui Circæ quædam de Cyclopum terra narrantem, quam neque penitus ab ul-
lo aratam, neque cultam, ſola bonitate ac generoſitate ingenita omnes ferre fruges per ſe
ipſam aſſerebas: nónne igitur illam magis laudas, quàm montoſam Ithacam, caprasq; pa-
ſcentē, quæ uix operis multis magniſq; laboribus culta, quædam parua & tenuia, & nul-
lo precio digna cultoribus rependit? Et quo modo tibi graue non erit, ſi præter ſententiā
charitate patriæ reſponderis? VLYS. Atqui mentiri nō oportet. Sed enim meam ipſius
patriam & agrum magis & amo & amplector, Cyclopum uerò terram & laudo & admi-
ror. GRYL. Hoc igitur colligemus, hominum prudentiſsimum alia quidem laudanda
approbandaq; putare, alia uerò eligenda & amanda. Cæterùm illud idem de anima quo-
que te arbitror reſpōdiſſe. Nam in eo cum terra eadem eſt, quòd quæ melior eſt ſine labo-
re uirtutē, ut fructum per ſe naſcentem, ferre conſueuit. VLYS. Eſto hoc quoque ut uis.
GRYL. Iam igitur concedis, brutorum animam ad uirtutis generationem natura aptio-
rem eſſe atq; perfectiorem: neq; enim aut iuſſa aut edocta, ut terra nec arata nec ſeminata,
fert & alit unicuiq; natura congruentē uirtutem. VLYS. Et quanam tandem uirtute, ô
Grylle, bruta ſunt prædita? GRYL. Quánam rogas? Nónne maiore, quàm hominum
ſapientiſsimus? Scrutare nanq; primùm ſi uis fortitudinem, qua tu quidem ualde gloria-
ris, neq; perfricas frontem, cùm audax, urbiumq; deprædator appellaris. Nam dolis, ô cal
lidiſsime, & fraudibus homines, ingenuū atq; generoſum belli morem ſequentes, fallen-
diq; ac mentiendi neſcios decepiſti, uerſutiæq; nomen uirtutis, à malitia perquàm alie-
næ, indidiſti. At ferarum certamina inter ſe, & aduerſus uos, ut citra dolos & fraudes ul-

C las,atq; cum aperta nudaq́; cõmittantur fiducia,ſpectas. Veris enim nixę uiribus iniurias
propulſant, cùm præſertim neq; legibus ſubijcianť, neq; pœnam timeant deſertoris. Sed
cùm natura caueant ne ſuperentur, ad ultimum uſq; repugnant, ſeq; inuicta conſeruant.
Nam neq; corporibus detenta domantur,neque animum deſpondent,ſed prælijs immo-
riuntur. Ac multa tum quidem cùm interimuntur uis ac robur ſimul cum iracundia à reli-
quo corpore ſegregatũ,& aliquam circa particulam collectum interficienti reſiſtit, inſul-
tat,ſæuit tantiſper,dum uelut ignis undiq; extinguatur,& omnino perdatur,Longè uerò
abſunt precationes,ac ſupplices ueniæ miſericordiæq; petitiones, procul quoq; uictoriæ
confeſsiones. Neq; enim ob imbecillitatẽ aut leo leoni, aut equus equo ſeruit, quemad-
modum homini homo, timidi cognomen nihil reformidans. Quaſcunq; autẽ homines la
queis dolis'ue ceperunt,ſi grandiores quidem ſunt,& cibum aſpernando,& ſitim toleran
do,mortem ſeruituti alacriter præponunt. Sed earum pulli & catuli cùm per ætatem faci-
les educatu atq; teneri ſint,multis fallacijs blandimentiſq; & guſtu uoluptuoſi, contra na
turam uictus,breui admodum tempore & emaſculanť & corrumpuntur, & quam uocant
cicurationem ac manſuefactionẽ,perinde atq; feritatis effœminationẽ ſubire coguntť. Ex
his igitur apertè cõſtat,& feras ad fortiter faciendum natas eſſe, & hominibus libertatem
uel præter naturã ineſſe. Id uerò illinc,ô bone Vlyſſès,facilè percipies. Nam in feris ad for
titudinem æqualiter ſe habet natura,neq; maribus fœminæ ſunt inferiores, & ad toleran-
dos pro rebus neceſſarijs labores,& ad ſuſcipienda pro filijs certamina. Audiſti nimirum
pùto de Crommyonia quadam ſue,quæ tametſi fœmina eſſet,multis tamen Theſeũ mole
ſtijs affecit. Sphinga quoq; illam,quæ omnia circa Phiceiũ infeſta faciens,ænigmata gry-
phoſq́;,& cauilla inſolubilia commentabatur, nihil ſapientia iuuiſſet, niſi Thebanorum
pleroſque robore uiribuſq; ſuperaſſet. Quid Telmeſiam uulpem, pernicioſam illam
& difficilem feram cõmemorẽ? Quid propinquã ſerpentem,quæ cum Apolline ſingulari
certamine de oraculo Delphico promptiſsimè decertare auſa fuiſſe memoratur? Aethen
uerò deſertæ militiæ pœnã, ac potius mercedem,à Sicyonio Agamemnon rex ueſter ac-
cepit, optimo cõſilio uſus, quippe qui timido homini generoſam equã pugnæq; auidam
D prætulerit. Sed tu quoq; ipſe pantheras & leænas ſæpenumero uidiſti,ut nihil marib.neq;
animo,neq; robore cedant: uelut uxor tua,quæ dum tu bella geris, domi ad ignem ſedet,
ac ne ſic quidem ut hirundines eos ulciſci poteſt, qui in ſe ac domũ tuam impetũ faciunt,
cùm præſertim Lacæna ſit,ut nihil tibi de Cariæ Mæoniæq; fœminis dicã. Ex his igiť ma-
nifeſtum eſt,fortitudinẽ hominibus natura nõ eſſe : ſimul enim & fœminis ex æquo adeſ-
ſet. Vos itaq; ex legum neceſsitate,nõ ſpontè,neq; uoluntate,ſed moribus & uituperatio
nibus, ac uanis opinionib. ſeruientes, fictam oratione fortitudinẽ exercetis, laboreſq; ac
pericula ſubitis: nõ quòd aduerſus hæc audeatis, ſed quia his grauiora timetis. Vt enĩ ex
ſocijs tuis qui primũ ſurgit, is leuiorẽ occupat remũ, minimeq; illũ renuit, ueritus ne ſibi
grauior cõtingat: ſic qui uerbera tolerat,ut uulnera fugiat,& qui hoſtẽ ulciſciť, ut ſuppli-
cium aliquod mortem'ue declinet, is non aduerſus illa magnanimus,ſed ad hæc timidus
eſt iudicandus. Ac ſic quidẽ uobis, quæ cum prudentia timiditas eſt,fortitudo uideť. Qui
uerò timor eſt peritus alia ex alijs mala fugiendi,audacia putať. Quòd ſi uos omnino feris
pręſtare fortitudine ſentitis,cur poëtæ ueſtri eos qui cum hoſtibus fortiſsimè pugnant,lu
pis leonibuſq; ac ſuibus in fortitudine ſimiles uocant? cùm præſertim eorũ nemo leonem
aprũmue fortitudine homini ſimilẽ eſſe dicat. Verùm ut ueloces uentis, ac pulchros dijs
ſimiles aiunt eſſe,ueritatẽ iſtis ſimilitudinibus excedentes: ſic in præſtantũ fortitudine ui-
rorum inter pugnandũ ad ea quæ ſunt potentiora ſimilitudines ſemper referũt. Ac huius
quidem rei cauſa eſt, quòd fortitudinis uelut temperatura quædã & conſolidatio eſt ani-
mi impetus,quo ſanè puro atq; ſyncero in certaminibus feræ utũtur: ſed uobis cum ratio-
ne confuſus, perinde atq; uinum cum aqua, ſtupet in periculis, atq; omnem prætermittit
opportunitatem. Quid, quòd nõnulli ueſtrûm ne omnino quidẽ in prælijs ſumendũ ani-
mi impetum, quin ſeponendũ,ac ſobria duntaxat ranocinanone utendum cenſent? ad ſa
lutis tutelam rectè,ad fortitudinẽ uerò & uindictã turpiſsimè præcipientes. Ecquo nanq;
modo abſurdũ nõ eſt, naturã à uobis accuſari, quòd neq; aculeos,neq; exertos ſerratóſue
dentes, neq; aduncos ungues corporibus ueſtris ingenerarit, cùm ipſi arma animæ inge-
nita auferatis atq; hebetetis? VLYS. Papæ Grylle, præſtans mihi dicendi magiſter fuiſſe
uidêris, qui nunc quoq; ex hara tam floridè, tamq; uehementer de cauſa propoſita dicere
cœpiſti. Sed cur deinceps de temperantia quoque non diſſeruiſti? GRYL.: Quia puta-
bam te prius quę iam dicta ſunt refutare uelle. Sed idcirco de temperantia, opinor, audire
properas,

In feris mares ac fœminas quo ad fortitudinem nihil differre.

A properas, quòd continentiſsimæ fœminæ iactaris eſſe maritus, teq́; putas magnum conti
nentiæ dediſſe documentũ, quia Circes nuptias contempſiſti. Sed ne hac re quidem feris
quicquam cõtinentia præſtas: neq; enim cum dijs ſeq; melioribus appetunt coire, uerùm
potius & uoluptates & amores cum ijs quæ ſui generis ſunt, cõferre inireq́; ſolent. Quare
haudquaquam mirandum eſt, ſi ueluti Mendeſius caper in Aegypto cum multis mulieri
bus formoſis concluſus, minus promptè cum illis ſe miſcere, ſed ad capras potius cum ſtu
pore quodam ferri memoratur: ſic tu quoq; conſueta gaudens uenere, cùm ſis mortalis,
cum dea coire noluiſti. Penelopes uerò continentiam, crocitantes mille cornices irriden-
dam & contemnendam oſtendunt, quarũ ſingulæ mortuo marito, non exiguo tempore,
ſed nouem hominũ ætatibus uiduæ perſeuerant. Ita ſpecioſa Penelope tua, qualibet cor-
nice gloria continentiæ nouies inferior eſt iudicanda. Sed quoniam me rhetoricũ eſſe co
gnouiſti, agè quodam ſermonis ordine utamur, ac primũ temperantiæ definitionẽ diſpi-
ciamus, deinde generatim cupiditates diuidamus. Temperantia igitur, cupiditatum quæ
dam eſt cõtractio & diſpoſitio, externas quidem ac inuectitias ſuperfluasq́; tollens & ab-
ijciens, pro tempore autem neceſſarias atq; naturales exornans. Appetituũ uerò multipli- *Appetituũ multiplices differentiæ.*
ces differentias eſſe quis ignorat? Cibi nanq; & potus, & naturalis eſt & neceſſarius. Ve-
neris autẽ cupiditates, quibus natura principium tribuit, quoniam citra has quoq; bene
quis ſe habere poteſt, naturales quidem, ſed nõ neceſſariæ ſunt appellatæ. Quod uerò ge
nus neq; ex neceſſarijs, neq; ex naturalibus cõſtat, ſed propter boni imperitiã ab inani o-
pinione ex ijs quæ extraria ſunt confuſum eſt, parum abeſt quin omnes in uobis natura-
les appetitus multitudine oppreſſerit & occultarit. Sic autem ſe gerit, ut turba hoſpitum
aduena, quę in urbẽ admiſſa, indigenis ciuibus uim afferre conetur. At feræ haudquaq̃ lo
cum extrinſecus inuectis cupiditatibus ſuis in animis relinquũt, ac in ipſo uictu longè ab
inani gloria tanq̃ à mari ſemotæ, lautè opipareq́; uiuere appetunt nihil, ſed ut cõtinentes
ſint, ac potius bene, ac ex naturæ lege nõ multas quidem cupiditates ingenitas diſponãt,
externas uerò & alienas reijciant, maximopere curant. Ac me quoq; ipſum aliquando nõ
minus q̃ te nunc aurũ ſtupefaciebat, quippe quod nulli aliarũ opum uideretur eſſe cõpa-
B randum. Sed argentũ quoq; ac ebur me capiebat. Qui uerò iſtis abundaſſet, is mihi uir &
beatus, & dijs eſſe amicus uidebatur, ſiue Phryx, ſiue Car, ſiue Dolone obſcurior genere,
ſiue Priamo infortunatior eſſet. Ita ſemper à cupiditatibus pendens, neq; gratia, neq; alia-
rum rerum uoluptate, quæ ſunt copioſæ ac ſatis ſuperq́; faciunt, meam afficiebam uitam,
utpote qui maximorũ bonorũ mihi indigere experſq́; eſſe uiderer. Etenim quũ te olim,
ut memini, in Creta precioſo indutũ pallio uidiſſem, neq; prudentiam, neq; uirtutẽ tuam
admirabar, ſed tunicæ ſubtiliter ac eleganter elaboratæ, chlamydiſq́; purpureæ criſpitie
ac pulchritudine ſtupeſcebam. Nonnihil me fibula quoq; mouebat aurea, ut quæ torno
ueluti ludicrum quoddam eſſet fabrefacta. Te uerò ſequebar illis ſtupefactus, neque mi-
nus q̃ amãs mulier attonitus. Nunc uerò iſtis liberatus opinionibus uanis atq; purgatus,
aurũ quidem & argentũ uelut alios lapides & deſpicio & cõculco: profundo autẽ ac mol
li cœno obſitus, in quo recumbam quieturus, q̃ tuis omnibus ueſtibus & tapetibus ma-
gis, per Iouẽ, lætor. Nam earũ libidinũ quæ extrinſecus inuehunt, nulla in noſtris animis
inuenitur, ſed neceſſarijs cupiditatibus atq; uoluptatib. uita noſtra plurimũ exigitur: his
autẽ quæ neceſſariæ non ſunt, ſed duntaxat naturales, neq; inordinatè neq; inſatiabiliter
adhæremus. Ac primũ ſanè has percurramus. Quæ igitur ex bene olentibus, atque ex ijs
quæ odore ſuo mouent odoratũ, habetur uoluptas, præterq́; quòd utilitatẽ ſimplicẽ gra-
tis præbet, uſum quendam ſimul ad cibi cognitionẽ tribuit. Siquidem lingua & ſuauis &
acris & auſteri dijudicatrix & eſt & dicitur, quãdo illius peritia ſapores permixti quandã
ſumunt confuſionẽ. Sed noſter odoratus cùm ſaporũ omniũ cognitor ſit, multoq́; diligen
tius regijs prægustatorib. uniuſcuiuſq; uires præſentiat, id quod naturæ quidẽ coueniens
eſt aſſumit, alienũ autẽ reijcit, neq; guſtũ lædere triſtitiáue afficere permittit, quin ſi quid
mali ineſt, priuſq; noceat deprehendit & damnat. Alijs uerò nequaq; ſolicitamur, ut ue-
ſter olfactus odores & cinnamoma, & nardos, & folia, & calamos Arabicos egregia qua-
dam arte, ſiue pigmentaria, ſiue medicatoria, ſiue unguentaria uocetur, in unum confun-
dere ſimulq́; deuorare cogit, multis emptam pecunijs, effœminatamq́; ac puellarẽ, & peni
tus inutilem uoluptatẽ. Quæ quidẽ licet iſtiuſmodi ſit, tamen nõ fœminas ſolùm omnes,
ſed etiam uirorũ quãplurimos ita corrupit, ut ne cum uxoribus quidẽ ſuis rem habere ue-
lint, niſi paſtillis unguentiſq́; redolentes ad cõcubitũ ueniant. Atqui & apros ſcrophæ, &
hircos capræ, & aliæ fœminæ ſui quæq; generis mares proprijs odoribus pelliciunt, niti-

C dumq́; rorem ac prata, & uirentem herbam redolentes, cõmuni beneuolentia ad ſuas nuptias feruntur. Sed neq; fœminæ aut ſe fucant, aut libidini deceptiones & incantamenta & denegationes prætendũt, neq; mares Veneris cõcitati ſtimulis, mercede laboréue, aut ſeruitute uel precibus generationis opus mercanĩ, quin potius ſuo tempore ſine dolis ullaq; mercede uoluptati uenerïq; indulgent. Poſteaꝙ autẽ congruo anni tempore Venus ipſa ut plantarũ germina, ſic animaliũ libidinẽ excitauit, ſtatim extinguitur, cùm neq; fœmina poſt conceptionẽ ſequatur marem, neq; mas fœminã ſolicitet. Tam paruo in honore ac fragili apud nos eſt uoluptas, ſed naturæ ipſi omnia concedimus. Vnde ad hoc uſq; tempus in ferarum genere neq; maris cum mare, neq; fœminę cum fœmina cõmixtio libidinis gratia nequaꝙ inuenitĩ. Veſtri autẽ generis talia ſunt ꝙ plurima, eorumq́; qui egregij habenĩ, ut nihil de humili uulgo dicã. Siquidem Agamemnon ſe in Bœotiã cõtulit, ut Argæũ, qui clàm aufugerat, uenaretur. Sed falſò mare uentosq́; cauſatus, in Copaida paludem ſe formoſus pulchrè iniecit, quò amoris flammam illic ſaltem extingueret, ſeq; ab ea cupiditate uindicaret. Quid? Hercules nónne eodem modo imberbem amicum ſecutus, Argonautarum principes deſtituit atq; fefellit? Quid? nónne quidam ueſtrûm in Pythij Apollinis templi teſtudine ſcripſit, Formoſus Achilles, cùm iam filium Achilles ipſe ſuſtuliſſet? Ac eam quidem inſcriptionẽ adhuc ibi eſſe audio. At ſi gallus gallũ ineat, quãuis gallina abſit, uiuus comburitur, uatis cuiuſpiam aruſpicis'ue iuſſu facinus perpetratũ magnum & atrox eſſe denunciantis. Ita homines quoq; ipſi confiteantur neceſſe eſt, temperantiam maiorem quàm ſibi, feris ineſſe, neq; ab illis per uoluptates naturã uiolari. Sed intemperatam libidinẽ ueſtram, quamuis legem habeat adiutricem, natura tamen intra terminos nequaꝙ poteſt coërcere: illa uerò cupiditatibus perinde atq; torrente impulſa, ſæpenumerę in rebus unereis grandem contumeliam & turbationẽ naturæ perpetrat & confuſionem. Etenim cum capris, & ſuibus, ac equabus ſe cõmiſcere & uiri tentarunt, & fœminæ propter ferarum mares inſanierunt. Ex huiuſcemodi uerò nuptijs & Minotauri, & Aegipanes, & (ut ego quidem puto) Sphinges, & Centauri uobis oriuntur. Et canis quidem aliquando propter famem aliquid hominis uorare neceſsitate cogitur, & auis in-

Intemperantiã hominũ maiorẽ eſſe quàm ferarũ

D terim guſtare, ſed ad coitum homine abuti nulla unquam fera conata eſt. Homines autẽ & ad iſta, & ad complura alia uoluptate ducti, feras ꝙ iniquiſsimè uiolant. Cùm uerò ſint adeò improbi atq; incontinentes circa iam dictas cupiditates, in neceſſarijs quoq; multò brutis eſſe inferiores monſtrantur. Illæ autẽ in cibis & potibus conſiſtunt, quorũ id quod eſt ſuaue, nos quidem ſemper cum quadam ſumimus utilitate: at uos magis uoluptatem, quàm cibi naturam ſequẽtes, multis & diuturnis implicamini morbis, qui nimirũ ex uno repletionis fonte hauſti, corpora ueſtra ſpiritibus uarijs ac pernicioſis uentoſitatibus inflant. Nam primũ omniũ unicuiq; animalium unus cibus natura cõuenit, his quidem herba, illis autẽ radix uel fructus. Quæcunq; uerò ſunt carniuora, & nullum aliud cibi genus appetunt, neq; debilioribus alimenta rapiunt: nam & ceruum leo paſcere ſinit, & ouem lupus, quatenus natura permittitur. At homo fertur ad omnia, uoluptatibus & ingluuie ductus, omnia experitur, omnia guſtat, & ueluti nõdum quid ſibi propriũ conueniensq́; ſit cognoſcat, ſolus ex omnibus animantibus omnium uorator eſt factus. Ac primũ carnibus ueſcitur, nulla indigentia difficultatéue coactus: quippe cui à plantis atq; ſeminibus alia & alia citra ullum laborẽ, ſuo quæq; tempore uindemiare ſumereq́; ac decerpere ſemper liceat, ſed propter delitias rerumq́; neceſſariarũ ſatietatem, epulis incongruis, atq; immundis animalium iugulationibus, multò crudelius immaniſsimis abutitur feris. Nam ſanguis & cædes & carnes, miluio lupoq́; & draconi peculiaris eſt cibus, homini uerò opſonium cõuenit: qui quum in omne genus ſæuiat, nõ ut feræ à plurimis abſtinet, paucisq; bellum infert propter uictus neceſsitatem, ſed neq; uolatile, neq; aquatile, neq; terreſtre, menſas iam à uobis manſuetas hoſpitalesq́; dici cœptas, fugere poteſt. Enimuero quid opſonia ciborumq́; cõdimenta cõmemorem, cùm ferarũ natura nulli inutiliũ uanarumq́; artium tribuat locum? Neceſſarias autẽ, neq; ab alijs importatas, neq; mercede doctas, ex ſe ipſa ueluti ſimul natas promit. Neq; enim meditatione aut conglutinat, aut ſolerter & acutè uniuſcuiuſq; ſpeculationẽ compingit. Ac Aegyptios quidẽ omnes medicos eſſe audiuimus: ferarũ autẽ unaquæq; nõ ſibi modò per ſe ipſa medendi perita eſt, uerũ ea quoq; quæ ad uictũ, robur, uenationẽ, cuſtodiamq́; ſpectant, tantumq́; muſicæ, quantũ cuiuſq; naturæ cõuenit, pulcherrimè per ſe tenet. Nam unde nos unꝗ didicimus, quãdo ægrotamus ad flumina cancrorũ gratia ire? Quis uerò teſtudines docuit, poſteaꝙ uiperã comederint, origano paſci? Quis Creticas capras ſagittis percuſſas dictamnũ, quo guſtato ſpicula ſtatim

Feras ſibijpſis mederi, exẽplis demonſtratur.

A cula ſtatim è corporib. excidant, perſequi monuit? Etenim ſi dícas, harum optimū naturā eſſe magiſtrum, in excellentiſsimū atq; ſapientiſsimū principium ferarū prudentiam refers. Quam quidem ſi neq; rationem, neq; prudentiā nominandam putabis, uide quo modo illi pulchrius & honorificentius nomen excogites, ut re ipſa uim quoque meliorem ad mirabilioremq; præ ſe ferre uidetur. Quæ cùm neq; indocilis, neq; inerudita, ſed per ſe ipſa potius edocta ſit atq; perfecta, non impotentia, ſed fortitudine, ac naturali uirtutis perfectione ueſtram per doctrinā ſapientiæ collectionē ualere permittit. Quaſcunq; igitur ferarum homines in delitijs uſibusq; habentes docent ac exercent, eæ uel præter corporis naturam ingenij ſólertia quę tradunt facilè percipiunt. Nam ut taceam catulos ueſtigare, pullos edoctos greſſus ad numeros quoſdā glomerare, corui loquunt, canes per rotas circulares exiliunt, equi & boues in theatris diſcubitus & ſaltationes, & in pedes mōſtroſas erectiones motionesq;, hominibus quoq; ſanè quamdifficiles, edocti atq; reminiſcentes diligenter effingunt. Ex hoc uerò facilè colligitur, nihil utilius docilitate feras habere. Quòd ſi nos artes diſcere non credis, eas quoq; à nobis doceri perdiſce. Etenim perdices pullos fugientes ſe occultare, ac reſupinos iacentes ſe gleba terræ pedibus apprehenſa cooperire docent. Ciconiarum quoq; pullis uides in tectis ut periti inexpertis pręſtò adſint ad uolatū. Luſcinię uerò pullos ſuos cantare prędocent. Ac ſi qui capiant adhuc rudes, in hominumq; manibus nutriantur, peius canunt, ut qui ante legitimum tempus à doctore ſubtracti ſint. Ac ſanè poſteaq; in hoc corpus deſcendi, illos ſermones perq; miror, quibus doctores me perſuadebant, ut omnes animantes præter hominē, irrationales ac mentis expertes putarem. VLYS. Nunc igitur tu Grylle mutatus es, ouemq; rationalem & aſinum eſſe pronuncias? GRYL. Imò uerò ex ijs ipſis te coniectare maximè decet, optime Vlyſſes, ferarum naturam eſſe neq; rationis, neq; intellectus expertē. Ac ueluti arbor nō eſt alia magis minúſue inanimata, ſed omnes æqualiter ſe habent ad inſenſibilitatem, quòd earū nulli anima ineſt: ſic animal nō uideret alio uel tardius, uel indocilius, niſi omnia rationis intellectusq; capacia, uerùm alia magis ac minus alijs quodammodo forent. Enimuero animaduertere licet, nonnullorum ſtoliditatē ac torporem aliorū aſtutijs calli
B ditatibusq; deprehendi, ſi quando uulpi lupóue, aut apiculæ aſinum uel ouem compares, perinde atq; ſi tibi ipſi Polyphemum, uel auo tuo Autolyco illum Corinthium conferas Homerum. Neq; enim puto feras tantùm inter ſe differre, quantùm homini homo ſapientia, ratiocinatione ac memoria præſtat. VLYS. At uide Grylle, ne graue atq; uiolentum ſit, ijs rationem concedere, quibus Dei cognitio ingenita non eſt. GRYL. Et poſtea quum ſis adeò ſapiens ac elegans rerum diſcriminator, te ex Siſypho natum eſſe non dicemus.

Plutarchi problemata Romana.

PETRO LVCENSI INTERPRETE.

1 QVID eſt, quòd noua nupta cùm in matrimoniū datur, ignem & aquam iubetur attingere? An quòd in elementis ac principijs eorum alter maris, altera fœminæ locum tenet, & is principium motionis inijcit, illa uerò ſubiecti ac materię uim habet? An quòd ignis purgat, aqua uerò luſtrat: uxorem uerò puram & caſtam permanere oportet? An aliud potius? quòd quemadmodum ignis ſine humore, nec alitur, & ieiunus eſt atq; aridus, aqua uerò ſine calore ſterilis eſt & ignaua: ſic mas & fœmina niſi coëant, diſiuncti langueſcant & nihil efficiant neceſſe eſt? quorum coniunctio in matrimonium coëuntibus conuictum perficit, qui deſerendus non eſt, & omnis fortunæ caſus communiter ſubeundus, etiamſi nullius boni niſi ignis & aquæ participes inter ſe futuri ſint.

2 QVID eſt, quòd nec plures, nec pauciores, ſed quinq; tantummodo faces in nuptijs accendunt, quas Cereos appellant? An illud eſt quod Varro prodidit, imperatores tribus uti ſolitos eſſe, ædilibus plures adhiberi? Moris eſt autē, ut ab ædilibus qui uxores ducūt faces accendant. An quòd quum plurimis in rebus numeris utantur, tum cæteris melior ac perfectior ſit, & ad nuptias impar numerus conuenientior atque aptior habeatur? Par enim numerus & diuiſionē ſuſcipit, & eius paritas aduerſatur ac pugnat. Impar uero omnino ſcindi nō poteſt, ſed ſi diuidat, ſemper aliquid cōmune relinquit. Ex omnib. uerò im

C paribus numeris quinarius potiſsimũ nuptialis eſt. Tria enim primùm imparis locum te-
nent, duo uerò paris: ex quibus tanq̃ ex mare & fœmina quinarius cõmiſcetur numerus.
An illud magis, quòd cùm lux generationis ſignum ſit, mulier uerò non plures q̃ quinq;
uno partu natura poteſt ædere, idcirco totidem utuntur facibus? An quòd quinq; dijs o-
pus habere eos putant, qui matrimonio cõiunguntur, Ioue adulto, Iunone adulta, Vene
re, Suadela, & in primis Diana, quam etiam in partu & doloribus mulieres inuocant?
3 CVR Romæ cùm Dianæ multæ ſint ædes, eam ſolùm quæ in angiportu eſt, qui Patri-
cius dicitur, uiros ingredi nefas eſt? An ob eam fabulam, qua dicitur, quendam cùm eo in
templo mulieri, quę Dianam ſalutatum ueniſſet, uim attuliſſet, a canibus diſcerptum fuiſ-
ſe, inde orta ſuperſtitione uiros ingreſſu abſtinuiſſe?
4 CVR in cæteris Dianæ templis ceruorũ cornua planè affigunt, in Auentino boum tan
tummodo ſuſpendere conſueuerunt? Quid ita? An id ueteris caſus memoria & recorda-
tione fieri putandum eſt? Ferunt enim in Sabinis Antroni Coratio bouem inſigni ſpecie
ac magnitudine natam fuiſſe. A diuino deinde quodam monitum, ſi quis eam bouem in
Auentino Dianæ immolaſſet, fatum eſſe eius qui rem diuinam feciſſet ciuitatẽ, totius Ita-
liæ imperio potiri. Hominẽ re credita ut bouem immolaret ſtatim Romam ueniſſe. Seruũ
interim Seruio regi clàm rem omnem indicaſſe, illum è ueſtigio Cornelio ſacerdoti impe
raſſe, ut Antroni, antequàm is rem diuinam faceret, in Tyberim ſe ablueret ritè præcipe-
ret: ſic enim eos qui litare uellent, facere conſueſſe. Antronem cupidè profectum lauiſſe.
Seruium interim occupaſſe, ac Dianæ bouem immolaſſe, & cornua templo affixiſſe. Hoc
Iuba monumentis mandauit, & Varro: niſi quòd Antronis nomen Varro non prodidit,
nec à Cornelio ſacerdote, ſed ab æditituo deceptum fuiſſe dicit.
5 CVR eos qui apud exteros diem ſuũ obijſſe falſò nunciati ſunt, ſi poſtea reuerterint,
ianua in domũ non admittunt, ſed per tegulas aſcendentes intrò ſeipſos demittunt? Var-
ro enim omnino cauſam fabuloſam tradit. Dicit enim bello Siculo nauali pugna cõmiſſa,
cùm eo prælio multos occidiſſe falſò nunciatum eſſet, omnes poſtea reuerſos breui inte-
rijſſe. Vni autẽ ianuã ingredi conanti temerè, clauſam obſtitiſſe, nec cùm aperire conaret
D potuiſſe. Hominẽ ibi pro foribus conſopitũ in ſomnis ſpeciẽ uidiſſe, qua ſuper tectum per
imbrices deſcenſus in domũ, ac delapſus oſtenderet. Quo facto felicẽ fuiſſe, & ad ſenectu
tem perueniſſe. Inde poſteris morẽ fuiſſe proditũ. Sed uide ne hæc quodãmodo Græcis ſi-
milia eſſe uideant: non enim caſtos putabant, nec illis omnino admiſcebant, ſed procul à
templis arcebãt, quibus funus tanq̃ mortuis & exequiæ factæ fuiſſent. Ferunt autẽ quen
dam, qui hac ſuperſtitione huic religioni obnoxius teneret, Ariſtinum nomine, Delphos
miſiſſe, qui deum ſuo nomine precarentur, ut eum quibus ob hunc ritum difficultatib. te-
neretur abſolueret: Pythiam illis reſpondiſſe, quæcunq; puerpera facere cõſueſſet, ubi om
nia ritè obijſſet, tum dijs immortalib. ſacrificaret. Ariſtinũ oraculo accepto, ac probè co-
gnito, ſeſe quaſi modò in lucem æditũ mulieribus lauandũ, obligandũ, lactandumq; præ-
buiſſe: ſic deinde cæteros omnes Hyſteropotmos appellatos facere inſtituiſſe. Sunt qui
dicant morem hunc ante Ariſtinũ fuiſſe, & antiquũ morẽ eſſe. Mirari ergo nõ oportet, ſi
Romani quoq; eos, qui ſemel ſepulti mortuorũ numerũ tenuiſſent, limẽ ingredi prohibe
rent, per quod egredientes rem diuinã faciunt, & ſacrificio facto ingrediunt, ſed deſuper
per impluuium deſcendere iubebant. Piacula planè omnia ſub diuo obire conſueuerunt.
6 CVR inſtitutũ eſt, ut mulieres cognatos ore oſculentur? An, ut multi putant, quòd his
uini uſus interdictus eſſet, & idcirco ne bibentes laterent, ſed domeſticorũ cõgreſſu redar
guerentur, oſculandi conſuetudo inducta eſt? An probabilior huius rei cauſa eſt quã ſcri-
pſit Ariſtoteles: Illud enim uulgatum, & quod iampridem in multis locis factum fuiſſe di-
Maro in Sicilia citur, in Italia quoq; mulieres Troianæ, ut uidet, facere auſæ ſunt? Nam cùm ad Italiæ lit-
factum ſcribit. tus appuliſſent, & uiri ad unum omnes relictis nauibus in terram deſcendiſſent, naues in-
cenderunt, quòd diuturni ac longi erroris eas pertæſum eſſet, & maris tæderet. Metu de-
inde uirorũ pauidæ, propinquos ac domeſticos cõplexæ, oſculando ac blandè appellan-
do, ut cuiq; occurriſſent, facinoris conſcientia ſalutabant. Hoc pacto mitigatis animis, &
inter ſe conciliatis, manſit poſtea conſuetudo, ut hac inter ſe comitate uterentur. An ma-
gis hoc tributum eſt mulieribus, quò ſimul & honore & poteſtate augerent, ſi multos co-
gnatos ac propinquos habere uiderentur? An quòd cognatorum cõnubijs lege prohibi-
tis, hoc comitatis genus ad oſculum uſq; proceſsit, & hoc ſolum cognationis ſignum, &
cõmunicatio relicta eſt? Superioribus enim temporibus, quæ ſe aliqua neceſsitudine atti
giſſent, uxores nõ ducebãt, quẽadmodũ ne nũc quidẽ ſorores, aut patris ſiue matris ſoro-
res.

A res. Sed nõ ita pridem factũ eſt, ut cõſobrinas uxores ducere permitterẽt. Vir quidã ſanè pauper, cæterũ bonus,& in primis popularibus acceptus, cùm conſobrinã cui dos ampla eſſet relicta, in matrimoniũ accepiſſet, locuples ex eo & copioſus factus eſt. Eius rei accuſatus, iudicio multitudinis abſolutus eſt. Plebiſcitũ deinde factum, ut in ducendis uxoribus ad conſobrinas uſq; deſcendere liceret, ſuperior autem neceſsitudo prohiberetur.

7 QVID eſt, quòd uir ab uxore, uxor à uiro, dono aliquid accipere prohibet? An quòd, ut Solon ſcripſit, morientiũ donationes ratæ ſunt, niſi quis, inquit, neceſsitate coactus, aut ab uxore perſuaſus accipiat: neceſsitatẽ enim quaſi uim afferentem, uoluptatẽ uerò quaſi decipientẽ excepit. Sic uxorum donationes ac uirorum, ſuſpicione non caruerunt. An quòd uiliſsimũ beneuolentiæ ſignũ donatio ſit? Dant enim & alieni, & qui nõ amãt. Idcirco hoc dandi lenociniũ ex matrimonio ſuſtulerũt, ut nõ mercenariũ, ſed gratuitũ & ſpontaneũ ſit hoc totum, amare & redamari. An quòd accipiendo corruptæ alienos admittunt, grauiſsimum uiſum eſt gratis ſuos diligere? An illud potius, quòd uiri & uxoris rem cõmunem eſſe oportet? Nam qui quod datum eſt accipit, is quod datum non eſt, id alienum eſſe cenſere didicit: quo fit, ut exiguum inuicem dando totum perdant.

8 QVID eſt, quòd a genero ac ſocero iiſdem aliquid dono capere non licet? An idcirco à genero, ne fortè per parentem munus ad uxorem redire uideatur? à ſocero autem, quòd qui nihil dediſſet, eum nihil accipere par eſſe uiſum eſt?

9 CVR ſiue ex agro, ſiue peregrè domũ redeãt, qui uxores domi habẽt, aduentus ſui nuncios præmittũt? An quòd hoc eius eſſe cenſent, qui ſe abſente uxorẽ nihil improbè facere ſibi perſuadeat, derepentè uerò & inopinatò ſubuenire inſidiatoris ac obſeruatoris: idcirco uxorũ expectationi ac deſiderio, bonis eas nuncijs afficiendo, q̃citiſsimè ſatisfieri ſtudent? An illud potius, quòd ſcire nimiũ auent, ſi ſaluas domi, ac ſui deſiderio affectas ſint offenſuri? An quòd pluribus domi negocijs in adminiſtranda re familiari abſentibus uiris uxores occupent, & cum domeſticis plerunq; diſcordent, ut his omnibus remotis, iucundè ac tranquillè ab uxoribus excipiant, de ſuo eas aduentu prius fieri certiores uolũt?

10 CVR deos ſalutantes caput operiunt, uiris autẽ dignitate præditis, & honore dignis, ſi B etiam uelati occurrerint, caput aperiunt? Hoc enim illam quoq; dubitationẽ uidetur augere. Nam ſi quæ de Aenea feruntur uera ſunt, ut prætereunte Diomede caput operiens rem diuinã fecerit: rationẽ habet, nec repugnat, ut quemadmodũ in occurſu hoſtiũ caput uelemus, ſic amicis ac bonis uiris obuiã facti capita detegamus. Nam quod ad deos pertinet id propriũ nõ eſt, ſed caſu accidit, & ab illo ſeruatũ poſtea manſit. Quòd ſi aliud dicendum eſt, uide ne illud ſolum quærendum ſit, quamòbrem deos uenerantes capita uelentur. Alterum uerò conſentaneũ eſt. Potentioribus enim occurrẽtes idcirco caput aperiũt, nõ ut eis aliquid addant, ſed ut inuidiã potius detrahant, ne pares dijs immortalib. honores poſcere, néue eodem cultu delectari uideantur. Deos uerò idcirco ſic adorabãt, ut aut operiendo capite ſeipſos humiliores redderent, aut metu, ne quid ignominioſum ac triſte inter precandum aliunde auribus accideret, idcirco ueſtem ad aures uſq; attollebant. Hoc autem eos uehementer uitaſſe, ex eo facilè perſpici poteſt, quòd oraculum adeuntes æra pulſari, & q̃maximum ſtrepitum fieri uolunt. Aut illud eſt quod Caſtor dicit, mores Romanos Pythagoricis comparans: Genium qui unicuiq; noſtrũm ineſt, deos qui extrà ſunt rogare, & caput uelando ſupplicare, animi ſcilicet uelamentum ac reuelationem per corpus quodam ænigmate oſtendentem.

11 QVID eſt, quòd Saturno capite aperto immolant? An quòd uelandi capitis ritum Aeneas tradidit, Saturni uerò ſacrificiũ peruetuſtum eſt? An illud potius, quoniam dijs cœleſtibus immolantes uelantur, Saturnum uerò ſubterraneum & terreſtrem deum eſſe arbitrantur? An quòd ueritas occuli obſcurari ue non poteſt, ueritatis autem parentem ac deum Romani Saturnum habent? Sed quid eſt, quòd Saturnum ueritatis patrem ducũt? An quòd, ut pleriq; philoſophi cenſent, Saturnum tempus eſſe exiſtimant, ueritas autem tempore inuenitur? An illud, quòd fabuloſa illa Saturni tempora, qui iuſtiſsimus omniũ fuiſſe dicitur, ueritatem maximè coluiſſe ueriſimile eſt?

12 QVID eſt, quòd Honori aperto capite rem diuinam faciunt? An quia ſplendidum quiddam & illuſtre, & apertum ac latè patens gloria? Quam ob cauſam honeſtis ac bonis uiris caput aperiunt, eadem adduci uidentur, ut eiuſdem cultus cognominem deum eodem more uenerentur.

13 QVID eſt, quòd filij quidem tecto capite parentes efferunt, filiæ uerò nudo ac ſparſis crinibus? An quòd patres tanq; deos à maribus coli conuenit, quos tamen eoſdem filias

C luctu proſequi tanq̃ mortuos magis deceat? utriq; enim quod ſuũ eſt lex tribuens, ex am
bobus quod oporteret & deceret effecit. An ea lugenti accõmodata ſunt, quæ ſunt inuſi-
tata? Conſueuerũt autẽ magis operto capite mulieres, at uiri cõtrà aperto in publicũ pro-
dire. Apud Græcos enim ſi quid aduerſi acciderit, ut mulieres tonderi, ſic uiri comas ale-
re conſueuerunt: quòd uiri tondere, mulieres uerò promiſsiores habere crines moris eſt.
An filios ob eam quam diximus cauſam uelari mos eſt? Nam ut Varro dicit, filij ſic ſepul-
chris parentũ obuerſanẽ, quaſi deorũ templis, pari cultu utroſq; uenerantes: quorũ in bu-
ſtis cumprimũ in os aliquod inciderint, eum qui mortuus ſit in deorum numerũ relatum
eſſe dicunt. Mulieribus autẽ ne aperto quidẽ capite omnino licebat. Eſt enim proditũ me
moriæ, Sp. Carbiliũ primũ Romanorũ omniũ ſterilitatis cauſa uxorem repudiaſſe. Hunc
ſecutus Sulpitius Gallus idcirco uxori nunciũ remiſit, quòd eam in caput ueſtẽ inducere
animaduertiſſet. Idem fecit P. Sempronius, quòd eius uxor ludos funebres ſpectaſſet.

14 CVR Terminũ, cui terminalia faciunt, deum putantes, nihil ei animatũ ſacrificant? An
quòd terminos Romulus agro ſtatuit, quô progredi, ac uicinos mulctare licitum eſſet, at
que omnẽ agrum proprium exiſtimare, quô, ut Lacon dicit, haſta perueniãt? Numa uerò
Pompilius uir ciuilis ac iuſtus, & in primis ſapiens, agri terminos cum finitimis cõſtituit,
& ipſis finibus Terminum ominis cauſa nominans, quaſi præſidem, & amicitiæ ac pacis
cuſtodem, ab omni cęde ac ſanguine eum incontaminatũ cõſeruari oportere exiſtimauit.

15 QVID eſt, quòd ancillis ædem Matutæ ingredi fas non eſt, unam uerò tantũ mulieres
introducunt, quam alapis cædunt? An quia hanc unam ita pulſari, ſignum eſt ſeruas adi-
tu prohiberi? reliquas autẽ propter fabulas repellunt? Ino enim uirum rem cum ſerua ha-
bere ſuſpicata, filium deperijſſe dicitur. Seruam uerò Græci ex Aetolia oriundam fuiſſe di
cunt, nomine Anripherã. Ex quo apud nos in Chæronea pro æde Matutæ æditurus lorũ
tenens pronunciat: Non ſeruam ingredi, non ſeruum, non Aetolum, non Aetolam.

16 CVR apud hanc ipſam deam ſuis quidem filijs bona non optant, cùm nepotibus ex fra
tribus ac ſororibus id tribuant? An quòd Ino miti quodam & humano ingenio eſſe, & ſo-
roris filio mammam præbuiſſe, in filijs uerò infelix extitiſſe uidetur? An aliter potius,
D quòd moralis & pulchra in primis conſuetudo, & multum inter neceſſarios beneuolen-
niæ comparans exiſtimata eſt?

17 QVID cauſæ eſt, quòd pleriq; copioſi & locupletes, ſubſtantiæ ſuæ decimam Herculi
offerebant? An quòd ille quoq; in Palatino boum, quas Geryoni abſtulit, decimam im-
molauit? An quòd Romanos ab Hetruſcis decimari ſolitos liberauit? An hæc hiſtoriam
nec omnino ueram, nec ueriſimilem habent, Herculi uerò tanq̃ edaci & ſplendido, proli
xè atq; opiparè parabant, & ſacrificium faciebant? An illud potius, quaſi odioſas ciuibus
& moleſtas nimias diuitias comminuentes, & ut bonæ corporis habitudini ad ſummum
prouectæ aliquid detrahentes, eo pacto maximè coli Herculem exiſtimabant? quem id-
circo luxuriam coërcere & cõprimere delectaret, quòd ipſe paucis cõtentus tenuiter con-
tinenterq; uixiſſet?

18 QVID eſt, quòd Romani Ianuariũ principium anni faciunt? Antiquis enim tempori-
bus Martius primus omnium numerabatur, quod cùm mulris ſignis perſpici poteſt, tum
eo maximè, quòd quintũ à Martio & ſextum, & reliquos deinceps uſq; ad extremũ à Mar
tio numerant. Decembrem enim nouiſsimũ appellant, à Martio ſcilicet recenſentes. Ex
quo nonnulli opinati ſunt, ueteres Romanos nõ duodecim, ſed decem menſibus annum
compleſſe, & ob eam rem quibuſdã menſibus plures quàm triginta dies addidiſſe. Sunt
qui monumentis mandarint, Decembrem à Martio decimum computari: hunc uerò un-
decimum ſubſequi Ianuarium, duodecimum deinde Februarium eſſe, in quo & purgatio
nibus utuntur, & mortuis parentant anno finiente. Hunc poſtea ordinem cõmutatum eſ-
ſe conſtat, & Ianuarium primum omnium numerari cœptum, quòd primo huius menſis
die, quem Calendas Ianuarias appellant, primi Conſules exactis regibus creati ſunt. Ve-
riſimilius illud quod quidam dicunt, Martium à Romulo primum omnium fuiſſe nume-
ratum, quòd homo acer ac bellicoſus, atque adeo bellandi amore inſanus, Marte ſatum ſe
exiſtimans, parentis ſui cognomen cæteris menſibus præponendum eſſe cenſuit. Numa
Pompilius deinde, uir pacatus, & pacis atq; ocij ſtudioſus, cùm ciuium animos à bello ad
agriculturam traducere contendiſſet, Ianuario inter menſes principatum dedit, & Ianum
quaſi ciuilem & agriculturæ magis quàm rei bellicæ ſtudioſum, ad ſummos honores cul-
tumq; prouexit. Sed uide ne Numa Pompilius magis conſentaneum naturæ, quantùm
ad nos attinet, principium anni ſumpſerit. Omnino eorum quæ in circulo circunferun-
tur,

A tur,nihil eſt quod natura aut extremũ ſit aut primũ,ſed lege factũ eſt,ut aliud alij ſtatuant
anni principium,optimè uerò qui poſt hybernum tropicum annum inchoant, cùm ſol fi
nem ulterius progrediendi faciens,rurſus ad nos ſe recipit: fit enim naturale quodammo
do huiuſmodi principiũ, quo & lucis tempus nobis augetur, tenebrarum uerò & noctis
diminuitur,princeps deniq; & totius ſubſtantiæ fluxæ autor propius accedit.

19 QVID eſt,quòd Floræ,quam Bonam deam nominant,omni florum genere templum
exornantes mulieres, domum myrtos nõ importent,præſertim cùm ambitioſius cunctis
germinum ac florum uarietatibus uti ſoleant? An illud eſt quod à fabulatoribus dicitur,
Floram Flauij diuinatoris uxorẽ fuiſſe,quæ cùm uino clanculum uberius uteretur, depre
henſam myrteis uirgis ac flagris à uiro cæſam fuiſſe,dicitur inde factũ eſſe ut myrtus in e-
ius ædem nõ inferatur? Vinũ autẽ cùm mulieres ei libant,lac appellant. An quòd à mul-
tis,tum uerò rebus Veneris,caſtæ ac puræ ſacrum illud obeunt? Non ſolũ enim uiros ex-
cludunt,ſed cùm ſolenne ſacrificium faciũt,quicquid maſculum eſt domo exigunt. Myr-
tum igitur quaſi Veneri dicatã,religioſam habent. Nam quam nunc Murciam Venerem
nominant,antiquitus,ut uidetur,Myrteam appellare conſueuerunt.

20 QVID eſt,quòd Latini picum uenerantur,& eo uehementer abſtinent? An quòd Pi-
cum uxoris ueneficio mutatum ferunt,auem deinde factum oracula ædere,& interrogan
tibus reſpondere ſolitum? An hoc cùm incredibile,tum monſtri plenum exiſtimandũ,&
altera fabula multò eſt ueriſimilior? Romulo ac Remo cùm regis iuſſu expoſiti eſſent,nõ
modò lupam mammas infantibus præbuiſſe, ſed picum quoq; ad infantes uentitaſſe, at-
que eos aluiſſe? Nam nunc quoq; locis nemoroſis ac ſylueſtribus,in quibus crebrò picus
appareat, lupũ uerſari animaduerſum eſt, uelut Nigidius tradit. An illud magis,ut aliam
alij deo auem,ſic picum Marti ſacrum putauerunt? Eſt enim natura fidens & elatus atque
audax: roſtrum quidem adeò firmum habet,ut robora ſubuertat,cùm truncum ſæpe pul-
ſando ad medullam uſq; peruenerit.

21 CVR Ianum bifrontem eſſe autumant? ſic enim eum & fingunt & pingunt. An quòd
græcus Perrhæbus fuit? ſic enim monumentis proditum eſt. Is poſtea cùm in Italiam traie
B ciſſet, & apud barbaros conſediſſet, linguam ſimul cum uictu commutauit. An illud po-
tius, quòd Italos agreſtes ac barbaros ad humanitatem uitæ cultumq; traductos, & agros
colere, & rempublicam adminiſtrare inſtituit?

22 QVID cauſæ eſt, quòd in æde Libitinæ quæ ad ſepulturam pertinent uendere conſue
uerunt, Libitinam nihil aliud niſi Venerem eſſe exiſtimantes? An hoc unum ex Numæ
Pompilij cõmentis fuiſſe putandum eſt,ut diſcant homines talia non aſpernari,nec tanq;
rem pollutam aut ſceleratam fugere? An ea re homines fragilitatis & imbecillitatis huma
næ admoneri putant, quòd una & eadem dea principium ac finem uitæ in poteſtate ha-
beat,quippe quæ ingredientibus uitam uel decedentibus præſideat? Delphis enim Epi-
tymbiæ Veneris exigua ſanè ſtatua poſita oſtenditur, ad quam manes ad parentationes
& libationes & elicere & euocare conſueuerunt.

23 CVR tria menſis principia, & dies quaſi quoſdam legibus præſtitutos habent, qui die-
rum idem interuallum in medio capiũt? An illud uerum eſt quod Iuba in hiſtoria ſcribit,
magiſtratus Calendis populum uocare, & in quartum diem Nonas indicere ſolitos eſſe?
Idus enim diem religioſum putabant. An illud magis, quod lunæ uarietatibus tempora
deſcribentes, tres omnino ſingulis menſibus lunæ mutationes maximas fieri animaduer
tebant? Primã, cùm ſoli congreſſa penitus occultatur. Deinde, cùm ſolis radios ac lumen
elapſa,ab occaſu incipit apparere. Poſtremò, cùm plenilunium efficit. Nominant autẽ lu-
næ occultationem, cùm ſcilicet nõ apparet, Calendas. Quicquid occultè fit, clàm fieri &
celari latinè dicitur. Primã uerò Nonas appellant iuſtiſsimo quidem nomine, cùm fit no-
ua luna. Nam & ipſi nouum, uelut nos neon uocant. Idus autem propter ſpeciẽ, & undi-
que collucentis lunæ pulchritudinem, cognomen illud ſpeciei attribuentes. Sed certiſsi-
mum dierum numerum exequi non oportet,neque ex eo quod parum abeſt calumniari,
quandoquidem uel hoc tempore,quo ad ſummum aſtrologiæ peruentũ eſt, inæqualitas
tamen motuum, mathematicorum peritiam uincit, & eorum numeros ac ſupputationes
ſæpiſsimè fallit ac fugit.

24 QVID eſt, quòd poſtridie Calendas, Nonas, Idus, nec quoquã exire, nec peregrè pro-
ficiſci conſueuerũt? An quòd, ut plurimi cenſent, & Liuius autor eſt, poſt Idus Quintiles,
quas nũc Iulias uocãt, Tribuni militũ eductis copijs ad Alliã fluuiũ à Gallis ſuperati ſunt,
qui urbẽ funditus deleuerũt? quẽ diem quũ poſtea religioſum habuiſſent, & procedente

C tempore,ut fit,mos inoleuiſſet,eadem ſuperſtitio tantũ ualuit, ut dies poſtridie Calendas
ac Nonas ſimiliter religióſi haberent? An hoc multis modis abſurdum eſt? Alio enim die
apud Alliam male pugnatũ eſt,quem Allienſem à fluuio nominantes, infauſtum habent
Romani. Cumq́ multi religioſi ſint dies,haudquaq́ ſingulis menſibus homonymos ob-
ſeruant:uerùm unumquenq́ diem, in quo tunc calamitas accidit, ei qui poſtridie Nonas
& Calendas ſequitur adſiſtere,ut omnem pari ſuperſtitione inuoluãt,nullam uerò ſimili-
tudinem habere. Vide igitur ne quemadmodũ primũ menſem dijs cœleſtibus cõſecraue-
runt,ſecundum uerò inferis,in quo & purgationibus quibuſdam utuntur,& mortuis pa-
rentant,ſic & dies alios quidẽ quaſi autores ac principes, ut dictum eſt, tres ſcilicet feſtos
& ſacros poſuerint : eos autẽ qui deinceps ſequunt̃ dijs manibus attributos, religioſos &
infauſtos habendos exiſtimauerint. Græci em̃ Calendis deos uenerantes, eum qui ſequi-
tur, ſemideis ac dæmonibus attribuerunt. Secundus quoq́ crater ſemideis & heroidibus
libari ſolet. Omnino numerus quidã tempus eſt. Numeri autẽ principiũ diuinũ eſt. Prin-
cipium eſt enim unitas, quam ſecutus binarius unitati aduerſatur,& parium primus eſt nu
merus. Par uerò indigens quidem imperfectũ & indefinitũ, quemadmodũ rurſus impar,
terminatus eſt, & terminat ac perfectus eſt. Quo fit, ut Nonas quinto poſt Calendas die
ſubijciant, Idus autem Nonis nono pòſt die demum numerẽt. Terminant enim principia
impares numeri: qui uerò principia excipiunt pares deinceps numeri, nec uim habent ul-
lam nec ordinem. Quo fit, ut hís nihil agere inſtituant, nuſquam exeant, aut peregrè pro-
ficiſcantur. Quo loco illud Themiſtoclis repetere alienum non fuerit, diem qui poſtridie
diei feſti fuiſſet, cum die feſto litigaſſe : illũ enim multũ negocij ac laboris habuiſſe, ſe autẽ
effeciſſe ut quietè & ocioſe rebus partis perfruerent̃ homines. Tum dies feſtus: Næ tu qui
dem uerum dicis: niſi enim ego eſſem, tu non fuiſſes. Hoc Themiſtocles aduerſus eos qui
poſt eum ab Athenie͂ſibus imperatores facti fuerant, dixiſſe fertur, futurũ fuiſſe ut eorum
nemo cognoſceret̃, niſi ciuitatẽ ipſe conſeruaſſet. Quoniã igitur omnis ſtudioſa peregri-
natio atq́ actio, apparatus & adminiſtrationis indiget: ueteres autem Romani diebus fe
ſtis nihil omnino negocij agẽbant, aut prorſus curabant, ſed rebus diuinis penitus dediti
D erant, idq́ ſic agebant, ut nunc quoq́ ſacerdotes rem diuinam facturi proponere & edice
re conſueuerunt, meritò igitur ſtatim non exibant poſt feſtos des, neq́ quicq́ aggredie-
bantur: imparati enim erant: uerùm illa die domi res ſuas curantes, ac ſe inſtruentes mane
bant. An ſicut etiam nunc factis uotis deo, uenerari, in templis ſedere, ac permanere con-
ſueuerunt, ſic non continuò dies operoſos diebus ſacris & feriatis ſubijciendos putaue-
runt, & aliquid interualli intercedere uolebant, præſertim cùm præter opinionẽ ac uolun
tatem moleſta ac grauia perſæpe in uita accidere ſoleant?

25 QVID eſt, quòd in luctu mulieres albis ueſtibus induuntur? An ut magos aiunt aduer
ſum orcum ac tenebras inſtructos claritati ac luci ſeipſos comparantes, hoc facere putan-
dum eſt? An quemadmodũ mortui corpus albis ueſtibus induant, & propinquos idem fa
cere uolunt? Corpus autẽ idcirco ſic ornant, quandò animũ nõ poſſunt, quẽ purũ ac ſplen
didum deducere uolunt, quaſi iam emeritum, & magno ac uario certamine liberatum?
An tenuitas his in rebus ac ſimplicitas maximè decet, infectæ autẽ ueſtes tum ſuperfluita
tem præ ſe ferunt, tum elegantiã ac ſumptum? Non enim minus aduerſus nigrum quàm
purpureum colorem illa dici poſſunt: Doloſæ ueſtes, doloſi uerò etiam colores. Quod au
tem ſua ſponte, non arte nigrum eſt, natura tinctum eſt, & opaco admixto temperatũ eſt.
Solum igitur album, ſyncerum ac purum, ac minimè inquinatũ eſt: quare mortuis aptiſſi
mum. Defunctus enim ſimplex quiddã factum eſt, purum & omni cõmixtione uacuũ, ni
hil planè aliud niſi quodam quaſi tinctorio ueneno, ſic corpore liberatus. Argis uerò in
luctu ueſtes albas induunt, ut Socrates dicit, aqua ablutas.

26 QVID eſt, quòd omnes muros ſanctos putant, portas non item? An illud eſt quod à
Varrone ſcriptum eſt : Murum quidẽ ſanctum haberi oportere, ut pro tuendis mœnibus
ſtudioſe propugnent ac mortem oppetant? Sic enim uidetur & Romulus fratrem interfe
ciſſe, quòd locum ſanctum, & quem tranſgredi nefas eſſet, tranſire non dubitaſſet, & pro-
phanum reddidiſſet. Portæ uero conſecrari idcirco non poſſunt, quòd cum alia multa ad
uſum neceſſaria exportare atque importare, tum uerò mortuos per eas efferre conſueue-
runt : & quòd qui ab initio urbes condunt, quantumcunq́ loci ædificaturi ſunt aratro at-
tingunt, cui marem bouem ac fœminam ſubiugant. In murorum uerò deſcriptione cùm
portarum ſpatia metiuntur, uomerem detrahunt, ac ſic aratrum transferunt, quaſi quic-
quid exaratum ſit, ſacrum & inuiolatum futurum eſſe uideatur.

A Q V I D eſt, quòd pueros ſi Herculem iurant, id ſub tecto facere prohibent, & ſub dium
27 progredi iubent? An ea cauſa eſt quã multi afferunt, Herculem nõ umbra atq; ocio, ſed labore ac periculis delectatũ: nõ domi, ſed foris, ac ſub diuo uitam egiſſe? An illud magis, quòd is deus nõ indigena, ſed externus & aduena eſt habitus? Nam nec Dionyſiũ iurant ſub tecto, externũ & ipſum deũ, ſi quidem eſt Dionyſius. An hæc quidem dicunt, & ioco apud pueros adhibent, aliàs autẽ cohibitio eſt, ne pueri ſic temerè inſueſcãt deierare? Sic enim Phauorinus aiebat: Hoc enim quaſi de induſtria morã efficit, & deliberandi dat ſpacium. Phauorinũ uerò rectè putaſſe, nec cõmune, ſed propriũ huius dei hoc quod fit exiſtimaſſe, ex his quæ de Hercule feruntur facilè conijci poteſt. Ferunt enim hunc in primis religioſum fuiſſe, & ad iuſiurandum uerecundiſsimũ, quippe qui ſemel in omni uita iurauerit, idq; ſoli Phyleo Augei filio: quocirca Pythiam hoc iuriſiurandi genus Lacedæmonijs propoſuiſſe, ſatius ac melius illis fore ſi abſq; iureiurando affirmaſſent.

28 Q V I D eſt, quòd nouam nuptam ipſum limen tranſcendere nõ permittunt, ſed deductores ipſam tranſportant? An quòd qui primas mulieres rapuerunt, ſic eas domibus intulerunt, non ipſæ ingreſſæ ſunt? An eô inuitæ ingredi uideri uolunt, ubi uirginitatẽ ſunt amiſſuræ? An quòd potius ſignum eſt, ipſam non ſua ſponte domũ exituram, nec relicturam eſſe, niſi coacta fuerit, quemadmodũ ui coacta ingreſſa eſſet? Nam apud nos quoque in Bœotia currus axem pro foribus cõburunt, ſignificantes ſponſam intus manere oportere, tanquam eo ſublato quod eam aſportaturum fuerat.

29 Q V I D cauſæ eſt, quòd ſponſam introducentes iubent dicere, Vbi tu Caius, ego Caia? An ita cum uiro quaſi depaciſcitur, ut omnia cõmunia ſint, & pariter imperent, nec aliud his uerbis oſtenditur, niſi ubi tu dominus ac domus compos, ſic ego domus domina atq; hera? His autem uerbis aliàs utuntur cõmunibus, quemadmodũ legulei C. Seium, & Lucium Titium uſurpare ſolent, & philoſophi Dionẽ, Theonem. An magis propter Caiam Cęciliam, honeſtam ſanè mulierem ac bonam, uni ex Tarquinij liberis collocatam, cuius in Sancti templo ſtatua ex ære poſita eſt? Inerant iampridem & ſandalia & colus, curæ domeſticæ & induſtriæ ſuæ certa monumenta.

30 Q V I D eſt, quòd in nuptijs Talaſij nomen crebrò iactãt? An propter lanificiũ, q̃d nos
B Talarũ & Talaſum, quaſillũ uocãt Romani, & ſponſam introducentes pellẽ ſubſternũt, ipſa uerò colum ſecũ infert & fuſum, uiri autẽ ianuã lana coronat ac cingit? An illud uerũ eſt quod hiſtorici tradiderũt: adoleſcentẽ quendam in rebus bellicis ſtrenuũ, & in primis præclarũ, & alioqui uirũ optimũ, Talaſiũ nomine, Romæ fuiſſe: ſed poſtea cùm Romani Sabinorũ filias, quæ ad ludos uenerant, de cõpoſito rapuiſſent, uirgo egregia ſpecie, Talaſio ferebatur à popularibus quibuſdam & Talaſii clientibus, clamitantibus quò tutius eam auferrent, nec quiſquã accederet qui eam abſtraheret uiolaretq;, puellam Talaſio ferri? Reliqua igitur multitudo Talaſii honoris cauſa bonis ominib. ac uotis puellam proſecuta, ad Talaſiũ deduxerũt. Ex illo, quoniã nuptiæ felices fuiſſent, ſolenne permanſit, ut quemadmodũ Græci Hymenæũ, ita Latini Talaſiũ ominis cauſa in nuptijs nominarent?

31 Q V I D eſt, quòd Maio menſe circa pleniluniũ de ponte ſublicio ſimulachra in Tyberim iacientes, Argeos quæ deijciuntur appellant? An quòd antiquis temporibus barbari ea loca incolentes, Græcos quos ceperant eo pacto interficerẽt, Herculem uerò poſtea admirati, ab hoſpitum & externorum cæde abſtinuerunt, docti ab eodem, ut ueterẽ morem ac ſuperſtitionem imitantes, effigies in flumen abijcerent? Nam ueteres, Græcos omnes Argiuos æqualiter appellabant. Niſi propter uicinitatem Argiuos Arcadum hoſtes Euander exiſtimans, qui patriam fugiens ibi conſedit, odium & inimicitias retinuit.

32 C V R ueteri more nemo foris cœnitabat præter liberos qui ætate puerili eſſent? An Lycurgus ut modeſtè, non intemperanter & belluarum more, hoc pacto quoq; pueros inſtituit ad phiditia deducens, ſed uerecundè ac prudenter uoluptates attingerent, cùm maiores natu ſpectatores ac magiſtros haberent? Nec hoc quoque minoris faciendum, quòd in liberorum conſpectu uerecundiores multò parentes ſe exhibent & modeſtiores. Nam quemadmodum præclarè à Platone ſcriptum eſt, Vbi ſenes impudentes ſint, adoleſcentes quoque turpiſsimos eſſe neceſſe eſt.

33 Q V I D eſt, quòd cùm cæteri Romani Februario mortuis inferias mittere & parentare cõſueuiſſent, Decius Brutus, ut Cicero ſcribit, id Decembri faciebat: hic enim fuit qui primus Luſitaniam inuaſit, quippe Lethen flumen primus traiecit. An quemadmodũ ueſperi & menſe exacto multi parentare conſueuerunt, ſic in fine anni menſe nouiſsimo mortuos honore & inferijs proſequebatur? Eſt autem omniũ menſium December extremus.

C An quòd dijs inferis honor redderetur? quod tum fieri tempeſtiuè uidetur, cùm fructus
omnes maturitatẽ ſunt conſecuti. An quòd cùm ſementem inſtituentes terram ſubigunt,
inferorum meminiſſe maximè oportet? An aliud potius, quòd is menſis Saturno à Roma
nis conſecratus eſt, quem inferorum deorum numero habeant? An quòd Saturnalibus,
quem diem Romani maximè colunt, quo uoluptati ac genio plurimum uacant, harum re
rum nonnullas mortuis primitias impertiendas putauerunt? An ſolum hoc menſe Bru-
tum parentare ſolitum omnino falſum eſt? nam Larentiæ menſe Decembri ad eius ſepul-
chrum libantes inferias faciunt.

34 QVID eſt, quòd Larentiã uulgatiſsimũ ſcortum tantopere uenerantur? Alia eſt enim
Acca Larentia, quam Romuli nutricem eſſe ferunt: huius enim diem feſtum menſe Apri-
li agunt Romani, hanc autẽ Fabullam cognomẽto appellatã dicunt. Nobilitata eſt hanc
ob cauſam. Aedituus quidã Herculis, ocio ut uidetur abundans, ludo ac teſſeris diem con
terere ſolebat: ſed cùm fortè ita accidiſſet, ut quibus cum ludere conſueuerat, eorum adeſ-
ſet nemo, ocioſus ac triſtis deum ut ſecum luderet prouocauit, ea lege, ut ſi uiciſſet, aliquid
boni à deo nanciſceretur: ſin autem uictus fuiſſet, ipſe deo cœnam præberet, inſuper ſpe-
cioſam adoleſcentulam, qua cum cõſuetudinẽ Hercules haberet, deo cõpararet. Propoſi-
tis teſſeris cùm & ſuam & dei uicem ieciſſet, ſuperatus eſt. Ex prouocatione igitur opipa-
ram deo menſam parauit, & Larentiã publicũ tum temporis ſcortum adhibuit, & in tem-
plo diſcũbere iuſſam clauſis foribus reliquit. Ferunt autẽ noctu cum muliere congreſſum
nõ humanitus: ubi illuxiſſet mulierẽ in forũ progredi iuſsiſſe, & cuicunq; primo occurriſ-
ſet huic animũ adhibere, & amicũ ſibi adiungere. Larentiã ſtatim ſurrexiſſe, homini locu-
pleti occurriſſe, natu iam grãdi ac cęlibi, cui Taurutius nomẽ fuit: qui mulieri matrimonio
cõiunctus, & uiuus rei familiaris poteſtatẽ ei fecit, & moriens teſtamẽto hæredẽ reliquit.
Ipſam uerò poſtea uita functã, ciuitati opes illas reliquiſſe, & ꝓinde hos honores habere.

35 QVID eſt, quòd portam unam Feneſtrã appellant, apud quam Fortunæ thalamus qui
D dicitur poſitus eſt? An quia Seruius rex ſecũdiſsima fortuna uſus, cũ Fortuna rem habuiſ-
ſe creditus eſt, cùm per feneſtrã ad ipſum penetraret? An hoc fabuloſum, illud autem ue-
rum? Tarquinio Priſco Romæ regnante cùm à paſtoribus occiſus eſſet, Tanaquil eius
uxor, mulier ſanè prudens & fortis, per feneſtram populum allocuta, multitudini perſua-
ſiſſe dicitur, ut Seruiũ regem declararent, ex eo factum eſt, ut locus ille ita appellaretur?

36 CVR ex omnibus quæ dijs immortalibus offeruntur, ſola ſpolia negliguntur, & nec ip
ſa adorant, nec uetuſtate conſumpta reſarciunt aut reficiunt? An idcirco hoc faciunt, ut
cùm primis illis gloriam antiquatã eſſe ac deletam putent, nouum aliquod ac recens uir-
tutis monumentũ conſequi ac parare ſtudeant? An iſtud uerius, quòd cùm inimicitiæ ad-
uerſus hoſtes ſigna tempore obſcurentur, ipſos ea renouare inuidioſum & acerbum eſſe
cenſent? Non enim qui primi apud Græcos æneum aut lapideum trophæum ſtatuerunt,
magnopere probati ſunt.

37 QVID cauſæ eſt, quòd Quintius Metellus Pontifex maximus factus, alioqui prudens
ac ciuilis, poſt Sextilem menſem, qui nunc Auguſtus dicitur, uetuit auſpicari? An quòd
quemadmodum die incipiente aut creſcente, ſic mẽſis initio ac incremento hæc agimus,
reliquos autẽ tanq; ocioſos, & omni actione uacuos ſeruamus: ſic poſt octauũ, reliquum
anni tempus quaſi ueſperam quandam etiam inclinantis & ſeneſcentis anni crepuſculum
putauerunt? An quòd adultis & perfectis auibus auſpicandum? Sunt autem huiuſmodi
antequã æſtas aduenerit: autumno enim aues aut imbecilles ſunt & morbidæ, aut pulli &
imperfectæ. Aliæ uerò propter anni tempus aliò deuolant.

38 CVR ijs qui ſacramento nòn tenentur, licet in caſtris uerſentur, tamen hoſtes pręlio la
ceſſere, nec ferire fas erat? Quod Cato ſenior in quadã epiſtola oſtendit ad filiũ ſcribens.
Monet enim, ſi miſſus factus ſit, & militiæ tempus cõpleuerit, ad urbem ut redeat: aut ſi re
manere in exercitu uelit, ab imperatore impetret, ut ſibi aduerſus hoſtem pugnare, & eum
interficere liceat. An ideo eſt inſtitutũ, quòd niſi neceſsitate coactum, hominem occidere
non liceat, quod qui nec legitimè nec iuſſus faciat, homicida habendus ſit? Idcirco Chry-
ſantam laudauit Cyrus, quòd hoſtem interfecturus cùm iam gladium ſuſtuliſſet, & inte-
rim receptui cani audiſſet, hoſtem omiſit, & quaſi prohibitus, ictu abſtinuit. An qui cum
hoſte congreſſus pugnam conſeruit, ſi formidine captus trepidauerit, mulctandus eſt? nõ
enim hoſtem feriendo ac ſauciando tantùm profuit, quantũ fugiendo aut ſe recipiendo
nocuit. Quicunq; igitur miſſus factus, militiæ ſacramento amplius non tenet: qui uerò ut
ea ſibi agere liceat quæ militantiũ ſunt petit, iterum ſe & legi & imperatori obnoxiũ facit.

CVR

A CVR Iouis ſacerdoti ſub dio ungi fas non eſt? An quia nec liberos parentibus nudari,
39 ſoceros cum generis lauari, nec honeſtum nec fas eſſe exiſtimabant: pater autē eſt Iupiter,
& ſub dio in conſpectu eſſe quodāmodo Iouis putandum eſt? An ſicut in templo & ſacro
corpus aperire nefas eſt, ſic aërem apertū, & qui cœlo ſubiectus eſt, deorū ac dæmonū ple
num uerebantur? quo fit cùm neceſsitati ſeruiendū eſt, multa ſub tecto occultè, deorum
conſpectum ueriti, homines faciāt. Sed alia ſoli tantū ſacerdoti, alia omnibus per ſacerdo
tem lex iuſsit. Quapropter apud nos quoq; coronā geſtare, comā prolixiorē ferre, arma-
tum ingredi, Phocenſiū agros non inuadere, priuata ſunt eius qui magiſtratū gerit mune
te & officio: uuam autē ante æquinoctiū autumnale nō deguſtare, ſicut nec ante uernum
æquinoctium uitem incidere, per magiſtratū cōmuniter omnibus edicitur: nam utriuſq;
rei tempus illud eſt. Eodem pacto apud Romanos quoq; ſacerdotis propriū eſt, ut nec e-
quo utatur, nec plus quàm tribus noctibus ab urbe abſit, nec pileū deponere, ex quo Fla-
men dictus eſt: quanq; & alia permulta ſunt quæ per ſacerdotem omnibus indicuntur, ut
eſt illud, ſub dio non ungi: nam niſi prius lauiſſent Romani, ſiccè ungi moris nō erat. Nec
aliud quicq; Græcis ſeruitutē ac mollitiem attuliſſe putant Romani, quàm gymnaſia &
palæſtram, quibus relangueſcant adoleſcentiū animi, & penitus effœminent. Hinc puero
rum amores gigni, hinc ſomno & deambulationibus iuuenū corpora corrumpi, hinc ſal-
tationibus & motu cōpoſito, & certo ac delicato cibi genere debilitari. Quibus de cauſis
ab armis ſe delapſos eſſe non intellexerunt, contentiq; pro ſtrenuis ac fortibus militibus,
ſe bonos palæſtritas & athletas bonos dici & haberi, ad ſummā inertiam mollitiemq; de-
fluxerunt. Hęc igitur effingere operoſum eſt his qui ſe ſub dio ungendos exuunt. Qui ue-
rò domi unguntur, ſeipſosq; curant, nihil delinquunt.
40 QVID eſt, quòd ueteris numi altera pars Ianum bifrontē impreſſum habuit, altera pro
ram nauis aut puppim? An ut multi putant, honoris cauſa Saturni, qui naui in Italiam tra
ieciſſet? An hoc uulgare eſt, ac de multis dici poteſt? nam & Ianus, & Euander, & Aeneas
nauibus in Italiam profecti ſunt: ſed illud potius quiſpiā conijciat, alia eſſe in ciuitatibus
quæ pulchra, alia quæ neceſſaria, maximū uerò atq; omniū pulcherrimū iudicari bonita-
B tem legum, longè uerò ex omnibus neceſſariā eſſe copiā & ubertatē. Quoniā uerò Ianus
feros homines ad māſuetudinē traducens optimis legibus informauit, neceſſariā uerò re-
rum affluentiā fluuius nauigabilis ſuppeditat, & partim ex agro ac uicinis locis, partim &
longinquis, ac mari deuehens, nihil quod ad uſum pertineat deſiderari patiť, ideo numus
ita ſignatus eſt, & ut legislatoris duplicē frontē propter uitæ cōmutationē, ut dictū eſt, &
imaginem fluuij propter nauim præ ſe ferat. Altero quoq; uſi ſunt numo, ouem bouemq;
ac ſuē inſignitū habente: quod quidē numi genus erat inſigne, & in primis documēto, ue
teres gregibus & armētis abundaſſe, quippe quorū omnis ſubſtātia in illis eſſet collocata:
quo fit ut multi apud ueteres Syellij, Bubulci, Porcij appellati ſint, ut Feneſtella autor eſt.
41 QVAM cauſam eſſe dicemus, quamobrē Saturni ædem pecuniæ publicæ ſacrariū eſſe
uoluerunt? nam ærarium eſt, & tabulas publicas in eo ſeruant, & ex eo Tabulariū dicunt.
An quòd fama obtinuit, Saturni tempore nec auaritiā, nec improbitatē uſquam in homi
nibus fuiſſe, ſed iuſtitiam & fidem? An quòd fructuū inuentor & agricolationis autor is
deus fuiſſe memoratur? falx enim id ſignificat. Nec illud quod ſcripſit Antimachus Heſio
dum ſecutus credendum eſt: Obliqua uerò falce patris Cælij pudenda Saturnus ſecans
contrà ſteterat. Fructuū uerò copia ac uenditio pecuniam gignit, quocirca felicitatis cu-
ſtodem & cauſam hūc habent deum. Teſtimonio ſunt nundinæ, quæ cùm nihil aliud ſint
niſi conuentus ex agro in urbem nono quoq; die conuenientiū, Saturno conſecratę ſunt:
emendi enim ac uendendi copia fructuū principium attulit. An hæc iam uetuſtate obſo-
luerunt, primus autem omniū Valerius Publicola exactis regibus ædem Saturni ærarium
declarauit, loci opportunitate deductus, quem & conſpicuum, & ab inſidijs tutum, & in
primis munitum animaduertit?
42 QVID eſt, quòd legati undecunq; Romam uenerint, ædem Saturni primò adeūt, dein
de à præfectis ærarij ubi nomina ædiderunt reſcribunť? An quòd Saturnus ipſe externus,
externis hominibus delectatur? An hoc hiſtoria refellit? Antiquitus enim, ut uideť, Quæ
ſtores legatis munera mittebant, quę Lautia dicebanť, & ægrotos curabant: qui ſi morbo
interijſſent, ſumptu publico ſepeliendos curabant. Nunc autem propter multitudinē le-
gatorum ſumptus ſublatus eſt: manet autē ut prętectos ærarij adeant, quibus nomina ſua
ædant, ac ſcribi faciant.
43 CVR Flamini Diali iurare non licet? An quòd tormenti genus quoddam eſt homini

C libero iuſiurandũ? Flaminis autẽ corpus & animum intactum inuiolatumq́; eſſe oportet? An quód parua in re ei fidem nõ habere abſurdum eſt, cui diuina ac ſumma credita ſunt? An quód omne iuſiurandum in periurij terminat imprecationem, execratio uerò omnis triſtis & abominanda, unde ne alijs quidem imprecari Flamines ſolent? Laudata eſt igitur Athenis ſacerdos illa quæ populi iuſſu adduci non potuit, ut Alcibiadem execraretur: dixit enim, precandi ſe cauſa, non imprecandi, ſacerdotio præditã fuiſſe. An cõmune omnium periurij periculum eſt, ſi homo impius ac periurus uota pro ciuitate ſuſcipiat?

44 QVID eſt, quòd Veneralibus, qui eſt dies Veneri feſtus, multum uini ex templo Veneris profundunt? An illud eſt quod multi dicũt, Mezentiũ Hetruſcorum ducem ad Aeneam miſiſſe, qui cum eo fœdus facerent, ut quotannis certum uini numerũ ab eo acciperet? Quod poſtea cùm Aeneas poſcenti negaſſet, pollicitũ Tyrrhenis ferũt, ſi prælio uiciſſet uinum daturũ. Re cognita Aeneam dijs immortalibus uinum cõſecraſſe, poſt uictoriã deinde collectũ templo Veneris effudiſſe. An hoc quoq; ſignum eſt, diem feſtum ſobriè agi oportere, quòd dij longè magis uini effuſione, quàm ingurgitatione gaudeant?

45 QVID eſt, quòd ædem Hortæ maiores perpetuò apertã eſſe uoluerũt? An quẽadmodũ Antiſtius Labeo ait, cùm ſit hortari incitare, deam quodãmodo ad res pulchras adhortari atq; incitare, quæq; Horta diceret, quaſi aliquid ſemper operantẽ ac nunq; ceſſantẽ, nunquam clauſam eſſe oportere putauerunt? An potius, ut nunc eam nominant Horam producta priore ſyllaba, circunſpectam quandam & prouidam deam, quam cùm res hominum curare & conſeruare exiſtimarunt, ſecordem aut negligentem minimè putarunt? An quemadmodum & alia, ſic & hoc nomen græcum eſt, & deam ſignificat quæ rebus humanis præſideat? Vnde tanquam inſomnis ac peruigilis perpetuò patebat eius templum. Et tamen ſi Labeo Horam ἀπὸ τοῦ παρορμᾷν, hoc eſt, ab incitando rectè dici putat, uide ne orator, ſuaſor quidam atq; adhortator in conſilijs atque concione, ſic appellatus fuiſſe dicendus ſit, non ut nonnulli, à precationibus ac uotis.

46 CVR ædem Vulcani Romulus extra urbem poſuit? Vtrum propter Vulcani ſuſpicio-
D nem, ut in fabulis eſt, aduerſus Martem de Venere, Martis filius habitus deum eadem domo, & eadem urbe uti prohibuit? An hoc ſtultius? Aedificauit autem ab initio curiam & cõſeſſum ſecretũ ſibi cum Tatio ſimul regnãte, quô cùm ſenioribus ac patribus cõuenientes, ſine ulla moleſtia & interpellatione de ſummis rebus per ocium cõſultarent. An illud potius, cùm ad incendia ſuperiori tempore urbs expoſita eſſet, Vulcanum quidem colendum, ſed tamen urbe excludendum exiſtimauit?

47 QVID eſt, quòd Conſualibus equos & aſinos coronis exornant, & ociari ſinunt? An quòd Neptuno equeſtri diem feſtum agunt, aſinus autem propter equum pari fruitur licentia? An illud potius, quòd inſtituta nauigatione, quum multa nauibus ueherentur, ocium quoddam ac remiſſio iumentis data eſt?

48 CVR candidatos moris erat in ueſte hoc facere ſine toga? ſic enim ſcribit Cato. An fortè ne ciues largiendo corrumpant, argentum ſinu ferentes? An illud magis, quòd imperio dignos non genere, non diuitijs, non gloria, ſed uulneribus ac cicatricibus iudicabãt? quæ quidem ut ab his quos ambiendo prehenſabant conſpicerentur, ſine toga ad petendum deſcendebant. An quemadmodum in excipiendo, rogando, ſe omnibus ſubmittendo, ſic corpus nudando, ac ſeipſos abijciendo populum captabant?

49 QVID eſt, quòd Flamen Dialis mortua uxore ſacerdotio ſe abdicat? ſic apud Teium ſcriptũ eſt. An quód qui uxorem ducens poſtquàm ipſam amiſit, eo qui nunq; duxit multò eſt infelicior? Eius enim qui uxorem duxit domus integra eſt: eius autem qui uxorẽ in matrimonium acceptam amiſit, non ſolùm imperfecta domus eſt, ſed imminuta prorſus ac manca. An eodem tempore uxor unà cum uiro conſecratur, quemadmodũ multa ſunt in ſacris, quæ abſente uxore agi nequeunt? Priore autem amiſſa, alterã ſtatim ſuperducere tum difficile eſt, tum uerò iniquũ atq; impiũ. Quare nec uxorem repudiare antea licebat, nec nunc quidẽ, ut uidet, licet, quanq; noſtris temporibus permiſit Domitianus: ſacerdotes autẽ diuortio affuerũt, multa ſanè horrenda, atrocia, triſtia peragentes. Sed hoc minus mirũ uidebit, ſi quis hoc quoq; ex hiſtoria adiunxerit, altero ex Cẽſoribus mortuo, alterũ à magiſtratu ſe abdicare oportebat. Mortuo eñ Liuio Druſo, collega eius Scaurus Aemilius magiſtratu ſe abdicare minimè uolebat, donec Tribunorũ iuſſu in carcerẽ ductus eſt.

50 CVR laribus quos propriè pręſides uocãt, canis aſſiſtit, ipſi autẽ canũ pellibus ueſtiũt? An quòd præſides ſunt qui præſunt: hos autem domus cuſtodes eſſe oportet, & alienis formidoloſos, ſicut canes uidemus, mites uerò ac lenes manſuetosq; domeſticis? An illud

uerius

A uerius eſt, quod à quibuſdã Romanis dicitur, & Chryſippus opinatᷣ, dæmonia quædam
mala circumire, quibus dij quaſi carnificibus & ſcelerum ultoribus aduerſus iniuſtos &
impios utuntur? Sic lares furiales quidam ſunt, & pœnarum exactores, uitæ & operatio-
num ſpeculatores. Idcirco enim fit ut caninis pellibus induantur. Quibus & canis ideo aſ-
ſidet, quòd ad inueſtiganda ſcelera, & ulciſcendo improbos, ſagaces ſint.

52 CVR Genetæ ſoli rem diuinam cane faciunt, & optant neminem domi naſcentium bo
num euadere? An quòd dea eſt Geneta, quæ corruptibiliũ rerum generationes ac fœtus
procuret? Fluxum enim quendam nomen ipſum ſignificat & generationẽ, aut fluentem
generationem. Vt igitur Proſerpinæ Græci, ſic Romani Genetæ pro ijs qui domi naſcun
tur canem immolant. Socrates autem dicit canem apud Argiuos Elioniæ propter partus
facilitatem immolari: uotum uerò quod in precatione adhibetur, non pro hominibus in-
ſtitutum eſt qui domi naſcuntur, ut eorum bonus euadat nemo: aſperos enim & formido
loſos canes eſſe oportet. An illud potius, quòd innocui, & aliqua reuerentia diuina prædi
ti mortui dicuntur, prece innuunt petere ſe ut nemo domeſticus moriatur? Neq; hoc ad-
mirari oportet. Ariſtoteles enim in fœdere quod cum Lacedæmonijs Arcades percuſſiſ-
ſe feruntur, ſcriptum fuiſſe dicit, ne quis bonum faceret auxilij cauſa quicunq; Tegeatarũ
Lacedæmonijs ſtuderent, quod eſt, ne quis quem occideret.

53 CVR Capitolijs ſpectacula ædentes, noſtris quoq; temporibus pronunciãt, Sardos ue-
nales: & quidam ſenex per irriſionem producitur puerili cinctus monili, quam uocãt bul
lam? An quòd Veientes Hetruſcorum populi, diu cum Romulo bellum geſſerũt, & hanc
ultimam urbem expugnauit Romulus, & multos captiuos unà cum rege pronunciauit,
leuitatem eius ac ſtultitiam cauillatus? Et quoniam Lydi quidem ab initio fuerunt Hetru
ſci, Lydorũ uerò Sardis caput fuit, idcirco Tuſcos hoc modo pronunciauerũt, & in hanc
diem ridiculi cauſa hunc morem pro ioco habent.

54 QVID eſt, quòd locum ubi carnes uendunt, macellum uocant? An ἀπὸ τῶ̄ μαγείρων cor-
rupto nomine, ut alia multa, ſic & hoc uſus obtinuit? Apud Latinos enim κ cum γ quadã
cognatione coniungitur. Nouiſsimè enim g Romani adhibuerunt, autore & inuentore
B Carbilio Spurio: & qui propter hæſitantiam linguæ, r proferre non poſſunt, ad l delapſi
balbutiendo proferunt. An & hoc quoq; per hiſtoriam ſoluendum? Fertur enim Romæ
ferocem quendam hominem ac ferum, cùm latrocinium exerceret, multis occiſis tandem
deprehenſum & captum ſupplicio affectum fuiſſe: huic nomen fuit Macello, cuius ex pe
cunia poſtea ædificatum eſt macellum, & ab eo nomen inditum.

55 QVID eſt, quòd Idibus Ianuarijs permiſſum eſt, ut tibicines muliebri habitu urbem lu
ſtrent? An propter cauſam quæ dicitur? Magnis enim, ut uidetur, fruebantur honoribus,
quos illis Numa Pompilius propter ſanctitatẽ, ac deorũ cultum cõtulerat. His poſtea per
Tribunos cõſulari poteſtate ſpoliati, urbi exceſſerũt: quos cùm uehementer requirerent,
nam religione tangebanᷣ animi, quòd ſine tibijs rem diuinã facerent, ꝙ primũ reuocãdos
cenſuerũt. Sed cùm acceſſiti nõ apparuiſſent, ac Tybure, quô ſe initio cõtulerant, manere
uelle ſe dicerẽt, libertus quidam clàm magiſtratus adijt, ſeq; eos reducturũ pollicitus eſt.
Conuiuio igitur lautè & opiparè apparato, quaſi rem diuinã feciſſet, tibicines inuitauit.
Aderant in cõuiuio mulieres, nox inſomnis ducitur, ſaltationibus ac iocis omnia perſtre-
punt. Tum derepentè quũ libertus patronũ adeſſe diceret, & uehementer perturbatus ui
deretur, hominibus perſuaſit, ut ſtatim currus cõſcenderent pellibus circuntectos, ac Ty-
bur peruehereneᷣ è ueſtigio. Hoc autẽ dolo fiebat: nam quũ ignaris illis, & per noctem ac
uinũ nihil cernentibus, currus circunduxiſſet, omnes antequàm illuxiſſet, Romam præ-
ter opinionem reportauit. Erant autem eorum pleriq; ornatu muliebri propter cómeſſa-
tionem ac uigilias ornati. Sed poſteaquàm perſuaſi à magiſtratibus & planè reconciliati
ſunt, inſtitutum eſt eo die, ut eodem habitu ornati, per urbem incederent.

56 QVID eſt, quòd Carmentæ ædem matres ab initio ædificaſſe exiſtimanᷣ, & nunc deam
maximè uenerantur? Ferunt enim mulieres ſenatuſconſulto uehiculis uti prohibitas in-
ter ſeſe cõſpiraſſe, ne qua earũ conciperet, néue páreret, atq; ita uiros ulciſcerentur, donec
coacti ſententiã mutauerũt, atq; uti permiſerũt. Natis deinde pueris, quũ & multitudine li
berorũ & bonitate felices fuiſſe uiderentur, Carmentæ ædem ædificauerunt, quam puto
Euandri matrẽ fuiſſe dicũt, & in Italiam ueniſſe, quũ Themis uocaretur. Aut quemadmo
dum aliqui, Nicoſtrata, quoniam uerò uerſibus oracula æderet, Carmentam mutato no-
mine uocauerũt: nam uerſus, Romani carmina appellant. Sunt qui μοῖραν, hoc eſt, ſortẽ &
fatum Carmentam putent, & ob eam rem matres rem diuinã facere. Eſt autẽ nominis ue-

C ra ratio, quaſi carens mente, id eſt, mente priuata propter afflationes. Vnde non Carmen
tæ nomen carmina indiderunt, ſed ab ea potius aceeperunt: diuino nanq; ſpiritu afflata,
uerſu ac metro oracula ædebat.

57 QVID eſt, quòd Ruminæ rem diuinam facientes, hoſtijs lac ſpargere & libare conſue
uerunt, uinum autem non adhibent? An quòd Latini rumam, mammam nominant: & fi-
cum ruminalem ideo dictam ferunt, quòd ibi lupa Romulo mammam præbuit? Quem-
admodum eas igit̃ quæ pueros alunt à mamma diximus θηλόνας, ſic Rumina nutrix quæ-
dam, & puerorum altrix, merum infantibus præcipuè noxium, prorſus non recipit.

58 CVR ſenatores alios Patres conſcriptos, alios tantùm Patres appellabãt? An eos quos
ab initio Romulus delegerat, patres ac patricios nominabant, quaſi bonis parentibus na-
tos: reliquos deinde ex plebe electos & adſcriptos in ſenatum, conſcriptos uocitarunt?

59 QVID eſt, quòd Herculi ac Muſis communem aram ſtatuerunt? An quòd Hercules
Euandrum literas docuit, ſicut Iuba monumentis tradidit, quòd honeſtum & honorifi-
cum duceretur, amicos ac propinquos docere? Nouiſsimè nanque inſtitutum eſt, ut mer-
cede diſcipulos docerent. Quippe omniũ primus Sp. Carbilius ludum aperuit: eius liber
tus, qui & ipſe Carbilius appellatus, primus omnium Romanorum uxorem repudiauit.

60 CVR cùm duæ ſint Herculis aræ, mulieres non attingunt, nec quicq; deguſtant, quod
ſuper ara magna immolatum ſit? An quia Carmenta ſacris caruit, caruit item Pinariorum
familia? ex quo, quia ueſcentibus cæteris, dapibus prohibiti ſunt, Pinarij, id eſt, eſurientes
ſunt appellati. An propter illa potius quæ de ueſte ac Deianira fabuloſe dicuntur?

61 CVR deum illum, cuius in tutela urbem eſſe dicunt, ſiue maſculus is eſt ſeu fœmina, &
dicere, & quærere & nominare nefas eſſet? Hoc enim ita eſſe religione confirmant, Vale-
rium Soranum male perijſſe dicentes, quòd numinis nomen efferre auſus eſt. An, quod
Latinorum quidam monumentis tradiderunt, euocationes quaſdam, ac deorũ ueneficia
eſſe putauerunt, quibus quoniã ipſi hoſtiũ deos euocare, & ad ſe traducere conſueuiſſent,
ne idem ipſi paterentur, magnopere uerebantur? Quemadmodũ igitur Tyrij uincula ſta-
tuis inijciunt, alij uerò ſponſores petere dicuntur, ſi quem ad lauacrum aut purgationem
D aliquam deducunt: ſic Romani quod arcanum & incognitũ eſſet, firmiſsimam ac tutiſsi-
mam dei cuſtodiam eſſe crediderũt. An, ſicut Homerus dixit, Terra uerò cõmunis eſt om
nium, ut homines deos omnes colant ac uenerentur, terram cõmuniter habentes: ſic uete
res Romani deum ſalutis autorem celauerunt, quòd nõ eum ſolum, ſed omnes deos à ſuis
ciuitatibus honorari uoluerunt?

62 QVID eſt, quòd fœcialium ſacerdotum, qui fœderibus faciendis præſunt, pater patra
tus maximus habetur? Eſt autem is cui pater eſt, & cui filij ſunt: habent enim nunc quoq;
præcipuam quandem fidem & autoritatẽ. Imperatores enim quæ propter eximiam pul-
chritudinẽ ac ſpeciem, pudica & diligenti cuſtodia corpora indigent, his credunt, & apud
eos deponũt. An quòd utrunq; illis adeſt, & pueros uereri, & patres timere? An ipſum ſe
nomen exponit? Vult enim patratum quaſi finitum ac determinatũ quiddam ſignificare:
illud cæteris perfectius ſit, cui cõtingit ſimul ut & pater eſſet, & patrem haberet. An ut ait
Homerus, qui paci præſit, eum & antè & retrò cernere oportet? cuiuſmodi profectò is eſ-
ſet cui & filius eſt de quo deliberat, & pater quem conſulit.

63 QVID eſt, quòd regi ſacrificulo (is enim eſt rex ſacrorum ac religionum) nec magiſtra
tum gerere, nec concionẽ habere licet? An quòd antiquis tẽporibus reges plurima & ma-
xima ſacra facere conſueuerunt, & ſacerdotibus rem diuinam facientibus aderant? Pòſt
ubi graues & inſolentes eſſe cœperũt, Græci quidem pleriq; licentiã regibus ademerunt,
ius & poteſtatẽ ſacrificandi tantummodo reliquerũt, Romani autem regibus penitus ex
actis alium rebus diuinis præfecerunt, cui nec magiſtratũ habere, nec cum populo agere
permiſerunt, ut in templis ſolùm conſultare uideatur, & regnum propter deos ſuſtinere.
Eſt igitur in comitio quoddam ſacrificij genus, quod ubi rex peregit, ex foro ſe proripit.

64 QVID eſt, quòd menſam uacuã tolli nõ ſinebant, ſed omnino cùm aliquid etiã ſuper-
eſſet? An illud innuentes, aliquid ſemper in futurũ de eo quod nunc adeſt relinqui opor-
tere, & per hodiernũ diem craſtini meminiſſe? An quòd urbanũ atq; elegans putarent, cõ
primere atq; inhibere appetitum, etiam cùm uoluptate perfrui liceret? Minus enim quod
abeſt cupiũt qui præſentibus ac paratis abſtinere conſueuerũt. An & aduerſus ſeruos hu-
mana conſuetudo? Non enim tantopere gaudent ſerui ſi accipiunt, q̃ ſi participes fiant,
quòd menſam ſibi cum dominis quodammodo cõmunicatam eſſe putant. An quòd nihil
ſacrum, inane, ac uacuum negligere oportet, menſa uerò ſacra eſt?

A QVID eſt, quòd maritus primò ſponſæ non in luce, ſed in tenebris iungitur? An quia
65 cum pudet, quòd antequàm coëat alienam putat? An & ad propriam uerecundè accede-
re meditans, & aſſuefaciens? An, quemadmodum Solon ſcripſit, ſponſam mâlo cydonio
deguſtato thalamum ingredi ſolitam, ut primus complexus nihil triſte aut iniucundum
haberet: ſic Romanus legislator, ſi quid abſurdum ac deforme corpori aderat, occul-
tauit? An calumnia quædam & accuſatio illicitæ Veneris erat quod fiebat, cùm legitimis
ac iuſtis connubijs pudor quidam & uerecundia adhibebatur?
66 QVID eſt, quòd circus Flaminius dictus eſt? An quòd Flaminius quidam priſcus quũ
ciuitati agrum reliquiſſet, equeſtribus ludis eius fructu & uectigalibus utebantur; & quũ
adhuc pecunia ſuppeteret, uiam quoq; Flaminiam munierunt.
67 CVR lictores dicti ſunt? An quòd petulantes uinciebant? Hi enim lora in ſinu geſtan-
tes Romulum ſequebantur. Vincire autem alligare pleriq; Latinorum dicunt: qui autem
purè loquuntur, ligare. An c interpoſitum eſt, quum antè ſine c litores dicerentur, quaſi
publici quidam miniſtri? Nam λοιτὴν noſtris etiam temporibus publicum eſt, multis Græ-
corum legibus ſcriptum eſſe neminem, ut ita dicam, latêre puto.
68 QVID eſt, quòd luperci canem immolant? Luperci autem ſunt, qui Lupercalibus nu-
di, pudenda ſaltem uelati, per laſciuiam diſcurrentes pellibus obuios cædũt. An quòd ge
nus quoddam luſtrandæ ciuitatis eſt, & quo menſe illa fiunt Februarius dicitur, & diem
quo pellibus occurrentes uerberant, Februarum & Februarium uocant, quo uerbo pur-
gatio ſignificatur? Cane autem omnino, ut ita dicam, Græci utebanẽ, & multi etiam nunc
in purgationibus canẽ iugulant. Proſerpinæ quoq; catulos cum cęteris purgamentis effe
runt, & eos qui expiandi ſunt, catulis expurgant, hoc piaculi genus περισκυλακισμὸν, id eſt,
circuncatulationem appellantes. An quòd lycos, lupus latinè dicitur, λύκαια uerò Luper-
calia, & lupo canis eſt hoſtis, & idcirco Lupercalibus cæditur? An quòd Lupercis in urbe
diſcurrentibus canes oblatrantes moleſti ſunt? An quia Pani ſacrificium fit, Pani autem
propter greges amicus eſt canis?
69 QVID eſt, quòd Septimontio uehiculis iunctis uti cauebãt, & nunc etiã qui uetera nõ
B contemnũt, cauent? Septimontiũ uerò diem feſtũ agũt Romani, quòd quũ ſeptimus col
lis urbi attributus eſt, ſepticollis Roma facta eſt. An ut quidã Latini accipiũt, quòd urbs
nondũ ſuis partibus penitus cõiuncta erat? An hoc quidẽ ad Dionyſiũ nõ eſt? Magna ue
rò re effecta, cõſtituta ciuitate, quòd urbem iam augeri, & quaſi ulterius progredi deſiſſe
exiſtimarẽt, cùm ſeipſos, tum uerò iumenta quibus fuerãt uſi quiete affecerũt, & cõmunis
feſti ocio frui uoluerũt? An quòd quũ omnes dies feſtos ciuiũ præſentia ornari ac celebra
ri ſemper uoluerunt, tum illũ præcipuè qui propter ciuitatis habitationẽ agereẽ? quapro-
pter ne urbem cuius dies feſtus agereẽ, relinquerẽt, eo die uehiculis uti permiſſum nõ eſt?
70 CVR in furto, aut eiuſmodi aliquo flagitio deprehenſos, furciferos appellant? An hoc
quoq; maiorũ noſtrorũ diligentiæ certiſsimũ ſignum eſt? Nam qui ſeruũ alicuius ſceleris
aut improbitatis conuiciſſet, duplex lignũ quod curruí ſubijciunt attollere iubebat, & ut
conſpiceretur uiciniam obire, ut fidem in poſterũ ei non haberent, & ab eo cauerent. Hoc
lignum Græci στήριγγα, Latini furcam nominant, à qua furcifer denominatus eſt.
71 QVID eſt, quòd boui qui cornu petat fœnũ in cornu apponunt, ut occurrentes caueãt?
An quia propter repletionem ac ſatietatem inſoleſcunt & boues, & equi, & aſini, & homi
nes, ut ait Sophocles? Tu uerò ferres quaſi pullus cibi copia: Venter etenim tuus & ma-
le inſoleſcit. Ex quo Romani M. Craſſum fœnum in cornu habere dictitauerũt: & qui cæ
teros in repub. lacerabant, hunc tanquam munitum ac prouidum & iniuriarũ perſequen
tiſsimum fugiebant: quanq; poſtea rurſus dictum eſt, Cæſarem Craſſo fœnum detraxiſſe.
Primus enim illi in republica reſtitit Cæſar, & eum contempſit.
72 QVID eſt, quòd in captandis augurijs ſacerdotes (prius auſpices, nunc augures appel
lant) laternas ſemper apertas habere uoluerũt, nec operculo impoſito claudi? An ſicut Py
thagorici parua magnarũ rerum ſigna faciebant, qui ſuper modio ſedere prohibebant, &
ignẽ gladio ſeu machæra fodere: ſic ueteres obſcuris quibuſdam rationibus utebantur, &
maximè in ſacerdotijs, quale hoc eſt de laterna, quã corpori animã cõtinenti ſimilem eſſe
dicunt? Lux enim eſt is qui intus eſt animus. Oportet autẽ quod intelligens eſt ac prudẽs
in eo, id ſemper apertũ eſſe, nec unquam clauſum eſſe, neq; uentis agitari. Flantibus enim
uentis aues non conſiſtunt, & propter inſtabilitatẽ & errorem nihil certi ſignificant. Do-
cent igitur hoc pacto, ut non ſpirantibus uentis, ſed quum omnia tranquilla ſunt, tunc au
gures auſpicia captent, quum laternis apertis uti poſſunt.

C CVR augures ſi ulcus haberent, inaugurandi cauſa ſedere prohibebantur? An & hoc
73 ſignum eſt, nõ oportere qui morſum aliquem, aut ulcus, & perturbationẽ in animo habe
rent, res diuinas tractare, ſed tum deorum mentem hominibus prodere, cùm & liquido &
integro animo eſſent? An illud rationem habet, ſi neque uictimam ſanandi ulceris cauſa
quiſquam adhiberet, nec auibus ulceratis ad auſpicandum uteretur, ea multò magis in ſe-
ipſis ſeruanda exiſtimaſſe, ut ad ea quæ à dijs ſignificarentur, puri & integri accederent?
Vlcus enim mutilatio quædam & pollutio corporis uidetur.

74 QVID eſt, quòd paruæ fortunæ ædem, quam breuem uocant Romani, ædificauit Ser
uius Tullius, qui tertius Romæ regnauit? An quòd ipſe paruus initio & abiectus, quip-
pe qui ex captiua matre natus eſſet, fortunæ beneficio Romæ regnauit? An hæc ipſa com
mutatio magnitudinẽ potius fortunæ oſtendit, quàm paruitatẽ? Videtur autem Seruius
maximè omnium fortunæ uim extuliſſe, & diuinam indicaſſe: quippe qui omnibus actio
nibus ac negocijs, eius nomen adſcripſerit. Non ſolum enim fortis fortunæ, & mala auer-
tentis, & blandæ, & primogeniæ, & maſculæ templa ædificauit, ſed eſt unũ propriæ fortu-
næ templum, aliud cõuertentis, aliud bene ſperantis, uirginis aliud. Quorum cognomen-
ta quis perſequi poſſet? cùm fortunæ uiſcatæ templũ ſit, quaſi ab ea nos procul capiamur,
& negocijs ac rebus inhæreamus? Sed uide ne Seruius caſuum momenta perſpiciens, &
ad ea plurimum poſſe cognoſcens: quippe cùm multi ſæpe quòd paruum quiddam uel ac
cidit, uel non accidit, maximas res uel aſſecuti ſunt, uel aſſequi non potuerunt, idcirco par
uæ fortunæ templum ſtatuit, docens homines diligenter attendere, nec ea quæ accidunt,
quamuis parua ſint, contemnere.

75 CVR lychnum non extinguebant, ſed per ſe langueſcere & deficere permittebant? An
quaſi inextinguibilis & immortalis illius ignis cognatum & affinem colentes? An & hoc
quoque ſigni eſt, non oportere quod animatum ſit, niſi noceat, corrumpere, néue interfi-
cere, quaſi animal ignis ſit? nec immeritò: nam & alimento indiget, & per ſe mouetur, &
cùm extinguitur, uelut occidatur uocem emittit. An hoc more docemur, nõ oportere nec
ignem, nec aquam, nec eorum quicquam quæ ad uſum pertinent, etſi abunde ſuppetant,
D corrumpere aut conſumere, ſed indigentibus utenda relinquere, quum ipſi iam illis opus
non habeamus?

76 QVID eſt, quòd qui nobilitate præſtare uidentur, lunulas in calceis ferunt? An, ut di-
cit Caſtor, ſignum eſt eius quæ in luna eſſe dicitur habitationis, & quòd poſt mortẽ, animi
rurſus lunam ſub pedibus habebunt? An quòd antiquiſſimis præcipuũ fuit, qui fuerunt
Arcades, ab Euãdro Proſeleni, id eſt, antelunares appellati? An ſicut alia multa, ſic & hoc
elatos homines ac ſuperbos admonentes rerũ humanarũ inſtabilitatis, cuius rei luna ex-
emplo ſit, quę ab obſcuro primũ prodit, tum progrediens luce ac ſplendore os ſuum com
plet, & cùm clariſsima facta ſit, rurſus defloreſcit & ad nihilum redit? An hoc potius mo-
deſtiæ & obedientiæ diſciplina quædam erat, ut dicto audientes eſſe, & imperium æquo
animo ferre condiſcerent? & quemadmodum luna meliori obſequi, & ſolem, ut inquit
Parmenides, ſemper intueri ſolet: ſic homines ſecundum locum tenere contenti, duci pri-
mas partes relinquere, ut honore ac poteſtate per illum fruerentur?

77 QVID eſt, quòd annũ Iouis eſſe putãt, menſes Iunonis? An quòd deorũ, qui mente in-
telligunt, Iupiter & Iuno imperiũ gerũt, eorũ uerò qui oculis cernuntur Sol & Luna? Sol
enim annum conficit, Luna uerò menſes. Oportet autem nõ hos illorum ſimpliciter ima-
gines putare, ſed ipſum in materia Iouem, Solem: & ipſam in materia Iunonem, Lunam.
Quocirca Iunonem eam nominant Romani, quod nouum aut nouius ſignificatur, à Lu-
na ſcilicet, quam eandem & Lucinã uocant, quaſi ipſam lucidam, aut lucem præbentem:
& in partu ac doloribus adeſſe opinantur, tanquam Lunam, ut eſt apud poëtam: Per ni-
grum poli & aſtrorum, per Lunam celerem partum præſtantem. Nam plenilunio facilè
partu leuari mulieres uidentur.

78 QVID eſt, quòd auſpiciorũ quod ſiniſtrum dicitur, proſperum ac ſecundum putatur?
An hoc falſum eſt, & multos decipit ipſa linguæ proprietas? ἀριστερὸν enim ſiniſtrum uocãt
Latini, ἐᾶσαι autem ſinere: & ſine, tum dicunt, cùm ut aliquid miſſum fiat, ut dimittatur,
hortantur. Augurijũ igitur omittens actionẽ, ac ſinere iubens, ſiniſtrũ non rectè accipiunt
multi ac nominant. An quemadmodũ à Dionyſio ſcriptum eſt, Aſcaniũ Aeneæ filium au-
ſpicatò aduerſus Mezennium aciem inſtruxiſſe, & in eo prælio ſuperiorem fuiſſe, ex illo
obſeruatum, ut quoties læuum intonuiſſet, auſpicium ſuſciperetur? An, quod alij putant,
hoc Aeneæ accidit? Nam Thebani Lacedæmonijs apud Leuctra ſiniſtro cornu ſuperatis

uictoria

A uictoria potiti, in omnibus prælijs poſtea obſeruarunt, ut ſiniſtro cornu principatum aſſignarent. An illud potius aſſerendum eſt, quod Iuba in hiſtoria dicit, Orientem proſpicientibus ſiniſtra parte Boream eſſe, quam mundi partem multi dextram ac ſuperiorẽ faciunt? Sed uide ne quum ſiniſtræ partes natura infirmiores ſint, augurijs ac ſignis quaſi corroborentur, atque dextris mirè ſuppletis uiribus adæquentur. An terrena ac mortalia diuinis ac cœleſtibus contraria & oppoſita iudicantes, exiſtimauerunt quæ nobis ſiniſtra eſſent, deos à dextra demittere?

79 QVID eſt, quòd eius qui triumphaſſet, deinde mortuus & combuſtus eſſet, licebat os capere, & in urbem deferre ac deponere, ut Pyrrho Liparæus ſcriptum reliquit? An hoc mortui honoris cauſa factum eſt? Nam & alijs ducibus, & qui bene rem geſsiſſent, idem tribuerunt, ut non ipſi ſolùm, ſed poſteri quoque in foro ſepelirentur, ſicut Valerio & Fabricio. Ferũt autem horum poſteris mortuis & in forum delatis, ardentem facem ſubijci, & ſtatim attolli, ut ſine inuidia honore utantur, & tantummodo ſibi licere confirment.

80 QVID eſt, quòd triumphantibus in publico Romani conuiuium exhibentes, Conſules reijciebant, & ne in conuiuium accederent rogabant? An locum honeſtiſsimũ triumphanti aſsignari, & poſt cœnam ab omnibus deduci oportebat, quæ præſentibus Conſulibus alij tribui non poſſent?

81 QVID eſt, quòd Tribunus purpuram nõ portat, cùm cæteri magiſtratus purpurati incedant? An quòd Tribunus omnino magiſtratus non eſt? nam nec lictores habet, nec in ſella curuli ſedentes ius dicunt, nec in initio omnino ſicut cæteri magiſtratus, magiſtratũ ineunt, nec creato Dictatore poteſtatem deponunt, ſed cùm omnis poteſtas & imperium ad Dictatorẽ redeat, ſoli omniũ magiſtratũ retinent, quaſi imperium nullum gerentes, & alium quendam in repub. locum obtinentes. Quemadmodũ autẽ præſcriptionẽ quidam rhetores iudicium ſtatum eſſe nolunt, quippe quæ nõ iudicium cõſtituat, ſed diſſoluat & euertat: ſic Tribunũ eſſe magiſtratus impedimentũ, & imperio potius opponi, quàm ipſum magiſtratũ eſſe. Nam potentiæ magiſtratus obſiſtere, & nimiam licentiam cõprimere, tribunitiæ poteſtatis ac licentiæ fuerat. An hæc & his ſimilia ab eo dicantur, qui rebus

B inueniẽdis ſtudeat? Tribunatus autẽ cùm à populo originẽ ducat, populare in primis uideatur, reliquis ciuibus parem ſe gerere, & in omni cultu ac uictu infimis ciuium comparari? Magnitudo enim ac moles Conſulẽ decet & Imperatorẽ, Tribunũ uerò (quemadmodum C. Curio dicere ſolebat) abiectũ eſſe, nec aſpectu graue, nec aditu difficilẽ, ſed facilẽ, ac multitudini cõmodum & tractabilem. Vnde nec domus tribunitiæ ianuã claudi mos erat, ſed noctu & interdiu ſemper tanq̃ portus quidã ac profugiũ, quibus opitulandũ eſſe patebat. Verũ quò humiliore corporis habitu deprimit, eò magis ui ac poteſtate augeẽ. Cõmunem enim Tribuni uſum ac nemini clauſum, ſicut aram poſtulant, honore autẽ ſacroſanctum ac tutum eſſe uolunt, quando ſanè & progrediente ipſo in publico, omnibus lex eſt, ut purgentur ac purificent corpus, uelut inquinatum.

82 QVID eſt, quòd prætorum uirgæ ſecuribus alligatæ præferuntur? An ſignum eſt, non oportere magiſtratus iracundiam promptam ac diſſolutam eſſe? An uirgarũ diſſolutio, mora & tarditate iram frangit, & impetum moderatur? Sed malitia quoniam partim medicabilis eſt, partim curari nõ poteſt, uirgæ quod mutari poteſt corrigunt, ſecures autem quod emendari non poteſt abſcindunt.

83 QVID eſt, quòd cùm Romani barbaros quoſdam dijs immortalibus hominem immolaſſe accepiſſent, magiſtratus eorum accerſendos ac puniendos putauerunt, quos poſtea, cùm id conſuetudine quadã ac lege feciſſe accepiſſent, eos dimiſerunt, aliàs id facere prohibuerunt, cùm ipſi nõ multis annis antè, duos uiros & duas mulieres, alteros Græcos, alteros Gallos, in foro boario uiuos obruerunt? Non enim uidetur conuenire, ipſos hæc facere, & barbaros qui talia cõmiſiſſent reprehendere. An dijs immortalibus hominem immolare impium ducebatur, dæmonibus autem neceſſarium? An qui more & lege id agerent, peccare arbitrabantur, ſe uerò libris Sibyllinis iuſſos eodem teneri ſcelere non putabant? Ferunt autẽ Elbiam quandam uirginem quũ equo ueheretur fulmine ictam fuiſſe: inde nudum equũ ac iacentẽ inuentũ eſſe, nudã & ipſam ueſte quaſi de induſtria à pudendis ſubtracta, calceis, anulo & reticulo paſsim diſiectis, & ore lingua proiecta. At rẽ ad diuinatores delata, quum ſacris uirginibus maximum dedecus impendere, & eius rei ignominiam ad equites redundaturam prædixiſſent, barbari cuiuſdam equitis ſeruus indicium fecit, tres Veſtales, Aemiliam, Liciniam, Martiam, ſub idem tempus corruptas, diutiſsimè cum uiris rem habuiſſe, quorum unus eſſet Butetius barbarus, eius qui

C indicium feciſſet dominus. Veſtales igitur redargutæ ſupplicio ſunt affectæ. Sed cùm res atrocior uiſa eſſet, decreuerunt ut ſacerdotes Sibyllinos libros inſpicerēt: in quibus inuentum fuiſſe dicunt, hæc magno reipublicę malo futura, & iubere, ut ab ſurdis quibuſdā deis & externis, auertendæ rei cauſa, Græcos duos, ac totidem Gallos immolarent, & in loco eodem defoderent.

84 CVR diei principium de media nocte numerant? An quòd reſpub. ab initio militari more & inſtituto conſtituta eſt, in re militari autem multa noctu utiliter occupantur? An diei ortum agendi principium eſſe uoluerūt, noctem uerò conſilij & apparationis? Oportet autem præparatos rem aggredi, non agentes præparari, ut ad Chilonem unum ex ſeptem dixiſſe fertur Myſon, dum per hyemem uannum conficeret. An quemadmodū meridies finis eſt multis rerum ſeriarum ac reipub. gerendæ, ſic noctem intempeſtam actionum omniū initium eſſe oportere ſtatuerunt? Cuius rei maximum srgumentū, magiſtratum Romanum poſt meridiem nec pacta, nec fœdus facere ſolere. An occaſu quidem & ortu principium & finem diei capere licet? Nam ſi multitudinis iudicio principium diei quum ſol emergere cœperit incipit, noctis uerò initium quum penitus occiderit terminauerimus, æqualitatem diei ac noctis, quod æquinoctium dicimus, nō habebimus. Quam enim noctem diei parem maximè uidemus, ea die cui comparatur ſolis ſpacio ac magnitudine breuior reperietur. Nam quod mathematici afferunt, & huic rei medicinā afferentes, diei ac noctis ueriſsimam rationem conſtituunt centrum ſolis quum finientem attingat, omnem euidentiam & claritatem funditus tollit. Neceſſe eſt enim accidere, cùm multum lucis etiam ſub terra ſit, & nos radijs ſuis iam ſol undiq; colluſtret, ut diem nondum, ſed adhuc noctem eſſe fateamur. Quare quum ob dictas cauſas ortus diei & occaſus principium difficillimè capi poſsit, relinquitur aut ut mediū diem, aut mediam noctem principium diei ſtatuamus: potius autem ſecundum. Fertur enim à nobis à meridie ad occaſum, à media uerò nocte ad orientem ad nos redit.

85 QVID eſt, quòd ueteri more uxores nec molere, nec coquere permittebant? An ueteris aduerſus Sabinos fœderis memoriam colentes? Nam poſt filias Sabinis raptas, facta
D pace, & ſocietate inita, in fœdere nominatim exceptū eſt, uxorem uiro Romano nec molere, nec coquinariam facere.

86 CVR menſe Maio uxores non ducunt? An quòd inter Aprilem & Iunium medius interiectus eſt? Quorum quum alter Veneri, Iunoni alter dicatus ſit, deabus ſcilicet quæ nuptijs præſunt, aut parum antè capiunt, aut parum expectant? An quòd hoc menſe maximo piaculo utuntur, effigies modò de ponte abijcientes, quum prius homines conſueuiſſent? Vnde flaminicam Iunonis ſacerdotem triſtem eſſe eo tempore, quippe quæ eo menſe nullo cultu utitur, nec lauatur, moris eſt. An quòd pleriq; Latinorum hoc menſe mortuis parentant, & ob eam cauſam Mercurium quoq; eodem menſe uenerantur, qui Maiæ cognominis eſt? An ut quidam dicunt, Maius à maioribus natu appellatus eſt, Iunius à iunioribus? Nuptijs uerò accommodatior eſt iunior, ut inquit Euripides. Nam ſenectus Venerem ualere ſinit, ipſaq; Venus ſenibus infenſa eſt. Abſtinent igitur nuptijs Iunium expectantes, qui Maium deinceps excipit.

87 CVR nubentium comam haſtæ cuſpide diſcernunt ac diſcriminant? An ſignum eſt, prima connubia uiolenta & per bellum fuiſſe? An ſtatim diſcunt uxores uiris fortibus & bellicoſis coniunctæ, ſeuerum & minimè effœminatum, & tenuem cultum ac uirilem ornatum probare, quemadmodum Lycurgus in foribus & laquearibus domorum faciendis, terebra tantū ac ſecuri utendum, alijs inſtrumentis abſtinendum ratus, omnem intemperantiam & ſuperfluos ſumptus funditus ſuſtulit? An diuortiū ea re ſignificatur, quòd ſolo ferro nuptiæ dirimendæ ſint? An illud magis, quòd pleraq; ad connubium pertinentia Iunoni attribuebant? Nam & haſtam Iunoni conſecratam eſſe exiſtimant, & eius ſtatuæ ut plurimum haſtæ innixæ cernuntur, & Quiritis dea appellata eſt: nam quiris antiquo nomine haſta dicebatur. Hinc & Quirim Martem nominatum eſſe dicunt.

88 CVR quod in ſpectacula impenditur Lucar uocant? An quòd alia multa quoque circa urbem ſunt loca dijs attributa, quæ appellant Lucos, quorum prouentus in ludos conferunt?

89 QVID eſt, quòd Quirinalia, ſtultorū ferias nominant? An quòd hunc diem, ut Iuba dicit, ijs aſsignauerūt, qui cuius eiſent tribus ignorarent? An ut his, qui uelut reliqui per tribus, in fornacalibus rem diuinā nō fecerūt, quòd aut impediti fuiſſent, aut aliquô peregrè profecti, aut deniq; diē ignoraſſent, hoc tēpore recuperādi illius feſti poteſtas data eſſet?

CVR

A CVR rem diuinam Herculi facientes, alium deorum appellant neminem, nec canis, ut
90 à Varrone ſcriptum eſt, in urbe apparet? An idcirco alium deum appellãt neminẽ, quòd
hunc ſemideum putãt? Vt alij tradunt, cùm etiam inter homines ageret, Euander ei aram
ſtatuit, & rem diuinam fecit: nihil autem omnino fuit, cui Hercules infeſtior eſſet quàm
canis, qui ei ſæpe moleſtus fuiſſet, & in primis Cerberus. Deniq; Licinij auguris filio per
canem occiſo, ab Hippocoontidibus coactus prælio decertare, multis ea pugna ex ami-
cis interfectis, Iphiclum fratrem quoq; amiſit.
91 QVID eſt, quòd circa Capitolium patritio habitare licet nemini? An quòd Marcus
Manlius ibi habitans regnum affectaſſe deprehenſus eſt? Ex quo lege interdictum eſt,
ne quis poſtea ex ea familia Marcus diceretur. An antiquus fuit hic metus? Publicolam
enim ut nobiliores calumniari, hominem in primis popularem, non deſiſtebant, ita mul-
titudo tandiu timuit, donec domum, quam in ſumma Velia ædificabat, quòd nimis foro
immineret, funditus euertit?
92 CVR qui ciuem in prælio ſeruaſſet corona querna donabatur? An quòd ubique in ex-
peditionibus facilè ſit quercum inuenire? An quòd Ioui & Iunoni, quos urbi præſidere
putant, corona conſecrata eſt? An uetus ab Arcadibus mos acceptus eſt, quibus eſt quæ-
dam cum hac arbore cognatio? Vt enim primi homines ex terra Arcades, ſic quercus pri
ma ex omnibus plantis nata.
93 QVID eſt, quòd in augurijs uulture potiſsimũ utuntur? An quia Romulo in conden
da urbe duodecim uultures apparuerũt? An quòd uultur rariſsimè cõſpicitur? Non enim
facilè quiſpiam uulturis nidum offendat, ſed porrò derepentè & inopinatò aduolãt: quo
fit ut eorum aſpectus aliquid ſignificet ſemper. An & hoc ab Hercule didicerũt, ſi uerum
eſt quod dicit Herodotus, in omnibus rebus gerendis Herculem primò uulturis aſpectu
in re incipienda delectatũ fuiſſe, quẽ ex omnibus quæ carnibus ueſcerenť uolatilibus iu-
ſtiſsimum eſſe iudicaret? Primũ enim nihil quod uiuat attingit, nec animatũ quicq; inter-
ficit, quemadmodũ accipitres, aquilam, omnes deniq; noctiuagas aues uidemus. Veſci-
tur autẽ cadaueribus, in quibus à ſui generis abſtinet. Vulturẽ enim qui aue ueſcatur ad-
B huc uidit nemo. Accipitres enim & aquilæ ſui generis aues conſectanť ac feriunt: quanq;
ut ait Aeſchylus, auis auem comedens quo pacto pura eſſet? Præterea quæ minus detri-
menti, ut ita dicã, hominibus afferat, auis prorſus nulla reperitur, quippe quę nec fructus
deleat, nec plantã lædat, nec manſueto cuiquam noceat animali. Quòd ſi, ut Aegyptij fa-
bulantur, uultures omnes fœminæ ſunt, & quemadmodũ Zephyro arbores, ſic uultures
Euro grauidæ fiant, certa nimirum & firma uulturibus ſigna fieri uериſimillimũ eſt. In alijs
autem uolandi impetus, & alarum in coëundo agitationes ac uerbera, rapinæ, fugæ, inſe-
ctationes, multum inconſtantiæ perturbatæ afferunt.
94 CVR Aeſculapij ædes extra urbem poſita eſt? An quòd foris ſalubrius quàm in urbe
habitare crediderunt? Nam Græci quoq; in excelſis ac puris locis Aeſculapij templa pla-
nè collocant. An quòd deum ex Epidauro accerſitum ueniſſe opinantur? In Epidauro ue
rò non in urbe, ſed procul ab Epidauro Aeſculapij templum eſt. An quòd dum draco ex
naui in inſulam deſcendiſſet, & ex oculis euanuiſſet, ipſum eo in loco ædis ponendæ au-
torem ac præmonſtratorem fuiſſe putauerunt?
95 CVR moris eſt, ut qui caſtimoniã colunt leguminibus abſtineãt? An quemadmodũ Py
thagorici fabas, ob eas quæ uulgò dicunť cauſas abominabanť, lathyrum uerò & erebin-
thum, hoc eſt, cicerculam & cicer, quaſi Lethes & Erebi cognomines? An quòd ad cõcœ
nationes, & manes prouocãdos leguminibus maximè utuntur? An illud magis, quòd ad
ſanctitatem ac caſtimoniam pura ac tenuia corpora habere oportet? Sunt autem legumi-
na maximè uentoſa, & ea gignunt quæ cùm ſuperflua ſint, multæ purgationis indigent.
An quòd cùm uentoſiſsima ſint legumina, ad res uenereas maximè incitent?
96 QVID eſt, quòd Veſtales inceſti cõuictas alia pœna nõ afficiunt, ſed uiuas tantũmo-
do defodiunt? An quòd mortuos urunt, quòd illis tribuere iniuſtum iudicarent, quæ nõ
diligenter ac ſanctè ignem ſacrũ cuſtodiſſent? An quod corpus maximis ac ſanctiſsimis
religionibus conſecratũ interficere, & mulieri ſacræ manus afferre nefas putauerunt? Ra
tionem igitur inierunt, qua ſubterraneo ſpecu defoſſo obrutæ ſua ſponte morerentur. Ibi
enim & lucerna accenſa inerat, & nonnihil panis, exiguum & aquę ac lactis, inde ſpecum
deſuper terra operibant. Sed ne hoc quidem modo ſcelus deteſtantes ſuperſtitionis reli-
gionem fugerunt: nam & nunc quoq; ſacerdotes eum locum adeuntes parentant.
97 CVR Idibus Decembris in curſu equorum uictor dexter ſacer Marti immolatur, &

C caudam ſtatim deciſam aliquis ad Rheginam qui dicitur locus deportat, & aram cruore
ſpargit, de capite uerò inter ſe decertant, alij de ſacra uia deſcendentes, alij de Suburra ad-
uerſus eos impetum facientes? An quòd Troiam equo captam putant, idcirco equũ ſup-
plicio afficiunt, quòd Troianorum clara pignora fuerint mixta pueris Latinorum? An
quòd iracundum, ferox & bellicoſum animal eſt equus? dijs autem grata & accommoda
ta in primis immolãt. Victor autem idcirco immolatur, quòd uictoria & imperium Mar
tis propria ſint. An potius quòd dei opus eſt ſtabile, & uincunt hi qui in ordine manent,
eos qui ordinem deſerunt ac fugiunt, & celeritas quaſi uiaticum fugæ pœna afficitur? De
niq; ſignis quibuſdam occultè admonenẽ fugientes, ſalutem inuenire non poſſe.

98 QVID eſt, quòd Cenſores magiſtratũ ineuntes nihil prius agunt, quàm ut ſacrorũ an-
ſerum alimenta locent, & ſtatuæ illuſtrationẽ? An à uilioribus incipentes, quæ nec multo
ſumptu, nec magna opera egent? An uetus quædã huic animanti gratia referẽ, à bello uſq;
Gallico repetita, quòd dormientibus canibus primi omnium anſeres Gallorum in Capi-
tolium aſcenſum perſenſerunt, & clangore uigiles excitarunt? An cùm ſint maximarum
rerum, & quæ ſumma cura indigent, cuſtodes Cenſores, ut ædium ſacrarũ ac publicarum,
morum deniq; & uitæ uniuſcuiuſq; diligentiſsimi inſpectores, ſtatim quoq; uigilantiſsi-
mi omnium animantium rationem habendam ſibi eſſe putauerũt? Simul enim anſeribus
curandis ciues admonent, ne deorum cultum negligant. Statuæ uerò illuſtratio & ſplen-
dor neceſſarius eſt, citò enim rubrica defluit ac deflorescit: ea enim ueteres ſtatuas obdu-
cere & illinere conſueuerunt.

99 QVID eſt, quòd cæteris ſacerdotibus ſimulac in iudiciũ ducti ac damnati ſunt, alium
ſubſtituunt: augurem uerò donec uita ſuppetat, licet maximorũ criminũ conuictũ, ſacer-
dotio nõ mutant? Augures autẽ uocãt, qui auſpicijs præſunt. An, quod quidam dicunt, ſa
crorum arcana neminẽ cognoſcere uolunt, qui ipſe ſacerdos non ſit? An iureiurando ada
ctum res augurum nemini enunciaturũ, priuatum poſtea factum ſacramento liberari no-
lunt? An non honoris nec magiſtratus, ſed ſcientiæ atq; artis cuiuſdam potius nomen eſt
augur? Simile igitur eſt, ac ſi quis muſicum, muſicum non eſſe iudicet: & medicum, medi-
cum eſſe prohibeat: & diuino, diuinationẽ adimat. His enim omnibus appellatio detrahi
D poteſt, uis ac facultas non poteſt. Alium uerò idcirco non inſtituunt, quòd ſacerdotũ nu-
merum ab initio conſtitutum meritò tuentur.

100 CVR Idibus Sextilis diem feſtum agunt ſerui omnes ac ſeruæ, uxores autem capita
purgare ac lauare cõſueuerunt? An propter Seruium regem, quem eo die ſerua natum, &
in lucem æditum ferunt, uacationẽ ab opere habent ſerui? Capitis autem lauatio ab ancil
lis cœpta, propter diem feſtum ad liberas quoq; proceſſit?

101 CVR pueros monilibus, quas uocant bullas, exornant? An honoris raptarum cauſa,
ut alia multa, ſic & hoc conſtitutum eſſe uoluerunt his quos ex eis ſuſcepiſſent? An Tar-
quinij uirtutem honorandam putauerũt? Ferunt enim Tarquiniũ cùm puer adhuc eſſet,
in prælio aduerſus Latinos & Hetruſcos in hoſtes impetum feciſſe, cumq; ex equo deflu-
xiſſet, excepto hoſtium impetu Romanos confirmaſſe, hoſtibus in fugam conuerſis cùm
ſedecim millia hoſtium eo prælio cecidiſſent, hoc à patre & rege decoris inſigne accepiſ-
ſe. An apud maiores noſtros ſpecioſum ſeruum amare turpè non exiſtimabatur, quemad
modum nunc quoq; comœdiæ teſtimonio ſunt? Pueris autem liberis uehementius abſti-
nebant: ac ſi fortè accideret ut in pueros nudos inciderent, ne ambigerent, hoc inſigne li-
beri ferre conſueuerunt. An uel ad modeſtiam conſeruandã hoc etiam pertinet, & intem
perantiæ ac flagitij frænum eſt, cùm uirum agere eos pudeat, antequam pueritiæ inſignia de-
ponant? Nam quod Varro ſcribit uerisimile non eſt, cùm Aeoles bulen, id eſt, conſilium,
bollam proferant, hoc conſilij inſigne pueros indui ſolere. Sed uide ne hoc quoq; propter
lunam ferant. Nam lunæ figura cùm plenilunium eſt, non globoſa eſt, ſed ſcaphæ ac diſci
formam oſtendit, & quemadmodũ opinatur Empedocles, illud etiam quod ſubiectum
eſt, non modò quod apparet.

102 QVID eſt, quòd maribus nono die, fœminis octauo nomina imponere cõſueuerunt?
An ſi prius fœminis nomina imponunt, cauſam ſuſtinet natura, & augetur fœmina, & cre
ſcit, & adulta perficitur antequàm maſculus? Dies autem eos potiſsimũ capiunt, qui ſepte
narium ſubſequuntur. Septimus enim dies cùm in cæteris, tum ad umbilicum infantibus
nuper æditis periculoſus eſſe cõſueuit. Nam ſeptimo die pleriſq; reſoluitur: donec autem
diſſolutus fuerit, plantæ longè ſimilior eſt infans quàm animali. An ſicut Pythagorici nu-
merum parem fœminam uocant, marem imparem, fœcundus enim eſt, & compoſitus

A parem uincit: & ſi in unitates diuidantur, par numerus quaſi fœmina locum in medio uacuum præbet, imparis uerò numeri pars aliqua plena ſemper relinquitur: quo fit ut alterũ fœminæ, alterum mari cõmodum eſſe putent? An quòd in numeris nouenarius primus eſt tetragonus ab impari & perfecto ternario, octonarius autem primus cubus à binario numero, quem parem eſſe conſtat? Oportet autem quadrangulum eſſe & imparem & perfectum: uxorem autem ſicut cubum ſtabilem, & domus cuſtodem & immobilem. Illud & adiungendum, octonariũ numerum cubum eſſe, qui à binario componatur: nouenarium uerò quadrangulum eſſe, qui de ternario conficiatur. Vtuntur autem duobus nominibus fœminæ, mares uerò tribus.

103 QVID eſt, quòd eos quorũ patres ignorantur, ſpurios uocant? Non enim quod Græci opinantur, & in cauſis oratores dicunt, quòd ex colluuione quadam, & ſeminis cõmunione progenerati ſunt, ſed uidelicet eſt Spurius inter prima nomina, ut Sex. D. C. id eſt, Sextus, Decius, Caius. Prænomina uerò Latini integra nõ ſcribunt, ſed aut una litera, ut T. L. M. id eſt, Titus, Lucius, Marcus: aut duabus, ut Cn. id eſt, Cneus: aut tribus, ut Sex. & Ser. id eſt, Sextus & Seruius. Eſt igitur Spurius inter ea prænomina, quæ duabus literis notantur, S & P. quibus etiam orbos parentibus ſcribunt, cùm ſine patre eſſe dicunt, per S. ſine, per P. patrem ſignificantes. Hoc igitur errorem fecit, quòd Sine patrẽ, & Spurius, eiſdem literis annotatur. Sed alia quoque ratio afferenda eſt, quæ multò eſt abſurdior. Dicunt enim Sabinos uxoris pudenda Sporion appellare. Inde qui legitimè natus non ſit, ſed ex concubina aut ſcorto, contumeliæ cauſa ſpurium appellari ſolitum.

104 CVR Dionyſium Liberum patrem uocant? An quòd bibentibus libertatis cauſa ſit? Fiunt enim plerique ebrietate ad liberè dicendum petulantiores. An quod libationem præbuit? An ſicut Alexander dicit, ab eo quòd Eleutherenſis, quaſi liber, ab Eleuthera tamen Bœotiæ ciuitate Dionyſius appellatus eſt?

105 QVID eſt, quòd publicis feſtis ueteri more uirgines non nubunt, uiduæ nubunt? An ut Varro dicit, quòd uirgines cùm in matrimoniũ dantur doleant, mulieres uerò lętentur? Die autẽ feſto omnẽ triſtitiã ac neceſsitatẽ abeſſe oportere? An quòd uirginibus decorũ,
B uiduis uerò multis præſentibus fœdũ nubere? Felices enim ac fauſtæ primæ nuptiæ, ſecundæ uerò triſtes ac deteſtandæ. Pudet enim uiuis adhuc eis, quibus antea nupſerant, alios accipere, mortuos autẽ utique luxerint: quo fit ut magis quiete, quàm ſtrepitu & deducentium multitudine delectentur. Dies uerò feſti multitudinẽ adeò diſtrahunt, ut his rebus per ocium intereſſe non poſsit. An quòd Sabinorũ filias uirgines inter ludicrum die feſto rapientes bellum excitauerunt, idcirco filias diebus feſtis nuptũ dare omni cauſa noluerũt?

106 QVID eſt, quòd Romani fortunam primigeniam colunt? An quòd Seruio ex ſerua nato Romæ ſumma cum laude & claritudine imperare contigit? ſic enim Romanorũ plerique ſuſpicantur. An illud magis, quòd fortuna urbi & imperiũ & originem præſtitit? An altior quædam ratio, & magis à natura ex media philoſophia repeti poteſt, fortunam ſcilicet rerum omniũ principium eſſe, naturam uerò caſu, & ex fortuna conſiſtere, cùm quibuſdam temerè repoſitis ordo acceſſerit?

107 QVID eſt, quòd artifices ſcenæ deditos hiſtriones uocant? An ob eam cauſam quam Rufus ſcriptam reliquit? Dicit enim priſcis illis temporibus, C. Sulpitio, & L. Stolone COSS. quum peſtilentia urbem inuaſiſſet, omnes qui in ſcenam procederent interijſſe, ob eam rem multos & bonos artifices ex Hetruria Romã ueniſſe. In his qui arte & gloria cæteris anteiret, & in theatro ac ſcena diutiſsimè floruiſſet, Hiſtrum fuiſſe nominatũ, à quo omnes deinde ſcenicos hiſtriones nominatos eſſe.

108 QVID eſt, quòd propinquis & cognatis nõ nubunt? An quòd nuptijs neceſsitudines augeri uolunt, & ultro citroque filias dando & accipiendo multos ſibi propinquos adiungere? An quòd cognatorum diſsidia inter ſe uerentur, quibus naturæ iura unà cum propinquitate tollantur? An quòd mulieres propter imbecillitatem multorum ope & auxilio egentes uidebant, & propinquis idcirco adiungere noluerunt, ut ſi qua à ſuis uiris iniuria afficerentur, cognati opem ferrent?

109 CVR Iouis ſacerdoti, quem Flaminem Dialem uocant, farinã fermentúmue attingere nõ licet? An quòd farina cibus imperfectus & incoctus ſit? nõ enim aut id quod erat triticum manſit, nec quem fieri oportet factus eſt panis, ſed uim ſeminis ſimul amiſit, & cibi uſum nõ pręſtitit. Qua ratione poëta Myliphaton farinam dixit per translationẽ, quaſi molendo occiſam & confectã. Fermentũ uerò quoque & per corruptionẽ factũ eſt, & admixtũ omne illud quicquid eſt quod pinſitur corrũpit: remittiť enim quodãmodo ac diſſoluiť.

C Et omnino fermentatio ipſa nihil aliud eſt, niſi putrefactio quædam: quæ quidem ſi abun
dantius adhibeatur, farinam acidam reddit, & prorſus corrumpit.
110 QVID eſt, quòd ſacerdos carnem crudam tangere prohibetur? An à uiſceratione hu-
iuſmodi cōſuetudine repellitur? An ea de cauſa caro quoq;, qua & farina prohibetur? ne-
que enim iam eſt animal, neque opſonium factum eſt. Nam quum & elixatio & aſſatio,
alteratio quædam ſit & transformatio, nimirum formam delet. Quod autem recens & cru
dum eſt, aſpectum nequaquam purum & impollutum habet, ſed ulceroſum, & uehemen
ter odioſum ac moleſtum.
111 QVID eſt, quòd cane & capella ſacerdotē adeò abſtinere uoluerunt, ut nō modò attin
gere, ſed ne appellare quidem liceret? An quòd capram quaſi luxurioſam atq; olidam ab-
horrerent? an quòd tanq̃ morbidam timerent? Videtur enim præter cætera animalia co-
mitiali morbo tentari, & qui guſtarint aut attigerint, huius morbi aliquid inurere. Huius
rei cauſam aſsignant poros anguſtos, quibus clauſis etiā ſpiritus ſępiſsimè includit̃, quod
arguit uocis tenuitas. Quicunq; enim hoc morbi genere tentant̃, ſimilem capellæ uocem
ædunt. Canis uerò eſt minus quidem luxurioſus ac fœtidus: quanq̃ ſunt qui dicant, ne cā
nem quidem in Athenienſiū arcē admitti fas eſſe, nec Delum inſulam attingere, quòd in
propatulo & paſsim coëat, qua in re aliorū animaliū diſſimilis ſit: nā boues, equi, ſues, nō
in propatulo ineunt. Sed uerā cauſam penitus ignorant. Canis enim templis omnibus id-
circo arcetur, quòd pugnax eſt animal, & in primis ferox, ut tutum ſupplicibus perfugiū
præbeant. Veriſimile igitur eſt, Iouis ſacerdotē tanq̃ animatā & ſacrā quandam effigiem
ac ſimulachrū, ad quod omnibus tanq̃ ad aram cōfugere liceat, egenis ac ſupplicibus re-
poſitū eſſe, unde nec deterreri, nec arceri omnino poſsint. Quocirca in ipſo ianuę ueſtibu
lo ac limine, eidem poſita erat lectica. Qui uerò pedibus ſacerdotis ſe prouoluiſſet, eo die
ab omnibus plagis ac pœna tutus erat. Qui ſi prius uinctus fuiſſet, ac ad eum acceſsiſſet, è
ueſtigio ſoluebatur. Vincula uerò nō per ianuā, ſed per tectum ſublata foras abijciebant.
Erat igitur inutile, ſi cùm ſacerdos adeò ſe mitem & humanū exhiberet, canis pro templo
D ſedens ſupplices oblatrando propelleret: etſi ueteres hoc animal nō omnino purū eſſe pu
tauerunt. Cœleſtiū enim deorū nulli prorſus conſecratus eſt canis, ſed Proſerpinæ cœna
demiſſus in triuia piaculi locum obtinet. Lacedæmone uerò deorum omniū crudeliſſimo
Marti catulos cædunt. Apud Bœotios autē publicè piaculū eſt, cane in duas partes diſſe-
cto per mediū exire. Latini uerò Lupercalibus menſe Februario canē immolant. Quare
alienum non eſt, qui ſupremum & puriſsimum deorum omniū uenerandum ſibi deſum-
pſerunt, eos quò familiarem ac domeſticum habeant canem, prohibere.
112 CVR hederam Flamen Dialis ſi attigiſſet, piaculum cōmiſiſſet, nec iter eâ facere pote-
rat, ubi arbuſtiuæ uites deſuper prominerent? An hoc ſimile ei eſt quod dicitur, de curru
nō eſſe, chœnici nō inſidere, ſcopam non tranſcendere? Non quò hæc Pythagorici uitent
aut metuāt, ſed quòd per hæc ab alijs deterreāt. Nam quòd ſub uitem ingredi prohibent,
ad uinū referebant, quòd ſacerdoti ebrium fieri nefas eſſet. Temulentis enim uinū ſuper
caput eſt, & deprimunt̃ omnes ebrij, & humiles fiunt, cùm hanc ipſam uoluptatē uincere
oporteat, nō ab ea uinci. Hederam uerò tanq̃ ſterilem & hominibus inutilem, & propter
fragilitatem adminiculo alterius ſemper egentē, umbra ſolùm ac uiriditate oculos capien
tem, nō temerè in ædibus ali atq; innaſci permiſerunt: quippe quæ plantas complexa ma
ximè noceret, nec ſolo extirpari facilè poſsit. Quo fit, ut cœleſtium templis penitus amo-
ueatur, nec in æde Iunonis Athenis, ac Thebis in æde Veneris quiſquā facilè hederam ui
deat. Nocturnis uerò ſacris & Bacchanalibus adeſt. An & hoc quoq; myſticū quoddam
ſignum erat, ut à Thyaſis ac reliquis debacchationibus abſtinerent? Nam quæ bacchicis
furoribus mulieres correptæ fuerint, ad hederam ſtatim ferūtur, & abreptam manibus di
uellunt, dentibus lacerant, ut non omnino incredibilia dicere uideantur, qui aſſerunt he-
deram, quòd ſpiritum habeat, quo mentes in furorem concitet, & loco moueat, ebrietatē
abſque uino inducere, & hilares eos reddere, qui in furorem procliues fuerint.
113 CVR ijs ſacerdotibus nec magiſtratum capere, nec petere permittebatur, & tamen li-
ctore utuntur & ſella curuli, ob honoris cauſam & cōſolationem, quo minus ægrè ferrent
ſi à magiſtratibus arcerentur? An quòd in nōnullis Græciæ ciuitatibus ſacerdotij digni-
tas regiæ maieſtati par habebatur, nō uulgares aut ignobiles homines ſacerdotes declara
bantur? An illud magis, quòd cùm certū eſſet & ſtatutū tempus ſacrificij, regum uerò ope
ra & actiones incertæ, ac minimè præfinitæ, fieri nō poterat, ut cùm in idem ſæpenumero
tempus incideret, idem utriq; adeſſet, ſed utriſq; urgentibus ſæpe oportebat ut altero reli-
cto nunc

A ctò nunc deos coleret, nunc ciuibus noceret. Qui cùm in hominum magiſtratibus nõ minus neceſsitatis quàm licentiæ ineſſe animaduerterent, & magiſtratum populi, ut Hippocrates ait, medicum, triſtia cernere, triſtia attingere, & in alienis malis proprias moleſtias demetere: nefas eſſe putauerunt, dijs rem diuinam facere, & ſacerdotio fungi, eum qui in ciuium condemnationihus ac cædibus uerſaretur, interdum etiam propinquorum & cognatorum: quod Bruto accidit.

PROBLEMATA GRAECA.

114 QVi ſunt quos Epidauri & Conipedes & Artynos appellant? Centum enim & octoginta rempub. adminiſtrabant, ex quibus ſenatores deligebant, quos Artynos appellabant: plebs autem magna ex parte in agro agebat. Vocabantur autem Conipedes à pedibus, ut conijcere datur, puluerulentis, & ob id cùm ad urbem accederẽt facilè agniti.

115 QVAMNAM Onobatim apud Cumæos fuiſſe dicemus? Si qua in adulterio mulier deprehenſa fuiſſet, hanc in forum deductam, & ſaxo impoſitã ſpectandam omnibus proponebant. Inde ſuper aſino collocatam, & circa urbem peruectam, in eundem locum reſtitui oportebat. Ex illo infamia notatam Onobatim appellandam cenſuerunt, & ab eo tempore lapidem tanquam impurum ac deteſtabilem uitabant. Erat apud illos quoq; magiſtratus, Phylactum appellabant, quem qui obtineret, reliquum quidem tempus carcerem ſeruabat: nocturno autem conuentu in ſenatum ueniens, reges manu apprehenſos è curia educebat, quos tandiu detinebat, donec de eorum imperio ſenatus occultè ſententiam tuliſſet ſuffragijs, an iuſtè facerent, uel non.

116 QVI ſunt quos Cnidij Amnemones appellant, & qui Apheſter apud eoſdem dicitur? Sexaginta delectis uiris ex optimatibus quaſi procuratoribus utebantur, ad quos de maximis rebus referebant. Dicebant autem Amnemones, ut coniectura percipi poteſt, quia ad diſquiſitionem non adducebantur, niſi fortè quia multùm memoria ualerent, & multa meminiſſent. Qui autem ſententias rogabat, Apheſter dicebatur.

117 QVAE eſt apud Solos Hypeccauſtria? Palladi ſacrificantem ſic uocant, quòd multa ſacra & myſteria ad auertendum mala faciat.

118 QVI ſunt apud Arcades & Laconas Chreſti? Lacedæmonij facta cum Tegeatibus pa-
B ce, fœdere icto cõmunem apud Alpheum columnam ſtatuerunt, in qua cùm alia multa, tum illud in primis ſcriptum erat, Meſſenios ex agro eijcerent, nec Chreſtos facere liceret. Ariſtoteles igitur hoc exponens, his uerbis hoc ſignificari dicit, non occidere auxilij gratia, ſi qui Tegeatæ Lacedæmonijs ſtuderent.

119 QVIS apud Opontios Crithologus? Plerique Græcorum ciuibus primitias offerentibus, in uetuſtiſsimis ſacrificijs hordeo uti ſolebant. Magiſtratũ igitur, qui huiuſmodi ſacrificijs præerat, & primitias colligebat, Crithologum nominabant. Duo autem erant apud eos ſacerdotes, quorum alter deorum, alter dæmonum ſacrificia curabat.

120 QVAE ſunt Ploiades nubes? Imbriferas maximè, quæq; arcum ferrent, Ploiadas nominabant, quemadmodũ Theophraſtus in quarto Meteororũ ad uerbum ſcripſit: Nam & Ploiades ipſæ nubes & quæ conſtant. Immobiles autem & coloribus obalbæ, oſtendunt differentiam quandam materiæ, quæ neque in aquam, neque in uentum redacta ſit.

121 QVIS eſt apud Bœotios Platychæta? Qui aut domum uicinam, aut agrum habuiſſent, Aeolicè ſic uocabant, quaſi propè habentes. Non apponam autẽ uerbum unum ex Theſmophylacia lege, cùm plura ſint.

122 QVIS eſt apud Delphos Hoſioter? & quare menſium quendam Byſium uocant? Hoſiotera quidem eum uocant qui hoſtiam immolat, cùm ſacer declaratus eſt. Quinq; autẽ ſacri ſunt per omnem uitam, hi autem multa unà cum prophetis agunt. Hi ſimul in iiſdem ſacris operantur, quippe qui à Deucalione originem ducere ſe arbitrantur. Byſius autẽ, ut multi putant, Phyſius eſt: multa enim tunc temporis naſcuntur & germinant. Verùm non ita eſt: nõ enim loco φ, ipſo β utuntur Delphi, ſicut Macedones Βίλιππον, & Βάλακρον, & Βερονίκην dicentes, ſed loco π. nam τὸ πατεῖν βατεῖν, & τὸ πικρὸν βικρὸν planè dicunt. Eſt igitur Pyſius Byſius, in quo deum interrogant: nam ſubintelligere patriũ eſt: hoc enim menſe oraculum ædebatur. Septimum quoq; huius diem Apollinis habent natalem, & πολύφθοον appellant, nõ quòd eo die φθοῖς, id eſt, liba, ſeu placentes coquerent, ſed quòd multi ad oraculum accederẽt, multis oracula æderentur: nuperrimè enim oracula ſingulis menſibus rogantibus cõceſſa ſunt ac remiſſa. Antea autem ſemel omnino Pythia hoc ipſo die in anno reſpondebat. Sic enim Calliſthenes & Anaxandrides ſcriptum reliquerunt.

123 QVID eſt Phyximelum? Planta quædam eſt humilis ac parua, cuius ſurculos pecora

C appetentia cōminuunt ac uiolant, & quo minus creſcant impediunt. Hæc ubi eô magni-
tudinis excreuit, ut ei pecora nocere nō poſſint, Phyximelum quaſi malū fugitiuum dici-
tur. Teſtis eſt Aeſchylus.

124 QVI ſunt Apoſphendoneti? Corcyram inſulam Eretrienſes tenebant, quô Charicra-
tes cum claſſe Corintho profectus prælio commiſſo Eretrienſes ſuperauit: illi ſtatim na-
ues conſcendentes domum renauigauerunt. Quod cùm ciues præſenſiſſent, regione ip-
ſos prohibuerunt, & deſcendere conantes fundis propulſarunt: deniq; quum nec uerbis
perſuadere, nec multos & inexorabiles cogere potuiſſent, Thraciam nauibus aggreſsi te-
nuerunt, agro ibi occupato, quem Methonem Orpheo progenitum quondam habitaſſe
memoriæ proditum eſt. Vrbem quidem Methonam nominarunt, ipſi uerò ab accolis
Apoſphendoneti uocitati ſunt.

125 QVAENAM eſt apud Delphos Charila? Tres agunt Delphi Ennaēteridas conſequen
ter: quarū unam Stepteriū uocant, alterā Heroidem, tertiam Charilam. Stepteriū quidem
eius pugnę imitatio uidetur eſſe, quam deus aduerſus Pythonem pugnaſſe dicitur. Hunc
enim poſt pugnā uſq; ad Tempe inſectatus fuiſſe dicitur. Sunt enim qui ipſum ob cædem
perpetratā fugiſſe dicant, ut qui expiatione opus haberet. Alij Pythonē ſauciū ac fugien-
tem in eam quam nunc ſacram uiam dicimus, priuſquàm Apollo eum cōſecutus eſſet oc-
cubuiſſe, ita ſepultū à filio, cui nomen Capra fuerat, ab Apolline inuentū. Harū omniū re
rum, aut ſimiliū, Stepteriū imitatio quædam eſt. Herois autē arcanā quandam cōtinet ra-
tionem Thyiadibus nō incognitā, & tamen ex his quæ aguntur, Semeles anagogen & cul
tum quendam eſſe facilè quiuis cōijcere ualeat. De Charila uerò huiuſmodi quædam fa-
bulantur. Fames ex ſiccitate Delphos inuaſit: quare cum liberis & uxoribus ad regias fo-
res accedere & ſupplicare cogebant, qui farinā & legumina nobilioribus (non enim om-
nibus ſuppetebant) in ſumma inopia diſtribuebat. Sed quū puella parentib. orba ſupplex
ueniſſet, & farinā rogaſſet, calceo malā cæcîdit, & in faciē calceū impegit. Puella inops ac
pauper, ſed generoſo animo prædita, cùm inde ſeſe proripuiſſet, ac zonā diſſoluiſſet, ſe ſu
D ſpendit. Inualeſcēte indies fame, & ſuperuenientibus morbis, Pythia regi oraculū petenti
reſpōdit, Charilā uirginē, quæ ſibi mortē cōſciuiſſet, placari oportere. Vix tandē reperta
huius nominis ratione, quòd eſſet puella illa à rege calceo percuſſa, ſacrificiū quoddā pia-
culo mixtū peregerūt, q̃d nūc quoq; eſt nonū poſt annū, quibus annis peragūt. Præſidet
enim rex, farinamq́; & legumina omnibus impartit & ciuibus & externis. Portat Charilæ
puerilis ſtatua. Sed ubi omnes farinā acceperunt, rex effigiem calceo cędit. Thyiadū uerò
antiſtes in abruptum quendam locum ſimulachrum defert, ibiq́; fune ad collum alligato
defodiunt, ubi Charilam, quæ zona ſe ſuſpenderat, antè humauerunt.

126 QVAENAM eſt apud Aenianas caro emendicata? Complures ſunt Aenianarū cōmi-
grationes. Primū quidem campum Dotium coluerunt, inde à Lapithis expulſi ad Aethi-
cas. Illinc ad partem agri Moloſſi, quam Arauam uocant, ſe cōtulerunt, ex quo Pararauæ
dicti ſunt. Deinde Cirrham occupauerunt, & ex eo loco rege ſuo ac ductore Onoclo lapi
dibus obruto, Apollinis iuſſu in agrum circa Inachū deſcenderunt, quē Inachienſes & A-
chæi tum habebant. Oraculo autē ædito, his quidē, ut ſi in agro eos recepiſſent, fore ut ue
teres incolę pellerent: illis uerò, ut ſi ab inuitis accepiſſent, agrum retinerent: Temo uir in
ter Aenianas ſapiēs, ſumpta pera mendici habitu ad Inachienſes uenit: ubi cùm per riſum
& contumeliā rex petenti ceſpitē dediſſet, in peram coniecit, & quaſi eo contentus ſtatim
è conſpectu abijt, nec amplius quicq; petijt. Maiores natu admirati, & oraculum recorda
ti, cùm regem adijſſent, hominē non contemnendū, nec dimittendū eſſe dixerunt. Quod
cùm ſenſiſſet Temo, fugam arripuit, & Apollinē precatus quū hecatombā uouiſſet effu-
git. Ex illo conſerunt pugnam reges. Cumq; Inachienſiū regem Hyperochū, Aenianū rex
Phemius unà cum cane in ſe impetū facere animaduertiſſet, dixit illū iniuſtè facere, qui ſe
cundum pugnatorē & alterum hoſtem ſubſtitueret. Abigente autē canem Hyperocho,
conuerſus ipſe lapide ictus à Phemio eſt interfectus. Agro itaq; parto, Inachienſibus unà
cum Achiuis eiectis, lapidem illum quidem tanquam ſacrum colunt, & uictimæ adipe
inuolutum uenerantur, & ei tanq; deo immolant. Apollini uerò diuinam rem facientes,
& hecatombam ex uoto reddentes, Ioui quoq; bouem immolant, eiuſq; partem inſignem
Temonis poſteris tribuunt, & emendicatam carnem appellant.

127 QVI ſunt apud Ithaceſios Coliadæ? quis eſt Phagilus? Vlyſsi procis interfectis, eorum
neceſſarij bellum ſuſcitauerunt. Accerſitus autem ab utriſq;, & arbiter adhibitus Neopto
lemus, ſententiam tulit, ut Cephallenia, Zacyntho, & Ithaca, cædis nomine Vlyſſes
decederet:

A deccderet: procorum uerò ſocij ac familiares pro iniurijs quas in domū intulerant, Vlyſsi
quotannis mulctæ nomine aliquid penderent. Vlyſſes igitur in Italiam conceſsit: mulctā
uerò ut filio Ithacenſes redderent, iureiurando ac religione aſtringendos putauit. Erat au
tem farina, uinum, faui mellis, oleum, ſal, uictimæ grandiores phagilorum. Phagilum au-
tem agnum eſſe dicit Ariſtoteles. Sed Eumæum manumiſſum Telemachus ciuitate do-
nauit, à quo Coliadarum familia, ſicut à Philetio Bucoliarum.

128 QVIS eſt apud Locros ligneus canis? Phyſcij Amphyctionis filius fuit Locrus, ex eo
& Cabya Locrus naſcitur, qui cum patre orta diſcordia, multis ciuiū acceptis, de ſedibus
deducendæ coloniæ Apollinem conſuluit. Oraculo ædito, ut ibi urbem conderet, ubi ca
nis eum ligneus momordiſſet, in alterum maris littus tranſgreſſus rubum caninum calca-
uit. Ea plaga uexatus complures ibi dies cōmoratus eſt, quibus percepto loco urbes con-
didit, Phyſcos, Hyanthiam, & alias omnes quas Locri Ozolæ coluerunt. Ozolas autem
Locros, alij à Neſſo, alij à Pythone ſerpente uocatos dicunt, quòd ad Locrenſium littus
eiecti, in eorum agro putruerunt. Nonnulli autem homines pellibus caprinis & hircinis
indutos, & plerunq; inter greges & ouilia conuerſantes olidos fieri, & ob eam rem quòd
Locri paſtores ſint Ozolas appellatos putāt. Alij contrà quòd ager floribus abundet, ob
odoris bonitatem nomen inditum arbitrantur. Hanc opinionem tuetur Archytas Am-
phyſſeus, ſcripſit enim in hunc modum: Botryonum ſertis redimitam, unguenta redolen
tem, macynam amabilem.

129 QVID eſt, quòd à Megarenſibus Aphabroma dicitur? Niſus, à quo Niſæa appellatā
eſt, cùm regnū obtineret, Abrotam Oecheſti filiam ex Bœotia uxorem duxit. Quæ cùm
Megarei ſoror eſſet, ſingulari prudentia ac modeſtia prædita erat. Mortuam deinde Me-
garenſes ſpontè luxerunt, & Niſus immortalem uxoris memoriam efficere uolens, iuſsit
oſſa ipſius ferre quam illa ueſtem ferre conſueuerat, & ueſtem Aphabroma propter illam
appellauit. Videtur autem mulieris gloriæ & deus fauiſſe. Nam quum Megarenſes mulie
res ueſtem mutare inſtituerent, oraculo ſæpe prohibuit.

130 QVIS eſt Doryxenus? Megarenſis ager antiquitus per uicos colebatur, ciuitate in
B quinq; partes diſtributa: alij enim Haræi dicebantur, alij Pyræi, Megarenſes alij, alij Cy-
noſuræi, Tripodiſcæi deniq;, partim agrum tuebantur. Sed Corinthij cùm inter eos bellū
excitaſſent (ſemper enim Megaram ſubigere ſtuduerūt) tamen leniter & cognatū, ut ita
dicam, bellum inter ſe gerebant. Agricolas enim nemo prorſus uiolabat: & ſi quis captus
eſſet, certo ſe precio redimebat, quo accepto ſtatim dimittebant: nam antè nihil exige-
bant: ſed qui hominē cepiſſet, domum deductum, & comiter ſale & menſa acceptum, do-
mum remittebat. Qui ergo quo ſe redimeret precium retuliſſet, laudabatur. & eius qui re-
cepiſſet amicitiam perpetuò colebat, & ex captiuo Doryxenus, hoc eſt, bello amicus atq;
hoſpes factus appellabatur. Qui uerò nihil retuliſſet, & hoſtem fefelliſſet, nō ſolùm apud
hoſtes, ſed apud ciues quoque ut perfidus & iniuſtus & infamis erat.

131 QVAENAM eſt Palintocia? Megarenſes Theagene tyranno eiecto, parū diu in admi-
niſtranda repub. modeſtos ſe & temperatos præſtiterunt. Inde multam, ut ait Plato, & in-
temperantem libertatē tribunis popularibus ipſis propinantibus, penitus corrupti, cùm
cæteris in rebus in locupletes & copioſos inſolenter ſe gerere cœperūt, tum uerò eorū do
mos inuadentes, homines pauperes ſplendidè & effuſe cōuiuari ac cœnare uolebāt, idq;
ſi negaretur, omni uiolentia & petulantia utebantur. Deniq; facto plebiſcito, uſuras à cre
ditoribus quas antea ſoluiſſent repoſcebant, idq; Palintociam appellauerunt.

132 QVAENAM eſt Anthedon, de qua Pythias dicit, Bibe uini fæcem, quoniam nō Anthe
donem habitas? nam quæ in Bœotia eſt, uino nō abundat. Calabriam Irenen antiquitus
nominabant à muliere quæ Irene dicebatur, quam ex Neptuno & Melanthia Alphæi fi-
lia natam fuiſſe fabulantur. Inde cùm Anthes & Hyperes ibidem conſediſſent, Anthedo
niam & Hypeream inſulam uocauerunt. Oraculum uerò hoc modo ſe habebat, ut dicit
Ariſtoteles: Bibe uinum fæculentum, quoniam nō Anthedonem habitas, nec ſacram Hy
peram, quoniam & fæcem uini bibiſſes. Hæc Ariſtoteles. Mnaſigeton autem dicit Hype-
ræ fratrem Anthon infantem adhuc perijſſe: Hyperam autem cùm diu fratrem quæſiſſet,
errantem ad Acaſtum ſeu Adraſtum Pheras ueniſſe, ubi caſu Anthos uinū ſeruiens pro-
pinabat. Vbi cœnati ſunt, puerum fratri poculum porrigentem agnouiſſe, ac dixiſſe fer-
tur: Bibe uinum fæculentum, quoniam non Anthedonem habitas.

133 QVIS eſt qui apud Prienen iuxta quercum dicitur Scotos, id eſt, tenebræ? Samij & Prie
nenſes bellum inter ſe gerentes, mediocribus alioqui mutuò ſe damnis afficiebāt: magno

C uerò prælio commiſſo, mille Samios Prienenſes occiderunt. Septimo pòſt anno cum Samijs ad quercum quæ dicitur congreſsi, optimos ciuium ac primos uno prælio amiſerũt. Quo tempore Bias ille ſapiens, Samum à Prienenſibus cum legatione miſſus, magnã gloriam eſt adeptus. Ex illo Prienenſium mulieres poſt eam calamitatem triſtem ſanè ac miſerabilem, imprecatione ac iureiurando maximis de rebus uſæ ſunt, cùm teſtarentur ac dicerent, Apud quercum tenebræ, quòd filios & patres ac uiros eo in loco ab hoſtibus conciſos amiſiſſent.

134 QVI ſunt apud Cretenſes qui Catacautæ dicunt? Tyrrhenos ferunt, cùm Athenienſiũ filias & uxores ex Baurone rapuiſſent, quo tempore ſcilicet Lemnũ & Imbrũ incolebant, poſtea eiectos in agrum Laconicũ perueniſſe, & tandiu cum indigenis mulieribus cõſuetudinem habuiſſe, quoad liberos ſuſcepiſſent. Calumnijs deinde ac ſuſpicionibus Laconicam rurſus relinquere coactos, in Cretam cum liberis & uxoribus traieciſſe, cùm Pollin & Crataida fratres duces haberent. Ibi bellum cum his qui tunc temporis Cretã tenebant gerentes, multos qui in prælio mortem oppetijſſent, inſepultos reliquiſſe: primò quidem quòd propter bellum & periculum ſocios per ocium humare nõ poterant, deinde fugientes cadauera iam corrupta & marcida attingere cœpiſſe. Pollin igitur, quem ducem ſecuti fuerant, honores quoſdam & immunitates excogitaſſe, partim deorũ ſacerdotibus attribuiſſe, partim qui mortuos ſepeliſſent, & dijs terreſtribus, hoc eſt, manibus cõſecraſſe, ne quando auferrentur, & perpetuò permanerent. Poſtea cum fratre ſortitum, & alios ſacerdotes appellatos fuiſſe, alios Catacautas, & ſeparatim ſuis legibus uti. Eſſe autẽ illis unà cum cæteris quæ humaniter conceſſa ſunt, earum iniuriarum ſecuritatem, quibus cæteri Cretenſes uti conſueuerũt, cùm furtim res ſuas inter ſe agunt, feruntq́; illos uerò nulla iniuria afficere, nihil furari, nihil deniq; auferre.

135 QVOD eſt apud Chalcidenſes puerorũ ſepulchrum? Cothus & Arclus Xuthi filij in Eubœam habitatum conceſſerunt, quo tempore Aeoles inſulam maiore ex parte obtinebant. Aeditum uerò antea Cotho oraculum fuerat, bene ſucceſſurum, & hoſtes ſuperaturum, ſi agrum coëmiſſet. Cum paucis igitur deſcendens incidit in pueros, qui fortè iuxta

D mare colludebãt: quibus cum & ipſe comiter ludere aggreſſus, multos ludos pueris ignotos oſtendit. Quod ubi auidè accipere uelle intellexit, haud aliter traditurum ſe dixit, niſi aliquid terræ prius ab ipſis accepiſſet: illi è ueſtigio ſublatam dederunt, & acceptis ludis abierunt. Aeoles re cognita cùm hoſtiũ claſſem aduentare intelligerent, ira & dolore perturbati pueros interfecerunt. Sepulti uerò ſunt in uia quæ ad Euripum ex urbe ducit, quẽ locum poſtea ſepulchrum puerorum uocauerunt.

136 QVIS eſt Mixarchageua apud Argiuos? quiue ſunt Elaſii? Mixarchageuam Caſtorẽ uocant, & apud ſe humatũ arbitrantur. Pollucem uerò tanquam unum cœleſtium uenerantur. Eos autem qui comitialem morbum auertere putantur, Elaſios nominant, eoſq́; ex Alexia Amphiarai filia progenitos fuiſſe autumant.

137 QVID eſt, quòd apud Argiuos Encniſma dicit? Qui familiariũ aut cognatorũ quempiã amiſerũt, mos eſt ut ſtatim poſt luctũ Apollini ſacrificẽt: ſic & trigeſimo pòſt die Mercurio. Nam ut à terra mortuorũ cadauera, ſic animos à Mercurio ſuſcipi putãt. Apollinis autẽ ſacerdoti hordeum dantes carnem uictimæ pro eodem accipiunt, ignemq́; quaſi pollutum extinguentes, & rurſus ab alijs accendentes, carnẽ coquũt, & Encniſma appellant.

138 QVID eſt Alaſtor, Aliterius, Palamnæus? Non enim illis credendũ eſt qui dicunt, Aliterios uocari qui in fame molentem obſeruantes, farinam diripiunt. Verùm is Alaſtor uocitatur, qui ea egit quæ neq; facilè obliterari poſſunt, & diuturna omnium memoria celebrantur. Aliterius autem is eſt, quem ſi quis uitare ac fugere poteſt propter improbitatẽ, bene actum ſecum exiſtimare debet. Idem quoque Palamnæus appellatur. Hæc, inquit Socrates, in æreis pellibus conſcripſerunt.

139 QVAM habet ſententiam, eos qui in Caſsiopæam bouem abigant ex Aeno, à uirginibus comitantibus ad ipſos uſq; fines cõtinenter audire, Nunq; redibitis in patriam terrã? Aenianes à Lapithis ſedibus expulſi, Aethaciam primò, deinde Moloſsidem & Caſsiopæam incoluerũt: ubi nihil boni ex agro nacti, malis contrà uſi uicinis, in agrũ Cirrheum tranſierũt, Onoclum regem ſecuti. Ibiq́; magna ſiccitate & magnis ſqualoribus excepti, oraculo, ut fertur, cùm lapidibus Onoclum obruiſſent, rurſus uagi poſt longum errorẽ in eum agrum peruenerunt, quem bonũ & fertiliſsimũ nunc habent. Quo fit ut meritò exoptent, in antiquam patriam non redire, ſed illic beatiſsimè ac diutiſsimè permanere.

140 CVR apud Rhodios præconi, Ocridionis templũ ingredi nõ licet? An quòd Ochimus filiam

A filiam Cydippen Ocridioni collocauit: Cercaphus autem frater Ochimi puellam amans præconi perſuaſit (moris enim fuerat, ut ſponſæ per præconē accerſerentur) cùm Cydippen accepiſſet, eam ad ſe deduceret: quo facto Cercaphus puellā habens aufugit: qui poſtea cùm frater ad ſenectutē perueniſſet, reuertitur. Manſit autem Rhodijs cōſuetudo, ne præco Ocridionis templum ingrederetur, ob iniuriæ ac flagitij illius memoriam.

141 QVID eſt quòd tibicini apud Tenedum, in ædem Tenæ intrare non licet, nec in templo, Achillis mentionem facere? An quòd nouerca Tenem inſimulante quòd ei ſtuprum inferre uoluiſſet, Molpus tibicen falſum aduerſus eum teſtimonium dixit? Quamobrem Tenæ accidit cum ſorore Tenedum fugere. Achilli autem ferunt matrē Thetim magnopere interdixiſſe, Tenem ne interficeret, quòd is ab Apolline uehementer coleretur. Vni etiam ex ſeruis imperaſſe, ut diligenter attenderet, & Achillem moneret, ne fortè per imprudentiam Tenem occideret. Sed cùm Tenedum Achilles popularetur, & ſororem Tenæ forma captus inſectaretur, Tenes obuiam factus & ſororem defendere conatus, ſorore quidem elapſa, ab Achille interfectus eſt. Achilles Tenem à ſe interfectum animaduertens, ſeruum quidem quòd ab eo monitus non fuiſſet occidit, Tenem uerò ubi nunc templum eſt ſepeliuit. Ex eo nec tibicen illud ingreditur, nec Achilles in eo nominatur.

142 QVIS eſt apud Epidamnios Polites? Epidamnij Illyricorū uicini, ciues ſuos qui cum Illyricis conſuetudinem haberent improbos fieri animaduerterunt, & res nouas ueriti, ad res contrahendas ac permutandas unum quotannis potiſſimum delegerunt quem maximè probarent. Is ad barbaros accedens, forum ciuibus omnibus & cōtrahendi rationem præſcribebat, & ex eo Polites, id eſt, uenundator eſt appellatus.

143 QVOD eſt in Thracia Aræni littus? Andrij & Chalcidenſes habitandi cauſa in Thraciam profecti, Sanem urbem proditione cōmuniter occuparunt: ſed cùm barbaros Acanthum reliquiſſe accepiſſent, duos ſpeculatores ad urbem miſerunt: qui cùm eò ueniſſent, & Acanthios relicta urbe fugam animaduertiſſent arripuiſſe, Chalcidenſis quidē ſpeculator præcucurrit, quaſi urbem Chalcidenſibus præoccupaturus: Andrius uerò relictus haſtam coniecit, quæ cùm portæ inhæſiſſet, Andrijs urbem ſe haſta præoccupaſſe exclamaB uit. Inde orta diſſenſione, ſine bello inter ſe cōuenerunt, ut Erythræis, Samijs & Parijs omnibus de rebus arbitris uterentur. Cumq́; Erythræi & Samij ſuffragijs ſuis rem Andrijs adiudicaſſent, Parij contrà pro Chalcidenſibus ſententiā dediſſent, Andrij quibuſdā ſe circa eum locum imprecationibus deuouerunt, ſi aut ipſi Parijs uxorē dediſſent, aut ab illis accepiſſent: & ob eam rem Aræni littus appellauerunt, quum Dracontis antea diceretur.

144 QVID eſt, quòd Cerealibus Eretrienſium mulieres non ad ignē, ſed ad Solem carnem aſſant, & Calligeniam non uocant? An quòd ita cecidit, ut captiuæ quas ex Troia Agamemnon abduxit, hoc in loco Cerealia facerent, cumq́; inopinatò nauigandi tempus extitiſſet, imperfecto ſacrificio diſceſſerunt?

145 QVI ſunt Ainautæ apud Mileſios? Damaſenote & Thoante tyrannis exactis, ſodalitates duæ urbem obtinuerunt: harum altera Plutis, altera Cheromacha dicebaē. Sed cùm potentes dominarentur, & ſodalitatti ſuæ res adſciuiſſent, cōſcenſis nauibus procul à terra progreſsi maximis de rebus conſultabant, & ob eam rem Ainautæ appellati ſunt.

146 QVID quòd Chalcidenſes locum circa Pyrſophium ἀκμαίων λέσχην, id eſt, uigentium & uiribus ualentium ſtationem uocāt? Nauplium ferunt ab Achiuis fugatum, ſupplicem ad Chalcidenſes confugiſſe, ibiq́; partim crimina purgaſſe, partim recriminando Achiuis obieciſſe. Chalcidenſes igitur Naupliū nullo modo dedituri uidebantur, ſed ueriti ne dolo interficeretur, præſidium ei dederunt, adoleſcentes ætate & uiribus uigentes, & eos ibi collocauerunt, ubi & unà uerſarentur, & Nauplium aſſeruarent.

147 QVIS eſt qui benefactori bouē immolauit? Nauis piratica circa Ithaceſiam in ancoris ſtabat, in qua cum fictilibus picem habētibus ſenex quidā erat. Huc igitur cùm fortè portitor Ithacenſis nomine Pyrrhias perueniſſet, & ſenem liberauit, nihil quidem eo opus habens, ſed ab eo perſuaſus, miſericordia cōmotus, & hortatu ſenis de fictilibus quæ ibi iacebant pauca quædam ſumpſit. Poſtea cùm prædones abſceſsiſſent, ſecurus iam ſenex Pyrrhiam fictilibus admouit, in quibus magnam uim auri ac argenti pici admixti oſtendit, ita ut repentè diues factus Pyrrhias cum cæteris in rebus ſenem optimè tractaſſet, tum illud adiunxit, ut ei bouem immolaret. Ex eo res in prouerbium uenit, benefactori bouem extra Pyrrhiam immolaſſe neminem.

148 QVID ita morem hunc habent Bottiæorum puellæ ſaltantes, ut dicant, Eamus Athenas? Cretas ferunt uoto facto hominum primitias Delphos miſiſſe: eos autem qui miſsi

C eſſent ubi nullam facultatem aut copiam uidiſſent, inde profectos primum Iapygiam in-
coluiſſe, deinde mixtis Athenienſibus hunc in Thracia quem nunc habent locum occu-
paſſe. Non enim ueriſimile, Minoën Athenienſium iuuenes tributi nomine quotannis ad
ſe miſſos occidiſſe, ſed in miniſterio potius & ſeruitio habere maluiſſe. Ex his igitur nati
quidam, & Cretenſes habiti, Delphos miſſi ſunt. Ex quo Bottiæorum filię generis ſui me
moriam colentes, diebus feſtis canebant, Eamus Athenas.

149 QVID eſt, quòd Eleorum mulieres Dionyſium celebrantes precantur, ut bouino pe-
de ad ſe ueniat? Hymnus enim hoc modo ſe habet: Veni heros Dionyſi maritimũ ad tem
plum caſtum cum Gratijs bouino pede ſacrificans. Inde bis inferũt, Digne taure. An quia
Bugenam appellant & taurũ nõnulli hunc deum? An magnũ pedem bouinũ intelligunt,
quemadmodum poëta βοῶπιν magnos habentẽ oculos, & βουγάϊον magna iactantem? An
magis quia bouis pes innoxius eſt? Cornigerũ autẽ deum ſic rogant, ut lenis lætusq; ue-
niat? An quòd aratri ac ſementis principem hunc ipſum deum & inuentorẽ fuiſſe putant?

150 QVID eſt, quòd Tanagræi ante urbem Achilleum habent locum ſic appellatum? Ini-
micitias enim magis cum ea urbe exercuiſſe dicitur Achilles, quàm amicitiã, quippe qui
& Pœmandri matrẽ Stratonicen rapuerat, & Ephippi filiũ Aceſtora occidiſſet. Pœman-
drus igitur pater Ephippi, cùm ager Tanagricus etiã per uicos habitaret̃, apud Stephon-
tem (id loci nomen eſt) quòd cum Achiuis in expeditionẽ ire noluiſſet, ab illis circunſeſ-
ſus, nocte locum illum deſeruit, & Pœmandriã cõmuniuit. Polycritus autem architectus
cùm adeſſet, & opus floccifaceret atq; irrideret, foſſam tranſcendit. Iratus Pœmandrus in-
gens in illum ſaxum coniecit, quod fortè ibidem occultatum Nyctelijs templis iampri-
dem incumbebat: hoc reuulſum per imprudentiã Pœmandrus coniecit, & Polycritũ qui-
dem aſſequi nõ potuit, Leucippum uerò filium interfecit. Oportebat igitur domeſticum
ex agro Bœotio lege diſcedere, & ſupplicem ad alios migrare. Id autem facile non erat,
quòd in agrum Tanagricum Achiui irruptionem fecerant. Miſit igitur Ephippum filium
qui Achillem rogaret, à quo perſuaſus & illum inducit, & Tlepolemum Herculis filium,
& Peneleum Hippalcmi, omnes ſibi ſanguine cõiunctos. A quibus Pœmandrus Chalci-
D dem deductus, & ab Elephenore cædis crimine expiatus, homines honore affecit, & lu-
cos omnibus conſecrauit, quorum qui Achilli dicatus eſt nomen ſeruauit.

151 QVI ſunt apud Bœotios Pſoloës, quiq; Aeoleæ? Minyæ cuiuſdam filias, Leucippam,
Arſinoën, & Alcathoën furore percitas carnibus humanis ueſci concupiſſe, & de filijs in-
ter ſe ſortitas eſſe. Leucippam quòd ei ſorte cecidiſſet Hipaſſum filium laniandum exhi-
buiſſe, & illarũ uitos, quòd lugubri ueſte uterentur præ dolore ac luctu, Pſoloës, Aeoleas,
Oeonolias appellatas fuiſſe ferunt. Hodie quoq; eiuſdem gentis omnes mulieres Orcho
menij eodem nomine appellant, & quotannis feſtis diebus, quæ Agrionia dicunt̃, à Dio
nyſij ſacerdote ſtricto gladio fugantur, & ſi quam conſecutus eſt interficere licet. Noſtra
quidem memoria Zoilus ſacerdos mulierem occîdit, quòd tamen infelix ac triſte ipſis ac
cidit. Nam Zoilus ex leui ſanè ulcere quum in morbum incidiſſet, diuturna tabe conſum
ptus eſt. Orchomenij uerò publicis damnis ac damnationibus affecti, ſacerdotiũ ab ea fa-
milia ad eum tranſtulerunt, quem ex omnibus optimum delegiſſent.

152 CVR eos qui ſpontè Lycæum ingrediuntur lapidibus obruũt Arcades, qui ſi per igno
rantiam intrauerint ad Eleutheras eos mittunt? An quòd quaſi abſoluti libertatẽ adepti
uiderentur, hæc ratio fidem habuit: & tale eſt ad Eleutheras, ac ſi in locũ curæ uacuũ, & il-
lud, uenies in libentis ſolum? An fabulæ potius credendũ eſt? Soli enim Lycaonis liberi
Eleuther & Lebeadus ſceleris in Iouem paterni expertes fuerũt, & in Bœotiam aufuge-
runt. Lebadenſes autẽ ijſdem legibus, & eodem iure atq; Arcades utuntur. Eos igitur ad
Eleutheras mittũt, qui Iouis adyta ignorantes intrauerint. An illud probabilius quod Ar
chitimus in Arcadicis dicit? quoſdam per inſcitiam ingreſſos ab Arcadibus Phliaſiis tra-
ditos fuiſſe, à Phliaſiis deinde Megarenſibus, à quibus porrò cùm Thebas deueherẽtur,
imbre ac tonitribus & alijs tempeſtatibus oppreſſos ac detentos fuiſſe: hinc locum nõnul
li Eleutheras appellatũ fuiſſe dicunt. Quod autẽ dicitur, ab eo qui Lycæum ingreſſus fue-
rit umbram nõ cadere, licet falſum, tamen magnopere creditũ eſt. An quòd aër ingredien
tibus in nubem conuerſus obducitur? An quòd templũ ingreſſus omnibus modis excru-
ciatus morte mulctetur, mortuorum uerò animas Pythagorici dicunt neq; umbram face
re, neq; conniuere? An illud potius, quòd ſol quidem umbram facit, ſolem autẽ aufert lex
eius qui ingreſſus eſt, & hoc obſcurè intelligentes dicũt? Ceruus enim is qui ingreſſus eſt
dicitur. Quapropter Cantharionem Arcadem, quòd is ad Eleos cum Arcadibus bellum

gerentes

A gerentes profugiſſet, cum commeatu templum pergreſſus eſſet, compoſito poſtea bello
quum Spartam profugiſſet, Lacedæmonij Arcadibus reddiderunt, ædito oraculo, ut cer
uum redderent.

153 QVEMNAM in Tanagra Eunoſtum heroëm fuiſſe dicemus, quid'ue cauſæ eſſe quam
obrem mulieres, eius lucum non ingrediuntur? Eunoſtus Eliei Cephiſti & Sciadis filius
fuit, cui nomen inditum ab Eunoſte nympha eſt, à qua educatum ferunt. Speciosus igitur
ac iuſtus, non minus ex modeſtia et ſeueritate laudis tulit. Hunc ab Ochna Coloni filia &
propinqua ſua amatum fuiſſe ferunt. Sed cùm eius libidinē conuicio retudiſſet, remq́ ad
fratres deferre ſtatuiſſet, mulier occupauit, & fratres Ochemum, Leonem, Bucolum, ad
Eunoſti necem concitauerat, quòd eum ſibi per uim ſtuprum intuliſſe inſimulauerat. Il-
li quum ſotori fidē adhibuiſſent, adoleſcentem inſidijs de medio ſuſtulerunt. Quo facto
Elieus illos in carcerem coniecit. Ochna pœnitentia ducta, & uehementer perturbata, ſi-
mul & dolore, quem ex amore capiebat, liberari cupiens, ſimul fratrū miſericordia com-
mota, rem omnem ut geſta fuerat Elieo indicauit, quam è ueſtigio Elieus ad Colonū de-
tulit. Eius iudicio ac ſententia fratres liberati ſunt, Ochna uerò ſeipſam præcipitem dedit,
ut Myrtis Anthedonia canticorū poëtria ſcriptū reliquit. Eunoſti uerò templū & lucus,
mulierib. adeò inacceſſus fuit, ut cùm ſæpenumero terræmotus, aut ſiccitates, aut imbres,
aliæ deniq; tempeſtates ingruiſſent, Tanagræi accuratè ac diligenter exquirerent, nun-
quid mulier clanculum aut per imprudentiā templo appropinquaſſet. Quanq; nōnullos
dicere cōſtat, inter quos eſt Cledamus uir inſignis, occurriſſe ſibi Eunoſtum lauandi cau-
ſa mare petentem, quòd mulier templum ingreſſa fuiſſet. Refert enim Diocles in libro de
Semideis, Tanagræorum decretum, de his quæ Cledamus renunciauerat.

154 VNDE in agro Bœotio circa Eleonē Scamandrus fluuius eſt appellatus? Deimachus
Eleonis filius, Herculis ſocius, expeditionis ad Troiam particeps fuit. Sed cùm bellū tra-
heretur, Glauciā Scamandri filiam cōpreſsit, & grauidam reddidit. Quo à Troianis in pu
gna interfecto, Glaucia ne ſtuprū deprehenderet ad Herculem confugit, & amorē ſuū in
B dicauit, ſeq; cum Deimacho conſuetudinem habuiſſe confeſſa eſt, Hercules re cognita, &
amoris miſericordia cōmotus, & quòd uiri fortis ac ſibi in primis familiaris, ſtirpem relin
qui magnopere cupiebat, Glauciam in nauem recipit, quā poſtea cùm peperiſſet, in Bœo
tiam reductam, & ipſam & ſtirpem Eleoni reddidit. Appellatus eſt autem puer Scaman-
drus, qui poſtea regnum adeptus, Inachum fluuium de ſuo nomine Scamandrum appel-
lauit, ſicut uicinum fluuium Glauciam de matris nomine uocitauit. Nec uerò uxoris obli
tus, ipſius nomine Aciduſam fonti nomen indidit, ex qua tres filias ſuſceperat, quas hoc
quoque tempore in honore habent, & uirgines appellant.

155 VNDE factum eſt illud tritum ſermone prouerbiū, Hæc præcipua? Dino Tarentinus
ductor exercitus, uir fortiſsimus, & in primis rei militaris peritiſsimus, cùm ſententiā eius
ciues improbarent, & præco aduerſariorū ſententiam propoſuiſſet, ſublata dextera, Hæc
melior eſt, inquit. Huius rei autor eſt Theophraſtus. Sed Apollodorus in Rhythmo
illud adiunxit: quum præco, Plures hæ numero ſunt, dixiſſet: At hæ, inquit, meliores: atq;
ita pauciorum ſententiam præualuiſſe.

156 VNDE dicta eſt urbs Ithacenſium, quam Alalcomenas appellant? Quòd Anticlia ad-
huc uirgo Siſyphi compreſſu, qui ei ſtuprum obtulerat, Vlyſſem concepit, complures di-
xere. Iſtrus uerò Alexandreus in monumentis ſuis illud adiunxit, Anticliam Laërti in ma
trimonium datam, cùm ad Laërtem duceretur apud Alalcomeneum in Bœotia Vlyſſem
peperiſſe, & ob eam rem ille quaſi mediæ urbis nomen referēs, eam quæ in agro Ithacenſi
eſt urbem eodem nomine appellatam fuiſſe memorat.

157 QVI ſunt Aeginæ Monophagi? Multi ad bellum Troianum Aeginenſes profecti pu-
gnando ceciderunt, complures tempeſtate demerſi ſunt. Paucos igitur à bello reuerſos
propinqui ſuſcipientes, cùm reliquos ciues in luctu ac dolore uerſari animaduerterent,
nec apertè lætandum exiſtimauerunt, nec pro ſuorū reditu dijs immortalibus ſacrifican-
dum, uerùm clàm domi quiſq; ſuæ comiter excipientes, ipſi in cōuiuijs patribus & cogna
tis & fratribus & domeſticis miniſtrabant, nec alienū quenquam admittebant. Hoc igi-
tur imitantes Neptuno rem diuinam faciunt, & Thyaſos exercent, ſexdecim dies ſilentio
inter ſe cōuiuia celebrantes, nec ſeruum quempiam intereſſe licet. Inde Veneri facientes
ſolenne feſtum dirimunt, & ex eo monophagi appellantur.

158 QVID eſt, quòd in Caria Labradei Iouis ſimulachrū, bipennem, non ſceptrum aut ful
men ſuſtinet? Quia Hercules interfecta Hippolyte, cùm præter alia bipennem quoq; illi

C eripuiſſet, Omphale dono dedit, quam Lydorũ poſtea reges per manus accipientes, ſicut
alia ſacra ferre conſueuerũt, donec Candaules indignum cenſens, uni ex ſocijs ferendam
tradidit. Sed poſtquã Gyges ab eo deſciſcens bellum Candauli intulit, Arſelis Myleis au-
xilia Gygi adduxit, & Candaulem ſociumq́ꝫ eius occidit, & unà cum reliquis ſpolijs ſecu-
rim in Cariam detulit, ibiq́ꝫ extructo Iouis ſimulachro bipennẽ in manu dedit, & Labra-
deum Iouem appellauit: nam Lydi bipennem labrem appellare conſueuerunt.

159 QVID eſt, quòd purgatorẽ ὄροβον, hoc eſt, eruum, uocãt Tralliani, eoq́ꝫ in libationibus
ac piaculis potiſsimũ utuntur? An quia Leleges & Minyæ antiquitus Trallianis expulſis
urbem atqꝫ agros occupauerũt, poſtea reuerſi Tralliani ſuperatis Lelegibus, quicũqꝫ neqꝫ
in prælio ceciderũt nec fugerũt, ſed aut imbecillitate àut inopia ibidẽ remanſerũt, his om-
nibus contemptis legem poſuerunt, ut quicunqꝫ Minyam aut Lelegem occidiſſet, ita pu-
rus & expiatus eſſet, ſi eius quem interfeciſſet cognatis erui modium emenſus eſſet?

160 CVR apud Eleos in prouerbio eſt, Grauiora Sambico pati? Ferunt Eleum quendam,
Sambicũ nomine, multis ſocijs & coadiutoribus uſum, cõplures apud Olympiã æreas ſta-
tuas & ſimulachra cõcidiſſe ac uendidiſſe: deniqꝫ Dianæ præſulis templum diripuiſſe (eſt
enim Elide templũ Dianæ, quod Ariſtarchiũ nominant) illum uerò ſtatim poſt ſacrilegiũ
cõprehenſum toto anno excruciatũ fuiſſe, dum tormentis de conſcijs ac ſocijs ab eo quæ-
reretur: atqꝫ ita mortuum fuiſſe, & ex eius cruciatibus prouerbium ortum eſſe.

161 QVID eſt, quòd Lacedæmone iuxta Leucippidarũ templum poſita eſt Vlyſsis ædes?
Ergiæus unus ex his qui à Diomede originem ducunt, à Temeno quodam perſuaſus pal-
ladium Argis ſurripuit, cuius rei conſcium habuit Leagrum: erat enim Temeni ſanè fami-
liaris. Leagrus poſtea Temeno iratus Lacedæmonem conceſsit, palladium ſecum defe-
rens. Quod cùm reges ſtudioſe accepiſſent, iuxta Leucippidarũ templum collocauerunt,
ac miſsis qui de conſeruando & cuſtodiendo palladio Apollinis ſententiam ſciſcitaren-
tur, oraculo ędito, ut unum ex his qui palladium ſurripuiſſent cuſtodem facerent, Vlyſsis
ædem ibidem poſuerunt, heroëm ipſum alioqui propter Penelopes nuptias ad ſe pertine-
re, & ciuitatem affinitate attingere exiſtimantes.

162 QVID eſt cauſæ, quòd Chalcidoniæ mulieres morem hunc habent, ut ſi in alienos ui-
D ros, & magiſtratus potiſsimum incidant, alteram maxillam detegant? Chalcidonij aduer-
ſus Bithynios bellum gerebant: hi cùm Zepoëtum regem haberẽt, omnibus ſuis copijs,
additis etiam Thracum auxilijs, facta incurſione agros populabantur. Sed cùm Zepoë-
tus circa Phaliũ (id enim loci nomen eſt) palantes ac perturbatos inuaſiſſet, ſuperati octo
millia militum deſiderauerunt, nec tamen penitus deleti ſunt. Compoſito autem bello in
Byzantiorum gratiam, cùm ea clade ciuitas ad uirorũ ſolitudinẽ propémodum redacta
eſſet, complures mulieres neceſsitate cõpulſæ libertis & externis aduenis nupſerunt, nõ-
nullæ uiduitatẽ talibus nuptijs anteponentes ſolæ agebant, ac ſi quid opus eſſet, ad magi-
ſtratus ac iudices confugientes, alterã faciei partẽ detegebant. Harum pudorẽ quæ nupſe-
rant imitatæ, & meliores illas quàm ſe fuiſſe ratæ, eundem morem retinuerunt.

163 QVID eſt cauſæ, quòd oues ad Agenoris lucum abigentes Argiui, ut ibidem incan-
tur efficiũt? An ꝙ egregiè pręter cæteros Agenor oues curarit, & plures greges habuerit?

164 CVR ſe Argiuorum pueri quodam feſto per iocum Ballachradas, id eſt, piraſtri iacta-
tores uocitant? An quòd primos ab Inacho ex agris in cãpos ac plana deductos, piraſtris
altos fuiſſe cõmemorant? Ferunt enim Piraſtra primùm Græcis in Peloponeſo fuiſſe co-
gnitas, quum ea regio Apia etiam diceretur: unde Apij, id eſt, pira: Achrades, id eſt, pira-
ſtra, mutato nomine appellati ſunt.

165 QVID cauſæ eſt, quamobrem Elei equas finibus eductas iniri faciunt? An quòd regũ
omnium equorum ſtudioſiſsimus Oenomaus quum animal illud præcipuè adamaſſet,
multa & horrenda eis imprecatus eſſet, qui equam apud Elidem iniſſent, & idcirco ueriti
ęxcerationem illam abominantur ac uitant?

166 CVR apud Gnoſios moris fuit mutuantibus argentũ rapere? An'ne ut hi qui arripuiſ-
ſent, de ui tenerentur, & magis plecterentur?

167 QVAE cauſa eſt quãobrem Sami Dexicreontis Venerẽ uocent? An quòd eorum uxo-
res luxu ac petulantia perditas, Dexicreon homo mendicus quibuſdã piacularibus ſacris
expiauit? An quia nauclerus cùm eſſet Dexicreon, negociandi cauſa in Cyprum nauiga-
uit: cui onus in nauim impoſituro, Venerem iuſsiſſe ferunt, aquam tantũ in nauim impo-
neret, ac ſtatim ſolueret. Eum dicto audientem fuiſſe, & aqua in nauim comportata, pro-
fectum ſumma trãquillitate, & in alto deprehenſum ſitientibus reliquis & mercatoribus

& nau-

A & nautis, aqua ſingulis uenundata multum argentum collegiſſe, ex eo ſtatua deæ poſita,
deam ſuo de nomine appellaſſe? Quod ſi uerum eſt, non unum ditaſſe, ſed per unum mul
tos ſeruaſſe Venus exiſtimanda eſt.

163 QVID eſt, quòd Sami Mercurio Charidotæ rem diuinam facientes, uolenti & furari
& latrocinari permittunt? Quia oraculo relicta inſula Mycalen cùm migraſſent, prȩda ac
rapinis decem annis uitam duxerũt, deinde in inſulam reuerſi Samij hoſtes ſuperauerũt.

169 VNDE ei loco nomen inditũ eſſe dicimus, quem Samij Panæma appellant? An quòd
Dionyſium fugientes Amazones ex agro Epheſio Samum perfugerunt? Dionyſius au-
tem confeſtim ædificatis nauibus tranſmiſſo mari, prælio cõmiſſo eo in loco multas occî-
dit, quem defluentis ſanguinis flumine ſpectantes admirati, Panæma poſtea nominaue-
runt? Earum autem quæ occiderunt circa Phleum oſſa oſtenduntur. Sunt qui dicant
Phleum earum clamoribus abruptum fuiſſe, cùm magno quodam inter pugnandum &
contento clamore uſæ fuiſſent.

170 QVID eſt cauſæ, quòd Andron Sami Pedetes uocitatur? Occiſo Demotele & monar
chia ipſius euerſa, quum plebs rempub. occupaſſet, Megarenſes aduerſus Perinthios Sa-
miorum colonos exercitum duxerunt, compedes, ut dicitur, quaſi aduerſus ſeruos capti-
uos ſecum portantes. Quod cùm plebi renunciatum eſſet, celeriter auxilia ſubmiſit. No-
uem declarati ſunt qui triginta nauiũ claſsi præeſſent: harum duas portu egredientes ful-
mine ictas ac depreſſas fuiſſe dicũt. Duces tamen cum reliquis profecti Megarenſes præ-
lio uicerunt, & ſexcentos captiuos ceperunt. Qua uictoria elati popularem ſtatum euer-
tere cogitabant, cui rei plebs occaſionem præbuit. Miſit enim literas, quibus imperabat,
ut Megarenſes compedibus illorum ipſorum uinctos adducerent. Illi Megarenſibus lite
ras cùm oſtendiſſent, facilè perſuaſerunt, ut cõmuni conſilio ſecum ciuitatem liberarent.
Rationẽ ineuntibus uiſum eſt compedum anulos perforare ac cõfringere, atq; ſic Mega-
renſium cruribus circumponere, & ne defluerent loris quibuſdam ad zonas alligare. Erat
enim timendum cùm laxi eſſent, ac facilè defluerent, ne ſoluti uiderentur. His in hunc mo
dum ornatis, cùm ſingulis enſem dediſſent, ad Samum appulſi medio foro Megarenſes
in curiam deduxerunt: ubi dato ſigno Megarenſes impetu facto plebeios omnes qui re-
B rum potiebantur interfecerunt. Hoc pacto recuperata libertate, Megarenſes quicunque
uoluerunt ciuitate donarũt, & bonæ magnitudinis domo ædificata compedes quaſi tem-
plo ſuſpenſas obtulerunt, ab eo Pedetes domus appellata eſt.

171 CVR apud Coos ſacerdos Herculis muliebri ueſte indutus, & mitra caput ornatus, a-
pud Antimachiam rem diuinam facit? Hercules quum ex agro Troiano ſex nauibus pro
fectus eſſet, tempeſtate deprehenſus nauibus amiſsis cum una ſaltem ad inſulam Co de-
latus, ad Laceterem eiectus eſt, omnibus rebus præter arma & ſocios penitus amiſsis. Ibi
nactus ouium greges, à paſtore unam ſibi ut daret petijt. Is Antagoras uocabatur. Qui
quum robore ac uiribus corporis præſtaret, Herculem ad luctandum prouocauit, ea le-
ge, ut ſi uinceret, arietem auferret. Hercules cupidè cum Antagora congreſſus, quum ho-
minem ita agitaret ut facilè ſuperaturus uideretur, Meropes Antagoræ auxilium tule-
runt, & Græcos ut Herculi opem ferrent cõcitauerunt. Prælio cõmiſſo Hercules pugnan
do defeſſus ad mulierem Thracenſem ſeruam confugiſſe dicitur, & muliebri ueſte oper-
tus apud eam delituiſſe. Sed poſtquã Meropibus ſuperatis expiatus Alciopi filiam in ma
trimonium duxit, floream ueſtem induit. Quamobrem ſacerdos in eo loco ubi prȩlium fa
ctum eſt, rem diuinam facit, & ſponſi muliebri ueſte induti ſponſas ſuſcipiunt.

172 VNDE apud Megaram genus eſt Hamaxocyliſtarũ? Qua tempeſtate intemperans il-
le ac diſſolutus popularis ſtatus Megaris fuit, qui & uſuras creditoribus antea perſolutas
expoſtulauit, & ſacrilegium effecit, proficiſcebantur Peloponeſiorum nomine Delphos
ſolennes ſpectatores: qui quum per agrum Megarenſem iter facerent, apud Aegeram ad
paludem cum liberis & uxoribus ſubuerſo curru in terram prouoluti ſunt: ibi Megaren-
ſium quidam petulantiſsimi atq; ebrij, per inſolentiã & crudelitatem currus in paludem
contruſerunt, multos ex his qui uenerant obruerunt. Quod in illa ſtatus perturbatione &
confuſione rerum omnium Megarenſes neglexerunt. Amphictyones autem quòd ea res
ad religionem pertinere uidebatur, grauiter commoti, tanquam ſceleratos & impios exi-
lio nonnullos, plerosq; morte affitiendos cenſuerunt, qui poſtea à
genere Hamaxocyliſtæ nominati ſunt.

FINIS.

Plutarchi conſolatoria oratio ad Apollonium.

C

STEPHANO NIGRO INTERPRETE.

NON potui iandiu, Apolloni, non maximo tecum grauiſsimoq́; affici dolore, cùm filij tui, æquè nobis ac tibi chariſsimi, immaturã uitæ cum morte mutationẽ percepiſſem, adoleſcentis modeſti ſimul ac temperantis, pietatemq́; erga deos ac parentes, necnon & in amicos iura oppidoq́; egregiè colentis: uiſus ſum tamen mihi operæpreciũ minimè facturus, ſi ſtatim ſub obitus tempus te cõueniſſem, idq́; quod accidit, ut æquo ferres animo eſſem exhortatus: cùm præſertim & tu animo ac corpore ob inopinatam conſternatus eſſes calamitatem, & ego neceſſariò tua angerer ſolicitudine: neq; enim medicorũ præſtantiſsimi ad repentinos fluxuum impetus, medicinarum confeſtim adferunt remedia, uerùm inflammationis grauitatem abſq; ulla externa unguentorũ impoſitione ad maturitatẽ peruenire patiũtur. Poſtea uerò quàm & tempus omnia ad maturitatem perducere ſolitum, calamitati acceſsit, & tua ſolicitudo amicorum auxilia iam exigere uidetur, bene habere ſum arbitratus, ſi ad relaxandũ ac remittendum dolorem, flebilesq́; atq; inanes ſedandos luctus, conſolatoriæ te participem orationis facerem. Animo nanq; male affecto medici ſunt, ſermones, cùm pręſertim quiſpiam opportunè cor molliat. Nam autore ſapiente Euripide, alia alij adhibetur medicina morbo: triſtitia quidem affecto, beneuolus amicorũ ſermo: fatuè uerò ſe gerẽti, admonitiones. Etenim cùm multę ſint animi perturbationes, omniũ q̃ grauiſsima eſt triſtitia: multi enim ob triſtitiam in furorẽ, nõnulli in incurabiles ægritudines redacti memorantur: ſibijpſis quidam præ mœrore manum conſciuere. Dolere igitur atq; angi ob defunctum filium, naturalem quidem habet mœroris originẽ, nec in manu noſtra poſitam. Neq; enim illorũ accedo ſententiæ, qui feram aſperamq́; laudibus extollunt indolentiam, ſupraq; poſsibile utileq́; ſit exiſtentem. Hæc enim tolleret ex mutua dilectione beneuolentiã, quam omnium maximè cõſeruare neceſſe eſt. Supra modum uerò differri, luctumq́; adaugere, præter naturam eſſe cenſeo, & ex quadam in nobis inſulſa fieri opinione. Quocirca hoc quidem ut noxium ac uile, & quod minimè deceat bonos uiros, omittendũ eſt: mediocris uerò haud reijciendus eſt dolor. Vtinam minimè ægrotaremus, inquit Academicus Crantor: ægrotantibus uerò aliquis ſenſus adſit, ſiue aliquid ſecetur, ſiue auellatur à corpore: nam iſtud nihil dolere, nõ ſine magna mercede homini contingit, immanitatis in animo, ſtuporis in corpore. Neq; igitur ut in huiuſmodi calamitatibus ſapientes uiri doloris omnino ſint expertes, neq; ut ſupra modum uexentur, ratio permittit: illud enim durũ penitus ac ferum, hoc uerò eneruatũ atq; effœminatũ. Prudentiſsimus ille, qui & modum in rebus tenet, & in degenda uita nõ minus quæ eueniunt aduerſa, quàm quæ ſecunda, æquo ferre animo poteſt: præmeditatusq́; fuerit, quòd quemadmodũ in populari ſtatu magiſtratuum habetur ſors, & qui ſortitus fuerit, eum imperiũ adminiſtrare oportet, qui uerò repulſam paſſus fuerit, fortunam æquo animo ferre: ita & rerum partitionẽ citra ullam accuſationẽ obſequenter ſequi: nam qui hoc nequit præſtare, ne ſecundã quidem prudenter ac modeſtè ferre poterit fortunã. In ijs enim quę rectè dicta ſunt, hoc quoq; documenti loco habetur: Nulla ſit tanta felicitas, quæ te adeò extollat, ut tibi plus q̃ oporteat, placeas: nec ſi quid aduerſi acciderit, rurſus deprimaris, in ſeruitutemq́; redigaris, ſed idem perpetuò maneas, tuum (ut in igne aurum) ſolidè ingenium ſeruãs. Eſt enim eruditorũ ſimul ac temperantiũ uirorum, & aduerſus eas quæ felicitates putantur, eundem eſſe, & contra infortunia decorum ſeruare: rationis nanq; bene compoſitæ officium eſt, uel cùm infertur malum declinare, uel illatum corrigere, uel ad minimũ redigere, uel patientiã ſuam fortem ac generoſam præſtare. Nam circa bonũ prudentia quadrupliciter ſe gerit, cùm aut adipiſcitur bona, aut tuetur, aut adauget, aut prudenter utitur: hi prudentiæ aliarumq́; uirtutum ſunt canones, quibus ad utranq; utendum eſt fortunã. Nullus eſt enim uir qui uſquequaq; felicitate fruatur, & per Iouem parendum eſt fatis. Nam ut in plantis nonnunquã maxima eſt fertilitas, interdum ſterilitas: & in animantibus quandoq; numeroſa proles, quandoque nulla: & in mari tempeſtates, ac tranquillitates: ita & in uita multi & uarij caſus, in aduerſis circumagunt homines fortunas, ad quas proſpiciens quiſpiã haud immeritò diceret, Non in omnibus genuit bonis Agamemnonẽ Atreus. Neceſſe eſt autem ut & lætitia, & dolore afficiaris: natus es enim mortalis, & te quoq; inuito, dijs ita uolẽtibus, erit. Et illud à Me-

Animi male affecti medicus, ſermo.

D

Prudentia circa bona quadrupliciter uerſatur.

A à Menandro dictum: Nam ſi omniũ ſolus natus es Trophime, cùm te mater pariebat, ea
lege, ut quæ uelis agas, felicitate perpetuò fruaris, & deorũ aliquis hoc tibi pollicitus eſt,
meritò indignaris: mẽtitus enim eſt, atq; iniquè fecit: ſin autẽ ijſdẽ quibus nos legibus ui
talem hunc, ac cõmunem hauſiſti aẽrem, ut tibi magis tragicè loquar, hæc melius & feren-
da & cogitanda ſunt. Quod autẽ rationũ caput & ſumma eſt, homo es, quo ad ſumma, rur
ſusq; ad ima, nullum animal mutationẽ celerius accipit, nec id immeritò. Nam cùm natu-
ra infirmiſsimũ ſit animal, maximas res adminiſtrat: cùm autẽ cadit, multa conterit bona.
Tu autem Trophime haudquaq̃ egregia amiſiſti bona, & in præſentia mediocria tibi ad-
ſunt mala: quare modeſtè quoque reliqua feras. His tamen ita ſe habentibus, nõnulli ob
nimiam imprudentiã uſqueadeo ſunt ſtolidi ac dementes, ut paululum uel nimia pecu-
niarum copia, uel magiſtratus magnitudine, uel ciuili aliqua gloria honoreq; elati, alijs
minitentur, ac conuicijs afficiant, fortunæ inconſtantiam uolubilitatemq; minimè recor-
dati, nec quòd perquàm facilè quæ ſublimia ſunt, deprimuntur, quæq; humilia ſunt, rur-
ſus quamcelerrimis fortunæ mutationibus extolluntur. Eſt igitur uiri haud rectè res ipſas
cogitantis, in re nequaquam ſtabili ac firma conſtantiam quærere. Rotæ enim circum-
actæ nonnunquã altera pars ſupernè extat, nonnunq̃ altera. Itaque ad indolentiam opti-
mum eſt remedium ratio, & per hanc quoddam aduerſus fortunæ mutationes munimen
tum: oportet enim non tantùm ſeipſum natura mortalem noſſe, uerùm & mortalis conſor
tem uitæ, rerumq; perq̃ facilè in contrarium ſe mutantiũ. Hominũ enimuero mortalia &
caduca ſunt corpora, mortales fortunæ ac perturbationes, cæteraq; uitæ accidentia, quæ
mortalib. effugere nõ licet. Sed malleo fabricatis neceſsitatibus, Tartari premis ima tene-
broſi, ut inquit Pindarus. Vnde Demetrius Phalereus, dicente Euripide diuitias eſſe inſta
biles ac caducas, unamq; diem hæc quidẽ ad ima deprimere, hæc uerò ad ſumma tollere:
alia quidem rectè eum dicere inquit, melius uerò fuiſſet, ſi non unam diem, ſed temporis
punctum dixiſſet. Idem enim circulus frugiferis eſt terræ plantis, & mortalium generi: his
quidem augetur uita, horum uerò deficit, rurſusq; demetitur. At Pindarus in alijs: Quid
autem quis, quid autem non quis, umbræ ſomnium homo: expreſſe euidenterq;, atq; arti- *Homo, umbræ*
ficioſe hyperbole uſus, hominum uitam aperuit. Quid enim umbra imbecillius? huius au *ſomnium.*
B tem ſomnium nemo utiq; alius exprimere planè poſſet. Hæc ſecutus & Crantor, cùm in fi
liorum deceſſu Hippoclem ſolaretur, inquit: Hæc uniuerſa uetus philoſophia & loqui-
tur, & hortatur: quorum ſi nihil aliud approbamus, uitam ſaltem multifariã, & operoſam,
& difficilem eſſe, haudquaq̃ inficiabimur. Nam etiamſi à natura hunc minimè habeat
morem, noſtra ſaltem cauſa ad hanc perniciem deuenit, & incerta hæc fortuna nos à pri-
ma origine ſecuta eſt, ne in una quidem re ſana, naſcentibusq; miſcetur aliqua in omnibus
mali ſors. Semina enim ſtatim mortalia exiſtentia, eius cauſæ partem aſſequuntur, ex qua
& mala animi indoles, & morbi, ac dolores, & mortalium ſors nobis adſerpſit. Sed quor-
ſum hæc? Vt ſciremus nihil omnino eſſe noui, cùm quis malignam experitur fortunã, ue-
rùm omnes eadem pati. Inopinata nanque eſt fortuna, ut inquit Theophraſtus, & ad ea
quæ elaboraueris auſerenda uehemens, nullumq; habens ad perturbandam exiſtimatam
felicitatem conſtitutũ tempus. Hæc enim & huiuſmodi alia, cùm per te conſiderare, tum
ex alijs ueteribus ac ſapiẽtibus uiris audire, unicuiq; eſt facillimũ. Quorũ primus diuinus
eſt Homerus, dicens: Nil homine imbecillius nutrit terra: nõ enim ſe unq̃ mali quicq̃ in
poſterum paſſurũ ait, dum uirtutẽ præbeant dij, & genua ſint ualida. Sed quando iam ma
la peragunt dij, & hæc fert inuitus toleranti animo: talis enim eſt mens terreſtrium homi-
num, qualẽ quotidie agit hominũ pater atq; deorũ. Et in alijs: Tydide magnanime, quid
genus percontaris? cuiuſmodi eſt foliorũ genus, huiuſmodi & hominũ. Foliorũ alia qui-
dem uentus decutit, alia pullulans fert ſylua, uerno autẽ naſcunt̃ tẽpore: ſic uirorũ genus
hoc quidẽ naſcit̃, hoc uerò deſinit. Quòd aũt hac humanæ uitæ ſimilitudine bene uſus ſit,
ex ijs cõſtat quæ alibi idem dicit: Mortaliũ autẽ miſerorũ cauſa bellum gerere, qui foliorũ
ſimiles aliàs quidẽ ualde uigent, terræ fructũ edentes, aliàs uerò deficiunt exanimes, nec
ulla ineſt uis. Simonides autẽ poẽta, quũ Pauſanias Lacedæmoniorũ rex, rebus à ſe geſtis
quamſæpiſsimè gloriaret̃, & quadã irriſione iuberet, ut ſibi aliquid ſapienter præciperet,
eius cognito faſtu, ne ſe hominẽ eſſe obliuiſceretur, conſuluit. At Philippus Macedonum
rex, cùm tria ſibi feliciter eueniſſe ſub idem tempus nunciatũ fuiſſet, quòd ſcilicet quadri-
gis Olympia uiciſſet, & Parmenio imperator exercitus Dardanes prælio ſuperaſſet, præ-
terea quòd Olympias uxor maſculum ſibi filium peperiſſet, ſublatis ad cœlum manibus,
O dæmon, inquit, mediocri hæc aliqua rependas clade: natura comparatum eſſe haud-

C quaquam ignorans, ut ingentibus fortuna inuideat felicitatibus. Theramenes, qui unus Athenis de triginta tyrannis fuit, cùm domus ruinam, in qua cum multis cœnabat, ſolus euaſiſſet, ac propterea ab omnibus beatus prædicaretur, magna uoce clamans: O fortuna, inquit, ad quam me igitur ſeruas occaſionem? Paulò autem pòſt à reliquis contortus tyrannis, uitam finiuit. Perquàm egregie autem Poëta circa conſolationem probandus uidetur, cùm Achillem hæc Priamo, ad redimendum Hectorem profecto, dicentẽ inducit: Quare agè iam, ſede ſuper throno, doloresq́; in animo iacere permittamus, licet dolore affecti: nihil enim conferunt horridi luctus: ſic nanq; deſtinarunt dij miſeris mortalibus, ut

Duo Iouis dolia.

triſtes uiuant, cùm ipſi nullum patiantur dolorem. Duo etenim dolia in Iouis pauimento ſita ſunt, donorũ unum malorũ, qualia præbet mortalibus: alterũ uerò bonorũ. Cui quidem bona malis immiſcens dederit fulmine gaudens Iupiter, quandoq; is malum, quandoq; bonũ ſortitur. Cui uerò de pernicioſis dederit, hunc contumelijs obnoxiũ reddit, ipſumq́; mala atq; ingens fames per diuinã tellurem exagitat: incedit autẽ nec à dijs, nec à mortalibus honoratus. At Heſiodus, Homero & exiſtimatione & tempore poſterior, qui ſe Muſarũ diſcipulũ prædicat, in dolio & ipſe mala coërcens, Pandorã indicat dolium aperientem, per omnem terram ac mare malorum copiam diſperſiſſe, ſic dicens: At mulier manibus magnũ auferens operculũ, diſperſit: hominibus autẽ curas ſuo conſilio præbuit pernicioſas: ſola uerò ſpes in ædibus infrangibilibus intra doliũ ſub labris permanſit, nec foras euolauit, dolio enim prius oppoſuit operculũ: aſt alia innumera in homines exilierunt mala, plena enim malis tellus, refertum mare, morbi autẽ hominibus quotidiani, hi noctu ſpontè accedunt, mala mortalibus tacitè adferentes, quandoquidẽ uocem abſtulit conſultor Iupiter. Ab his ſeiunctus Comicus, in eos qui huiuſmodi calamitates ægreferunt, hæc dicit: Si nobis lachrymæ malorum eſſent remedium, & qui lachrymaſſet dolere deſineret, auro dato lachrymas permutaremus: nunc autem non aduertunt perturbationes, nec reſpiciunt in iſtas here, ſed eandem uiam, ſiue fleueris, ſiue non, ibunt: quid igitur proficiũt? nihil: uerũ dolor habet, ut arbores fructũ, lachrymas. Et qui Danaën uehementer lugentẽ ſolatur Dictys ait: Putas'ne Orcum tuas quicq; curare lachrymas, filiumq́; re-

D miſſurum tuum, ſi ingemiſcere uolueris? deſine. Quòd ſi uicinorũ mala ſpectaueris, tua facilius feres, præſertim ſi cogitare uolueris, & quot mortales in uinculis laborarũt, & quot liberis orbi cõſeneſcunt, eosq́; qui ex maxima atq; opulentiſsima tyrãnide ad nihilũ rediguntur: hæc te cõſiderare oportet. Iubet enim ipſam animo uolutare, qui nã minori, quiq́; maiori infortunio agitentũ, quò ſuum facilius ferat. Huc illud quoq; Socratis dictũ meritò quis traheret, quo cenſebat oportere ut infelicitates in cõmune conferrentũ, ut unuſquiſq; ex æquo partiretũ: futurũ autẽ, ut plures ſuas libenter capientes diſcederẽt. Vſus eſt huiuſmodi inductione & Antimachus poëta. Lyde enim uxore ſua defuncta, quã uehementer diligebat, doloris ſolamen ſibi fecit elegiam Lyden denominatã. Nam cùm heroicas calamitates recenſuiſſet, alienis malis ſuũ ſibi minorẽ reddidit dolorẽ: ut maximè cõſtet, eum longè minorẽ mœrentis reddere opinionẽ, efficereq́; ut ſibi perſuadeat, quod ſibi accidit, multò eſſe minus, quàm quantũ arbitratur, ſi quis dolore affectũ ſolari cupiens, ex aliorũ euentis cõmune eſſe multorum, quod accidit, oſtenderit. Aeſchylus autem eos belle increpare uidetur, qui mortem malum eſſe opinantur, ſic dicens: Quàm iniquè mortem odio proſequuntur mortales, quippe quæ maxima multorum eſt malorum medela. Hunc imitatus eſt & qui dixit: O mors Pæan, medicus accedas: portus enim proculdubio Orcus eſt per terrarũ orbem. Magnum enim eſt, more eius qui rudente ſe à tempeſtate tuetur, audenter dixiſſe: Quis autem ſeruus eſt, moriendi ſine curis exiſtens? Et: Orcum habens adiutorem, non metuo umbras. Nam quæ ſpectant ad mortem, nunquid quum nobis ualde aſſueta & ingenita ſint, rurſus neſcio quo pacto difficilem afferre dolorem uidentur? Nam quid mirum ſi fiſsile fiſſum eſt: ſi quod liqueſcere poteſt, delicuit: ſi quod exuri poteſt, combuſtum eſt: ſi corruptibile, corruptum? Quando enim in nobis ipſis non eſt mors? & ut inquit Heracletus, idem uiuens & mortuus, uigilans & dormiens, nouum & uetus: quæ enim cecidere, illa ſunt: & illa rurſus quæ cecidere, hæc. Nam ut ex eodem luto poteſt quiſpiam animalia fingens confundere, & rurſus fingere ac confundere, atque hoc uiciſsim inceſſanter facere: ſic & natura ex eadem materia iandiu quidem noſtros ædidit auos, & continuò poſt eos genuit parentes, mox nos, deinde alios ad alios circulari quodam modo producet, & hic naſcendi fluuius perpetuò fluens nunquam quieſcet, & rurſus qui huic opponitur, moriendi, ſiue Acheron à poëtis, ſiue Cocytus appellatus. Prima igitur cauſa quæ Solis lucem nobis oſtendit, eadem & tenebricoſum ducit orcum. Et

nunquid

A nunquid huiuſce rei eſſet imago, qui circa nos eſt aër, diem & noctem per uices faciens, ui
tæ ac mortis, ſomniꝗ ac uigiliæ inductiones? Quocirca noſtrum hoc uiuere, fatale quod-
dam debitum eſſe dicitur, utpote reddendum, à proauis noſtris mutuo acceptũ, quod faci
lè ac citra gemitũ reſtituendum eſt, cùm à quo accepimus, exigitur: hoc enim pacto uide-
ri gratiſsimi poterimus. Exiſtimo autẽ naturam ipſam, cùm tantam uitæ breuitatẽ nullo
ordine uidiſſet, ut mortis terminus latêret, uoluiſſe: hoc em̃ fuit melius. Nam ſi præuidiſſe
mus, nõnulli mœrorib. contabuiſſent, & ante mortẽ deceſsiſſent. Aduerte autẽ uitam ip-
ſam cùm doloribus refertã, tum multis ſolicitudinib. exhauſtã, quas ſi recenſere uellemus,
uehementer ipſam condemnaremus, & quæ apud quoſdã obtinuit ueram opinionẽ red-
deremus, quòd ſcilicet longè ſit melius mori, ꝙ uiuere. Itaꝗ Simonides, Hominũ, inquit,
modicæ quidẽ uires, inanes uerò curæ, uitæꝗ breui labor ſupra laborẽ, & mors crudelis
atꝗ ineuitabilis imminet. Illius enim æqualẽ ſortiti ſunt portionẽ & boni, & quicunꝗ eſt
malus. At Pindarus, Vnum, inquit, ad bonum, duobus ſimul detrimentis ueſcũtur morta
les, immortalesꝗ manere nequeunt, inepti ad modeſtè ferendum. Sophocles: Tu quòd
uir mortalis perierit, ingemiſcis, cùm tibi incertum ſit, an quod futurum eſt, quicꝗ lucri
afferat. At Euripides: Cuiuſmodi mortalia naturã habeãt noſti n? Non utiꝗ, ut puto. Vn-
denam? Quare audi me: omnibus eſt hominib. moriendũ, nec inter eos quiſpiã eſt, qui u-
trum ſit cras uicturus, nouerit: neꝗ enim exploratum eſt, quô fortuna tendet. Huiuſmodi
autem exiſtente hominũ uita, cuiuſmodi hi aſſerunt, cur nõ potius eos beatos ducere con
uenit, qui ea quæ in ipſa uita eſt ſeruitute ſoluti ſunt, quàm miſerari ac lugere? quod multi
per ignorantiã faciunt. Socrates ſimilem eſſe mortem dicebat, aut profundiſsimo ſomno, *Mors quibus aſſimiletur.*
aut peregrinationi longæ ac diuturnæ, aut cuidam corporis atque animi interitui: propte
reaꝗ nihil mali eſſe in morte. Singula ſic percurrens oſtendebat: Si enim ſomnus eſt ali-
quis mors, & dormientibus nullum eſt malum, conſtat ne mortuis quidem ullum eſſe ma
lum. Atꝗ quòd ſuauiſsimus ſit ſomnus profundiſsimus, quid opus eſt dicere? cunctis e-
nim hoc exploratum eſt. Teſtatur & Homerus de ipſo ſomno dicens: Profundus dulciſsi
B mus morti aſsimilatus. Multis autẽ in locis & hæc dicit: Ibi ſomno occurrerunt mortis fra
tri: ſomno & morti gemellis: facie atꝗ aſpectu, eorum ſimilitudinẽ indicans. Gemella e-
nim ſimilitudinem maximè oſtendunt. Eſt rurſus ubi dicit mortem eſſe æneum ſomnum,
nullum eſſe in morte ſenſum nos docere conatus. Non incongruè definiſſe uidetur & qui
dixit ſomnum parua eſſe mortis myſteria: ſomnus enim certa eſt mortis præmeditatio.
Oppidò autem quàm ſapienter & Cynicus Diogenes ſomno deditus, uitamꝗ relicturus,
excitanti ipſum medico, & num moleſtiæ quicquam ipſi ineſſet percontanti: Nihil, re-
ſpondit, moleſtiæ mihi ineſt, fratrem enim frater præuenit, ſomnus uidelicet mortem.

Quòd ſi peregrinationi aſsimiletur mors, ne ſic quidem malum eſt: nunquid autem è
contrario bonum? nam corpori inſeruire, atque ipſius affectibus degere, ex quibus auul-
ſa mens mortalibus adimpletur nugis, felix' ne quid, ac beatum? Immenſa nanque nobis,
inquit Plato, ob neceſſariũ alimentũ præbet negocia corpus. Pręterea ſi qui morbi incide
rint, ne perſpiciamus ut ſeſe res habẽt, impedimento ſunt, ſed amoribus & cupiditatibus,
terroribusꝗ ac uarijs imaginibus fatuitatibusꝗ nos refertos reddunt, ut quod planè dici
ſolet, nihil omnino nobis ab ipſo corpore ſapere cõtingat: neꝗ enim quicꝗ aliud præter
bella & ſeditiones pugnasꝗ corpus cõtinet, & quæ ab ipſo proueniũt cupiditates. Nam
propter pecuniarũ poſſeſsionẽ omnia excitantur bella: pecunias autẽ corporis cauſa cogi
mur cõparare, huius obſequijs inſeruientes, & ex hoc nullum ob hæc omnia philoſophiæ
ocium datur. Quod autem omniũ eſt poſtremũ, ſi quid nobis ab ipſo ocij fuerit, conuerta
murꝗ ad id cõſiderandũ quod ubiꝗ in quæſtiones incidit, tumultũ nobis ac perturbatio-
nem præbet, & uſqueadeo percellit, ut uerũ cernere nequeamus. Quare re ipſa nobis indi
catum eſt, carendũ eſſe corpore, animoꝗ ipſo res ſpectandas, ſi quid unꝗ liquidò ac ſyn-
cerè cognituri ſimus: & tunc, ut uidetur, nobis erit quod exoptamus, & quod dicimus, di-
ligere: nam poſt mortẽ aderit prudentia, ut ratio indicat, quæ uiuentibus nulla eſt. Si autẽ
fieri non poteſt ut cum corpore quicꝗ dilucidè cognoſcamus, de duobus eſt alterum, aut
nuſquam ſcientiã conſequi licet, aut defunctis tantùm: tunc enim ipſe per ſe à corpore ſe-
functus erit animus, prius uerò nequaꝗ: & tantiſper dum uiuimus, hoc pacto, ut uidetur,
proximè ad ſcientiam ac rerum cognitionem accedemus, ſi cum corpore minimè uerſa-
ti fuerimus, nec quicꝗ cum eo, niſi urgente neceſſitate, cõmunicauerimus, nec huius natu
ra expleamur, ſed ab ipſo puri fuerimus, donec Deus ipſe nos abſoluerit. Itaque corporis
quidem inſipiẽtia ſyncerè liberati, ut par eſt, cum talibus erimus, per noſmetipſos omne

C ſyncerum cernentes, hoc autē eſt uerum: nec enim polluto purum attingere fas ſit. Quare
etiam ſi mors ipſa in quempiā alium traducere locum uidetur, non eſt propterea malum.
Nunquid & inter bona eſſe oſtendit, ut Plato indicauit? Quocirca oppidoq; diuinè hęc
Socrates coram iudicibus dixit: Mortem timere, ô uiri, nil aliud eſt, quàm cùm minimè
ſis, uideri ſapiens: eſt enim id uideri ſcire, quod neſcias: nam nemo nouit mortem: ipſa au-
Mors omniū bonorum maximū tem eſt homini omniū bonorū maximū. Formidant uerò ipſam, perinde ac ſi cunctorum
eſſe malorum maximum non ignorarent. His adſtipulari uidetur & qui dixit: Nemo for-
midet mortem, non modò laborum, uerùm & maximorū malorum ſolutionē. Hæc uide-
tur & numen teſtari: multos enim accepimus pietatis cauſa hoc donum à dijs conſecutos,
quorum alios quidem, ne ſupra modum oratio protrahatur, omittam, eos uerò memora-
bo qui maximè ſunt inſignes, atq; in omniū ore uerſant. Primū itaq; tibi quæ ad Cleobim
ac Bitonem adoleſcentes Argiuos pertinēt, enarrabo: aiunt enim cùm ipſorū mater Iuno
nis eſſet ſacerdos, tempusq; ut templū aſcenderet aduentaſſet, multis qui uehiculū trahe-
rent ceſſantibus, horaq; inſtante, eos currū ſubijſſe, matremq; ad Iunonis ędem aduexiſſe.
Matrem autem filiorū pietate ſummopere gauiſam precibus petijſſe, ut quod optimū ho
mini eſſet, ipſis à deo daretur: hos autē ſomno traditos nō amplius ſurrexiſſe, cùm dea, pie
tatis præmiū mortem donaſſet. Agamedem uerò ac Trophoniū, ait Pindarus, cùm tem-
plum Delphis condidiſſent, laboris mercedem ab Apolline petijſſe: eum autem ſeptimo
pòſt die, ſe ipſis redditurū pollicitum fuiſſe, & ut interea epulis uacarent præcepiſſe: qui
cùm mandatis obſecuti fuiſſent, ſeptima nocte ſomno oppreſſi, uitam finiere. Fama eſt, &
ijs qui à Bœotijs ad Apollinem miſsi fuerant, ex Pindari mandato, quid homini optimū
eſſet ſciſcitantibus, Promantim, hoc eſt, Pythiam reſpondiſſe, Quod & ipſe minimè igno
rat, ſi eorū quæ de Trophonio atq; Agamede literarū monimentis mandata ſunt, ipſe eſt
autor: quòd ſi periculum facere uult, haud multò pòſt ipſi exploratū fore. Quæ cùm audi
uiſſet Pindarus, ad obitū ſpectantia cœpit cōſiderare, nec multò pòſt deceſsit. Quæ uerò
ad Italum Euthynoum ſpectant, huiuſmodi fuiſſe autumāt. Genitū quidem ipſum Eliſio
patre Terinenſi, opibus ac gloria inter ſuos ciues primario: ſed quum ipſe nulla euidente
D morbi cauſa deceſsiſſet, ſuſpicari cœpiſſe Eliſiū (quod & alius pariter feciſſet) nunquid ue
neno eſſet ſublatus, cùm præſertim ſibi in tanta pecuniarū affluentia eſſet unicus. Ambi-
gentē itaq;, quónam pacto huiuſce rei periculū faceret, Pſychomanteon adijſſe: ubi cùm
de more ſacrificaſſet, ſomno ſe tradidiſſe, atq; huiuſmodi ſpectaſſe uiſionē: exiſtimaſſe ſci-
licet patrem ſuum ad ſe acceſsiſſe, quem cùm uidiſſet, enarraſſe illi quæ ad filij animā per-
tinerent, rogaſſeq;, ut mortis autorē inueniret: ipſum autem, huius rei cauſa ad te ueni, re-
ſpondiſſe: uerùm ab hoc accipe quæ tibi adfero, ex ijs enim ea omnia percipies, à quibus
ſolicitudine afficeris. Fuiſſe autē quem ſignificabat, adoleſcentulum ipſum ſequentē, qui
ſuum ſibi filiū uſquequaq; referebat. Percontatū itaq; fuiſſe, quiſnā eſſet, ipſumq; reſpon
diſſe, Dæmon tui filij, ſtatimq; literulas porrexiſſe: quibus apertis, hęc tria inerant ſcripta:
Perſcrutabaris ſtulte Eliſi uirorum mentes, Euthynous iacet fatali leto, nam ne parenti-
bus quidem conferebat ut uiueret. Sic itaq; tibi ſe habent, quæ à ueteribus literarū moni-
mentis mandata ſunt. Quòd ſi mors penitus eſt interitus, corporiſq; atq; animi ſolutio,
(hoc enim Socraticę ſimilitudinis tertium erat) ne ſic quidē malum eſt mors: nullus eſt e-
nim in ipſa ſenſus, quinimò omnis eſt doloris ac ſolicitudinis liberatio. Nam ut nihil boni
nobis ineſt, ita nihil mali: haud ſecus enim bonum ac malum circa id quod exiſtit ac ſubſi
ſtit, fieri ſolet: ei uerò quod è medio ſublatū ſit, horum neutrum ineſſe poteſt: eodem itaq;
ſtatu defuncti conſiſtunt, quo fuerant priuſquàm naſcerentur. Vt igitur nobis antequàm
naſceremur, nec boni nec mali quicquā erat, ita ne poſt mortem quidem. Et quemadmo-
dum quæ ante nos erant, nihil ad nos pertinebant, ſic quæ poſt nos erunt, noſtra nihil in-
tererunt: dolor etenim non attingit defunctum. Idem enim dico eſſe mori, ac ſi nunq; na-
tus eſſes: quando quidē idem eſt circa obitum ſtatus, qui priuſq; oriremur fuit. Quare pu-
tas'ne intereſſe nō naſci, uel natum occidere? niſi & domus & ueſtis noſtræ poſt perniciē
ac corruptionē aliquid eſſe diſcriminis ſuſpicaris, ab eo quod erant priuſquàm perficeren
tur. Quòd ſi in ijs nihil omnino eſt, conſtat ne in morte quidem, ſi ad eum qui ante ortum
Variæ nonnullorū de morte ſententiæ. fuerat, ſtatum reſpexeris, ullam eſſe differentiam. Scitum eſt enim illud Archelai: Hoc, in
quit, quod malum dicitur mors, ſolum ex ijs quę putantur mala, pręſens quidem neminē
unquam dolore afficit, abſens uerò atque expectatum, mœrorem affert. Nam procul-
dubio nonnulli propter imbecillitatem, & eam quæ morti infertur calumniam, ne mo-
riantur, obeunt. Pulchrè igitur Epicharmus: Concretus, inquit, eſt ac diſcretus, & rurſus
abijt

A abijt unde uenerat, terra quidem in terram, ſpiritus ad ſupera. Quid horum graue, ac diffi
cile? nihil. Creſphontes uerò apud Euripidem de Hercule loquens: Si, inquit, ſub ima ha
bitat tellure inter eos qui nō amplius ſunt, nihil utiq; poterit. Hoc mutans dicere poteris:
Si ſub inferna habitat tellure inter eos qui deceſſere, nihil utique patietꝰ. Nobile eſt & La-
conicum illud: Nunc nos, antea alij uigebant, mox alij, quorū nos genus non amplius cer
nemus. Et rurſus: Hi autem obierunt, nec uiuere, nec mori honeſtum reputantes, uerùm
utraque hæc honeſtè finire. Valde pulchrè & Euripides de ijs qui diuturnas patiuntur æ-
gritudines, ait: Odi quicunq; uitam cupiunt producere eſculentis ac poculentis, necnon
& magicis artibus perennem abducentes fluxum, ne moriantur, quos oportebat cùm ni-
hil proſint terrarum orbi, interire, & à iuuenum conſpectu abeſſe. At Merope uiriles ſer-
mones proferens mouet theatra, talia dicens: Deceſſerunt mihi liberi nō uni mortalium,
nec uiro ſolæ priuatæ ſumus, uerùm innumeræ eandem quam ego exegerunt uitam. His
meritò quiſpiam hęc adderet: Vbinā ueneranda illa? Vbi magnus Lydię rex Crœſus, aut
Xerxes, qui grauem Helleſpontici maris ceruicem iunxit ponte? Omnes Plutonem atq;
obliuionis domos adierunt, pecunijs unà cum corporibus abſumptis. At per Iouem mul
tos ad luctus ac fletus immatura mors excitat, uerùm & hæc tam facili indiget cōſolatio-
ne, ut à poëtarum obuio quoq; excogitatam conſequi ualeas. Nam uide quid de hac Co-
micorum quidam ei dicat, qui intempeſtiuam ægrè ferebat mortem: Poſtea ſi utiq; noſ-
ſes uitam, quam non uixit, feliciter uicturum, mors minimè opportuna: ſin autem incura
bile aliquid attuliſſet uita, te fortaſſe beneuolentior ipſa extitit. Cùm autem minimè con-
ſtet utrum uita decedens, & maioribus ſolutus malis, & ex cōmodo ſuo quieuerit, an nō,
oportet non perinde ægrè ferre, ac ſi ea omnia amiſiſſemus, quæ ab illa nos conſequutu-
ros opinati ſumus. Haud enim ineptè qui apud poëtam eſt Amphiaraus, Archemori ma
trem ſolari uideri poſſet, quòd infans filius, & oppidoq; immaturus uitam finiſſet: ſic ete-
nim ait: Mortalium eſt nemo in lucem æditus, qui nō affligatur, & ſepulturæ mandet libe
ros, & alius nouos rurſus acquirat, ipſeq; mortem appetat: & ob hæc triſtantur mortales,
telluri inferentes. Hanc autem neceſſe haud ſecus uitam ac frugiferam metere ſpicam, &
hunc quidem eſſe, illum uerò minimè. Quid opus eſt hæc ingemiſcere, quæ ut ſecundùm
B naturam pertranſeant oportet? nam quod neceſſariò contingit, ægrè non eſt mortalibus
ferendum. In ſumma, unumquenq; & ſecum conſiderare oportet, & alijs diligenter per-
currere, non longiſsimam uitam, ſed uirtute præditam eſſe optimam. Neq; enim qui plu- *Vita optima*
rima ad citharam cecinit, quiq; rhetorū more dixit, uel nauis clauum rexit, ſed qui bene, *que.*
laude afficitur. Bonum enim nō in temporis diuturnitate, uerùm in uirtute, opportunaq;
concinnitate ponendum eſt. Hoc etenim felix ac dijs gratum eſſe exiſtimatur. Propterea
igitur heroum præſtantiſsimos, & à dijs genitos, priuſquàm ſeneſcerent, uitam reliquiſſe
poëtæ nobis tradidere: neque enim ille, quem ægida geſtans Iupiter ex corde diligit, om
niq; beneuolentia proſequitur Apollo, ad ſenectæ limen peruenit. Opportunum enim
tempus longæuæ ætati ubiq; præſtare uidemus. Nam ut inter plantas optimæ habentur,
quæ modico temporis interuallo plurimos ferunt fructus: ita inter animantes, à quibus
multam, quæ uitæ interſit, conſequimur utilitatem. Multū itaq; temporis, aut parum, mi-
nimè referre uidetur, ſi ad infinitum reſpexeris ſeculum: mille enim, ut Simonidi placet,
ac decem annorum millia punctus eſt quidam indeterminatus, quinimò breuiſsima quæ
dam puncti portio. Nam & animalibus illis, quæ, ut ab hiſtorijs percipimus, iuxta Pontū
genita, unū degunt diem, manè orientia, meridie uigentia, ueſperi ſeneſcētia atq; obeun
tia, ſi humanus animus ac ratio ſingulis daretur, noſter hic affectus ineſſet, eademq; utiq;
contingerent, ut quæ ante meridiem deceſsiſſent, luctum ac lachrymas præberent, quæ
uerò integrū uixiſſent diem, penitus felicia haberentur: modus enim uitæ, non temporis
prolixitas, bonū appellandum eſt. Inanes, multæq; fatuitatis huiuſmodi eſſe exclamatio-
nes exiſtimandum eſt: At non oportebat iuuenem exiſtentē rapi. Quiſnam diceret, quòd
oportebat? Multa autem & alia, in quibus diceret quiſpiam, minimè fieri oportebat, facta
ſunt, & nunc quoq; fiunt, ac ſæpenumero fient: neq; enim condituri ad uitam leges adſu-
mus, ſed à dijs cōſtitutis, qui omnia moderanꝰ, fatiq; ac prouidentiæ legibus obſecuturi.

Quid autem, qui ſic mortuos lugent, ſui ne ipſorum cauſa lugent, an eorum qui deceſ-
ſerunt? Si ſui ipſorū cauſa, quòd aliqua in ſe ab ijs qui mortui ſunt proficiſcēte uoluptate,
aut uſu, aut ſenili educatione priuati ſint, ſeipſum amans doloris eſt prætextus: neq; enim
illos, ſed ſuas ipſorum utilitates lugere uidebuntur. Sin autem defunctorū cauſa lugent,
quum conſtituerint in nullo eos uerſari malo, omni ſoluentur dolore, ueteri ac ſapiente

C adducti ratione, quæ admonet, ut bona quidem quammaxima efficiamus, mala uerò con
trahamus ac comprimamus. Quòd ſi luctus bonus eſt, quamplurimum ipſum efficere, ac
maximum decet: ſin uerò, ut ueritas haber, malum eſſe fatemur, eundem contrahere, &
quãminimum reddere, ac pro uiribus delere oportet. Quòd autem hoc ſit facilè, ex huiuſ
modi conſtat cõſolatione. Aiunt enim ex uetuſtis philoſophis quendã ad Arſinoën regi
Fabula de Luctu. nam, quæ filium lugebat, profectum, huiuſmodi habuiſſe orationem. Quo tempore Iupi
ter honores dæmonibus partiebat, accidit ut Luctus non adeſſet, ſed iam diſtributis acce
deret. Verùm cùm & ipſe à Ioue peteret, ut aliquis ſibi quoq; honos daretur, ambigens Iu
piter quo ipſum honore afficeret, omnibus iam abſumptis, eo randem quo defunctos pro
ſequimur donauit honore, lachrymis ſcilicet ac doloribus. Quẽadmodũ igitur cæteri dæ
mones eos ſummopere diligũt, à quibus colunt: eodem pacto & Luctus, ô mulier, ſi eum
ſpreueris, ad te nunq; accedet: ſin autẽ à te fuerit diligenter honoratus, ijs quos aſſecutus
eſt honoribus, doloribus uidelicet atque eiulatibus, te amabit, & huiuſmodi aliquid tibi
perpetuò ſuggeret, cuius cauſa à te aſsiduè colatur. Mirum itaq; in modum ſua hic oratio
ne mulieri perſuaſit, ut omnẽ luctum lachrymaſq; deponeret. In ſumma autẽ dicere quiſ
piam lugenti poſſet: Vtrum deſines aliquando angi, an perpetuò ac per totam uitã in do
lore uerſari oportere arbitraberis? Si enim in hac ſemper ægritudine permanſeris, perfe
ctam tibijpſi miſeriam, amariſsimámq; infelicitatẽ ob animi uilitatem mollitiemq; præbe
bis. Sin uerò depoſiturus es quandoq;, cur non in præſentia deponis? teq; ipſum ab infor
tunio abſtrahis? Quibus enim rationibus procedente tempore uſus te abſolues, has nunc
proponens ærumnis te libera. Nam & in his quæ corporibus accidunt morbis, præſenta
nea ac celerrima remedij uia præſtãrior. Quod igitur es tempori gratificaturus, id rarioni
atq; eruditioni elargire, teq; ipſum malis exolue. Atqui non ſperabã, inquies, me hęc paſ
ſurum, neq; expectabam. At te expectare oportebat, rerumq; humanarũ incertitudinem
ac uanitatem fuiſſe præmeditatũ: nec improuiſus nunc, ut ab hoſtibus repentè inuadenti
bus deprehenſus eſſes. Pulchrè autem qui apud Euripidem eſt Theſeus, aduerſus huiuſ
D modi ſe parare, ac munire uidetur: ait enim ille: Ego autem à ſapiente quodam edoctus,
in ſolicitudines ac calamitates coniectus ſum, exilia mihijpſi à patria mea proponens, &
immaturos obitus, malorumq; alias uias, ut ſi eorum aliquid, quę mente agitaueram, paſ
ſus eſſem, non mihi nouum atq; inopinatũ accidens magis morderet. Ignobiliores uerò,
ac minimè exercitati, ne ad ea quidem conſultanda ac proſpicienda ſe quandoq; conuer
tunt, quæ & maximè deceant, & plurimum conferant, ſed ad extremas conuertuntur mi
ſerias, in quo nulla eſt culpa, corpus ulciſcentes, & quæ haud ægrotant ſecundum A
chæum, ſimul dolere cogentes. Quocirca & Plato oppidoquàm belle admonere uidetur,
in huiuſmodi calamitatibus quieſcere, quũ quid bonum ſit, quid'ue malum minimè con
ſtet, nec quicquam lugenri in poſterum proſit. Tolli enim iuberè medio omnem dolo
rem ſuper eo quod accidit conſultando, & uti in talorum iactu ad ea quæ cecidere ſua ip
ſius diſponendo, utcumque optimè habere ratio tenet. Itaque minimè decere ſicubi offen
derimus, perinde ac pueros quod percuſſum eſt attingentes exclamare, ſed aſſuefacere
animum, ut quamcelerrimè remedium petat, quodq; cecidit atq; ægrotauit, corrigat, me
dica arte lugubrem delentes querelam. Lyciorum legumlatorẽ ſuis præcepiſſe ciuibus fe
runt, ut quoties in luctum incidiſſenr, ueſte induti muliebri lugerent, quum indicare uel
let, huiuſmodi affectum muliebrem eſſe, & haud quaq; illuſtribus uiris, liberaleſq; diſci
plinas ſibi uendicantibus congruentem. Fœmineum proculdubio & imbecille, ac mini
mè generoſum eſt lugere. Mulieres enim libentius, quàm uiri luctibus indulgent, & bar
bari quàm Græci, & quàm qui deteriores ſunt, qui præſtanriores, & inter ipſos quoq; bar
Celtæ Barbarorũ nobiliſsimi, hoc eſt, Galli & Germani. Nam ueteres Græci Germanos omnes & Gallos uocabant Celtas, ſicut Romani Gallorum uocabulo Germanos etiam complectebantur Qua res animaduerſa, multas lites diremit de regionum nominibus altercantium. baros non nobiliſsimi Celtæ ac Galatæ, cæteriq; uiriliore ſpiritu præditi, ſed potius ſi qui
Aegyptij fuerint, Syriq; ac Lydi, & quicunq; eorũ ſimiles, quorum nonnulli (ut hiſtoriæ
monimentis mandatum eſt) ſcrobes ſubeuntes, plures ibi dies immorantur, nec Solis lu
cem cernere exoptant, cùm is qui deceſſerit, ipſa priuatus ſit. Ion igitur poëta Tragicus ho
rum fatuitatis haud ignarus, quandam induxit dicentẽ: Egreſſa ſum uobis, & mecum no
ſtrorum nutrix liberorum, lugubribus relictis foueis. Barbarorum autem quidam partes
etiam corporis abſcindunt, nares ſcilicet atque aures, reliquum quoque corpus plectẽn
tes, dum ſe defunctis gratificari arbitrantur, ſi à naturali modeſtia in huiuſmodi diſceſſe
rint mœrore. At per Iouem quidã ſunt, qui nõ omniũ defunctorũ cauſa lugendũ eſſe arbi
trantur, uerùm eorũ qui immaturi rapiantur, quòd eorũ nihil aſſecuti ſint, quæ in uita re
putantur bona, utpote nuptiarum, diſciplinæ, integritatis, politiæ, magiſtratuum. Hæc

enim

A enim eſſe, quæ eos maximo afficiant dolore, qui aliquē intempeſtiuè amiſerint, quòd ſibi
præter decentē ſpem ablatus uideatur, cùm ignorent præcocem mortem, ſi hominum na-
turam reſpexeris, nihil à ſerotina differre. Nam ut propoſito ad communem patriam ne-
ceſſario, & quod recuſari non ualeat itinere, hi quidem præueniūt, alij ſequuntur, omnes
uerò ad idem proficiſcuntur: ſic cùm ad fatum tendimus, nihil amplius conſequuntur ſe-
rius profecti, quàm qui ocyus acceſſerint. Quòd ſi immatura mors malum eſt, maximè im
matura puerorum eſſet atqꝫ infantium, & adhuc magis eorum, qui nuper geniti ſunt. At
horum obitus facilè atque æquo animo ferimus: eorum uerò qui in prouectiore iam æta
te conſtituti ſunt, ægrè ac moleſtè, propter inanis ſpei figmentū, cùm iam tantorū firmam
eſſe permanſionem arbitremur. Quòd ſi uitæ humanæ tempus uigeſimo terminaretur
anno, quintum ac decimum natum annum non utique immaturum decedere arbitrare-
mur, ſed ſufficientem ætatis modum habentem: eum uerò qui præſcriptum uiginti anno-
rum numerū compleſſet, uel proximè acceſsiſſet, omnino beatum diceremus, utpote qui
felicißimam atque integerrimā peregiſſet uitam. Sin autem ducentorum eſſet annorum,
qui centum annos natus deceſsiſſet, eum penitus immaturum eſſe cenſentes, ad querelas
ac lachrymas conuerteremur. Conſtat igitur tum ex his, tum ex ſuperius prædictis, eam
quoque mortem quæ immatura dicitur, nos perquàm facilè ſolari poſſe. Minus utique
Troilus, uel Priamus ipſe lachrymaſſet, ſi uigenti adhuc imperio, & in tantis fortunis,
quas lugebat, prius mortē obijſſet. Qualia igitur ſunt quæ apud filium Hectora diſſeruit,
monens ut à prælio aduerſus Achillem recederet, in quibus ait: At ingredere mœnia fili
mi, ut Troianos ac Troianas ſerues, ne magnam Pelei filio gloriam exhibeas, tu uerò cha
ra priueris uita. Præterea me miſerum atque infelicem adhuc ſapientem miſerare, quem
pater Saturnius in ſenectutis limine triſti conſumet fato, multa cernentē mala, filios inte-
remptos, tractasqꝫ filias, & dirutos thalamos, infantesqꝫ liberos humi proſtratos in graui
prælio, & tractas nurus pernicioſis Achiuorum manibus: me autem ipſum omnium po-
ſtremum in primis foribus efferatæ ac ſeuæ canes diſtrahent, cùm quiſpiam acuto me pe-
B tens ferro, è membris abſtulerit animū. Sed cùm interempti ſenis canum caput canamqꝫ
barbam ac pudenda deturpauerint canes, hoc utique miſerabile miſeris mortalibus. Sic
fatus ſenex, canos de capite crines manibus euellebat, nec tamen Hectoris animo perſua
debat. Cùm itaque quamplurima tibi ſuper hac re exempla ſint, exiſtima multos magnis
atque arduis morte abſolui malis, quæ ſi diutius uixiſſent, omnino experti fuiſſent, quæ
ut orationis modo parcerem omiſi, his quæ dicta ſunt contentus ad perſuadendum, ne
plus quàm & natura & modus exigit, ad inanes luctus, ignobilesqꝫ ac degeneres eiulatus
ac lamentationes conuertaris. Nam ſi quis non ſponte in infortunium inciderit, non me-
diocre eſt, ut Crantor ait, aduerſus fortunam leuamen. Ego autem dicerem maximum id
eſſe indolentiæ remedium. Eum autem qui uitam cum morte commutauit, diligere atque
amare, non in eo eſt quòd doleas, ſed in eo quòd dilectum iuues. Eſt autem defunctis uti-
litas, qui per bonam memoriam exhibetur honor. Nullus enim bonus fletibus dignus,
ſed hymnis ac laudibus: neque luctu, uerùm inclyta memoria: nec dolorem inferenti-
bus lachrymis, ſed urbanis primitijs: ſi quidem defunctus ſanctiorem eſt uitam conſecu-
tus, cùm præſertim corporis ſeruitio, hiſque indomitis ſolicitudinibus ac calamitatibus
ſolutus ſit, quas neceſſe eſt, ut qui mortalem ſunt uitam ſortiti, ſuſtineant, donec deſtina-
tum uitæ curſum peregerint, quem nobis natura dedit, non in omne tempus, ſed ita ſin-
gulis diſtribuit, ut fatorum leges partitæ ſunt. Quare minimè decet, ut qui rectè ſapiunt,
plus quàm & natura & doloris animi modus exigit, ad inanes ac barbaros luctus defe-
rantur, & quod multis iam contigit, expectent, ut priuſquàm luctus expellāt, dolore ad-
huc affecti uitam finiant, & in luctuoſis ac lugubribus uerſantes, infelicißimū tumulum
conſequantur, triſtibus & à nulla ratione profectis malis unà cum ipſis ſepulturæ manda-
tis, ut Homericum illud meritò dici poſsit: Ad hos autem lugentes niger acceſsit heſpe-
rus. Quocirca ipſis ſæpenumero dicere oportet: Quidnam? deſinetis unquam dolere?
an in perpetua per totam uitam uerſabimini calamitate? Nunquam enim finiendum lu-
ctum exiſtimare, extremæ dementiæ eſt, cùm præſertim uideant eos quoque qui grauiſ-
ſimo dolore, maximoqꝫ luctu affecti fuerint, tēporis acceſſu mitiores reddi, & in quibus
monumentis uehementer cōquerebantur, flentes ac pectora plectentes, lautißimas epu
las cum Muſicis, alióque luxu conſtituere. Inſanientis igitur eſt ſic ſuſpicari, perpetuò per
manſurū luctum. Sed ſi cogitarent, quòd deſinet aliquo facto: cogitare præterea poſſent,
tēpore uidelicet aliquid faciēte. Quod enim factū eſt, ne à dijs quidē infectū fieri poteſt,

C Itaque quod nunc præter ſpem atque opinionem noſtram contigit, id indicauit, quod re
ipſa circa multos fieri conſueuit. Cur igitur id nos ratione dictante percipere haud poſſu-
mus, neque excogitare, quòd plena quidem malorum eſt terra, plenum mare, & talia mor
talibus mala malorum, circumq; fata feruntur? Inanis autem ingreſſus ne in æthera qui-
dem. A multis enim ac ſapientibus uiris, ut Crantor ait, nõ nunc, ſed iandiu deplorata ſunt
humana, pœnam arbitrantibus eſſe uitam, & primò natum eſſe hominem, calamitatem
maximã. Hoc autem, inquit Ariſtoteles, & Silenum captum Midæ indicaſſe. Sed melius
eſt ipſius philoſophi uerba apponere. Ait autem in eo uolumine quod Eudemus, ſiue de
anima inſcribitur: Omnium optime ac beatiſsime, non modo beatos & felices eſſe defun
ctos arbitramur, uerumetiam eos accuſare, ipſisq; utpote melioribus ac præſtantioribus
iam factis maledicere, impiũ exiſtimanus. Et hæc adeò uetera atq; antiqua perficere apud
nos inſtitutum eſt, ut neq; temporis initium, neq; qui primùm hæc conſtituerit, ullus om-
nino ſit qui nouerit, ſed infinitũ iam ſeculum perpetuò inſtituta ſunt. Præterea in ore ho-
minum eiſe uides, antiquo multorum annorum tempore uulgò circunferri. Quid hoc, in-
quit & ille reſpondens? Non naſci, inquam, omnium optimum: mortuum autem eſſe, lon
gè eſt melius, quàm uiuere, multisq; numen ipſum ſic teſtatum eſt. Ferunt utiq; illi Midæ
Silenum iam captum poſt uenationem percontanti ac ſciſcitanti, quidnam eſſet homini-
bus optimum, quidq; omnium maximè optabile, primùm quidem nihil uoluiſſe dicere,
ſed ſilentiũ tenuiſſe. Poſtq; uerò omnes machinatus machinas, uix ad loquendũ adegit,
ſic coactum dixiſſe: Dæmonis laborioſi, fortunæq; malignæ ephemerum, id eſt, unius di-
ei ſemen, quid me ea cogitis dicere, quæ uobis melius eſt ignorare? cùm propriorum nan
que malorum ignorantia lætior ac iucundior eſt uita. Naſci autem hominibus, non omni-
um omnino optimum, nec optimæ eſt particeps naturæ: optimũ eſt enim omnibus non
naſci. Quod tamen poſt hoc aliorum omnium eſt potiſsimũ ac factu facilè, ſed ſecundum,
hoc eſt ſcilicet, genitos q̃ celerrimè interire. Conſtat igitur Silenũ his uerbis indicaſſe, lon
gè eſſe homini melius mortem obire, quàm uitam agere. Infinita autem huiuſmodi ad hoc
caput ſpectantia addere quiſpiam poſſet, uerùm prolixa minimè neceſſe eſt uti oratione.
Itaq; haudquaq; oportet, ut qui iuuenes deceſſere, eos luctu proſequamur, quòd his quæ
D in diuturna uita exiſtimantur bona, priuati fuerint: hoc enim in obſcuro latet, ut ſæpenu-
mero diximus, ſiue ſint bonis, ſiue malis priuati. Multò enim plura ſunt mala: & illa qui-
dem ægrè, multisq; curis ac ſolicitudinibus, mala uerò oppidoquàm facilè nobis compa-
ramus. Rotunda enim hæc eſſe autumant, atq; orbiculata & contigua, multisq; de cauſis
inuicem collata: bona uerò diſciſſa ac diſiecta, nec facilè circa ipſos uitæ terminos coëun-
tia. Obliuiſcentium igitur ſimiles ſumus: Neque enim ſolùm, ut inquit Euripides, pecu-
nias minimè peculiares poſsidẽt mortales, uerùm & cætera omnia. Quocirca in omnibus
dicere oportet, Nos deorum res habentes, eas curamus: cùm autem uelint, ipſas rurſus au
ferent. Itaque minimè ægrè ferre decet, ſi quæ nobis ad breue tempus mutuò dedere, ea-
dem exigant. Neque enim trapezitæ, quum ab ipſis, ut ſæpe dicere conſueuimus, depoſi-
tum repetimus, redditionis cauſa indignantur, ſi quidẽ grati ac beneuoli fuerint. Aduer-
ſus enim eos qui nõ facilè reddunt, meritò quiſpiã diceret: Mandaſti ne obliuioni, te pro
pterea hæc accepiſſe, ut redderes? Hoc itaq; omnibus cõtigit mortalibus. Habemus enim
uitam, uelut neceſſarium deorum depoſitum, & huius redditionis nullum eſt determina-
tum tempus, ut ne numularijs quidem depoſiti. Sed minimè conſtat, quando qui dedit, re
petet. Qui igitur uel ipſe moriturus, uel liberis defunctis ſupra modum indignatur ac con
queritur, quomodo non manifeſtò oblitus eſt, & ſeipſum hominem eſſe, & liberos mor-
tales genuiſſe? Neque enim eſt hominis mentem habentis ignorare, hominem animal eſ-
ſe mortale, proptereaq; genitũ ut moriatur. Itaque ſi Niobe, ſecundũ fabulas, hanc prom-
ptam habuiſſet opinionem, quòd uita nõ perpetuò uirente, liberorũ germinibus onuſta
dulcem cernens lucem morietur, non utique adeò moleſtè tuliſſet, ut calamitatis magni-
tudine uitam relinquere uoluerit, deosq; inuocare, ut ad ſæuiſſimam ac grauiſsimam per-
niciem ipſa quoque raperetur. Duo ſunt ex Delphicis literis maximè ad uitã neceſſaria:
Cognoſce teipſum: ac, Nihil nimis: ex ijs enim reliqua pendent omnia. Hæc autem ſunt
inuicem conſona atque concinna, & utrunq; altero uidetur potentia ipſa ſignificari. Nam
& in eo quod eſt, Cognoſce teipſum, comprehenditur, Nihil nimis: & in hoc, Cognoſce
teipſum. Quare & ſuper his ſic inquit Ion: Cognoſce teipſum, hoc uerbum quidem haud
magnum, re uerò quantum deorum ſolus nouit Iupiter. At Pindarus: Egregiè, inquit, ſa-
pientes, Nihil nimis, uerbũ laudarunt. Hæc itaq; præcepta, ut Apollinis oracula quiſpiam
cogitatione

Humana uita à multis deplorata.

Duo ſymbola Delphica, ad uitam maximè neceſſaria.

A cogitatione complectens, ad omnes uitæ perturbationes ſe facilè accommodare ac concinnare poterit, eaſq; prudenter ferre, cùm ſuam ipſius naturam reſpiciens, tum uel maximè, ne plus quàm conueniat in his quæ accidunt, aut ad iactantiam extollatur aut deprimatur, & ad miſeriam planctuſq; proſternatur, propter fortunæ aut animi imbecillitatē, & nobis ingenitum mortis timorem, eorum ignorantiæ cauſa, quæ in uita accidere conſueuerūt, pro neceſsitatis, aut fati ſorte. Bene autem Pythagorici exhortati ſunt dicentes: Quot diuina ſorte mortales habēt dolores, horum quancunq; ſortitus fueris portionem, ipſam patere, neque indigneris. Et Tragicus Aeſchylus: Virorum enim eſt uirtute prædítorum ac ſapientum, in aduerſis rebus minimè iraſci dijs. Et Euripides: Quicunque mortalium neceſsitati ceſsit, ſapiens apud nos, & diuina nouit. Et in alio loco: Quicquid autē acciderit, quicunq; mortalium æquo animo fert, optimus ac modeſtiſsimus mihi eſſe uidetur. Multi uerò omnia criminantur, & quæcunque ſibi præter ſpem contigerunt, ex fortunæ & dæmonum uiolentia fieri arbitrantur: quocirca in omnibus conqueruntur ingemiſcentes, & ſuum ipſorum infortuniū accuſantes. Aduerſus quos dicere quiſpiam poſſet: Deus non tibi eſt nocumento, ſed tu ipſe tibijpſi, & quæ ex imperitia proficiſcitur ſtultitia ac dementia. Et ob hanc deceptam falſamq; exiſtimationem in omnibus mortem inſimulant. Si quis enim peregrè profectus deceſſerit, ingemiſcentes dicunt: Infelix, neque enim huic pater ac ueneranda mater oculos claudēt. Sin uerò in propria patria coram parentibus, lugent ut è manibus ereptum, & propterea dolorem ipſis relinquentem. Quòd ſi mutus, nullaq; de re quicquam locutus obierit, flentes dicunt: Nullum mihi prudens dixiſti uerbū, cuius perpetuò poſſem meminiſſe. Sin autem aliquid fuerit locutus, hoc continuè in promptu habēt, utpote doloris incendium. Si citò obierit, conqueruntur, raptus eſt, dictitantes. Sin ſerò, accuſant quòd tabeſcens atq; afflictus deceſſerit. Omnis prætextus ad luctus ac dolores excitandos ſatis eſſe uidetur. Hæc autē mouerunt poëtæ, & horum maximè primus Homerus, dicens: Haud ſecus ac pater filij ſui ſponſi oſſa comburēs luget, qui defunctus miſeros dolore affecit parentes, infandúmque genitoribus fletum ac luctum præbuit, cùm maximè nondum conſtet, an meritò lugeatur. Sed uide quod ſequi-
B tur: Solus, unicus in multis opibus. Quis enim nouit, an deus patris more prouidens, generiſq; humani curam ſuſpiciēs, proſpiciēs quæ uentura erant, acerbos & immaturos adhuc quoſdam de uita abducat? Vnde nihil euitabile putandum eſt eos pati. Nihil enim graue eſt mortalibus, quod ſit neceſſarium, nec ſi quæ ſecundùm præcedentem rationem ac conſequentiam quandam contingunt. Et quia plurimi obitus alias maiores moleſtias ac difficultates præueniunt, & quia his ne naſci quidem conferebat, his uerò naſci pariter atque interire, alijs paululum progreſſis, nonnullis uigentibus, hi utique omnes obitus æquo ſunt animo ferendi, cùm fatum minimè declinari poſſe non ignoremus. Eruditorū autem eſt hominum pręoccupare, eò quòd breui tempore præoccuparunt nos, hi qui immaturi uita priuati uidentur. Etenim longiſsima uita breuis eſt, ac fermè punctus, ſi ad infinitum ſeculum comparetur: & quòd eorum nonnulli qui diutius luxerunt, haud multò pòſt quos luxerant aſſecuti ſunt, cùm nihil utilitatis ſibi ex luctu uendicauerint, ſed temerè potius ſeipſos moleſtijs affecerint. Breuiſsimo autē exiſtente manſionis in uita tempore, nō ſqualidis mœroribus, neque infeliciſsimo luctu abſumi atque affligi decet, noſmetipſos doloribus ac corporis uerberibus protrahentes, ſed in melius atque humanius mutare nitentes, ſtudenteſq; eos conuenire, non qui adulatione quadā ſimul mœrentes luctus excitent, ſed qui nobili ac graui conſolatione dolores auferant, hoc Homericū audientes, atque in memoria habentes uerbū, quod Hector Andromachæ, cùm ipſam conſolari cuperet, ſic dixit: Miſera, ne mihi uehementer angas animū, neque enim quiſquam me uir præter fatum ad inferos mittet. Fatum autem uirorum neminē, cùm timidum, tum ſtrenuum, effugere aſſero, ut primùm in lucem æditus fuerit. Hoc autem fatum alibi poëta ait, Genito neuit ſtamē, cùm ipſum peperit mater. Hæc ſi mente cōceperimus, futili atque inani ſoluemur luctu, cùm præſertim reliquum uitæ tempus breue omnino ſit futurum. Studendum eſt igitur, ut hoc lætum, luctuoſiſq; mœroribus minimè perturbatum degamus, luctus inſignia omittentes, corporiſq;, & eorum qui nobiſcum uiuunt, ſalutis aſsiduam ſuſcipientes curam. Pulchrum eſt præterea eorum meminiſſe ſermonum, quibus, ut par erat, apud cognatos aut amicos pari calamitate affectos uſi quandoque fuerimus, ſolantes ac ſuadentes, communes uitæ caſus communiter ferre, & humanos humanè: & non alijs quidē ad indolentiā poſſe auxiliari, nobis autem ipſis horum memoriam nulli eſſe utilitati, neq; medicis orationis remedijs animi ſolicitudinē curare: quādoquidē

Nihil graue, quod neceſſarium.

C omnium potius quàm indolentiæ dilationē facere oportet. Atqui in quacunq; re dilato-
rem cum detrimentis luctari aiunt, quod inter omnes uulgatū eſt uerbum. Multò autē, ut
puto, magis, ſi quis triſtes animi affectus, & in futurum tempus occurſu pernicioſos pro-
traxerit. Reſpiciendū eſt etiam in eos, qui generoſo atq; elato animo filiorū obitus placi-
dè ſuſtinuere, Anaxagorā inquam Clazomeniū, & Demoſthenē Athenienſem, & Syra-
cuſanum Dionem, & Antigonum regem, frequentesq; alios cùm ueteres, tum recentio-
res. Ex his enim Anaxagorā accepimus philoſophantē, ut aiūt, atq; inter amicos diſſeren
tem, cùm à nuncio quodam filij mortem audiuiſſet, paululum ſe continuiſſe, hisq; qui ad-
erant dixiſſe: Noueram me mortalem genuiſſe. Periclem uerò, qui ob orationis ac pru-
dentiæ eximiam uim Olympius quoque appellatus eſt, quum utrunque filium, Paralum
uidelicer ac Xantippum (ut Protagoras ait) uitam cum morte cōmutaſſe accepiſſet, ita &
ipſum fuiſſe locutum tradunt. Filijs enim adoleſcentibus ac formoſis octo dierum inter-
uallo uita defunctis, citra luctum ſuſtinuit. Tranquillitate nanq; animi, ac ſerenitate per-
fuſus erat, quæ ſibi per ſingulos dies ad felicitatem atq; indolentiam, necnon & in multis
gloriam plurimum contulit. Nam unuſquiſque proprios forti animo luctus ipſum feren-
tem intuens, magnanimū ac fortem eſſe exiſtimabat, ſeq; ipſo præſtantiorē, quum ſuam
ipſius in huiuſmodi rebus conſilij inopiam optimè teneret. Hunc enim ſtatim poſt utri-
uſque filij obitus nuncium, nihil minus corona patrio more inſignitum, candidaq; ueſte
indutum concionari intuebantur, conſilia excogitantē bona, ipſosq; Athenienſes ad bel
lum exhortantem. At Xenophontē Socraticum, quum ſacra quondam faciens, à nuncijs
ex bello profectis, filium nomine Gryllum dimicantē uitam finiſſe audiuiſſet, coronam ſi
bi primum detraxiſſe accepimus: percontatū deinde quonam pacto perijſſet, quum ſtre-
nuè dimicando, hoſtiumq; quāplurimos occidendo retuliſſent, aliquantulum temporis
commoratum, dum cogitatione luctum cohiberet, coronam rurſus impoſuiſſe, inchoa-
tumq; peregiſſe ſacrificium, ac nuncijs dixiſſe: Deos precatus ſum ut mihi filius non mor
talis ac longæuus eſſet: neque enim conſtat, utrum tale quid conferat: ſed qui & ſtrenuus
eſſet, & patriam diligeret: quod utique factum eſt. Dionem uerò Syracuſanū cum amicis
D ſedentem, magnæq; uocis tumultu circa ædes excitato, cùm rei cauſam percōtatus, filium
de tecto delapſum mortem obijſſe audiuiſſet, nihil perturbatū ac perculſum defuncti qui
dem corpus ad legitimā ſepulturā mulieribus ut traderent iuſsiſſe, ipſum uerò quæ conſi-
derabat, & cum amicis deliberabat, minimè reliquiſſe. Hunc Demoſthenes rhetor dicitur
æmulatus, quū unicā ac ſibi chariſsimā filiam amiſiſſet: de qua Aeſchines accuſare ipſum
ratus, hæc inquit: Septimū autē diem defuncta ſibi filia, priuſq; lugeret, ac lege conſtituta
perageret, coronatus candidaq; ueſte indutus, bouem immolabat, legemq; trāſgredieba-
tur, cùm unicā miſer, & quæ prima ipſum patrē ſalutauerat, perdidiſſet. Hic autē cùm rhe-
torico more ipſum criminari propoſuiſſet, hæc percurrit, dum ignoraret ad Demoſthenis
laudem pertinere, qui luctum abiecerit, patriæq; charitatem cōmunibus neceſſariorū affe
ctibus præferendam oſtenderit. Antigonum præterea regem ferunt, cùm Alcyonei filij
in acie obitum intellexiſſet, magno atq; elato animo in eos qui ſibi calamitatem nuncia-
uerant reſpexiſſe: cumq; paulùm ſe continuiſſet, ac ſubtriſtis fuiſſet, dixiſſe: O Alcyoneu,
ſerius mortē cum uita cōmutaſti, ſic conſtanter in hoſtes irruens, & nec tuijpſius ſalutem,
nec mea plurimi faciens monita. Horum utique uirorum animi elationem ſuſpiciunt qui-
dem omnes atque admirantur, ſed ob eam quæ ab inſcitia proficiſcitur animi imbecillita-
tem, eos re ipſa imitari nequeunt. Quum autem multa exiſtant eorum exempla ab hiſto-
ria tam Græca, quàm Romana nobis tradita, qui in neceſſariorū obitu egregiè ſe atq; ho-
neſtè geſſerunt, ſatis tamen erunt quæ memorauimus, cùm ad omnem acerbiſsimū ac tri-
ſtiſsimum deponendum luctum, tum ad eos qui in ipſo ſunt, nulla in re utiles atq; inanes
ſedandos dolores. Nam quòd qui uirtutibus pręſtiterūt, ut dijs chari iuuenes deceſſerint,
& iam ſuperiore expoſui ratione, & nunc quam breuiſsimè fieri poterit, percurrere cona
bor, hoc pulchrè à Menandro dictum atteſtatus: Quem diligunt dij, iuuenis moritur. Cæ
terùm tu fortaſsis, Apolloni amiciſsime, diceres, adoleſcentē Apolloniū uehemēter fuiſ-
ſe Parcis obnoxium, teq; uita defunctum ab illo in ætate integra conſtituto, ſepulturæ
mandari oportuiſſe: hoc enim eſſe ſecundum noſtram uidelicet atq; humanam naturam,
ſed haud ſecundum uniuerſi prouidentiam, mundiq; conſtitutionem. Illi autem beato
diuturniore in hac uita tempore permanere haudquaquā licebat, quàm quod ei tributū
fuerat: uerùm cùm hoc compoſitè ac conſtanter expleſſet, ad fatū reuerti, ipſo ad ſeipſum
uocante. At immaturè uitam finiuit. Ob hoc igitur felicior eſt, ac malorum expers. Vita
enim,

A enim,ut Euripides ait,nomen habet,re ipſa labor. Hic autẽ in florentiſsima cõſtitutus æta
te præceſsit,integer,cœlebs, circumſpectus, & ab his quorũ conſuetudine utebatur inter
beatos adnumeratus, parentum ac familiarium ſtudioſus,& philoſophus,& ut omnia ſi-
mul complectar,humanus: ex amicis quidem ſeniores æquè ac patres ueneratione proſe
quens,coætaneos uerò,& quibus familiariſsimè utebatur, diligẽs:his prætereà à quibus
inſtituebatur honorificus,externis atque ciuibus mitiſsimus,necnõ & omnibus placidus
atque amicus, cùm ob indolis uenuſtatẽ, tum uel maximè ob affabilem humanitatẽ. At-
tamen ille quidem & tuæ & ſuæ ipſius pietatis decentem conſequutus laudem, in perpe-
tuum tempus perinde atq; ex cõuiuio ab hac mortali deceſsit uita, priuſquàm in aliquam
incideret debacchationẽ,quæ longam aſſequitur ſenectam. Quòd ſi ueterum poetarum
ac philoſophorũ,ut par eſt,uerus eſt ſermo, eſſe uidelicet pijs manibus honorem aliquẽ,
ac præſeſsionem locumq; illis deſtinatũ,in quo uerſentur,nõ eſt tibi deſperandum, quin
beatus filius tuus inter eos recenſeatur. Dicuntur autẽ hæc à ſuauiſsimo Pindaro de pijs
qui ad inferos ſunt: Quibus utique dum nocturnum hîc eſt tempus,ſolis iubar ſplendet, Campi Elyſij
roſarijsq; puniceis conſita prata ipſorum ſunt ſuburbium,thuriferis arboribus adumbra- deſcriptio.
tum,aureisq; fructibus onuſtum,atq; equeſtribus gymnaſijs hi,alij teſſeris,nõnulli citha-
ris oblectabunt. Apud ipſos autẽ omnis florũ pullulat opulentia,optabiliumq; odor per
petuò per locum diffunditur, uarias imponentiũ longè ſplendẽti igni primitias in deorũ
aris. Et paululũ progreſſus,in alio luctu de anima loquens,ait: Beata autem omnes Par-
ca labores ſoluens finit,& omnium quidem corpus longè potentem ſequitur mortem,ui
uens autem æternitate deficit. Idolum enim ſolum eſt à dijs,dormit autem membris agen
tibus. Verùm dormientibus multis inſomnijs, iucundorum adſerpens,& difficilium indi
cat iudicium. Cæterùm diuinus Plato multa quidem in libro de anima,de ipſius immorta
litate dixit,nõ pauca uerò in Politia, Menoneq; & Gorgia,ſparſimq; in alijs dialogis: ſed
quæ in dialogo de anima dicta ſunt,cùm priuatim commentus fuero,tibi,ut uoluiſti, præ
bebo. Quæ uerò in præſentia opportuna atq; utilia Athenienſi ſocio ac diſcipulo Gorgiæ
rhetoris dicta ſunt,ita habent. Ait enim qui apud Platonem eſt Socrates: Audi iam ual-
B de bonam orationem,quam tu quidem,ut puto,fabulam exiſtimabis,ego uerò orationẽ:
uera nanq; tibi quæ locuturus ſum enarrabo. Partiti fuerant imperiũ Iupiter,Neptunus
& Pluto,poſtquàm id à patre acceperunt. Erat igitur hæc de hominibus inter deos lex,&
regnante Saturno ſemper,& adhuc eſt,ut hominũ quicunq; iuſtè ac ſanctè uitam egiſſet,
poſt mortẽ beatorũ adiret inſulas,ibiq; procul à malis in omni habitaret felicitate. Qui ue
rò iniquè atque impiè,iudicij ac ſupplicij carcerem,quem Tartarũ appellant,peteret. Ho
rum autẽ iudices ſub Saturno, & nuper Ioue imperiũ obtinente,uiuentes erant uiuenti-
tium,ea die iudicantes qua erãt morituri. Poſtea cauſę quodammodo nõ rectè iudicaban
tur: itaque Pluto,& qui ex beatis inſulis hæc curabant,ad Iouem profecti dicebant, indi-
gnos ad ſe homines utrobiq; accedere. quibus Iupiter: Ego igitur,inquit,ne hoc fiat prohi
bebo. Nunc enim cauſæ iniquè iudicantur,nam uiuentes iudicantur. Multi igitur,inquit
ille,ſceleſtas animas habentes,induti ſunt corpore pulchro,genereq; ac diuitijs,& quum
aderit iudicium, accedunt ad eos quamplurimi, quòd iuſtè uixerint, teſtificaturi. Iudi-
ces igitur ab his perterreſiunt,ſimul & ipſi induti iudicant, ut qui animam ſuam habeant,
oculis & auribus ac toto corpore coopertam. Hæc itaque omnia ipſis obices ſunt, ſua ſci-
licet ipſorum, & eorum qui iudicantur indumenta. Primùm igitur, inquit,cauendum eſt,
ne ipſi proſpiciant mortem,nunc enim prænorunt,ſed Prometheo iam dictum eſt,ut hoc
prohibeat. Poſtea omnibus his denudati ſunt iudicandi: defunctos enim opus eſt iu-
dicari, ipſumq; iudicem eſſe nudum decet defunctum, anima uidelicet ipſa, animam ip-
ſam, quum primùm quis deceſſerit, contemplantem,omnibus cognatis deſtitutum, om-
neq; illud ornamentum in terra relinquentem, ut æquum ſit iudicium. Ego igitur quum
hæc priuſquàm uos cognouiſſem, filios meos iudices creaui, duos quidem ex Aſia, Mi-
noẽn & Rhadamanthum,unum uerò Aeacum ex Europa. Hi autem ut primùm deceſſe-
rint, in prato ad triuium iudicabunt, ex quo uiarum altera ad beatorum inſulas,altera ad
Tartarum ducit. Et eos quidem qui ex Aſia uenient, Rhadamanthus, qui uerò ex Eu-
ropa, Aeacus iudicabit. Minoi autem hunc deferam magiſtratum, ut ſi quid alteri arca-
num ac dubium fuerit, diſcernat ac dijudicet, ut hominibus quamiuſtiſsimum ſit itineris
iudicium. Hæc ſunt, ô Callicles, quæ quum audiuerim uera eſſe, haudquaquam diffido,
& ex his uerbis huiuſmodi aliquid contingere colligo: mortem uidelicet nihil aliud eſſe,
quàm duarum rerum, corporis & animi, inter ſe ſolutionem. Hæc ubi cùm collegiſſem,

C multáq; diligentia compoſuiſſem, amiciſsime Apolloni, conſolatoriam cōpoſuimus ora-
tionem, ad præſentem deponendum dolorem, omniumq; acerbiſsimū ſedandum luctū,
tibi maximè neceſſarium. Complectitur præterea filij tui dijs chariſsimi Apollonij meri-
tam laudam, ob bonam memoriā, perennemq́; in omne tempus gloriam conſecratis op-
tatiſsimā. Bene itaq; feceris, ſi orationi obſecutus, beatoq́; filio tuo uſus, mutato conſilio,
ab iſta corporis atque animi inutili afflictione, à maceratione, ad tibi conſuetam natura-
lemq́; uiuendi rationem traduxeris. Nam ut nobiſcum uiuens, haud libenter te ac matrem
triſtes ſpectabat: ſic ne nunc quidē dum inter deos agit, ipſorūq; epulis accumbit, huiuſ-
modi ueſtro uiuendi modo delectatur. Itaque cùm probi ac generoſi, liberorumq́; aman-
tiſsimi uiri grauitatem receperis, teipſum & adoleſcentuli matrem, cognatosq; atque ami
cos ab iſtiuſmodi infelicitate ad tranquilliorem, filioq́; tuo, ac nobis tui, ut par eſt, ſtudio-
ſis, gratiſsimum uitæ habitum traducas.

Plutarchi de exilio libellus.

ANGELO BARBATO INTERPRETE.

Ex ſermonibus, ut ex amicis, optimus ille firmiſsimusq́; habetur, qui in
calamitatibus præſens adeſt, & indigentibus auxilium affert. Multos
enim reperias, qui lapſis quidem amicis colloquantur, nec eos uerbis
ſaltem deſerant. Sed ſicuti urinandi imperiti, dum pereuntibus opitu-
lari conantur unà complexi demerguntur: ita & hi ſua quadā inſcitia,
tantū abeſt ut proſint, ut obſint uel plurimū. Amicorū enim & eorū qui
ſuppetias ferunt oratio, conſolatio, non rei affligentis defenſio eſſe de-
bet: quandò in rebus miſeris nullis lachrymis, nullis eiulationibus, quaſi choris quibuſ-
dam tragicis ſit opus, ſed qui nos ingenuè admoneant, & liberè doceāt. Triſtari nanq; nō
modò in omni re inutile, uerū uaniſsimū & ſtultiſsimū eſt. Vbi uerò res ipſa ratione tracta
ta atq; detecta, non prohibet quin tecū colloquaris, & dicas, Nihil graue niſi ſimules paſ-
D ſus es: ſit profectò ridiculū, nō corpus percontari quid patiatur, nec animū, an hoc ipſo ca
ſu deterior fiat, ſed totius triſtitię externis admonitoribus uti, qui unà nobiſcum doleant,
unà indignētur. Quare cùm ſoli ſumus, unuſquiſq; de infortunijs, quaſi oneribus quibuſ-
dam animū ſuum diligentiſsimè examinat & ponderat. Non enim ut corpus rei grauan-
tis pondere premitur, ſic ſemper & animus: qui contrà potius rebus ex ſeipſo onus impo-
nit & grauat, quæ per ſe alioqui tolerabilia erant. Durus quidem natura eſt lapis, cryſtal-
lus item frigida, nec extrinſecus temerè uel ille duritiem, uel hæc concretionē habet: exi-
lium uerò, ignominia, & honorum amiſsio, ut cōtrà coronæ, magiſtratus, primiq; conſeſ-
ſus, non ſua natura, ſed noſtro ipſorum iudicio affligendi uel delectandi modum habent:
unuſquiſque enim hæc ſibi leuia uel grauia, tolerabilia uel dura toleratu efficit. Sed & hu-
ius contrarium audire licet à Polynice ad hanc quæſtionem reſpondente:

Quid? patria carere, num grande eſt malum?
Eſt maximum, re maius ac uerbo malum.

Contrà uerò Alcmanis ſententia, ut ſcribit poëta quidam epigrammatarius, qui ait:

Sardiaci patres ueſtro ſub culmine tecti,
Auratis Celſas ueſtibus aut Macelas,
Concaua diſcinctus pulſarem tympana, qui nunc
Spartanis Alcman ciuibus annumeror,
Vatibus & Graijs: me dulcis muſa tyrannos
Daſcyleon ſupra ſuſtulit & Gygeon.

Sola etenim opinio rem eandem his quidem utilem, ceu approbatam monetam, his uerò
inutilem & noxiam reddit. Sed eſto graue ſit exilium, ut multi aſſerunt & prædicant: nam
& ex cibarijs multa amarulenta ſunt & acria, ſenſumq́; mordentia: quibus tamen, ſi mi-
tium quid aut dulcium admiſceas, omnem illam ſaporis inſirauitatē tollas. Sunt præterea
& colores, quorum moleſtiam uiſus ferre nequeat, ſed eorum duritie, & ui quadam incu-
rabili confundi & perſtringi lumina contingat. Si igitur eius incommodi medicamen eſt
umbræ admixtio, uel ad uiridia mitiaq́; oculorum deflexio, cur non idem in aduerſis caſi-
bus facere liceat, hiſq́; admiſcere quæ nunc tibi utilia benignaq́; non deſunt, copiam re-
rum ſcilicet, amicos, negociorum uacuitatem, & quòd nihil eorum indigeas, quæ huma-

na

A na uita neceſſariò requirat? Non equidem multos inter Sardianos eſſe puto, qui condi-
tionem iſtam tuam nõ ſibi uel in exilio eſſe malint, ſicq́ peregrè uitam agere æquiori ani-
mo ferant, quàm cochlearum more teſtis ſuis ſemper inhærentium, cæteris bonis priuati,
ijs quæ domi ſunt citra moleſtiam perfrui. Quare ut in comœdia amicum infelicem adhor
tatus quiſpiam ut bono animo eſſet, malamq́ fortunã ulciſceretur, quomodo ulciſci poſ-
ſet interrogatus, ſapienter ulciſcendam eſſe reſpondit: ſic eam nos quoque ſapientiæ ſtu-
dio dignè, ut par eſt, ulciſcamur. Qua enim ratione pluuiam nobis Boreã'ue defendimus?
nempe ignem, balnea, ueſtimenta quærimus, tectaq́ ſubimus: neq́ enim dum imbre per-
fundimur, deſidemus aut ploramus. Tibi quoq́ igitur eam uitæ partẽ, quam frigus & re-
rum inopia tentarit, apud unum aliquem recreare & fouere licet, neque alijs adiumentis
indigeas, ſi ijs quæ adſunt, ut ratio ipſa dictat uti uelis. Medicorũ quidem cucurbitulæ ex-
hauſto uitioſo ſanguine, ita reliquum alleuant & conſeruant. At mœrori & triſtitiæ dediti
ſemper ac queruli, quæ apud ſe peſsima ſunt ſine ulla intermiſsione colligẽdo & reputan
do, doloremq́ inferentibus ſeſe ipſos atterendo, etiam quæ bona ſunt & utilia, mala effici-
unt, & omni caſſa utilitate, eoq́ id potiſsimũ tẽpore, cùm auxilio opus erat. Illa enim duo
fatorum dolia, quorum alterum bonis, alterum malis plenum ſcribit Homerus in cœlo eſ-
ſe, non Iupiter ſedens diſpenſat, ut his mitia & bono aliquo permixta, his uerò mera malo
rum fluenta tranſmittat: ſed ex nobis ipſis, qui mentis ſunt cõpotes, ex rebus ſecundis, ijs
quæ aduerſa ſunt exhauriunt & infundunt, & potabiliorẽ iucundioremq́ ſibi uitam effi-
ciunt: contrà uerò multis mortalibus ueluti colis quibuſdam, quæ deterrima ſunt melio-
ribus ſubeffluentibus relinquuntur & permanẽt. Si ergo in quippiam inciderimus quod
reuera malum ſit, hilaritatis aliquid & lætitiæ ſuperinduci debet, & peculiari aliquo bo-
no, ex ijs quæ expertis iam rebus reliqua ſunt, quod alienum & aduerſum ſit leniendum
eſt. Cùm uerò ſuapte natura res ipſa nihil mali habet, ſed id quod affligit ex inani quadã
opinione conſiſtit, tunc ut laruas formidantibus pueris in manibus tradimus & inuerti-
mus, quò re perſpecta uanos terrores contemnere aſſueſcant: ita nos quoque quod fragi-
le & uanum, ac tragicis fabulis eſt perſimile, diligentiſsima cõſideratione quaſi manibus

Duo fatorũ dolia, iuxta Homerum.

B pertractantes, detegere oportet. Cuiuſmodi præſens hæc tibi conditio eſt de ea quam pa-
triam opinaris, cùm natura nobis patriam nullam dederit, ſicut nec domum, nec agrum,
nec fabrilem, uel medicorũ officinam, ut Ariſton inquit, ſed hæc, & cætera id genus prout
quiſq́ incolit, illiſq́ utitur, ſubinde illius fiunt, uel nominantur potius & dicuntur. Ho-
mo enim, ut Plato ait, planta eſt quædam non terræ infixa, nec immobilis, ſed & cœleſtis,
& ad cœlum ipſum inuerſa, cuius corpus ex capite, uelutè ſua quadã radice illud ſiſtente
& firmante, erectum manet. Hinc Hercules:

Argius an Thebanus, haud unam curo
Iactare, Græcia omnis eſt mi patria.

Longè tamen rectius Socrates, qui ſe non Athenienſem nec græcum, ſed ciuem munda-
num eſſe dixit, ut ſi quis, puta uel Rhodius, uel Corinthius dici uelit. Neque enim Sunio
uel Tænaro, aut Ceraunijs ſeipſum incluſit.

Vides ut hunc immenſus æther arduus
Coërcet ulnis undiq́ orbem mollibus?

Hi patriæ noſtræ termini ſunt, in quibus nec exul, nec hoſpes, nec peregrinus ullus eſt, u-
bi idem ignis, aër & aqua, ijdem principes, rectores & præſides, ſol, luna & lucifer, eædem
quoq́ leges omnibus uno ordine, ab uno eodemq́ principe latæ, eadem ſolſtitia & æqui-
noctia, Pleiades, Arcturus, tempora ſementis & plantarum omnium: unus autem rex &
princeps Deus eſt, principiũ, medium, ac finem uniuerſi tenens, qui uia recta peragit, &
ſecundùm naturam cuncta circuit, quem iuſtitia ſequitur, omnium ultrix qui diuinam le-
gem deſeruerint, qua in omnes homines tanq́ ciues cuncti natura ipſa dictante utimur.
Quòd autem Sardis non habites nihil refert: nec enim Athenienſes omnes Colytum, nec
Craneum Corinthij, nec Lacones habitant Pytanen. Nunquid ergo ij Athenienſium pe-
regrini externiq́ ſunt, qui ex Melite in Diomida cõmigrarunt, unde & Maium menſem
Metagetnionem appellant, & feſtum quoddam cognomine tranſmigrationis illius Me-
tagetnia, hoc eſt, tranſuicinalia celebrant, quòd nõ inuiti, ſed facili hilariq́ animo uiciniã
apud alios exciperent? Minimè id quidem dixeris. Quænam igitur terræ pars, ſiue tan-
tùm habitabilem, ſiue uniuerſam cõtempleris, alia procul ab alia eſſe poteſt, quam mathe
matici puncti rationem dimenſione carentis, ſi ad cœlum reſpicias, habere euidentiſsimè
oſtendunt? At nos quaſi formicæ uel apes, ſi ex una cauerna aut aluearí exciderimus, ho-

C ſpites externiq; nobis eſſe uidemur. Quod idcirco fit, quia omnia propria & familiaria, ut
certè ſunt, facere ignoremus. Atqui ſtultitiam eius irridemus, qui lunam Athenis melio-
rem nitidioremq; eſſe dicat, quàm quæ Corinthi: & tamen in idem quodãmodo tritium
mentis incidimus, cùm peregrè profecti, terram, mare, aërem, cœlum, ut diuerſa aliáq; à
conſuetis eſſe cõtendimus. Liberi quidẽ & ſoluti à natura in lucem prodeũtes emittimur,
ipſimet autem noſipſos colligamus, locorumq; coarctamus anguſtijs, ac tectis includi-
mus, & in parua tenuiáq; compellimus. Præterea uerò Perſarum reges irridemus, quòd
(ſi modo id uerè dicitur) Coaſpæ unius aquam bibant, cæteraſq; mundi partes ſibi red-
dant aquarum inopes: cùm ipſi quoq; aliò tranſmigrantes, Cephiſum uel Eurotam ap-
petamus, aut Taygeti Parnaſsiq; deſiderio teneamur. Ita nobis terrarũ orbem non modò
aquarum inopem, ſed & ciuitatib. & tectis caſſum uaniſſima opinione reddimus. At Ae-
gyptij, regis iracundia & aſperitate in Aethiopiã cõmigrantes, rogantibus amicis, ne libe
ros aut uxores deſerant, impudentius oſtenſis uirilibus, nec uxores nec liberos, quoad ea
ſecum habeant, defuturos reſpondent. Quanq; decentius ſimul & grauius dici poteſt, ubi
modica, qualia uita noſtra poſtulat, habere contigerit, ibi nemo nec ciuitatibus, nec dome
ſticis laribus carere, nec externus ullo pacto eſſe poterit, dum ijs mentem quaſi ancoram
adhibeat, qua regatur & firmetur, omniq; portu quocunq; applicuerit uti queat. Amiſſæ
enim diuitiæ, breui facileq; reparari nequeunt: patria uerò quælibet eſt, ſi uti ſcias, radi-
ceſq; habeas, quæ ubiq; coaleſcere & uiuere ualeant, quales nec Themiſtocli, nec De-
metrio Phalereo defuere. Qui cùm poſt exilium Alexandriæ inter amicos Ptolemæi prin
cipatũ teneret, non modò in omni rerũ copia uixit, ſed & Athenienſib. dona miſit ampliſ-
ſima. Themiſtoclẽ uerò regia liberalitate more principis uictitantem, uxori liberiſq; ſuis
ſæpius dixiſſe ferũt: Perieramus omnino, niſi perijſſemus. Sicut & Diogenes, Canis cog-
nomine, nuncianti, Te Sinopenſes è ponto exulem declararũt: Ego, inquit, illos hoc dam
no ſupplicio, ut in Ponto extremiſq; Euxini litoribus perpetuò maneãt & recludant. Stra
tonicus autem non infacetus, hoſpitẽ percõtatus in Seripho, cui crimini apud ipſos exiliũ
D indiceret: audiens homines nequã illic exilio mulctari, Cur nõ tu quoq;, inquit, nefarij ali
quid patraſti, quò ex iſtis locorũ anguſtijs emigrares, ubi Comicus ait carycas fundis uin-
demiari, omniáq; haberi quibus in inſula ſit opus? Nam ſi uana falſáq; opinione remota,
ueritatem ipſam conſideres, qui unam duntaxat ciuitatẽ habet, hoſpitẽ alienumq; cæteris
omnibus inuenias. Quòd ſi tibi turpe iniquumq; uidetur, quempiã patria ſua relicta alie-
nam incolere, in eáq; uitam degere, Spartã ſortitus es, hanc ornes, licet uilis ſit cœliq; mor
boſi, licet ſeditionibus & rerum domeſticarũ turbulentia laboret. Cui propriam fortuna
abſtulit, ubicunq; ſibi placeat, certè habitare permittit. Pulchrumq; illud Pythagoreorũ
præceptum: Vitam optimam elige, hanc tibi non inſuauem conſuetudo efficiet. Ad hanc
quoq; rem ſapientiſsimè ſimul & prudentiſsimè dici poteſt: Optimam iucundiſsimamq;
patriam elige, hanc tibi tempus patriam efficiet, & patriam quidẽ eam, quæ te non diſtra-
hat, neq; perturbet, aut huiuſmodi res imperet, ut, pecunias confer, legatus Romam pete,
ducem ſuſcipe, aut tuis ſumptibus publici muneris miniſterium exhibe. Quæ ſi quis men
tis compos, nec omnino ſtupidus memoria teneat, exul uel Gyarum, uel ſalebroſam ſteri
lemq;, nec plantis idoneam Cinarum, nullo mœrore, nulloq; eiulatu optet habitare, nec
earum uerba mulierum uſurpet, quæ apud Simonidem conqueruntur:

Purpureum tumidis mare me circunfremit undis.

ſed illud Philippi potius mẽte habeat, qui cùm in palæſtra lapſus ſurrexiſſet, corporiſq; ui
diſſet ueſtigium, conuerſus: Hercules, inquit, ut partis minimæ telluris natura participes,
orbem appetimus uniuerſum. Naxum te aliquando uidiſſe puto: ſin minus, Thuriam ſal-
tem, quæ non hinc procul abeſt, quarum hæc quidem Orionis domicilium fuit, illa uerò
cepit Ephialtem ac Otum. Alcmæon iuxta limoſum Acheloi aggerem inhabitauit, quò
Eumenides, ut aiunt poëtæ, effugeret: ego uerò potius, ut ciuiles magiſtratus, ſeditiones,
& furiales calumnias declinaret, locum uel anguſtiſsimum delegiſſe puto, ubi citra mole-
Tiberij regia in Capreis. ſtiam quietè uitam degeret. Tiberius autem Cæſar in Capreis ſeptennium ad obitum uſq;
uixit, & illud imperiale totius orbis ſacellum, quaſi in cor aliquod coarctatũ, tandiu aliò
nuſquam migrauit: cui tamen imperij ſolicitudines quæ afferebant undiq; & affluebant,
nec ſynceram, nec fluctuatione carentem, inſularẽ quietem præbuere. At cui licet in par-
uulam aliquam egreſſo inſulam magnis calamitatibus liberari, is profectò miſer eſt, niſi
ſeipſum alloquens uerſus illos Pindaricos ſæpius quaſi ad remedium canat:

Tenuem cupreſſum dilige,

Cretamq;

A Cretamq́ꝫ ſyluæ prodigam miſſam face.

Mihi parum quidem terræ datum eſt, unde & ſine arboribus: at nec luctus ſortitus ſum, nec ſeditiones, nec imperia principũ, nec miniſteria in ciuilibus negocijs, nec publici muneris impenſas indeprecabiles. Quod alicubi non imperitè dicere uidetur Callimachus: Ne metire ſchœno Perſico ſapientiam: cur enim ſchœnis uel paraſangis dimenſa felicitate, lugendo ut infelices nos cruciare debemus, quòd ducentorum ſtadiorum inſulam, at non quatuor dierum ambitu effuſam, quanta eſt Sicilia, habitemus? Nam quid locorum amplitudo ad uitę trãquillitatẽ afferre poteſt? Nónne Tantalũ in Tragœdia dicere audis?

Bis ſex dierum quâ uia eſt,
Berecynthios agros ſero.

Qui pauló poſt inquit:

Cœleſte numen animus olim permeans,
Nunc ſerpit imus, hiſce dictis me alloquens:
Condiſce modico humana amore proſequi.

Nauſithous autem ſpacioſa Hyperiæ regione relicta, eò quòd uicini Cyclopes eſſent, in inſulam tranſgreſſus procul ab alijs uiris, habitansq́ꝫ impermixtus hominibus, ſeorſum in undoſo undique mari, ſuauiſsimã ciuibus ſuis uitam parauit. Cycladas quoque prius Minois filios, deinde Codri Neleiq́ꝫ habitaſſe ferunt, in quibus nunc amentes exules ſe pœnas dare putant. Quamuis quæ exularis inſula, agro Scilluntio non amplior? ubi tamen poſt expeditionem Xenophon nitidam ſenectutem egit. Academia uerò ter mille drachmis emptus agellus, Platonis, Xenocratis atq́ꝫ Polemonis domiciliũ fuit, ubi ociarentur, & totam uitam ducerent, uno excepto die, quo Xenocrates ſingulis annis Bacchanalium nouis Tragœdijs, ut aiunt, ornandi feſti cauſa in urbem deſcenderet. Et Ariſtoteli Theocritus Chius obiecit ſæpius, quòd apud Philippum Alexandrumq́ꝫ degeret, ac Borbori fluenta Academiæ præferret. Fluuius hic eſt Pellam ambiens, Borborus à Macedonibus dictus. Inſulas autem quaſi dedita opera nobis commendat, & diuinis proſequitur laudibus Homerus, ſic inquiens:

Appulit ad Lemnum diuini & tecta Thoantis,
B Et quæcunq́ꝫ deûm Lesbos domus alma recudit.
Hinc altam Scyrum cepit, patriamq́ꝫ Enyei:
Dulichium hi patriam referunt, ſed Echinadas illi,
Quæ ſacræ longinqua tenent maria, Elida contra.

Ex illuſtribus præterea uiris dijs chariſsimum Aeolum, ſapientiſsimum Vlyſſem, fortiſsimum Aiacem, hoſpitaliſsimũ Alcinoum inſulas incoluiſſe dicunt. Zeno autem cùm eam, quæ ſibi adhuc reliqua eſſet, nauẽ cum oneribus mari demerſam accepiſſet: Bene, inquit, agis, ô fortuna, quæ nos ad pallium uitamq́ꝫ philoſophicã compellis. Quare nihil eſſe cenſeo, cur uir nec ſtupidus, nec populari aura prorſus inſaniens, in inſulam aliquã coactus, fortunam accuſet, ſed laudet potius, quòd anxietatẽ mentis, & tædium peregrinationis, errores, pericula maris, foriq́ꝫ tumultus à ſe remouerit, uitamq́ꝫ ſtabilem & ocij plenam, quæq́ꝫ diſtrahi nequeat, ac uerè propriã ſibi dederit, puncto & interuallo eorum quæ uſus poſtulat neceſsitate circumſcripta. Quæ enim inſula tectis, quæ ambulacris, balnesq́ꝫ caret? quæ piſces, lepores non habet, ſi quis uenatui animiq́ꝫ relaxationi indulgeat? Adde, quod maximum, tibi ſæpiſsimè licere quietis eſſe compoti, quam ſitiunt alij, quos dum ludunt alea, dum latent domi, curioſus uel calumniator aliquis perſcrutatur inſequens, eq́ꝫ ſuburbijs hortisq́ꝫ amœniſsimis ad forum aulamq́ꝫ inuitos trahit. At inſulam adnauigat nemo qui te perturbat, aliquid petens, mutuò accipiens, adhortans ſpondere, aut unà magiſtratum ambire, niſi è neceſſarijs & domeſticis qui ſit optimus, tui deſiderio compulſus: cætera uita quaſi ſacra, nulli prædæ obnoxia permittitur, ſi quis ociari & uelit & ſciat. Qui uero eos in beatorum numero cenſet qui circumuagantur, plurimumq́ꝫ temporis in portorijs ganeisq́ꝫ perdunt, perinde mihi facere uidetur ac ille, qui errantia ſydera fixis & immotis feliciora eſſe putet: quamuis unũquodq́ꝫ errantium ſyderum in una eademq́ꝫ ſphæra quaſi in inſula quadã circunferatur, & ordinem ſuum teneat. Sol enim limites pręſcriptos non tranſcendet, ut inquit Heraclitus. Sin minus, furijs iuſtitiæ adiutricibus ſupplicium pendet. Cęterùm hæc, hisq́ꝫ ſimilia, illis dici & cani debẽt, quos in inſula aliqua relegatos,

Inuitos cohibet ponto circunflua tellus.

Tibi uerò ô amice, cui nullus certus definitur locus, ſed qui uno tandẽ excluderis, omniũ urbium copiam facit unius uetatio. Nam quòd non imperes, nec conſulas, nullisq́ꝫ præfi-

C ciare ludis, tu illud ex aduerſo ſtatue, ne ſeditionſbus quidem uexor, nihil publicè confero, nec præſidis ianuis inhæreo, nec quis prouinciam meam ſortitus ſit curo, an iracundus aut toleratu difficilis. Verùm ut Archilochus, Thaſi fertiles agros, uineasq́ꝫ contemnens, ob alia eius inſulæ aſpera & inæqualia loca, totam inſulam damnat atqꝫ accuſat, eam quaſi aſini dorſum materia agreſti plenam eſſe affirmans: ita & nos, dum ad illam modò exilij partem intendimns quæ gloria caret, negociorum uacuitatem, ocium & libertatem contemnimus. Quanquã Perſarum reges idcirco bearint, quòd in Babylone hyemem, in Media æſtatem, in Suſis uer iucundiſsimũ agerent. Eſt igitur ei qui è ſolo patrio migrarit, Cereris myſterijs Eleuſi immorari, Bacchanalibus Argis ſolennia celebrare, Pythicis ludis Delphos, Iſthmijs Corinthum tranſmeare, ſi ſpectaculorum ſtudio teneatur. Sin minus, ociari, deambulare, quipiam legere, aut imperturbatum ſomnum carpere. Addas & illud Diogenis: Prandet Ariſtoteles cùm uidetur Philippo, Diogenes quandocunqꝫ Diogeni, neqꝫ ullo ab negocio, ullo à principe uel duce conſueta ſumendi cibi hora diſtrahitur. Quocirca è ſapientiſsimis & prudentiſsimis uiris, pauciſsimos in ſua ipſorum patria funeratos inuenias. Nullo enim cogente ſublata ancora aliò tranſgreſsi, uitæ ſtationem mutarunt, alij quidem Athenas, alij uerò Athenis relictis, in aliam orbis terrarum partem migrantes. Quis unquã patriæ ſuæ tale præconiũ protulit, quale Euripides, ita inquiens?

Aliunde populus noſter haud huc appulit.
Hæc terra nos genuit: alij ſed enim ciues
Sunt comparandi cubicis iactatibus
Hincinde ducti, nec ſtabiliter conſiti.
Iactare ſi quid autem oportet fœminæ,
Nos temperati ſpiritum cœli trahimus,
Vbi nec æſtus, nec rigor hyemis ingruit,
Tum græca quæ fert regio, quæ fert & Aſia,
Vt dulce nectar hîc habentes carpimus.

Qui licet patriæ tantas protulerit laudes, in Macedonia tamen totam apud Archelaum
D uitam egit. Audiſti, puto, & hoc epigramma:

Atticus Euphorione ſatus, ſub mole ſepulchri eſt
Aeſchylus hac, iuxta pinguia culta Gelæ.

Etenim hic quoqꝫ in Siciliam ſoluit, & eo prior Simonides. Nam illam hanc Herodoti Halicarnaſſæi inſcriptionẽ, multi Herodoti Thurij tranſcripſere, quòd Thurios cõmigraſſet, & in eorum coloniam adſcriptus eſſet. Muſarum autem ſpiritus ille ſacer & diuinus Troiani belli ſcriptor Homerus, an non idcirco multis ciuitatibus cõtrouerſiæ fuit, cuius earum ciuis habendus eſſet, quoniam nullam ſolam laudarit? Hoſpitalis uerò Iouis cultus, magnus multusq́ꝫ eſt. Quòd ſi quis dicat hos omnes gloriæ honorisq́ꝫ captatores fuiſſe, ad philoſophos ueniat, & ſapientiæ ſcholas gymnaſiaqꝫ cõſideret, Lycium, inquã, Academiam, Porticum, Palladeum & Odeum. Si Peripateticos enim amplexaris & obſtupeſcis, è Stagiris Ariſtoteles, Theophraſtus ex Epheſo, Straton è Lampſaco, è Troade Glycon, Ariſton è Ceo, è Phaſelis Critolaus. Sin uerò Stoicos reſpicias, Zeno Citiæus, Cleanthes Lyſius, Solenſis Chryſippus, Antipater Tarſenſis, Diogenes Babylonius. Athenienſis uerò Archidemus ad Parthos uſqꝫ profectus, Stoicæ ſectæ ſucceſſores Babylone reliquit. Quos ſi quæras, quiſnam inſectatus exulare coẽgerit, inuenias neminem: ſed ipſi ſponte quietem ſecuti, cuius participare nequeunt qui domi nominis aliquid uel poteſtatis obtinent. Itaqꝫ cùm cætera ſuis nos doceant libris, hæc profectò re ipſa etiam docent. Et nunc quoqꝫ optimus quiſqꝫ & probatiſsimus peregrè uiuit, non pulſus, ſed ſpontè aliò tranſgreſſus: nec fugatus, ſed fugiens ipſe moleſtias, occupationes, negocia, quæ patria afferre ſolet. Olimq́ꝫ antiquis illis, ut uidere eſt, lucubrationes, quæ pulcherrimæ extant, maximeq́ꝫ approbantur, adiuuante exilio à Muſis peractæ abſolutæqꝫ ſunt. Thucydides enim bellum ab Athenienſibus Pelponneſijsq́ꝫ geſtũ, in Thracia iuxta ſyluam Scapten nomine conſcripſit: in Eliæ Scillunte Xenophon, in Epiro Philippus, Timæus Tauromenites Athenis, Megaris Athenienſis Androtion, in Peloponneſo poëta Bacchylides. Qui omnes, & alij plures patria exules nõ animum deſpondentes ſeipſos abiecerunt, ſed animi ſui excellentia acumineq́ꝫ uſi, exilium à fortuna quoddam uiaticum accepere. Quo factum eſt, ut uel mortui uiuant & celebrentur ubiqꝫ, cùm contrà nullum eorum nomen ſuperſit, quorum factionibus eiecti ſunt. Quare ridiculus ſit profectò, ſi quis exilium gloria carere arbitreẽ. Nunquid enim nominis nullius Diogenes? Quem cùm uidiſſet

Exilium non carere gloria.

A Alexander in ſole ſeſsitantē, ſtetit: & an re aliqua indigeret percontatus, accepit nihil a-
liud uelle, quàm ut pauliſper obumbrare ſolē deſineret. Cuius animi elatione ſtupefactus,
ad amicos cōuerſus dixit: Si Alexander non eſſem, Diogenes utiq; eſſem. An uerò inglo-
rius & Camilus, qui Roma pulſus, Romæ ſecundus conditor celebratur? Nec Themiſto-
cles quidem exul gloriam quam inter Græcos habuit perdidit, ſed apud barbaros etiam
auxit. Nemoq́; eſt adeò honoris contemptor, adeò degener, qui Leocrates Themiſtoclis
accuſator, quàm exul Themiſtocles, uel Clodius Ciceronis eiector, quàm eiectus Cice-
ro, aut Ariſtophon delator, quàm Timotheus, patriam relinquere coactus eſſe malit. Cæ-
terùm quoniā mouentur multi uerbis Euripidis, qui exilij uehemens accuſator apparet,
uideamus quid ſingillatim roget, quid'ue reſpondeat:

Quid? patria carere, num grande eſt malum?
Eſt maximum, re maius ac uerbo malum.
Quodnam eſt genus, quod exules premit, mali?
Id maximum, quòd eis loqui non licet.
Seruile prorſum eſt, non loqui quod ſentias.
Potentiorum perferenda inſcitia eſt.

Primū hæc nec rectè, nec uerè cenſet: non enim ſeruile id tacere quod ſentias, ſed pruden
tiſsimi uiri, cùm tempus & res taciturnitatē ſilentiumq́; requirit. Quod idem alibi rectius:

Tacere nunc oportet, nunc præſtat loqui.

Nam dominorū imperitiam ſtultitiamq́;, non minus in patria, quàm in exilio patiare ne-
ceſſe eſt: & magis etiam domi quàm peregrè iniuſtè potentium calumniam uimq́; time-
mus. Illud uerò maximum, & in primis abſurdum, dicendi libertatē exulibus auferri. Ad-
miratione profectò dignum, Theodorū libertate dicendi caruiſſe, qui dicente ei rege Ly-
ſimacho, Te patria quoniam his moribus eſſes eiecit: Certè, inquit, quòd me perinde ac
Semele Bacchum ferre non poſſet: nec exterritus eſt, licet illi in ferrea cauea Teleſphorū
oſtenderet, cui oculos effoderat, nares amputarat, aures & linguā abſciderat, illudq́; ad-
deret, His afficio ſupplicijs, qui de me malemerentur. Quid autem Diogenes, nunquid
dicendi libertatē non habuit? qui caſtra Philippi ingreſſus, quo tempore hoſtis Græciam
B inuadebat, cùm quaſi ſpeculator ad eum duceretur: Nempe, dixit, tuæ auaritiæ & demen-
tiæ ſpeculator ueni, qui breui temporis ſpacio de principatu ſimul & uita ueluti ad aleam
periclitaturus accedas. Quid Carthaginenſis Annibal? nónne Antiocho, quanquā exul,
liberè reſpondit? qui cùm inuitante occaſione hoſtes aggredi iuberet, quod fieri ſacerdos
uiſcera prohibere diceret, regem ijs uerbis increpuit: Tu facis quod uictima, nō quod uir
prudentiſsimus dicat. Quinetiam geometræ & linearum periti, quo minus de diſciplinis,
& his quæ norunt liberè loquantur, non prohibentur exilio, nedum probi boniq́; prohi-
beantur. Sed ubiq; degener animus uocem impedit, linguam retorquet & angit, ac ſilere
facit. Nam illa quæ ſequuntur eiuſdem Euripidis,

Alunt bonæ ſpes exules, ut dicitur:
Oculis bonis uident, morantur attamen.

ſtultitiæ crimen ſunt potius, quàm exilij. Non enim qui didicerunt & ſciunt præſentibus
uti, ſed qui aſsiduè ex futuris dependent, & ſemper quæ deſunt appetunt, ſpe quaſi rate
quadam iactantur, quamuis ſuæ urbis pomœrium nunquam exceſſerint.

Patrij'ne tibi non profuerunt hoſpites?
Bene rem gerito, nam male gerentem omnes deſerunt.
Non te generis euexit ad ſummum decus?
Malum carere eſt, nam genus me non aluit.

Verba hæc ingrata Polynicis accuſantis exilium, utpote quòd & conſanguineis ſit con-
temptui, & amicis careat, qui ex natalium ſplendore, quamuis exul, regis nuptijs dignus
habitus eſt, tantisq́; uiribus & amicorum auxiliaribus copijs ſuffultus, expeditionem fe-
cit, quantis paulò pòſt ipſe fateatur:

Viri ex Mycenis, atq; ab urbibus Danaûm
Adſunt mihi, triſtem opem, at opportunam ut ferant.

Nec diſsimilia matris uerba:

Tibi nuptiales ego faces non protuli,
Nec affuit Hymen, nec te Iſmenus lauit.

quam lætari & bono animo eſſe oportebat, cùm filium habitare in tantis regijs audiret: ip-
ſa uero dolens inaccenſas faces, nec Iſmenum balnea præſtitiſſe lugens, quaſi qui Argis

C ducunt uxorem, aqua & igne careant, ſtupiditatis & ſtultitiæ uitia apponit exilio. At di-
cas, res eſt exul ignominioſa. Ignominioſa quidem amentibus, qui & pauperē eſſe, & cal
uum, & puſillum, & hoſpitem, inquilinumq́, uituperiū eſſe putant. Cæterùm qui his nō
conſentiunt, neq́ ſubſcribunt, bonos quamuis pauperes, hoſpites, exulesq́ ſint, admiran
tur. Nónne ut Parthenonē & Eleuſinium, ſic Theſei templum omnes uenerari uidemus?
Atqui Athenis exulauit Theſeus, in quas eius opera ſe homines habitatum receperant:
eamq́ ciuitatem amiſit, quam non aliunde habuit, ſed ipſe condidit. Eleuſini quid pulchri
relinquitur, ſi nos Eumolpi pudeat, qui ex Thracia tranſgreſſus, & tunc Græcos initiauit,
& nunc initiat? Quid Codrus? quibus maioribus ortus? Nónne ex Melantho Meſſana
exule Athenarum ſceptrū tenuit? Nam quis non Antiſthenem laudet? qui dicenti, Phry-
gia mater tua eſt: Et deorum quoq́ mater, inquit. Cur nō tu quoq́ tibi obijcienti exilium,
reſpondes: Herculis quoq́ uictoris pater exul erat, & Liberi patris item auus, quum ut in
ueſtigaret Europam miſſus, neque ipſe redijt?

Phœnicia ortus, exulem gignit prolem
Thebis ſatum, Bacchas cientem Liberum,
Gaudentem furioſis coli honoribus.

De his enim quæ Aeſchylus innuens, & ſuboſtendens inquit,

Caſtumq́ Apollinis exulem cœlo deum, Linguis fauendum,

ut ait Herodotus. Empedocles aūt in ſuæ philoſophiæ initio præfatus,

Vrget enim uetus ac ſtabilis ſententia diuûm,
Quem ſcelerum metus ater agit, trepidumq́ fatigat,
Dæmones hunc longæ ſortiti tempora uitæ,
Pellitis à ſuperûm facie per ſecula multa,
Quos ego nunc inter, diuis procul exul aberro.

non ſeipſum modò, uerùm è ſeipſo nos quoq́ omnes hîc inquilinos, externos, exulesq́
eſſe oſtendit. Non enim ſanguis, ait, & contemperatus ſpiritus, nobis animæ ſubſtantiam
& principium præbuit, ſed ex his terrenum & mortale corpus fictum & compactum eſt.
D Animi uerò huc ortu ſuo aliunde profecti, peregrinationem quidem nomine mitiſsimo
cōminuit blandiendo. Quod uerìſsimum autem, uagatur exul, diuinis legibus et decretis
agitatus, & ſic quaſi in inſula multo maris æſtu circūflua, ut Plato inquit, more oſtrei cor-
pori annexus, quòd non recordetur, nec recolat,

E quantis opibus, quali & translatus honore,
Corporeis animus uinclis religatus inhæret.

Non Sardibus cum Athenis, nec Corintho cum Lemno Scyroq́, ſed ipſo cœlo, lunáq́,
cum terra ac terreſtri fragiliq́ uita permutatis grauiſsimè fert, & quaſi peregrinus & ho-
ſpes, modo degeneris plantæ immarceſcit, quòd hic ex loco in locum minimi interualli
tranſierit. Quanq́ plantæ quidem regio alijs alia cōmodior eſt, ubi melius alatur & ger-
minet. Homini autem felicitatem locus nullus, ſicut nec uirtutem, nec animi prudentiā au
fert. In cuſtodia enim poſitus Anaxagoras quadraturā circuli ſcripſit: philoſophabaturq́
Socrates uenenum hauriēs, utq́ familiares philoſophiæ incumberēt adhortabatur, inte-
rim illis beatus apparens. Tantalum uerò & Phaëthonta, quum in cœlum aſcendiſſent,
poëtæ aiunt ſua ſtultitia in magnas calamitates incidiſſe.

Plutarchi de tranquillitate & ſecuritate animi libellus.

GVLIELMO BVDAEO INTERPRETE.

PLVTARCHVS *Paccio S.*

SERIVS tuam epiſtolam accepi, in qua me hortabaris, ut quippiā ad te & de animi tranquillitate ſcriberē, & de his quæ in Timæo accuratiore indigere tibi enarratione uidentur. Equidem cùm Eroti amico noſtro nauigandū actutùm Romā eſſet, literis raptim à Fundano optimo uiro acceptis, nec ideo ſpacium haberem meo modo incumbendi ad ea quæ optabas, nec rurſus ſuſtinerē uacuis omnino manib. hominē à nobis amiſſum eſſe uideri, delecta quædā de trāquillitate animi ex cō-

mentarijs

A mentarijs confectis olim nobis decerpſimus. Nec uerò, ut opinor, in huiuſmodi cōmenta
tione dicendi lautitias, exquiſitumq́; anxiè ſermonis lepôrem cōſectaris, tantumq́; ratio-
nem habes doctrinæ cuiuſdam ad inſtituendā uitam adminiculatricis. Atq; bene quidem
actū eſſe puro, quòd quū neceſsitudinū tibi iura, eaq; nō uulgaria, cum principib. interce-
dant, forenſiq́; gloria nemini cedas in iudicijs agentiū, non ideo, ut tragicus ille Merops,
ad ſuſpicientis beantiſq́; te coronæ plauſum futiliter obſtupeſcis. Sæpe quoque te audire
meminiſti, nec articulariū morbum calceo quamuis precioſo leuari, nec anulo reduuiam,
ut nec capitis dolorem ſedari diademate. Quis enim tandem pecuniarum uſus ad uitan-
dam animi ægritudinem, aut ad uitam placidè ac ſecurè tranſigendā? quis aut gloriæ, aut
inter aulicos eminentiæ, niſi quibus hæc habere contigit, ipſi ſcitè ijs quæ habuerint, uti
norint: rurſusq́; quū caruerint, eorum deſideriū ferre. Hoc autem quid eſt aliud, quàm ra-
tio aſſueta & præmeditata, patibilem animæ partem, rationiſq́; expertem, erumpentem
identidē reprehendere confeſtim, nec ultrà expatiari, & ab inſtantibus affectibus trāſuer
ſam ferri ſinere? Proinde quemadmodū Xenophon iubebat ſecundis maximè rebus ho-
mines deorum meminiſſe, eoſq́; tum enixius uenerari, uidelicet ut cùm res tuliſſet, maio-
re eos fiducia quicquid ipſis opus eſſet, poſcerent cōciliatos iam & propitios: haud aliter
cōmentationes eas quæ ſedandis perturbationib. appoſitiſsimæ ſunt, præſumptas recon
ditaſq́; eſſe oportet, duntaxat apud mentis compotes, ut multò antè preparatæ longè ſint
utiliſsimæ. Vt enim truculenti canes, & ad omnem uociferationē conſternabiles, ab una
tamen uoce ſolita & nota ſibi demulcentur: ſic animæ efferatos affectus non parui eſt ne-
gocij componere ac permulcere, niſi cōmentationes ſolitæ ac familiares præſtò ſint & ad
manum, quæ turbulentos eos & percitos, protinus conſopiant. Cæterùm qui ita cenſent
ad uitam per tranquillitatē agendam, non multa agere oportere, nec priuatim, nec publi-
cè, hi primò magno nobis parabilem animi trāquillitatē faciunt, utpote inertia ſegnitiaq́;
uenalem, & tanquam ægrotum, ſic unumquenq; hortantur uerſu illo tragico:

Secundis in rebus, deorum maximè memores eſſe debemus.

Mane miſelle tuis in lectis immotus.

Siquidem quū noxium eſt ſtupiditatis medicamentū corpori ſepulta illa ſegnities, tum
B nihilo melior animæ medicus eſt ægritudinis & turbulentiæ, torpor & mollitia, ſocor-
diaq́; amicorum, neceſſariorū, patriæq́; deſertrix. Deinde etiam falſum eſt, homines mini
mè actuoſos tranquillè uitam ducere, alioqui tranquilliorē mulierū uitam, ꝙ uirorum eſ-
ſe oportuerit, nempe quę domi plerunq; excubare ſeſsitantes ſoleant, ſellularijs in officijs
occupatæ. Nunc uerò cùm Aquilo ad tenellas uirgines perrumpere non poſsit, ut Heſio-
dus inquit, animi tamen ægritudines, perturbationes, malæ mentis habitudines ex zelo-
typia, ſuperſtitione, ambitioneq́;, & inani gloria, quarum rerum numerum nemo inire
poteſt, gynæceum etiam irrepunt. Laërtes uerò annis uiginti in agro ſecum, ut dicitur, ui-
uens unica tantū cum anu, inter cibos ei potuſq́; ancillante, patriam & domū, atque adeò
regiam fugitabat, & nihilo ſecius tamen mœrorem uultuoſamq́; deſidiam contubernales
habebat. Quid, quòd hoc ipſum nihil agere, nonnullos ſæpe ab recta animi conſtitutione
deturbauit? ut ecce apud Homerum:

Aſsidet hîc pedibus pernix Ioue natus Achilles
Nauibus, indulgens iræ, fugitanſq́; tenaci
Propoſito pugnam, procerum populiq́; coronæ
Concilia auerſans, hominum illuſtrantia nomen:
Corde liqueſcit iners, rurſusq́; ſubinde requirit
Prælia, ſeq; ciet ſæui in certamina Martis.

Propterea ipſe marceſcere ſe ocio ægrè ferens, ſtomachanter inquit:

Pondus iners terræ ſedeo cuſtodia claſsis.

Itaq; ne Epicurus quidem, ille uoluptatis aſſertor, autor eſt ijs qui aut ambitioſi natura,
aut ſunt auidi gloriæ, ut ſe ocio dedant, ſed ut ad gerendam rempublicā natura duce acce-
dant: quippe homines ad agendum natos haudquaꝙ æquo animo inturbidoq́; laturos,
ſe ea re orbatos eſſe, quam in primis concupierint. Quanquam ille ineptus, qui ad rem-
publicam adſciſcat eos, qui ſibi ab ea temperare nequeant, & non eos potius, qui geren-
dæ reipublicæ facultatem habeant. Neq; uerò multitudine paucitateq́; negociorum, ſed
honeſtate & turpitudine, ſecuritatem animi anxietatemq́; metiri cōuenit. Honeſta enim
omittere, non minus quàm turpia agere, moleſtum eſt, ut prędiximus, & turbulentū. Qui
autem unam ſibi agendam uitam, & omni anxietate uacuam præciderunt, ut agricolarū
nonnulli, aut cœlibū, aut regum, hos ſcitè Menander his ferè uerbis admonet. Opinabar

C ego locupletes homines, ô Phania, quibus neceſſe non eſt uerſuram fœneratò facere, nec
noctu ingemiſcere, nec ſurſum deorſum ſe uertentes, hei mihi, dictitare, ſuauioreḿq; quen-
dam ſomnum mollioreḿq; dormire. Vt uerò is accedens, locupletes itidem atq; inopes
affici animaduertit: Nimirum, inquit, cognatum quiddam ſunt atque congenitum, uita
& mœſtitia. Voluptuariæ enim uitæ comes ea eſt, illuſtri adeſt, per inopiam traductę con
ſeneſcit. Enimuero quemadmodum meticuloſi, & inter nauigandum nauſeantes, in præ-
grande ſubinde nauigium ex nauicula tranſiliunt, atque illinc rurſus in triremem, melius
iamiaḿq; ſibi fore ſperantes, quoad ſeſe tandem nihil promouere ſenſerint, ut qui bilē ſe-
cum ignauiaḿq; circunferant: ſic uitæ genus aliud atque aliud identidem capeſſere, à mo
leſtijs perturbationibuſq; animum eximere nequit, cuiuſmodi ſunt imperitia rerum, in-
conſiderata temeritas, nec ſcire, nec poſſe rectè pro re nata præſentibus uti: hæc opulen-
tos iuxtà inopeſq; exercent, hæc & maritos & cœlibes mœrore afficiunt. Non aliam ob
cauſam ſalutem multam foro quidam dicentes. uitam rurſus umbratilē non perferūt. Pro
pter hęc eadem in aulas ſeſe regum nōnullos omni ope inſinuantes, incœpti rurſus piget.
Implacidiſsima res eſt ægrotantes, præ cōſilij inopia, ut inquit Ion: nam uxor faſtidio eſt,
medicum incuſant, lectulo ſuccenſent, denique amicus inuiſens moleſtus eſt, abienſq;
rurſus offendit. Poſtmodum uerò remittente morbo, temperamentoq; reddito ſenſim ue
nit ſanitas, iucunda iam omnia faciens & placida, adeò qui oua pridie, amylum, & prima
rium panem faſtidioſe expuerat, cibarium poſtridie panem auidiſsimè cum oliuis aut na-
ſturtio comeſt. Tantum eſt in firma ratiocinatione momentū, ad unūquodq; uitæ inſtitu-
Alexandri ingens ambitio. tum immutandum: ea uis ad uitam feliciter traducendam. Alexander cùm audiret Ana-
xarchum mundos eſſe infinitos differentē, illachrymaſſe dicitur: percōtantibuſq; amicis,
ecquid lachrymis dignum ei contigiſſet: An indignum eſt, inquit, nos flere, ſi quum infi-
niti mundi eſſe dicantur, hauddum unius domini facti ſimus? Crates contrà manticam
ſordiduḿq; palliolum geſtans, per luſus & riſum uitam quaſi dies feſtos aduſque extre-
mum egit. Atqui Agamemnoni graue erat quòd multis imperitaret;

Noueris Atriden Agamemnona, quem ſuper omneis
Iuppiter exercet, penituſq; laboribus angit.

D Diogenes quū inter uenales de lapide addiceret̃, auctionantē præconē cauillabat̃ humi
iacens, aſſurgereq; illo iubente nolebat: Quid tandem, inquiens, ſi piſcem addiceres? Iam
uerò Socrates è uinculis philoſophabatur, inter ſectatores ſuos diſſerens: Ecce tibi alia ex
parte Phaëthon in cœlum ſcandens, qui ploraſſet ſi nemo patris ei currus equóſque auri-
gandos præbuiſſet. Porrò quemadmodum calceus ad uari pedis figuram obtorqueri e-
tiam ſolet, pes uerò nō item ad obtorti calcei: hunc in modum mentis habitudines quam-
libet oblatam uiuendi rationem ſimilem ſibi reddiderint atq; cōſentaneam. Nec uerò ijs
qui optimam uitam elegerunt, ſuauem quoq; uitam conſuetudo efficit, ut quidam uolue
runt, ſed prudentia potius uitam optimā eandem ſuauiſsimaḿq; facit. Agedum igitur ſca
turientē in nobis fontem animi ſecuritatis defecatiſsimū atq; expurgatiſsimū facere ag-
grediamur, ut quæ nobis extraria aduentitiaq; impendent, accōmodata quadrantiaq; in-
genti æquitate animi ferendo faciamus. Siquidem rebus ipſis male cedentibus, iracundè
ſuccenſere nō conuenit, utpote ad quas ira noſtra prorſus nihil pertineat. Cui uerò id con
tigit, ſi male cedentia arte emendauerit, is ſanè cōmendabiliter egerit. Proinde Plato hu-
manam uitam cum alea comparabat, in qua optimus quiſq; iactus aleatori maximè expe
tendus eſt: ſed utcunque tamen ceciderit, adhibenda artificioſa cura eſt, ut eo quod caſus
tulerit ꝗ rectiſsimè utatur. Quorum tamen ipſorum alterum in nobis ſitum non eſt, aleæ
uidelicet iactus: alterū ſitum eſt, ſi ſapientes ſumus, id quod ſors attulerit æquo ut animo
excipiamus, & ut unicuiq; locum diſtribuamus, quò magis cōmodet id quod bene cecide
rit, quoq; minus incōmodet id quod retrouerſum ceſſerit. Verùm inertes homines, de-
gendæq; uitæ ignari, inſtar morboſi corporis hominum, qui nec æſtum ferunt, nec rigo-
rem, ut in rebus ſecundis exporrecta fronte perfuſi, ſeruare modum nequeūt, ita in aduer-
ſis obducta atq; caperata fœdiſsimè contrahuntur. Conturbant̃ igitur ab utriſq; uel in u-
triſq; potius à ſe, nihiloq; ſecius in ijs quę bona eſſe creduntur. Theodorus ille cognomen
to Atheus dictitare ſolebat, uerba ſe auditoribus dextera porrigere manu, ſed illos ſiniſtra
accipere. Imperiti autē fortunā ſæpenumero dexterā ſe eis applicantē, ad læuā indecorè
uertentes ſeſe ſtatuunt. Prudentes melius, qui ueluti apes ex thymo, acerrimum ac ſicciſ-
ſimū mel cōficiunt, ſic ex rebus ipſi incōmodiſsimis ſępe quippiā cōducibile ſibi, accōmo
datuḿq; eliciūt. Id ꝗd maximè meditandū eſt, ac multa animi exercitatione laborādū. Vt
enim

A enim qui in proteruã canem lapidem librans, cùm ab illa aberrans nouercã non deſtinatò
percuſsiſſet, Ne hoc quidẽ, inquit, modo male: ſic & fortunã retrorſum ꝙ uolumus ceden
tem emẽdare, aliorſumq; uertere licet. Exilij cauſa ſolum uertit Diogenes, ne ſic quidem
male: philoſophiæ enim anſam illud ei prębuit exiliũ. Zenoni Citiæo unica nauis reliqua
erat, hanc ut audiſſet ipſam cum uectoribus, cum mercibus perijſſe: præclarè, inquit, me-
cum fortuna agis, quæ me ad pallium illud obſoletũ, atq; ad porticũ impellis philoſophi-
cam. Quid igitur tandem nobis obſtat, quo minus illos imitemur? A magiſtratu quopiã
excidiſti? ruri uitam ages, circa tua priuatim negocia ſatagens. In principis amiciciam in-
ſinuare te magno ambitu contendens repulſam tuliſti? tutò nulloq; undecunq; tibi exhi-
bito negocio uiues. Rurſus negocijs multis curiſq; implicaris? ne aqua quidem calida uſ-
que adeo mollia membra fouet, quod ait Pindarus, uelut honores & gloria cum poteſta-
te iuncta ſuauem laborem faciunt, & languorẽ facilè exudabilẽ. Atenim quædã te angit
offenſio ex delatione, aut inuidia, aut atroci ignominia? ſecundus hic flatus eſt, ad Muſas
& in Academiã ferens, id quod Platoni accidit, cùm in Dionyſii amicitia quaſi ſæua tẽpe-
ſtate deprehenſus eſſet. Proinde non minimum momentum ad animi tranquillitatẽ facit,
diligenter inſignes & famigeratos homines animaduertere, ſi quid fortè ſimile aliquãdo
ijſdem ex cauſis perpeſsi ſunt. Orbitas, exempli gratia, mœſtitiã tibi affert? reſpice Roma
norum reges, quorum ne unus quidem moriens filio regnum reliquit. Inopiam æquo fer
re animo nequis? quiſnã igitur aut Bœotiorũ eſſe malles, quàm Epaminondas, aut Roma
norum, quàm Fabricius? Sed demus uxorem tuam adulteratã eſſe, noſti'ne illud Agidis
epigramma apud Delphos? Delicijs molli & fluidæ rex dedicat Agis. Audiſtin' Alcibia-
dem uxorem eius Timæam conſtupraſſe, puerumq; ipſum quem pepererat Alcibiadẽ uo
citare ſolitam ad ancillas inſuſurrantẽ? Hoc tamen Agidi non obſtitit, quo minus clariſsi
mus uir maximuſq; euaderet: nõ magis quàm Stilponi filia impudica, quo minus hilariſ-
ſimè uiueret omniũ ſeculi ſui philoſophorũ. Quod ei opprobriũ cùm Metrocles obijce-
ret: Hoccine igitur, inquit, peccatũ meum eſt, an filiæ? Filiæ, inquit, peccatũ eſt, ſed tuũ in
fortunium. Quî fieri, inquit, poteſt? nónne peccata etiam lapſus ſunt? Prorſus, inquit ille.
B At lapſus non eorum quorũ lapſus ſunt, aberramenta quoq; ſunt? Certè, inquit. Quid ab-
erramenta? non eorũ quorũ aberramenta, etiam infortunia? Huiuſmodi illę ſermone pla-
cido, & è philoſophica placabilitate Cynici illius hominis maledicta inania, & irrita obla
tramenta eſſe docuit. Agè iam pleroſq; non modò amicorũ ac propinquorũ uitia, ſed etiã
inimicorũ exacuũt. Conuicia enim, iræ, inuidiæ, improbitates, infeſtiſsimæq; riualitates,
eorũ ſunt maximè tabes in quibus ipſa inſunt: cõturbant tamẽ & irritãt imperitos, nõ ali-
ter atq; uicinorũ iracũdię, aut familiariũ moroſitates, aut ſeruitiorũ praua quędã ingenia,
quibus tu ipſis permoueri ſolitus, uidere mihi ut illi apud Sophoclẽ medici amarã bilẽ a-
maro quoq; medicamẽto eluunt, ſic tu haud è dignitate tua morbis illorũ. prauiſq; animi
affectionibus obſæuire, pariliq; mentis acerbitate reſpondere. Quas enim res agis, nec
ſimplicibus eæ, nec frugi moribus quaſi organis appoſitiſsimis, ſed aſperis bona ex parte
contortiſq; adminiſtrantur. Porrò hæc corrigere, cùm maius eſt quàm ut præſtare poſsis,
tum uerò ne alioqui quidem facilè. Quòd ſi iſtis talibus natura exiſtentibus utens, nõ ali-
ter atq; medici dentarijs forcipibus ancteribuſq; utuntur (ita uocant fibulas quaſdã, qui-
bus uulnera cõmiſſa coaleſcunt) manſuetudinẽ, moderationẽq; præ te ubiq; pro re nata
tuleris, profectò non magis aliena petulantia atq; improbitate offendêre, ꝙ tuæ ipſius af-
fectionis conſcientia lætabere. Nam eos ita agere nõ ab re arbitraberis, non magis quàm
canes quũ oblatrant, indignè natura ſua facere. Alioqui ſi huic imbecillitati atq; puſillani
mitati indulgens, alienis te etiam malis degrauari permiſeris, fallent te miſerũ atq; indies
ægreſcentem moleſta multa, ueluti in locum quendam depreſſum ſubſidentemq; influen
tia. Quid, quòd nonnulli philoſophorũ miſerationẽ improbauerunt, qua ad aſpectum ca
lamitoſorum hominum afficimur, boni uiri contendentes eſſe, opitulari propinquis affli-
ctis & iacentibus, non etiam condoleſcere, aut pari animi remiſsione fortunæ cõcedere?
Iam quod maius eſſe nemo inficias ibit, nec ſi noſmetipſos peccaſſe quid ſenſerimus, ac
prauo ingenio eſſe, propterea nos animo concidere ac mente ęgreſcere ſinunt: citra enim
triſtitiam hæc emendanda eſſe. Quæ quũ ita ſint, uide etiã atq; etiã ne perabſurdũ ſit, per-
mittere nobis uſquequaq; indignari atq; ſuccenſere, ſi non nemo eorũ, queis cum cõmer-
cij quid habemus, parum blandè aut etiam inclementiuſculè nobiſcũ fortè agit. Equidem
uereor, Pacci amiciſsime, ne nos amor noſtri fallat, nec tam infenſum in oblocutorũ pro-
teruiam animũ, ꝙ nimium de nobiſmetipſis merentẽ præferamus. Etenim uehementius

Philoſophiæ cauſa Diogeni exilium.

C ad res quaſdam quodam cum ſtupore affici, præterq́; dignitatem expetere eas & cõſecta-
ri, aut rurſus auerſari, & ab eis abhorrere, nimirum ſimultates hæc inter homines offen-
ſionesq́; afferunt, cùm alij alijs acceptum ferant, aut hæc ſibi intercepta eſſe, aut quòd in il
la incurrerint. Quòd ſi quis pro rerum euentis uerſatilem præbere, quoquo ſe uerſum ſer-
uata moderatione aſſueuerit, dextera ille ſanè facilitate cum hominibus uerſari paſsim di
dicerit. Agè uerò intermiſſum illum nobis ſermonẽ de rebus ipſis reſumamus. Quomodo
enim febrientibus amara omnia atq; ueſca ſtatim guſtata uidentur, quoadusq; alios uide-
rint eadem illa, quæ moroſe ipſi expuerint, nulla prorſus ſumentes ingrati ſaporis ſignifi
catione, quo loco demũ nõ in cibum iam aut potũ, ſed in ſeſe potius culpam in morbumq́;
rejciunt: ſic nos ſi quę nõ ſine querulo mœrore tranſigimus, ijſdem alios defungi magna
animi æquitate, atq; adeò hilari uultu uiderimus, nimirũ rebus ſuccenſere ipſis tantopere
deſinemus. Verumenimuero ut animi conſtantiã in rebus aduerſis retineamus, operępre
cium eſt non tranſmittere illa cõniuentibus, ut aiunt, oculis, quæ præclarè aliquando no-
bis, atq; ex animi ſententia ceſſerint, concinnaq́; mixtura cum deterrimo quoq; euentu ſe
cundiores cõpenſare. Nunc uerò quũ oculos prænitentiũ rerũ aſpectu præſtrictos, ad flo
ridos herbaceosq́; colores auertere recreandi cauſa ſoleamus, contrà mentem noſtram ad
mœſtifica intendimus, uimq́; ei afferentes cogimus ad pœnitendarum maximè rerum re-
cordationem incumbere, eam à pręd icabilibus præ ſeq́; ferendis inuitam renitentemq́; a-
uellimus. Atqui ſubit nunc mihi appoſitiſsimè huc transferri poſſe id quod in hominem
olim curioſum dictum eſt, aliena ad ſe nihil pertinentia perſcrutantẽ: Quid, malùm, homo
maleuolentiſsime, aliena uitia miluinis oculis cernis, tua uerò tranſmittis noctuinis &
conniuentibus? Quid mala tua, uir beate, tam accuratè perſpicis, præſentariaq́; ſemper &
recentia iugi recordatione facis, à pręſentibus autẽ bonis auerſam mentẽ habes? Et quem
admodum cucurbitulæ medicinales deterrimũ ſanguinem ex carne eliciunt, ſic tu peſsi-
ma quæq; tuorum in te congeris ipſum, nihilo illo Chio negociatore melior, qui cùm ui-
num multũ, primæq́; bonitatis uenderet, ipſe ſibi acidum in uappamq́; deprauatũ conqui
rebat. Cuius ſeruus cùm ab eo fortè aufugiſſet, ſciſcitareturq́; ab illo quiſpiã, qua cauſa im
pulſus dominũ reliquiſſet: Quia cùm in manibus, inquit, ei bona eſſent, mala tamen con-
D quirebat. Huius ſimiles multi, ſuauiſsima potulenta tranſmittentes, ad aſpera prauaq́; ſe
conferũt. Non ſic Ariſtippus, idoneus ipſe quaſi in libra ad propendentẽ malorũ lancem
non uergere, ſed ad leuiorem ſublimẽ ſeſe tollere. Hic cùm prædium amœniſsimũ perdi-
diſſet, percontatus eſt unum eorũ qui ſeſe ei maximè condoleſcere ſimulabant, fortunæq;
ſuccenſere: Nónne unicum, inquit, tibi prædiolũ eſſe noſti, mihi uerò agros reliquos tres
eſſe? Certè, inquit ille. Quin igitur, inquit, tibi potius condoleſcimus? Furori em̃ ſimile eſt
perditis indoleſcere rebus, nõ illætari uerò incolumibus: utq; puſilli pueruli quũ quis eis
unum ex multis ludicrũ inuolauerit, reliqua omnia diſijcientes lachrymant & eiulant: ad
hunc modum à fortuna una nos in particula conturbatos, reliquas omnes res nobis inuti
les facere lamentantes & queribundos. Atenim quid habemus? dicet aliquis. Imò uerò
quid non habemus? hic gloriã, ille domũ, hic uxorẽ ex ſententia, ille amicũ fidelẽ. Antipa
ter Tarſenſis quũ moriens bona quę in uita habuerat, in digitos mitteret, ne proſperã qui
dem Athenas nauigationẽ ex Cilicia omiſit. Neq; uerò cõmunia hæc prætereunda ſunt,
ratioq́; horũ utcunq; habenda, quòd uiuimus, quòd ualemus, quòd ſolem conſpicimus,
quòd nec bellum eſt, nec ſeditio, quòd terra arabilem ſe prębet, & mare nullo propè nego
cio cuiuis nauigabile. Poſtremò quòd loqui, quòd tacere liberũ eſt, & negociari, & ocia-
ri. Enimuerò harum rerũ præſentia, tranquilli animi materiã pinguiorẽ nobis dederit, ſi
earundem abſentię deſiderijq; imaginẽ animo noſtro affixerimus, ſubinde nos ipſi admo
nentes, ꝙ ſit ægrotantibus exoptata ſanitas, paxq́; bello implicitis, quàm in uotis pere-
grino ſit & ignobili, gloriam & amicos tali tantaq́; in ciuitate adipiſci: rurſus quàm acer-
bum ſit iam quæſitis excidere. Nec enim, ut opinor, horũ & huiuſmodi magnũ tum quic-
quam ac optabile erit, cùm deperditum fuerit: incolume nihil erit, quippe nihil eo magis
cenſetur quod eſſe deſierit: nec poſsidenda hæc nobis ut præclara, nec tanta anxietate ſer-
uanda ſunt, excubantibus aſsiduè, ne ijs tanq; dignis uiſendisq; rebus ſpoliemur: habita
autem & ſalua, negligenda & quaſi translatiria paruipendenda. Hæc enim utenda, fruen-
daq́; cum gaudio uel eò maximè ſunt, quò iacturã eorũ, ſi ſors ita tulerit, placabilius mo-
deratiusq́; feramus. At uerò multi poëmata, ut Archeſilaus aiebat, aliena, imagines & ſta
tuas operæpreciũ eſſe putant exquiſitè & ad manus, ſingula uiciſsim accedentes, accura-
taq́; mentis atq; oculorũ intentione cõtueri, ſuã ipſi uitã negligentes, quanq; cõſideratio-

nes

A nes permultas, animaduerſionesq́; habentẽ, easq́; nõ iniucundiſsimas, extrorſum ſpectan
tes, alienas ſortes ſuſpicientes, adulterorũ ſimiles, qui ſuas uxores faſtidientes, alienis in-
hiant. Permagni enim refert ad conſtantem illum animi ſtatum, ſe in primis ipſum, ſuaq́;
unius atq; peculiaria æſtimare: ſin minus, ad inferiores certè perpendendos intentionẽ a-
uertere: non ut uulgus hominũ in diuerſiſsimã partẽ ad admirandos eos, quos ſumma ad
faſtigia rerũ extollat, quoties uoluit fortuna iocari. Exempli gratia: Vincti & nexi ſolutos
beatos eſſe autumãt: hi uerò liberos, liberi rurſus eos qui ciuitatis ius habeãt, hi item diui-
tes, atq; hi præſides, præſides itidem reges, poſtremò reges deos, quos etiã ipſos regni pœ
nitet, niſi fulminis fulgurisq́; potentes ſint. Ita fit ut cùm ſuperiorũ eſſe pares non poſsint,
intra ſuam pelliculã haud unq́; acquieſcant. Non mihi curæ ſunt opes Gygis illius prædi-
uitis, inquit ille Thaſius, necdum me magna eorũ admiratio cepit: neq; deorũ mirificis o-
peribus æmulor, neq; item magnificè inhio tyrannidi: longè enim longè hæc ab oculis
meis abſunt. Hæc ille Thaſius. Ecce tibi contrà alius quidã Chius, atq; item alius Galates,
aut Bithynus, non contentus ipſe quòd aut gloriã, aut magiſtratũ inter ciues adeptus ſit,
ſed etiam lachrymabundè expoſtulat, niſi ſenatoria geſtet. Hoc etiã ut dederis, niſi prætu
ram gerat: atq; ut hoc indulſeris, niſi & conſulatũ: Deniq; conſulatũ addideris, pœniten-
da omnia uidebunt, niſi & primus ſit pronũciatus. At hoc quæſo quid eſt aliud, quàm in-
gratitudinis cauſas in fortunã colligentẽ ſeſe excruciare, atq; ipſum ſibi perpetuò pœnas
pendere? Compos uerò mentis homo, non ſi unus aut alter mortaliũ, qui ſexcenties cen-
tena millia Solis ſpectatores alumniq́; terræ ſumus, nominis eum gloria præſtãt, aut etiã
diuitiarum affluentia, lamentabundus protinus & abiectus ſedet, imò uerò quum bene
præclareq́; actum eſſe ſecum præ infinita ærumnoſorũ hominũ multitudine uideat, ſor-
tem ſuam uitamq́; quoties in publicum prodierit, amplectitur. Porrò apud Olympia ui-
ctori nemini eſſe licuit unquam, ut non cum primo quoq; prodeunte cõmitteretur, nullo
arbitrio permiſſo deligendi ſecum congreſſuri: In uita uerò noſtra rerum conditio faculta
tem unicuiq; præſtat ſe ſortemq́; ſuam cum multis multorumq́; conferendi, & celſum ere-
B ctumq́; animi eſſe, magisq́; adeò uiſendum alijs & admirabilẽ ſe præbere, quàm ipſum a-
lios admirantẽ, niſi tamen tanta ſit præditus improbitate, ut Briarei æmulum ſe, aut Her-
culis facere non uereatur. Itaq; cùm primariũ quendam uirum lectica geſtari mirabundus
ſuſpicies, demiſsis continuò oculis lecticarios etiam inſpicito. Rurſus cùm Xerxem illum
rate nauibus apta Helleſpontũ traijcientẽ mirabere ut beatum, reſpice & illos territanti-
bus flagris maris emiſſariũ per Athon effodientes, atque item alios naſo auribusq́; demu
tilatis excarnificatos ob ratem illam æſtu quatiente ſolutam: ſimul arbitrare eos te tuamq́;
conditionem ingenti cõmendatione proſequentes. Socrates quum amicorũ quidam di-
xiſſet: Magno omnia ueneunt in urbe, mina enim Chium uinũ, purpura tribus minis con
ſtat, mellis autẽ hemina quinq; drachmis: manu eum prehendens, in penumq́; farinariam
ducens, obolo, inquit, ſemiſextarius uenit, uilis igitur annona. Inde in oleariã traducens,
duobus, inquit, æris ſextarius: deinde ad naſturtiũ, hoc ſiliqua, inquit, uænit: non magno
igitur omnia in urbe. Simili modo & nos ſi quem audierimus dictitantem, tenuem ac
pudendam fortunam noſtram eſſe, quòd nec conſulatum geramus, nec alium magiſtra-
tum: dicere illi poſſumus, præclaram ſplendidamq́; noſtram conditionem eſſe, nec enim
ſtipem oſtiatim petimus, nec inter phalangarios uectiariosq́; ſubeundis ac moliendis
oneribus fatigamur, nec aſſentatorum more ſupparaſitari potentibus cogimur. Tametſi
(quandoquidem eô iam amentiæ uentum eſt, ut ex aliorum magis noſtra cuiuſque uita,
quàm ex ſeſe ipſa pendeat, naturaq́; noſtra in degenerem quandam inuidamq́; affectatio
nem deprauata, non tam proprijs lætari ſolet, quàm alienis bonis angi) ſi non modò tu
uiſenda illa & famigerata in illis inſpexeris, quos tu perquàm beatos eſſe putas, ſed tan-
quam reducto ac retracto uelo ſpecioſiſsimo, tranſmiſſa gloria illorum & externa ſpecie
penitus introſpexeris, profectò inteſtina multa, peracerba, permoleſtaq́; deprehendes.
Pittacus ille, quem & ſapientia, & fortitudine, & iuſtitia præditum fuiſſe conſtans ad-
modum fama eſt, quum conuiuas quoſdam hoſpites ſuos acciperet, ſuperueniens mu-
lier menſam euertiſſe iracundè dicitur. Quo facto quum conturbatos hoſpites animad-
uertiſſet: Vnuſquiſque ueſtrûm, inquit, malo quopiam affectus eſt, mecum uerò ne hoc
quidem rerum ſtatu nunquam non præclarè agitur. Hic in foro beatus eſſe exiſtimatus,
cum primùm limen domus contigit, iam non dico miſer, ſed miſeria eſſe uidetur: uxor ibi
omnia obtinet, omnia imperioſiſsimè arbitratur, ibi ſemper & paſsim cum ea pugnan-
dum eſt. Permulta uobis dolent, mihi omnino nihil dolet. Huiuſmodi complura tum

C gloriæ, tum opibus, tum regno etiã hærent, ſed uidelicet multitudini pullatæ proſus in-
animaduerſa: obtenditur enim ille faſtus, poſt quem ea omnia latent.

Felix Atride Graiûm decus, undiq; cedunt
Fata beare tibi, dum fors extollit alumnum.

Extraria iſta beatitudo circumfuſis armis, equis, & exercitu, agè audi uiciſsim penitiſsimã
uocem male affectæ mentis ad iſtam gloriæ inſolentiam reclamantis:

Iuppirer implicuit grauibus me ſortibus ingens.

Et ô felices ac beatos, qui procul omni diſcrimine, ignobiles, inglorij, hac uita defuncti
ſunt. His alijsq; huiuſcemodi cõmentationibus exhaurire ſenſim licet querelo ſam illam
animi iniquitatem & fortunæ conuiciatricẽ, abijcientemq; ſeſe præ aliorum admiratione
animum, & ſe ſuaq; prementem erigere. Enimuero conſtantem illum tranquillumq; ſta-
tum animi mirum in modum frangit, altioribus ſpiritibus ad aſſequendum quippiam ꝙ
pro uiribus niti, quaſiq; grandiorib. uelis proportione uehi: quippe immodica nobis atq;
immenſa affulgenre utcunq; ſpe temerè pollicentes, deinde nõ reſpondente ſucceſſu for-
tunam ſtatim iniquitatis geniumq; noſtrum poſtulamus, cùm temeritatis potius nosmet
ipſos damnare deberemus. Ceu uerò fortunæ ſuccẽſendum ſit, quòd uel aratro ſagittam
eiaculari nequeas, aut boue incitato uenari lepuſculũ: quaſiq; iniquus quiſpiã deus ijs ad
uerſetur, qui euerriculis ceruos irriro conatu uenantur, & non ueſania potius atq; impro-
bitate ſua impoſsibilia etiam perficere aggrediant̃. Huius uerò erroris cauſa eſt perditus
amor ſui. Homines enim nimium de ſe meriti dum primas ubiq; partes ſibi magna cõten
tione tribuunt, peruicacia prouecti nihil intentatum relinquunt: nec enim illis ſatis eſt lo
cupletibus ſimul & facundis & conuiuis feſtiuiſsimis iucundiſsimisq; eſſe, ad hæc regum
amicis, & in magiſtratu eſſe, niſi & canes & equos primæ bonitatis habuerint, arque adeo
coturnices & gallinaceos, alioqui animo eſſe compoſito nequeunt. Dionyſius ſenior nõ
ſatis habuit, ſe maximũ ſui temporis tyrannorũ eſſe, ſed indignũ eſſe ratus quòd Philoxe-
no poëtæ in poëtica, Platoni autem eſſet in diſſerendi facultate ſecundus, præimpotenti
ira percitus, illum quidem in latumias demiſit, hunc uerò in Aeginam uenundatum able
gauit. Non ſic Alexander, cui cùm Briſon, qui cum in curriculo de pernicitate certabat,
D conſulta tarditate blandiens uiſus eſſet de ſuo iure deceſsiſſe, uehementer indignatum eſ-
ſe ferunt. Scitè igitur Homerus quum de Achille dixiſſet,

Qualis erat Danaûm martis certamine nemo, Subdidit & illud:
Egerit aſt alius cauſas præſtantius illo.

Megabyſus Perſes cùm in officinã Apellis aliquando cõſcendiſſet, loquitari neſcio quid
de arte pictoria cœpit. Huius ineptias non ferens Apelles: Priuſquàm, inquit, ſermone te
proderes, nõnullam de re opinionẽ præbuiſti, auro ſcilicet iſto cum purpura ſilentiũ ho-
neſtãtibus: nunc uerò officinarij etiamnũ pueri, qui ochrę pigmẽta mihi terũt, tua iſta bla
cteramentá rident. Sunt qui Stoicos ludificari nos putent, cùm ſapientẽ illum ſuũ, quem
ipſi ſibi fingunt, non modò prudentẽ eſſe, & iuſtum, & fortem conſtituunt, ſed & orato-
rem, & imperatorẽ, & poëtam, & regem deniq; uocant, atq; ijdem illi omnia hæc ſibi no-
mina nihilominus aſciſcere nõ erubeſcant, & ſi ſibi tandem deſperanda eſſe ſenſerint, con
tinuò ægreferant: quod quàm ſit rationi conſentaneũ ipſi uiderint, cùm deos quoq; noue
rint ipſos alium alio nomine cõtentos acquieſcere, ut hic Enyalius cognomento dicatur,
quòd bellico furori præſit: ille Mantous, quòd uaticinij: alius Cerdous, quòd lucris. Vn-
de Iupirer apud Homerũ Veneri rebus bellicis interdicit, ut nihil ad eam pertinentibus:
nuptiarias aurẽ & geniales curare eam iubet. Adde quòd quædã natura diſsident, eorum
quæ nobis exoptanda uidentur: ut uerbi gratia, qui dicendi ſtudium aut diſciplinariũ ar-
rium capeſsit, hunc ocioſum eſſe oporter, omniq; negocio uacantẽ. Ciuiles rurſus magi-
ſtratus & regum amicitiæ negocia faceſſere ſolent, crebraq; auocamenta afferre. Vini &
carnium plenior uſus corpus quidem ualidum athleticaq; firmitate facit, animũ uerò im-
becillum & fragilem. Poſtremò immodica in re aut augenda diligentia, aut ſeruanda an-
xietas, diuitijs cogendis cumulandisq; conuenit. Contemptus contrà & deſpicientia ma-
gnum auſpicandæ philoſophiæ inſtrumentũ eſt, & philoſophandi uiaticum. Itaq; nõ om
nium ſunt omnia, uerùm elogio Pythico obtemperantẽ ſeſe noſſe ſtatim oportet, ita natu
ram conſulere, eaq; autore unum quiddam potius capeſſere, quàm ad aliud aliudq; inſti-
tutum uitæ tranſeuntem naturæ ipſi uim afferre. Curribus equus, aratro bos congruit: ac-
celeranti naui adnare aptus delphin, uenando autẽ apro canis ferox accõmodatus. Quòd
ſi quis ideo angitur, quòd leo ſtrenuus idem ac catellus blandulus in uiduę gremio alitus
eſſe

Cõtemptus diuitiarũ, ſingulare adipiſcendæ philoſophiæ inſtrumentum.

A eſſe non poteſt, is ingenti nimirum ſtoliditate præditus eſt. Atqui hoc nihilo melior eſt il-
le, qui ſimul Empedoclis modo, aut Platonis, aut Democriti, de mundo ſcribere uult, en-
tiumq́; naturam peruestigare, ſimul cum prædiuite uetula cõcumbere, ut Euphorion: aut
eorũ ſimilis eſſe qui cum Alexandro ad multã noctem comeſſari ſolebant, ut Medus ille,
idem indignũ eſſe cenſens atq; uix ferendũ, niſi & propter immenſas opes inſignis nõ mi-
nus Iſmenia ſit, & propter uirtutem non minus Epaminonda. Curſores porrò ſuis præ-
mijs acquieſcentes, luctatores facilè ſuas ſibi coronas habere patiuntur. Spartam ſortitus
es, hanc orna. Nam & Solon ait

At nos uirtutem non ita diuitijs
Permutabimus: eſt etenim poſſeſsio firma
Virtutis, ſed opes iam alter & alter habet.

Strato Phyſicus quum audiſſet Menedemũ plures multò diſcipulos, quàm ſe habere: Ec-
quid, inquit, magnopere mirandũ eſt, ſi plures ſunt qui lauari, quàm qui ungi uolunt? Ari-
ſtoteles ad Antipatrũ ſcribens: Alexãdro, inquit, prædicabile id ac præ ſe ferendũ eſt, non
modò quòd quãplurimis gentibus imperitet, ſed etiam quòd rectam de diuinis præter a-
lios opinionẽ habere poſsit. Proinde qui hoc modo lætabilia ſua ipſorũ prædicandaq́; di-
xerint, nec uſqueadeo nihili facienda, hi proculdubio admirandis alienis haudquaq; inta-
beſcent. Nunc uerò cùm nemo noſtrûm uitem ficus ferre dignum cenſeat, nec oleam u-
uas, nos tamen ipſi criminamur aſsiduè, ingrataq́; inexplebilitate premimus, nosq́; adeò
noſtri pœnitet, niſi primas partes inter diuites ſimul & diſertos, domi & militiæ, inter phi-
loſophos & milites, deniq; inter aſſentatores, & eos qui fidenti ingenuaq́; ſimplicitate ue-
races eſſe noſcuntur, poſtremò inter præparcos profuſosq́; feramus, tametſi naturã cerni-
mus mirè nos condocefacientẽ. Vt enim fera animalia alijs alia uictitare natura cõparatũ
eſt, nec omnia aut ſeminibus lectis ali, aut eſu carniũ, aut effoſsis radicibus uoluit, ſed alia
alios eſitare cibos, ſimiliter eadem ipſa natura uaria uiuendi inſtituta humano generi de-
dit, armentario, aratori, aucupi, piſcatori. Oportet igitur unumquenq; noſtrûm quod ap-
B poſitiſsimũ ſibi eſſe intellexit, id ſumere, totoq́; opere incũbentẽ ad illud, de poſſeſsione
eorũ decedere, quæ ad alios pertinere ſenſerit: alioqui ridiculus erit Heſiodus quũ dicit,

Aemulus eſt figulus figulo, atq; fabro æmulus artis
Protinus eſt conſors.

Siquidem non iam artis aut inſtituti conſortio ducuntur ad æmulationẽ homines, ſed &
diuites diſertorum, & nobiles diuitum, & cauſidici captioſorũ, atqueadeo hiſtrionũ plauſi-
biliter in theatris fabulas peragentium, aut ſaltatorũ, aut deniq; ſeruorum in aulis regum
succeſſus, liberi homines atq; ingenui antiquis familijs orti, ad ſtuporẽ uſq; admirantes,
dum ſua omnia pœnitenda ducunt, conturbant ipſi ſeſe, nec mediocri animi ægritudine
conficiunt. Quòd autẽ unuſquiſq; ſecuritatis anxietatisq́; conditoria ac cõceptacula qua-
ſiq; ſcaturigines in ſuopte animo habeat, & omnino bonorum malorumq́; Homerica illa
dolia, non quidẽ, ut aiebat ille, in Iouis limine depoſita, ſed intus in anima ſita, hominum
ſanè diſcrimina declarant, quos affectionibus animi uariè agitari uidemus. Etenim inſi-
pientes bona quoq; præſentia tranſmittunt, pereuntiaq́; negligunt, uſqueadeo ad futurũ
uergunt intentiſsimæ ſemper eorum curæ. Prudentes contrà acri ſe recordatione in rem
præſentem reducentes, uel ea quæ iam non ſunt inſtare etiam atq; adeſſe faciunt. Quippe
id quod adeſt, quodq́; præſens eſt, momento tantùm temporis contingendum ſe præ-
bens, ſecundùm hoc ſenſum effugiens, nec noſtrûm ulla eſſe, nec noſtra intereſſe inſipien-
tibus uidetur. Atq; ut funarius ille in Plutonis æde pictus, quicquid funis ex ſparto intor-
ſit, aſellum propter ſe aſtantem exedere totum ignauiter ſinit: haud ſecus ingrata ac tor-
pens multorũ obliuio, prætereuntia cõmodùm bona excipiens, præclarè res omnes ge-
ſtas, egregia facinora, ſuauiſsima ocia, amœnos hilaresq́; conuictus, deniq; omnem uitæ
partem genio & uoluptati datam obliterans atq; exoleſaciens, nõ ſinit eorũ uitam unam
atq; eandem eſſe ex præteritis præſentibusq́; rebus aptam atq; conſertã, heſternãq́; uitam
à præſenti, præſentemq́; rurſus à craſtina diſcriminans, facta omnia infecta exoleſcente eo-
rum memoria reddit. Porrò qui in philoſophorũ ſcholis augmenta corporũ ſuſtulerũt, ui-
delicet perpeti exhauſtu uaneſcente ſubſtantia, uerbo quidem ij faciunt unumquenq; no-
ſtrûm alium atq; alium à ſeipſo. At qui præterita non continent tanquam perfluente me-
moria, nec identidẽ repetunt, hi iam non uerbo, ſed re ipſa ſeſe faciunt in dies inopiores,
inaniores, ex craſtino pendentes, quaſi uerò nihil iam ad eos annotina, nuperrima, heſter-
na pertineant, atq; etiam quaſi ipſis prorſus ea non obtigerint. Itaq; conſtans animi ſtatus

C hocmodo interpellat. Agè uerò quemadmodũ muſcæ in terſiſsimis ſpeculis arreptantes
delabuntur, aſperis uerò hærent crenuloſisq́; locis facillimè: ſic homines ex iucũdiſsimis
placidiſsimisq́; rebus decidentes, triſtiſsimarũ rerũ recordationẽ tenaciter apprehendũt:
imo uerò quemadmodũ apud Olynthios locum quendã eſſe aiunt, quod ex re ſumpto no
mine Cantharoletron dicitur, in quem congeſti ſcarabei foras erepere nequeunt, ſed diu
multumq́; intus uolutati, orbesq́; nequicq̃ ducentes intereũt ad extremũ: ſic homines in
malorum memoriã reuoluti, eniti poſthac non poſſunt, nec reſpirare. Proinde ut pictores
fuſcos in tabulis colores, omninoq́; ſubducẽdos oculis, prænitentibus alijs & uiſendis co
loribus inducere, atq; interlinere ſolent: ſic homines in ſuo ſibi animo triſtia quęq; maxi-
mè ſilendaq́; euenta, memorãdis alijs & prædicabilibus premere oportet, & tanq̃ obrue
re. Nam deleri omnino prætcrita non poſſunt, nec item in poſterũ prȩſtari prorſus, dunta
xat ab homine. Tam eſt enim uaria, multiplex, reciprocabilis mundi huius harmonia q̃ ly
ræ eſt, aut arcus: nec in humanis quicq̃ eſt quod purum, ſyncerũ, ſimplexq́; ſit. Verùm ut
Muſica ſonis acutis & grauibus conſtat, & Grammatica literis, uocalibus & mutis: at mu
ſicus grammaticusq́; eſt, non qui horum alterutris illorumq́; offenditur, ſed qui utriſque
uti, miſcereq́; accõmodatiſsimè nouit: haud aliter ſapienter is demum inſtituiſſe uitam ui-
detur, qui diuerſiſsimos rerum euentus, mutuoq́; ſibi obuerſarios miſcere ſcitè didicit ſe-
cundos cum aduerſis cõpenſando. Nam ut ſeorſum bona, mala ponantur, humanæ uitæ
cõmoditas non admittit, ſed temperamentũ quoddam ex utriſq; conflari cõuenit, ſi rectè
de ijs ſtatuere uolumus. Non eſt igitur conſentaneũ alteris eorũ ingemiſcere, & tanquam
oneri iniquo ſuccumbere animo concidentes, ſed deterrimi cuiuſq; euentus uim atq; im-
preſsionem meliorum rerum recordatione retundere, omninoq́; cõmodis incõmoda ue-
luti inuolucro quodam uelantes, totius uitæ tenorem ex proſperis aduerſisq́; rebus con-
cretum ac coagmentatum, quaſi concentum quendam efficere harmonica ratione tem-
peratum. Nec uerò, ut Menander putauit, homini ſtatim nato præſtò genius eſt aliquis
Bini hominis auſpicandæ bene uitæ initiator, recteq́; degendæ magiſter, ſed ut Empedocles potius, bi-
genij ſecundum ni nos genij, bifariæ ſortes, quibus ille multa nomina uariaq́; indidit, in lucem protinus
Empedoclem. æditos accipiunt, iam inde autoratos ſibi datosq́; pari propè dixerim mancipij iure. Sic
D autem inquit:

Hic Chthonia ipſa aderat, ſolem & ſpeculans Tanaopis,
Et Lis ſanguinolenta, atque harmonica illa Meropis,
Et Calliſto, atque Aeſchra, Thooſaq́; Dinæeq́;,
Nemerte illa & amabilis, atque Aſaphea,
Obſcuro profert nigrum quæ ſemine fructum.

Harum omnium affectionum impendentia ſemina aiebat genituram noſtram ſuſcipere,
ideoq́; ductum uitæ noſtræ non libratum & æquabilem, ſed ſalebroſum potius atq; aſpe-
rum eſſe: proindc ſapienti meliora in uotis eſſe, dcteriora uerò etiam in expectatione, u-
trorunque autem temperamento ipſum uti ſapientem neutram in partem nimium. Nec
enim is ſolum ſuauiter ad craſtinum diem accedit, quod Epicurus ait, qui peruenturus ad
eum nec nc ſit, ſuſq; deq; facit, ſed & opes, & gloria, & potentia, & dominiũ eos maximè
exhilarant & perfundũt lætitia, qui obuerſarias uitæ conditiones atq; è regione poſitas, ſi
res ita tulerit, æqui boni facturi ſunt. Quippe uehemens cuiuſq; rei appetitio comitem for
midinem habet illius amittendæ, quæ hebetem ipſa lætitiam atq; identidem interpellabi
lem facit, perinde atque flammam flatu uiolentiore inhibitam. Quem uerò ratio docuit
præfidenter & intrepidè ita fortunam alloqui:

Si dederis perlætus ero, repetiueris, æquus:

hunc nimirum ſeſe fretum præſentarijs rebus ſuauiſsimè frui oportet, nec ſuccurrente ia-
cturæ cogitatione, metu ſubinde uellicari. Anaxagoras accepto de filij morte nuncio:
Ego, inquit, quum genui, interiturum ſciui, & ei expectationi ſuſtuli. Hæc Anaxagoræ
affectio tam nobis imitanda eſt, quàm eſt admirabilis. Vnicuiq; certè infortunio ſubteſta
ri illicò licet: Sciebam diarias me opes, nec fixas, poſsidere. Haud ignarus eram, qui mihi
potentiam dediſſent, eoſdem adimere quoque poſſe. Noueram uxorem probam eſſe, ſed
mulierem quoque. Denique non me latebat amicum hominem eſſe, animal natura faci-
lè mutabili, ut Plato dictitabat. Profectò qui affectuum ſuorũ rationem hoc modo com-
parauerit, illaq́; ſibi ſubſidia rationis præſtruxerit, ſi quid ei præter uotum aut retrorſum
fortè ceſſerit, nec tamen improuiſum, quum uulgaria illa nunquam admiſerit, haud un-
quam exiſtimaſſem, in magna ſpe eram, hoc nunquã futurum arbitratus ſum, tum uerò
ſub-

A ſubſilientis micantiſq́; cordis inæquabilitatē abſterſerit, confeſtimq́; ex turbulento & per
cito compoſitū conſtanſq́; ſibi reddiderit. Carneades aduerſorū caſuum proſperis maxi-
mè in rebus admonere ſolebat, quòd omne & totum eſſet id quod præter expectationem
accidit, ad mœrorē ac triſtitiā pariendā. Iam primū Macedonia quota tandem pars eſt im
perij Romani? At Perſes quum illam amiſiſſet, non modò fœdis lamentis fortunam ipſe
ſuam proſecutus eſt, ſed pleriſq; etiam miſerabilis in primis atq; infortunatiſsimus homi-
num uidebatur. Ecce tibi eadem ex parte Aemilius, prouincia deuicto illo decedens, ter-
ræ ac maris imperio ſucceſſori alteri cedēs, coronis & plauſu excipiebat̃, quū omnes eum
inter ſacrificia laudibus in cœlū ferrēt, idq́; haud immeritò, atque adeo meritiſsimò: quip-
pe hic precariū ſe imperiū accepiſſe meminerat, ille contrà nec opinato impręceptoq́; ſibi
caſu à regni faſtigio deturbatus erat. Enimuero Homerus luculēto admodū exemplo do
cuiſſe mihi uidetur, quàm uulnificentiora ſint ea quæ improuiſò inopinatoq́; feriūt. Vlyſ-
ſes peregrè reuerſus, repētinæ morti canis ſui illachrymauit: uxori ſuæ flenti aſsidens non
illachrymauit. Siquidē iam inde aduentans pręſumpta lachrymantis uxoris imagine, eru
pturum hauddubiè in re præſenti affectū ocioſe mancipauerat ſibi, offirmatoq́; prius ani-
mo in poteſtatē redegerat: canis uerò nec opinato interitu perturbatus eſt, cùm ſpacium
in re improuiſa non haberet affectus uim inhibendi. Vt in ſumma dicam, rerum contra
uotum cedentium partim natura ægrè grauateq́; feruntur, partim deprauata opinione
grauari corruptaq́; conſuetudine didicimus, quæ ipſa maxima pars eſt. Aduerſus hæc pre
cium eſt operę promptū & ad manus Menandri illud habere: Nihil admodū atrox paſſus
es, niſi id tu tibi fingis. Nam quid id tua refert, ſi nec carnē perſtringit, nec ad animā pene-
trat? uerbi cauſa, ignobilitas patris, adulteriū uxoris, primi ſubſellij adēpta dignatio, pre-
ereptæ palmæ iniuria, quid ad te hæc attinent? ſiquidē his quoq; præſentibus, nihil te ue-
tat corpore atq; anima rectè atq; adeò rectiſsimè affectū eſſe. Aduerſus illa uerò quæ natu
ra ipſa offenſionis aliquid habent, morbos puto & ærumnas, & mortes neceſſariorū, op-
ponendum eſt illud, Hei mihi: ſed quid hei mihi? nihil enim nō humanū paſsi ſumus. Ete-
B nim nullus magis ſermo nec celerius adiuuat patibilē animæ partē, quū tranſuerſa trahi-
tur ab affectibus, & labitur, ꝙ qui cōmunis nos, naturaliſq́; neceſsitatis admonet, cui ne-
ceſsitati coalitus homo atq; implicitus eſt corporis concretione, quam ſolam anſam in ſe-
ſe obluctanti fortunæ præbet, cætera omnia tutus, quæ præcipua ipſa ſunt & maxima.
Demetrius quum Megarenſium urbem cepiſſet, Stilponem percontatus eſſe dicitur, ec-
quid ſuarum rerum direptum fuiſſet? Ad quem ille, Neminem, inquit, auferentem mea ui
di. Nam quum fortuna cętera omnia diripere, populariq́; ſibi permiſerit, adhuc tamen hu
iuſmodi quippiam in nobis habemus ipſi, quale nec ferre Achiui, nec agere poſsint. Non
igitur æquū eſt, obterere uſq; eô naturā atq; abijcere, tanꝙ nihil fortitudinis, nihil tolerā-
tiæ habentē, neutiquam fortunæ uiolentię parem. Sed cùm probè norimus id quod in ho
mine fortunę obnoxiū eſt, contemnendā & exiguam noſtri partem eſſe, futilem, & ad pri
mam quanq; impreſsionē cedentem, mollitie propémodum friabili: potioris uerò partis
imperium nos tenere, in qua ipſa maxima quæq; bona quaſi illabefactabili loco ſita, uera
quoq; gloria, diſciplinæ, & ſtudia ad uirtutem pertinentia eſſentiam ſuam habent nulla ui
exemptibilem, nunꝙ interiturā: hæc inquam nos ſcientes, inuictos animi præſidentes no
bis, futurorū ſecuros eſſe decet, idq́; ad fortunā dicere, quod Socrates ad Anytum & Meli
tū criminatores ſuos ſimulans ſe dicere: Reuera, dicebat ad iudices, Anytus & Melitus in
terficere me poſſunt, incommodo aut detrimento afficere non poſſunt. Vt enim fortuna
morbis uarijs obruere, opes interuertere, ad tyrannum aut populum criminari potuerit,
non potuit certè malum aut ſocordē, aut demiſſum degeneremq́; animi, aut etiā maleuo-
lum facere, duntaxat uirum bonū, uirilitate ac magnitudine animi præditū, & ut ſemel di
cam, nō potuit rectā animi conſtitutionē adimere, quæ multò plus certè homini confert
ad uitam tranſigendā, ꝙ ars gubernatoria ad emetienda maria. Neque enim gubernator,
quantumuis peritus, æſtuantē undam cōponere, nec impetum ſæuientis flatus retundere
quoquo modo poteſt, non magis quàm portū ubiuis nanciſci, quoties ei ex alto reuehi li
bitum ſit. Sed ne illud quidem ars ei præſtiterit, ut tēpeſtate deprehenſus cōſtanter ac in-
trepidè neceſsitate defungat̃, hactenuſq́; ipſa iuuat, ut tantiſper dum locū arti eſſe nō de-
ſperat, expanſa uela deducens utcunq; cū tempeſtate decidat, ab hoc iam ignauus com-
preſsis manibus ſedet, atq; interim dum mâlus ſupereminet uentorū ui demerſus, uibran
ti pauore cōtremiſcit. At in homine prudente cōpoſitus animus cùm corpori ſerenitatem
affert, continentia uidelicet & uictu laboreq́; temperatis morborum cauſas materiamq́;

C abſtergentibus,tum ſi quod extrinſecus fortè argumentũ perturbationis exiſtat,in quod
animus hominis quaſi in ſaxoſum uadum incurrerit,expedita,inquit Aſclepiades,ſuſpen
ſaq; antenna tranſilit. Quòd ſi quid atrocius ingruerit,maiuſq; quàm ut præſtari ab homi
ne,aut etiam perferri potuerit, non longè eſt portus, enareq; eſt è corpore, perinde atq; è
lembo ſolutili, uectoremq; iam non capiente. Stulti uerò non tam uitæ deſiderio q̃ mor-
tis terrore tanquam de corpore penduli, circunplicati hærent, non aliter atque Vlyſſes è
caprifico pependit, quum ſub ſe frementẽ Charybdim perhorreſceret, ubi neque mane-
re uentus, neq; nauigare ſinit, ita ut & illic nõ libenter hæreret, & ad hãc pauore affectus
eſſet. Enimuero ſi quis naturã animæ noſtræ uel quoquo modo ſubodoratus ſit, ſecumq;
reputauerit tranſitũ ex hac uitę conditione ad aliam meliorẽ fieri per mortẽ,aut certè non
deteriorem, profectò is non modicum iam uiaticum habet, quo ſe ad ſecuritatẽ animi ac
tranquillitatẽ conferat,mortis ſcilicet contemptũ. Etenim cui licet tum præualente uirtu
te,quæ propria & peculiaris eſt hominis,ſuauiter uiuere, tum alienis ab homine rebus &
præter naturam inditis,præpotentibus,propriaſq; res ipſas obruẽtibus,demũ præfiden-
ter animũ deſpõdere,ut ſecum ipſe dicat, Abire ſanè, abire mihi licebit primo quoq; tem
pore,atq; bona Dei uenia cùm ipſe uoluero: ecquando huic obſecro,aut moleſtum quid,
aut inextricabile, aut turbulentũ deniq; accidere poſſe arbitremur? Quiſquis uerò ille eſt
qui celebratum illud protulit: Anteuerti te fortuna,teq; occupaui, atq; omnes tuos aditus
quamlibet arctos intercepi: is nimirum non peſſulis,non clauibus,non ſtructuris animaſ-
ſe ſeſe erexiſſeq; uidetur,ſed decretis potius philoſophicis,elogijſq; ſapientũ,quæ tamen
ipſa in medio poſita ſunt,obuiaq; omnibus,atqueadeo in manibus,dũtaxat ſumere uolẽ-
tibus. Neq; uerò deroganda ijs fides eſt,quæ poſteritatis memoriæ cõſecrata ſunt,neq; eo
rum quicq; deſperandum ueluti inimitabilę,ſed quàm mirari ea & ſuſpicere decet,& quo
dam quaſi afflatu numinis eorum obſtupeſcere, tam ſeſe oportet ad æmulationẽ compa-
rantem ita ſpecimen ſui facere, ut rudimento in paruis poſito, maiora deinceps maioraq;
audendo proficiatur in ſummã. Verùm ſummopere uidendũ, ne harum rerum meditatio
nes ex animo excutiamus, néue ſæpe hæc animo agitare grauemur. Neq; hoc magnope-
re negociũ faceſſet. Siquidẽ ut moleſtiã nobis affert, ſocordiq; imbuit atq; inexercita mol
D litie ſuauitas quædã animi,quæ in prona quaq; re maximè nulliuſq; negocij uerſata, ex re
bus præter ſententiam contingentibus referre pedem, & ad ſuauiſsimas quaſque conuer
ti praua quadam indulgentia permittere ſibi didicit: ita ſi quis morbi, dolorum, exilij ima
gines agitandas animo affingere aſſueſcat, & ad unumquodque ſingillatim perpenden-
dum excutere diligenter ratiocinationis ſuæ uires imperauerit ſibi, hic hic proculdubio
deprehendet, quæ moleſta, atrocia,,horrenda uidentur, uana reuera atque aſpernabilia
magna ex parte exiſtere, prout ratio in ſingulis demonſtrat. Atenim multitudo Menan-
drium illud perhorreſcit: Non eſt qui uiuus gloriari poſsit, hoc ego non patiar: nempe
ignorantes quantum ad uitandam triſtitiam conferat meditari & aſſueſcere inconniuen-
tibus atq; etiam ferocientibus oculis fortunam obtueri, nec cogitationibus indulgere te-
nellis, ac uerſatilibus delitijs & umbratili uitæ coalitis, ad omnem ſpei fulgorem præſtri-
ctis,non rei cedentibus. Tametſi Menandro ita reſponderi poteſt: Non eſt qui uiuus glo
riari poſsit,hoc ego non patiar: at eſt qui uiuus dicere poſsit,hoc non faciã, non mentiar,
non uereratoria uerſutia circunſcribendis hominibus utar,non interuertam,non inſidio-
ſe captabo. Hoc enim quum in nobis ſit poſitum, maximum iam eſt adminiculum erigen
tibus ſeſe ad animi ſecuritatem: quo modo uice uerſa facinoroſa conſcientia inſtar eſt in
anima ulceris in corpore, utpote quæ pœnitentiam relinquat lancinantem iugiter,per-
uellentemq; animam. Nam quum alias omnes triſtitias tollere ratio ſolita ſit, ſolam hæc
eadem pœnitentiam facit ſua ſponte incitabilem præ pudore, quaſiq; mordicus impeten
tem ſeſe atq; excarnificantẽ. Quemadmodum porrò qui rigente febre perfrigeſcunt, aut
æſtuante exuruntur, acrius infeſtiuſq; afficiuntur, quàm qui æſtu rigoréue exterius hæc
eadem patiuntur: ſic obtuſiores triſtitias habent fortuita & temeraria,utpote aduentitias.
Atqui illud,Nemo mihi alius præter me inculpandus eſt,quod ſceleribus perpetratis ſuc
clamari flebiliter ſolet,dolorem turpitudinę grauiorem facit. Ita nec ædificiorum elegan-
tia,nec auri pondus, nec generis nobilitas, nec imperij magnitudo, nec deniq; facundiæ
lepos,dicendiq; acrimonia,tantam uitæ ſerenitatẽ afferunt,tamq; placidã tranquillitatẽ,
quantam affert animus ab negociorum anxietate feriatus, & à prauis conſilijs purus, qui
uitæ fontem (ingenium & mores intelligi uolo, à quibus cõmendabiles actiones ma-
nant) inturbidũ ac defecatum habens,actiones omnes ſuas hilaris, uelutiq; aſpirante nu
mine

Mortis contemptus precipuũ ad animi trãquillitatem uiaticũ.

A mine celſus ſemper erectusq́; profert, quarum perenni reminiſcentia paſcitur ſuauiore ac
certiore Pindarica illa ſpe, ſenectutis, ut ipſe inquit, altrice. Nec uerò, ut Carneades dicti-
tare ſolebat, odorata roris marini fruteta, quamuis acciſis ſtirpibus, aut etiã conuulſis ex-
hauſta, ſuaueolentiam tamen ad multum tempus referunt: in animo uerò ſapientis actio-
nes honeſtæ gratam quandam recordationẽ, ſemperq́; recentẽ non relinquunt. Qua ipſa
recordatione lætitia illa inteſtina ueluti perenni riuo perfuſa uiret ſemper, & tanq̃; frui-
catur, pudendo eorum errore, qui ſubinde lamentabundi uitam iſtam criminantur, ma-
lorum conciliabulũ dictitantes eſſe, quoddamq́; quaſi exulantiũ cõuenticulum, in quod
tanq̃; ſolum uertentes animas ſupernè ablegatas eſſe. Equidem Diogenis illud dictũ me
morabile eſſe cenſeo, qui quũ Lacedæmone peregrinũ quendã cõſpicaretur ambitioſiſſi
mẽſe ad diem feſtum cõponentem: Quid, inquit, uiro bono nónne dies omnis feſtus eſt?
nempe ſi ſapimus etiã feſtiuiſsimus. Eſt enim mundus fanum quoddã ſanctiſsimũ, & ma *Chriſtianiſsima*
xime Deo dignũ: in hoc homo fanũ naſcendo admittitur, non quidẽ ſpectatum ſimula- *ſententia.*
chra fabrefacta, ac ſenſus expertia, ſed ſolem, lunã, ſydera, à quibus uitæ motusq́; princi-
pia manant, quæ prouidẽtia nobis uiſenda præbuit, ut ſenſibilia ſanè ſint intelligibilium
ſimulachra atq; imitamenta, ut Plato inquit. Adde flumina nouam ſemper aquã euehen-
tia, terramq́; tum ſtirpium, tum animalium generi pabula proferentem. Huius celebrita-
tis ac ſpectaculi initiaturam ueriſsimam, atq; auſpicatã uitam noſtram, ſecuritatis animi
perfuſiq́; gaudij plenam eſſe oportet, nec expectãda nobis ſaturnalia, bacchanalia, quin-
quatria, quod pleriq; faciunt, qui hos alioſq́; dies feſtos aduentantes magna expectatio-
ne, ineunteſq́; deniq; lætitia geſtiente, iocoq; excipiunt, ut in quibus licentiore laxamen
to uenali ſeſe riſu oblectent, mercedes hiſtrionibus & ſaltatoribus animi cauſa penſitan-
tes. Quid uero indignius, quàm quód per huiuſmodi ludos animis tranquillis compoſitè
ſedemus (nemo enim aut lamentatur initiando, aut flet Pythia ſpectando, aut eſurit per
ſaturnalia) eas autem celebritates quarum Deus autor nobis ipſe, & propè dixerim præ-
ſultor eſt, per lamenta, acerbitates animi, ærumnoſamq́; uitam tranſigẽtes, fœdamus ple-
runq; atq; funeſtamus. Indigniſsimum certè illud, quód quũ organis in concentum pulſa
tis, inflatis, tactis, oblectemur, atq; auiculis itidem cõcinentibus, ad hæc animalia luſitan
B tia, tripudiantia, libentes ſpectemus, rurſus ululatu, fremitu toruo, trucíq; eorundẽ aſpe-
ctu offendamur, nihilominus noſtrã ipſorũ uitam triſtẽ, tetricã, uultuoſam, infeſtiſsimis
affectibus, negocijs, curiſq; inexplicabilibus obrutã, omninoq́; intemperijs actã cernen-
tes, non modò laxamentũ quoddã nobis reſpirãdiq; ſpacium implorare nequeamus. ſed
neq; alios ad id nos hortantes audiamus. Quorũ ſi monitis obtemperaremus, ſimul præ
ſentibus pro re nata citra ullius reprehenſionem uteremur, ſimul præteritorum grata re-
cordatione acquieſceremus, poſtremóq; ad futura intrepidè ac præfidenter certa atq; ala
cri prælucente nobis ſpe accederemus.

Plutarchi de fortuna Romanorum libellus.

GVLIELMO BVDAEO INTERPRETE.

CVM multa ſæpe ingentiáq; certamina uirtus & fortuna inter ſe decertauerunt, tum uerò hoc in præſentia decertãt, de Romanorũ utiq; imperio ueluti iudicio cõtendentes, utrius tandẽ hoc facinus, utra hanc genuit tantam potentiam, haud immeritò. Locuples enim hoc erit ei teſtimoniũ ſecundum quam iudicatum fuerit, uel nõ leue potius erit aduerſus crimina refutamentũ. Etenim male audit uirtus, ut bonum, ſed diſpendioſum: fortuna uerò ut inſtabile quid, tametſi bonũ: & illam nullo te operæprecio afflictare, hanc minimè firma largiri dicũt. Proinde quis neget utri earum addicta Roma fuerit, aut cõmodiſsimam uirtutem, quæ bona in bonos tanta contulit, aut fideliſsimam fortunam, tanto iam tempore dona ſua incolumia aſſeruãtem? *Fortuna & ſapientia res diſsimillimæ, ſimillimarum autẽ effectrices.* Ion igitur poëta in ijs quæ proſa oratione ſcripſit, fortunã, inquit, & ſapientiã res diuerſiſsimas ſimillimarũ rerũ effectrices eſſe: utranq; enim uiros augere, ornare, in gloriã euehere, in opes, in imperia. Quid uerbis opus percenſendis omnibus? Ipſam omnia nobis ædentem, conferentemq́; naturam, quidam fortunam eſſe autumant, quidã uerò ſapien-

C tiam.Itaq; ſpecioſam huiuſmodi diſceptatio,mirificamq; dignationem urbi Romæ com-
parabit,ut quæ ſimiliter in quæſtionem ueniat, quemadmodũ terra, mare, cœlum,aſtra,
utrum à fortuna ſint,an potius à prouidentia condita. Equidem (quanquam ferè uirtus
& fortuna inter ſe pugnare diſsidereq; ſolẽt)de tãti nimirũ imperij potentiæq; coagmen
to,fœdere eas icto conſpiraſſe,ex compoſitoq; coëuntes, humanarũ rerũ pulcherrimam
conſummaſſe, ſartamq; adeò & tectam reddidiſſe, non ab re mihi perſuaſiſſe uideor.Et
quemadmodũ Plato ex igne inquit & terra, ut neceſſarijs & primis, uniuerſum procrea-
tum mundum,ut uiſibilis tractabiliſq; eſſet,hac utiq; libramentum firmamentumq; con-
ferente,illo colorẽ, formam, & motum, at medias naturas aquam & aërem,extremorum
diſsimilitudinẽ mitigantes,accõmodanteſq; coagmentaſſe per ſeipſas, cõmiſcuiſſeq; ma
teriam:hunc in modum exiſtimo tempus quod Romanũ nactũ eſt oriens imperiũ,beni-
gnitate deûm fortunã uirtutẽq; cõmiſcuiſſe,& cõiugaſſe,ut ſumpta accõmodata utriuſq;
ui,auguſtũ prorſus beneficũq; ſacellũ humano generi abſolueret,firmamentũq; adeò ſta
bile & ſempiternum elementũ,quod aberrantibus fluctuabundiſq; humanis rebus anco
ræ inſtar eſſet,ut inquit Democritus. Rurſus, quemadmodũ Phyſici dicunt,mundũ non
fuiſſe mundũ,nec potuiſſe corpora in unum coëuntia cõmunem ex omnibus ſpeciem ędi
diſſe,ſed eorum partim minutis huc temerè,& illuc iactatis et dilapſantibus,& cõplexus
fugientibus,partim craſsioribus cõpactioribuſq; acria inter ſe certamina, turbidoſq; mo
tus concientibus,iactationem magnopere,& ueluti æſtum extitiſſe,corruptionibuſq; &
erroribus, & tanquam naufragijs permixta omnia fuiſſe,antequàm terra ex concretis in-
ter ſe corporibus iuſtam magnitudinẽ indepta,ſuopte ipſa libramento fixa,cæteris quoq;
naturis fixam ſedem præbuit:ad hunc propè modũ maximis inter homines potentatibus
& imperijs,prout fortuna tuliſſet agitatis, interq; ſe offenſantibus, quòd uidelicet nulli
præualerent,omnes autem adniterentur, incredibilis internicio, erroręq; & omniũ immu
tatio fuit,quoad inualeſcente,augeſcenteq; urbe Roma, partimq; ſui ſibi cœli gentes po
puloſq;,partim genere abhorrentes, tranſmarinoſq; regũ principatus accõmodante,ſe-
dem tandẽ eam maxima quæq; habuerunt præſidiũq;, & tanquam pacis mundum impe
D rijq; orbẽ nullo errore uerſatilẽ, omnimoda quidẽ ijs uirtute ingenita, qui huiuſmodi re-
rum cõpetentiam præmoliti ſunt,multa uerò fortuna conſpirante,ut hinc iam licebit pro
cedente oratione demonſtrare. Enimuero nunc mihi uideor uelut ab edita ſpecula fortu-
nam uirtutemq; deſpicere,ad huius cõmiſſum certaminis ingredientes:ſed uirtutis qui-
dem mitis inceſſus,& aſpectus æquabilis, adhibetq; ad contentionẽ uerecundam quan-
dam ambitionẽ in uultu eminentẽ,ſed longè relinquitur præproperante fortuna.Dedu-
cunt aũt eam & cateruatim ſtipant Arma cruenta uiri geſtantes marte perempti,aduerſis
ijdẽ uulneribus obſiti,ſanguine ſtillantes ſudore mixto,ſemifractis innitentes ſpolijs.A-
gedum percontemur,ſi placet,qui tandem hi ſint.Fabricios eſſe aiunt,&Camillos,& Lu
cios,& Cincinnatos, & Fabios Maximos, Claudios Marcellos, & Scipiones. Video &
C.Marium fortunæ infenſum.Mutius etiamnum Scæuola uſtulatam manũ oſtentat uo-
ciferans:Num hanc quoq; fortunæ dabis? Marcus quoq; Horatius, uir ille ſtrenuus,pro-
pter ripam Tyberis Tyrrhenis telis obrutus,claudicãte crure exultans,uelut ex imo uor-
tice ſucclamat:An ego fortuitu etiã mutilatus ſum? Huiuſcemodi habitu comitatus uir-
tutis ad cõmittendum certamen incedit,grauis in armis luctator,formidoloſus hoſtibus.
At uerò fortunæ pernix quidem motus,& confidentiores ſpiritus,ſpeſq; ferociens. Reli
cta autem uirtute longè anteuertens præſtò eſt, nec ſolitis tamen ipſa pẽnis ſublimis,aut
ſummos in ungues arrecta uolubili pilæ inſiſtẽs,lubrica ancepſq; accedit,ſubindeq; acer
ba diſcedit:ſed ut Spartiatæ Venerem aiunt Eurotam traijcientem, ſpeculo, mundo,ce-
ſtoq; poſitis,haſtã ſcutumq; ſumere Lycurgo ſeſe comentem, ſic fortuna deſtitutis Perſis
& Aſſyrijs,Macedoniã celeris peruolitauit, excollatoq; protinus Alexãdro, Aegyptum
& Syriam regna circunferens peragrauit,identidemq; cõuerſa Carthaginenſes ſuccolla
uit.Poſtremò in palatium ſe conferens, traiecto Tyberi, poſitis (ut credere par eſt)alis,
exutis talaribus,abiecta inſtabili ueſtigiaq; fallente pila, ita Romam ingreſſa eſt, ut con-
ſtanter permanſura,taliſq; nũc ſeſe ad iudicium ſiſtit,nõ incomperta,ut inquit Pindarus,
nec geminum temonem uerſans,ſed Iuſtitiæ Suadæq; ſoror Prouidentiæq; filia,quo mo
do generis eius ductum explicuit Alcman,inter manus geſtans decantatiſsimũ illud Co
piæ cornu,non pomorum exuberantiũ aſsiduè plenum,uerùm quæ fert cunq; omnis ter-
ra,omneq; mare,ad hæc quæ amnes,portus, metallorumq; uenæ, largiter copioſeq; fun-
dens. Clari egregijq; uiri nõ pauci cum illa uiſuntur.Numa Pompilius ex Sabinis, & Pri-
ſcus

A ſcus ex Tarquinijs, quos aduenas peregrinosꝗ́ reges in Romuli ſolio conſtituit. Paulus
Aemilius à Perſe & Macedonibus illibatū & integrum exercitū reportans, incruenta ui-
ctoria triumphans, fortunam in cœlū laudibus effert. Effertꝗ́ & Cæcilius Merellus Ma-
cedonicus ſenex, ſuccollantibus elatus quatuor filijs conſularibus, Quinto Vanarico, Lu
cio Diaduma, Marco Metello, et Caio Caprario, duobusꝗ́ item cōſularib. generis, nepo
tibusꝗ́ ornatiſsimis uiris, clariſsimis rebus domi miliciꝗ́ geſtis. Aemilius Scaurus ex ob
ſcura uita, obſcuriore genere ortus, nouus homo, ab ipſa ſublatus magni princeps cōſeſ-
ſus eligitur. At uerò Corneliū Syllam ex Nicopolis meretriculæ ſinu aſſumptū, ſuſtollēs
ipſa ſuper Cimbricos etiā Marij triumphos ſeptemꝗ́ cōſulatus, imperijs dictaturisꝗ́ affe
cit. Is ſe ſuasꝗ́ res geſtas omnes fortunæ uendicans, cū Sophoclis Oedipo uociſerat: For
tuna ego me parente prognatū fero. Et Romana quidem lingua ſelix uocitabatur: Græ-
cis uerò hunc in modum ſcripſit: Lucius Cornelius Sylla uenuſtus. hoc enim modo apud
nos Chæroneæ trophæa & Mithridatica inſcripta ſunt: nec ab re, quippe plurimū uene-
ris habet non nox, ut Menāder tradidit, ſed fortuna potius. Nónne igitur ſi quis in auſpi-
canda hac concertatione à fortuna ſteterit, poſsit Romanos teſtes ipſos citare ueluti ſor-
tunæ plus quàm uirtuti tribuentes? Nempe Virtutis apud eos Numantinus Scipio tem-
plū ſerò multisꝗ́ pòſt annis ſacrauit: poſt quod Marius Virtutis & Honoris, ab hoc Men
tis Aemilius Scaurus, ſub Cimbrici belli tempora natus. Hi quum iam oratorum rheto-
rumꝗ́ argutię in urbem irrepſiſſent, huiuſmodi nomina rerum honoribus proſecuti ſunt.
Sapientiæ uerò ad memoriā noſtrā nulladum ædes ſacrata eſt, non magis ꝙ prudentiæ,
aut magnanimitatis, aut tolerantiæ, aut continentiæ. At fortunæ delubra eximia, & anti- *Fortunæ multa*
qua, & propè dixerim cum primis urbis fundamentis coniecta ſunt. Primus fortunæ de- *apud Rom. de-*
lubrū Ancus Martius ſubſtruxit, nepos Numæ, & à Romulo quartus. Is ſortunā uirili no *lubra.*
mine dicauit, propterea fortaſſe quòd in uictoria ſortiter obtinenda maximę ſunt etiā for
tunæ partes. Muliebris ſortunæ templū ante Camillū extructū eſt, quū Marcū Coriola-
nū infeſto Volſcorū exercitu in urbē uadentē muliebres retrò blanditiæ in Volſcos auer
terunt. Hæ mulieres cum matre uxoreꝗ́ eius legatione ſuſcepta, exorauere peruicereꝗ́
B tandē ut patriæ parceret, barbarorumꝗ́ illinc exercitū abduceret. Quo tempore ſortunæ
fertur ſimulachrū hanc quū ſacraretur uocem edidiſſe: Sanctè me legibusꝗ́ patrijs ſœmi
næ conſecratote. Furius porrò Camillus quū Celticū ignem reſtinxit, Romamꝗ́ oppen-
ſam auri æquilibrio à libræ lance decuſsit, nec prudētiæ, nec ſortitudinis ædē, ſed famæ, &
Aij tantū Locutij in uia noua extruxit, quo in loco ante bellū Gallicum uocem à Marco
Decio auditam noctu illac trāſeunte inquiunt, bellum illud inſtare denunciantē. Quam
uerò ad Tyberim Fortem fortunā uocant, quod eſt ualidā, ſtrenuam, & bellacem, perin-
de atꝗ omnem in ea egregiè uincendi uim ponentes, in hortis extruxerunt à Cæſare po-
pulo legatis, uniꝗ illum exiſtimantes ſortunæ quoꝗ benignitate maximū euaſiſſe, quod
ipſe teſtatus eſt. Nam Caium Cęſarem dicere uererer in tantum ab ea faſtigiū euectū, niſi
hoc ipſe profiteretur: qui ubi Pompeius à Brunduſio ſoluit, pridie Nonas Ianuarias ſole
in bruma exiſtente, mare quidē in nullo negocio traiecit, ſortuna dubio procul hyemem
inhibente. Aſſecutus aūt Pompeiū copijs ingētibus inſtructū, tum marinmis, tū terreſtri
bus, in ſtatiuisꝗ́ tum agentē, ipſe contrà paruis tranſportans copijs, reliquis quæ ſub An
tonio Sabinoꝗ́ erant ſubſequi cunctantibus, ſuſtinuit, nauiculā clàm ingreſſus in ſeruiꝗ́
habitu compoſitus, ut nauiculariū gubernatoremꝗ́ falleret, ipſe ſeſe fluctibus cōmittere.
Porrò quū ad fluminis oſtium gubernatorē obluctantibus undis citatoꝗ́ æſtu erumpen-
di ſpem abieciſſe cerneret, tum demū retecto uultu ſeſe prodens: Agè uir, inquit, genero-
ſe, aude, nihil quicꝗ timeas, fortunæ tantū uela uentisꝗ́ permitte. Deniꝗ quū Cæſarē ue
has, Cæſarisꝗ́ ſortunā, aude fidentiſsimè. Ita ſanè credebat fortunā ſecū nauigare, pere-
grè ire, militare, exercitum agere. Profectò fortunæ unius fuit tranquillitatem mari, calo-
rem hyemi, ſegnibus pernicitatē, ignauis ſtrenuitatē imperare, quodꝗ́ fide maius eſt, fu-
gam Pompeio, Ptolemæo hoſpitis necē, uidelicet fortuna præſtante, ut & Pompeius in-
teriret, nec Cæſar ſcelere obſtringeret. Quid? filius eius qui primus Auguſtus dictus eſt,
& quatuor ac quinquaginta annis imperauit, nónne nepotem in militiam mittens, à dijs
ſortitudinem quidem Scipionis ut illi darent optauit, Pompeij autem beneuolentiam,
ſuamꝗ́ ipſius fortunam? nempe ſibi adſcribēs ut ingenti operi ſortunā artificem, quippe
quæ ipſum Ciceroni, Lepido, Panſæ, Hircio, Antonio, & Marco cōmendans, rebus illo-
rum geſtis, manib. & uictorijs in inſolitā amplitudinē ſuſtollens, hosꝗ́ uiciſsim premēs,
uni ei gradum reliquit ad tantum ſcandenti faſtigium. Illi nanque Cicero res urbicas,

C Lepidus bellicas adminiſtrabat, Panſa uincebat, Hircius cadebat, deniq; Antonius illi à
ſenatu boniſq́; deſciſcebat. Nam Cleopatram quoq; Cæſaris ego fortunæ aſsignauerim,
apud quam uelut marinum quendã ſcopulũ ſubmerſus ac contritus eſt tantus Imperator,
ut unus ſupereſſet Cæſar. Memoriæ proditũ eſt, quũ mutua conſuetudine familiariſsimè
uterentur, ſæpenumero ſeſe ludo illis oblectantibus aut pilæ, aut teſſerarum, aut altilium
etiã certamine, coturnicũ, aut gallinaceorũ, nunq; non uictum Antoniũ abire, reprehen-
ſumq́; eũ ingenuè ſæpe ab uno amicorũ, qui uaticinandi peritia ſeſe apud eũ uenditabat,
ijſq; ferè uerbis admonitũ: Quid tibi cum hoc iuuene? faceſſe ab eo primo quoq; tempo-
re. Clarior es rerum geſtarũ gloria, ętate ſenior es, plurib. imperas, operã in bellis nauaſti,
rei militaris uſu pręſtas: uerũ tuus, inquit, genius geniũ huius ueretur, tuaq́; fortuna, alio-
qui per ſe ampla, illius fortunæ aſſentatur: quòd niſi longiſsimè hinc abeas, hauddubiè te
deſerto ad eum iamiamq́; trãſibit. Hos habuit fortuna teſtes, quos ad hoc iudiciũ citaret.
Veniamus nunc ad ipſarũ rerum teſtimonia, quæ diſquiſitio nobis à primordijs urbis re-
petẽda eſt. Iam inde igitur quis neget ad Romuli geniturã, ſalutem, educationẽ, et auctũ,
præſtantiſsimarũ quidẽ ueluti fundamenta uirtutũ iacta, uerũ à fortuna ſubſtructa? Prin-
cipiò enim quod ad geniturã partumq́; ipſorum urbis conditorum pertinet, mirificæ cu-
iuſdam felicitatis fuiſſe uidetur, utpote quorum mater ex diuino cõpreſſu peperiſſe dicit:
& ut Herculẽ genitum longiſsima nocte inquiunt, die contraquàm per naturã licet inhi-
bito remoratoq; ſole: haud aliter ſub conceptũ proſeminationẽq; Romuli memoriæ pro-
ditum eſt, ſolẽ deliquium paſſum iuſto eius cum luna coitu, ſimiliter atq; Mars deus Syl-
uiaq; mortalis id horæ coierant. Quod idem quoq; ipſi Romulo contigit quum è uita mi
grauit. Aiunt enim Nonis eum Capratinis ſub ſolis deliquiũ non cõparuiſſe, quam diem
ad hoc tempus celebrem ſolennemq; habent. Verumenimuero genitos eos tyranno in-
terimere uolente, fortunæ beneficio ſuſcepit non barbarus, non trux facinoris miniſter,
ſed clementia quidam & humanitate præditus, ita ut ne interficeret. Fluminis ripa, quà al
luuies expatiari ſolebat, herbido prato ueſtita erat, hanc obumbrabant arbuſta humilia,
ibi ille infantes exponit propter caprificũ, quam ruminalẽ uocant. Lupa tum fortè orba,
lacte exuberans, diſtentiſq; ſupra modũ grauata uberibus, leuari onere cupiens, infanti-
D bus amplexabunda incubans ſugendas papillas præbuit. Auis autẽ ſacra, quẽ Picũ Mar-
tium uocant, ad eos uentitans, leniterq; eis inſidens, eorũ oſcula unguiculis diducens, in
ea turundã indebat conſueti ſibi cibi. Propterea ruminalẽ caprificum nuncuparũt, priſcis
utiq; Latinis rumã papillam uocitantibus, quam lupa ingeniculans infantibus ſummiſe-
rat. Ex eo factũ, ut loci illius accolæ diu infantes nullos omnino exponerent, ſed omnes
quotquot geniti eſſent tollerent, in Romuliq; honorem & imitationem educarent. Profe
ctò quòd tandiu feſellerũt apud Gabios educati & inſtituti, ut à nullo non ignorarẽt Syl
uiæ filios, Numitoriſq; & regis Amulij nepotes eſſe, uaframentum id fortunæ commen-
tumq́; uidetur, nimirum id agentis, ne ante ædita facinora generis inuidia interirent, ſed
ut rebus potius egregijs geſtis hominibus innoteſcerent, uirtutiſq; exemplis æditis docu
menta ſui prima darent. Hîc mihi in mentem uenit dictum quoddã Themiſtoclis, magni
prudentiſq; imperatoris. Quum enim Athenis iuniores quidã eo imperatores proſperè
rebus geſtis Themiſtocli ſeſe præferendos cenſerent, ita reſpondit Themiſtocles, ut dice
ret, poſterum olim diem feſto cum die contendiſſe, obſtrepentẽ illum ſolicitumq́; eſſe di-
centem, ſe uerò pridie apparata fruenda per ociũ præbere: feſtum autẽ diem reſpondiſſe,
uera prorſus poſterum diem dicere, ſed ſi non fuiſſem, inquit, ubinam terrarum eſſes? Sic
abſq; me, ille inquit. Medis aduẽtantibus, quiſnam ueſtri nunc uſus eſſet? Hoc itidẽ mihi
uidere fortunã uideor ad uirtutẽ Romuli dicere: Splendida quidẽ & ampla tua geſta, do-
cumentumq́; dediſti diuino te ortam ſanguine genereq; eſſe, ſed cernis tamẽ q̃ longè tibi
pręſtẽ: niſi enim ego tum beneuola officioſaq; affuiſſem, aut ſi deſeruiſſem prodidiſſemq́;
paruulos, tu quo tandem modo, aut unde effulgeres? Niſi fera tum, inquam, fœmina oc-
curriſſet, lactis exuberantia præturgida, magiſq; quem aleret q̃ quo aleretur ipſa quæri-
tans, ſed aut natura efferata, aut fame ſtimulante, uide ne hæc inſignia quæ nunc ſunt, fa-
na, regiæ, theatra, ambulationes, fora, baſilicæ, palatia, gurguſtia paſtorum eſſe oportue-
rit, armẽtariorũq; ſtabula, Albano uiro Tyrrhenóue aut Latino ſeruientiũ. Proinde cùm
omnibus in rebus potiſsima principiũ pars eſt, tum maximè in condendis urbibus, quod
hæc urbs ipſa fortunæ hauddubiè debet, quæ eius conditorẽ ſeruauit. Virtus Romulum
magnũ fecit, ac fortuna quoad fieret ſeruauit. Agè uero Numæ regnũ quod diuturnum
fuit, quanta omnium conſenſu felicitas traduxit? Nam Aegeriã nymphã Dryadũ unam,

ſcitam

A ſcitam quandam deam, uiri huius amore captã, ſui illi indulſiſſe conſuetudinẽ, inſtituen-
tem informantemꝗ ueluti adoleſcentẽ rempub. fortaſſe fabuloſum ſit: ſiquidem qui dea-
rum alij connubia aſſecuti traduntur, dijſꝗ chari alioqui fuiſſe, Pelei, Anchiſæ, Oriones,
& Aemathiones, haud omnibus uſquequaꝗ uoto cõpetentibus, mœſtitia nulla ad extre
mũ beatitudinẽ interpellante uixerunt. At uerò Numa ſecundã planè fortunã contuber
nalem habuiſſe uidetur, diſceptandiſꝗ in rebus aſſeſsitantẽ, imperijꝗ adeò ſociam: quip
pe quæ ciuitatẽ Romanam in finitimorũ infeſtiſsimis odijs, ueluti turbidiſsimis ęſtuarijs
undabundoꝗ mari agitatã excipiens, inteſtinis tot inſuper malis diſcordijſꝗ languentẽ,
furores omnes aduerſos odiaꝗ tanꝗ flatus reſtinxit. Et ut alcyonum nidulamenta mare
benignè ſuſcipiens, connutricanti tranquillitate hyeme ſeruat incolumia: haud aliã fortu
na tranquillitatẽ rebus inducens obtẽdensꝗ, nullo prorſus morbo, periculo, tumultu ue
inſignẽ, recens inſtituto populo, & adhuc (ut ita dixerim) uibranti, ſpaciũ altius dedit ra-
dices agendi, inualeſcentemꝗ indies ciuitatẽ inſtitutis legibusꝗ firmandi ocioſè nulloꝗ
negocio. Porrò quemadmodũ onerariã actuariã mue nauem non ſine plagis multis con-
tingit multaꝗ ui fabricari cõpingiꝗ, malleis, clauis, coagmentis, ſerris, & bipẽnibus, ceſ-
ſare aũt abſolutã ad certum quoddã tempus neceſſe eſt, quoad tenaces nexus clauiꝗ con
ſuetudine fiant, alioqui ſi mollibus adhuc fluidiſꝗ cõmiſſuris deducatur, continuò mare
tranſmiſſurã laxatis hiulciſꝗ cõpagibus: ſic qui primus Romã rex condidit, ex agreſtiũ
paſtorũꝗ turba uelut ex roboribus ualidis eam coagmentans, labores haud ſpernendos
protulit, non minimis in bellis periculiſꝗ conflictatus, neceſsitate coactus in ortu ſtatim
urbis laceſſentes hoſtes arcere. At qui ſecundũ hunc regnũ ſuſcepit, firmando irroboran-
doꝗ urbis augmento tempus adhibuit, & benignitate fortunæ pacẽ ac quietem adeptus
eſt. Quòd ſi tum Porſena quidã infeſto mœnia exercitu Tyrrhenoꝗ uallo tum etiã fluida
tremebundaꝗ cinxiſſet, aut Bellonæ inſtinctu percitus aliquis Marſicæ defectionis prin
ceps, aut Lucanus quiſpiã turbulentus homo rerũꝗ nouarũ ſtudioſus, aut urbi infenſus,
aut pacis aduerſus cõſilijs, qualis poſtea Mulius aut Silo temerarius, aut Sylla ille ferox,
aut poſtremò Teleſinus, unico ueluti ex cõpoſito ſigno dato, tota armata Italia philoſo-
B phũ Numã inter ſacrificia ſuppliciaꝗ deorũ claſsicis undiꝗ oppreſsiſſet bellicũ occinen-
tibus: profectò haudquaꝗ paria tantis rerũ fluctibus ac procellis rudimẽta urbis fuiſſent,
nec in tantã clariſsimorũ hominum coaluiſſent multitudinem. Nũc aũt mihi uidentur id
temporis quietæ res, apparatus & uiaticũ ad ſequentia bella fuiſſe, populuſꝗ Romanus
athletæ modo à multis ſub Romulo certaminibus initis, tribus & quadraginta annis per
ociũ ſe exercẽs, uires futuris hoſtibus pares collegiſſe: nihil enim aduerſi infeſtã Romani
habuiſſe tẽpore illo dicitur, non famẽ, non peſtem, non ſoli ſterilitatẽ, non aut æſtatis de-
niꝗ aut hyemis intemperiẽ, ita ut facilè cerneres non humano tempora illa conſilio, ſed
diuina quadã procurari fortuna. Clauſæ igitur erant ea tempeſtate Iani portæ, quas belli
fortunã uocant, utpote quæ belli tempore reſerabantur, pacis uerò occludebant. At uerò
mortuo Numa apertę ſunt Albano cõmiſſo bello: rurſuſꝗ alijs ſexcentis ſuper alia bellis
continenter excipiennb. per annos quadringẽtos & octoginta. Deinde pace clauſæ ſunt
poſt Carthaginẽſe bellũ cõpoſita, Caio Attilio Titoꝗ cõſulibus. A quo iterũ anno exera
tæ ſunt continennibus ad Actiacã uſꝗ Cæſaris uictoriã bellis. Tum demũ Romana arma
haud ita multo tempore ceſſauere: etenim Cantabrorũ, Galatarumꝗ tumultus in Germa
nos graſſantium, pacem illam diſturbarunt. Hactenus teſtimonia proſperæ Numæ fortu
næ memoriæ ſunt prodita. Enimuero qui deinceps reges ab hoc fuere, fortunam mirificè
coluerunt, ut urbis Romæ caput, ut urbis altricem, ut deniꝗ urbis columen, ut Pindarus
inquit. Hoc autem ſic æſtimare licet. Fanum eſt magno Romæ honori habitũ, quod Vir
tutis ipſi uocant, ſerò multiſꝗ pòſt ſeculis à Marco Marcello extructum, eo qui Syracu-
ſas cepit. Eſt & alterum eius quam ipſi Mentem uocant, ſed & hoc Scaurus conſecrauit
Aemilius, circiter Cimbrica tempora natus, quum iam Græcorũ logi & argutiolæ ſcitaꝗ
diſſerendi genera in urbem immigraſſent. Sapientiæ uerò ſanũ ad hoc æui nullũ habent, *Repetitio ſu-*
nõ magis ꝗ temperantiæ, aut tolerantiæ, aut magnanimitatis. At uerò Fortunæ permul- *periorum.*
ta habẽt tum antiqua, tum eximia, in omnibus propè inſignibus urbis locis regionibusꝗ
dicata. Et uirilis quidem fortunæ templũ ab Anco Martio quarto eorũ rege extructum,
quòd pluſculam ſibi fortunã ad indipiſcendam uictoriam affuiſſe ꝗ fortitudinem credi-
derat, ideo ſic uocatum. At muliebris fortunæ, à mulieribus quæ Coriolanum auerterũt,
exercitum in urbem hoſtiliter agentem, conſecratum nullus non nouit. Quid quòd Ser-
uius Tullius, qui regum omniũ maximè popularis fuit, iuſꝗ ciuile maximè tutatus eſt, à

C quo ſuffragiorũ militiæq; iura diligenter conſtituta ſunt, quiq; Cenſor primus fuit, idem
uitæ & temperantiæ obſeruator, fortiſsimus idem & uir prudentiſsimus, ſeſe tamen ipſe
fortunæ uendicabat, ſuiq; regni opes acceptas illi ferebat, uulgo ut prædicaret conſuetu-
dinem ſibi cum fortuna intercedere, quam per feneſtrã quandam delabi ad ſe in cubicu-
lum aiebat, quam nunc Feneſtellã portam uocant. Extruxit igitur in Capitolio fortunæ
fanum primigeniæ dictæ, necnon obſequentis fortunæ, quaſi dicas indulgentis, aut, ut
nonnulli interpretantur, clementis. Sed Romanis hactenus nominibus uſi, iam hinc græ
cè huiuſmodi conſecrationũ numina percenſere conabimur. Iam primũ igitur Idię, id eſt,
priuatæ fortunæ delubrũ in palatio ſitum eſt. Eſt & Ixeutriæ, id eſt, uiſcatricis, tametſi id
nominis ridiculum eſt, ſed non ab re tamen translatione id dante, ac ſi dicas, tenaciter at-
trahentis quicquid illi hæſiſſet. Ad fontem muſcoſum appellatũ Partheni, id eſt, uirginis
fortunæ fanum eſt. In Argiletis fortunæ epiſtrephomenes, id eſt, curam gerentis: in lon-
go antiportu fortunæ Euelpidis, id eſt, bonæ ſpei. Eſt & ad Veneris in calatho ſtantis
aram, Maſculæ fortunæ ædicula: ad hæc ſexcenta alia honorifica fortunæ cognomenta,
quorũ Seruius bonam partẽ ſacrauit, nimirũ animaduertens, in adminiſtrandis rebus hu
manis maximũ, uel potius unicum fortunã momentũ eſſe, quod ipſe uel omniũ maximè
expertus eſſet, quippe ex hoſtili captiuoq; genere ad regium faſtigiũ euectus. Nam Co-
riolanorũ oppido ab Romanis ui capto, Ocriſia uirgo captiua, cuius nec uultũ obſcura-
re, nec mores fortuna potuit, Tanaquili dono data Tarquinij regis uxori ſeruiuit. Hęc ex
aſſecla quodã (quos clientes Romani uocant) Seruiũ genuit: quanq; ſunt qui id negent,
uirginemq; affirment Ocriſiã primitias aſſumere ex regia menſa, libamentaq; ſolitã, ad fo
cumq; ferre, olim quum pro more id faciens in ignẽ libamẽta porriceret, prolificũ uiri ge-
nitale ex fauilla ſurrectũ ſenſiſſe, hocq; illam ſtupore attonitã Tanaquili uni detuliſſe, illã
autem (ut erat perſpicaci ſolertiq; ingenio) in honore puellã habuiſſe non ſecus ac nym-
phã, ut quæ huiuſmodi uiſum nõ ſine deûm numine accidiſſe exiſtimaret. Laris quidam
autumant hunc amorẽ fuiſſe, nonnulli Vulcani. Aedito porrò Seruio quũ adhuc infan-
D tulus eſſet, affulgere è capite eius ſplendor non abſimilis fulgetræ uiſus eſt. Antias aliter
tradit. Seruio enim ait Getaniã uxorẽ fuiſſe, qua morte ſublata, quum ex mœrore ęgritu-
dineq; animi in ſomnũ, ut fit, delapſus eſſet, uiſam faciẽ eius matri comitibuſq;, quæ tum
aderãt, igne obſplenduiſſe, quod uiſum fidẽ feciſſe, ex igne cum genitũ, omenq; haud du
bium fuiſſe ad nec opinatũ illi regnũ, quod Tanaquilis opera poſt Tarquinij mortẽ ade-
ptus eſt, tametſi omniũ minimè regum ad regnũ appoſitus, aut regni auidus fuit, quip-
pe qui deponendi regni, ni uxor obſtitiſſet, cõſilia agitauerat. Moriens enim illa creditur
ad iuſiurandũ eum adegiſſe, ſe in imperio permanſurũ, quæq; ad triumphũ Romanorum
moribus obtinendũ pertinerent, eorũ nihil non admiſſurum. Proinde Seruij regnum uſ-
quequaq; fortunæ delegandũ eſt, ut quod inſperatò nactus, inuitus quoq; retinuerit. Ve
rùm ne uideamur in priſca ſecula uelut in loca cæca ex illuſtribus perſpicuiſq; pedem re-
ferre, agè relictis regibus ad notiora iam geſta nobilioraq; bella, orationem traducamus:
quibus fiduciam ipſis fortitudinemq; affuiſſe quis tandem non fateatur, cum uirtute belli
ca adiutrice, ut inquit Timotheus. Sed tam facilè rerum ſucceſſus affluens, undæq; ut ita
dicam, impetus in tantas opes amplitudinemq; euehentis, non manibus hominũ, non ui
humana hoc eſſe cõparatum imperium clamitat, ſed deorum ductu potius auſpicijſq;, ut
gentiſq; adeò fortunæ uelis. Trophæa alia ſuper alia eriguntur, triumphi triumphos exci
piunt, arma ſanguine calentia nouo ſubinde ſanguine abluunt, uictorias numerant non
cadauerum ſpoliorũmue aceruis, ſed ſubactis regnis, populiſq; in ſeruitutẽ redactis, inſu
lis continentibuſq; claſsibus ſuis patefactis. Ea eſt Romanorũ imperij magnitudo. Vna
pugna Philippus Macedoniã perdidit: una clade accepta Antiochus Aſia ceſsit: uno prę
lio uicti Carthaginenſes Libyen amiſerunt. Deniq; uir unus unius exercitus imperu im-
perio Armeniã adiecit, Pontum Euxinon, Syriam, Arabiã, Albanos, Iberas, & omnino
quæ cis Hircanos Caucaſumq; ſunt. Ter illum uictorem uidit Oceanus terras ambiens.
Numidas in Libya ad littora uſq; meridiana repulit. Hiſpaniam Atlantico tenus ſubegit
cum Sertorio deſciſcentem. Albanorũ reges inſectans, intra Caſpium pelagus compulit.
Bella hæc omnia egregiè profligauit publicæ fortunæ ope adiutus: ab ea uerò deſtitutus
ſua tandem ipſius ſorte cecidit. Enimuero magnus ille Romanorũ genius non ut Mace-
donum ad dieculam aſpirans, aut breuiculo tempore florens, nec terreſtris modò ut Lace
dæmoniorũ, aut maritimus ut Athenienſiũ, nõ ſerò excitus ut Perſarũ, aut cõfeſtim elan-
gueſcens ut Colophoniorũ, ſed iam inde à primo urbis ortu compubeſcens, coaleſcens,
rempu-

A rempublicam contrectans,uno deinde tenore,terra,mari,in pace,in bello, in Græcos,in
barbaros,fideliter permanens. Is Annibalem Pœnũ,torrentis inſtar per Italiam effuſum,
inteſtinis inibi ſimulatibus ciuilibuſꝗ diſcordijs exhauſit,nullo Carthagine ſupplemen
to pecuniáue miſsis. Is Cimbrorum Theutonumꝗ exercitus magna diremit locorũ tem
porumꝗ intercapedine,unus ut par eſſet Marius uiciſsim cum utriſꝗ cõfligens,ne ſimul
irruentia trecenta millia inuictorum armis hominũ Italiam obruerent. Non aliam ob cau
ſam Antiochus belligerãte Philippo diſtinebatur,uiciſsimꝗ Philippus periclitante An-
tiocho antè iam fractus cadebat. Mithridates Marſico flagrante bello Italia Sarmaticis
diſtringebatur Baſtarniciſꝗ bellis. Deniꝗ Tigranẽ ſuſpicio inuidiaꝗ inhibebant à Mi-
thridatis illuſtris uiri ſocietate, quoad illo demum uicto ſeſe ſimul ut perditum iret,intu-
lit. Agè uero in maximis reipublicæ calamitatibus fortuna nónne afflictã ciuitatem ere-
xit? Caſtrametantibus ob Capitolium Gallis,arcemꝗ obſidentibus,exitioſa citat popu-
lis cõtagia morbi. Iidem euadere noctu aggreſsi quum mortales omnes latuiſſent,fortu-
na tamen mirè exaudibiles temerariuſꝗ caſus fecerunt. De qua aggreſsione non abſur-
dum forſitan fuerit pluſculis diſſerere. Ab inſigni illa Romanorum ad Alliam clade,pars
Romã curſu quàm poterant cõcitatiſsimo contendentes,terrore omnia tumultuꝗ com-
plent. Ad quorum trepidos nũcios maxima pars populi quà cuiꝗ proximũ fuit dilapſi,
paucis in Capitoliũ confugientibus,quæꝗ tolerandæ obſidioni erant illuc raptim com-
portantibus: pars à prælio effuſa ſtatim fuga Veios conuenientes dictatorẽ Furium Ca-
millũ creant. Hunc proſperis olim rebus populus elatus damnatũ peculatus urbe eiece-
rat,tum autẽ aduerſis perculſus afflictuſꝗ caſibus,ſuppliciter ab exilio reuocabat, ultrò
imperium deferens iudicio non obnoxium. Verùm ne temporum iniquitate magis ille
quàm è legum præſcripto magiſtratũ accepiſſe uideretur, neu tanꝗ complorata republi
ca palantis conuenæꝗ exercitus armis ad imperiũ raptus, oportere cenſebat caſtrenſem
imperij delationem ſenatus autoritate affirmari,qui in Capitolio obſidebatur. Caius igi
tur Pontius erat uir impiger,hic mandata ad ſenatũ quum ſe perlaturũ recepiſſet, ingens
adijt periculum: eunti uadendum per medios hoſtes erat,quum excubijs ualloꝗ circun-
data arx undiꝗ eſſet. Is ut ad amnem peruenit, ſuberibus latis incubans,corpus uectabu
B li leuitati credens,ſecundo ſe flumini permiſit,à quo clementer placideꝗ deuectus,alte-
ram ad ripam nullo negocio peruenit. Vnde digreſſus per hoſtiũ rariſsima uadebat,ex
ignium ipſa raritate ſilentioꝗ ſolitudinẽ captans. Ad collis inde prærupta quũ ueniſſet,
qua molliorem cunꝗ aſcenſum cõpererat arrepens,quaꝗ aſpera ſupinitas enitendi præ
bebat adminicula,ad hæc in ſalebrarũ anfractus ſeſe inſinuans, omni ope,omnibuſꝗ co
natibus ad ſummũ tandem euaſit: ibi à uigilibus admiſſus, mãdata obſeſsis expoſuit,ac-
ceptoꝗ decreto rurſus quà uenerat ad Camillũ regreſſus eſt. Cæterũ poſtridie luce orta,
barbarus quidã locum temerè oculis, ut fit, luſtrans, cũ ſumma pedũ ueſtigia fallentiſꝗ
ſe pedis lapſus,tũ in obtrito flacceſcenteꝗ gramine quà terrena loca erant obliquos cor-
poris tractus & ſurreptantis ueſtigia animaduertens, popularibus ſuis detulit. Hi uiam
interpretati ſe ab hoſtibus edoctos, tentandæ rei conſilium capiunt, noctuꝗ quà infre-
quentiſsima interdiu obſeruauerãt ſcandentes, canes etiam excubitores uigilumꝗ comi
tes,nedum uigiles ipſos ſomno ſopitos latuerunt. Nec ideo tamen Romana fortuna uo-
cis indiga fuit,quæ tantũ malum prodere indicareꝗ poſſet. Anſeres Iunoni ſacri ad deæ
templum alebantur. Hoc animal cùm natura facilè conſternabile eſt, & ad omnẽ ſtrepi-
tum ſolicitũ,tum id temporis premẽte cibariorũ inopia neglectum, tenuis à fame ſomni
erat,proinde ilicò ſenſerunt hoſtes iugum ſuperaſſe,turbidoꝗ admodum id clamore pro
didere aduolitantes. Armorũ deinde ſplendore conſternati, clangore uehementi Roma
nos,& ad omnia collis loca pertingente exciuere: qui re,ut erat,animaduerſa,hoſtes ce-
lerrimè deturbatos in præceps impulerunt. Miratur ſe nunc etiam fortuna cõmemoran-
dis his caſibus. Canis in crucẽ ſublatus,anſer in eleganti grabatulo geſtatorioló ue quàm
decentiſsimè ſedens. Mirificas hæc ſpecies fortunæ opes oſtentat, ad reſꝗ omnes expli-
candas,atꝗ unde minimè ſperares ſolertiſsimã facultatem,quippe quæ abſoluendis ſuis
cœptis mentem quidem amentibus & rationis expertibus ſuggerat,animos autem & fi-
duciã exanimatis & excordibus. Nam quis tandem non ſtupeat, reiꝗ adeò miraculo in
torporẽ mentis abeat, qui temporis illius mœſtitiã, ſequentiumꝗ ſeculorum felicitatem
attentius reputauerit? Qui ſurſum uerſus intuens, nobilitatem & precia donariorum,ar-
tium ſpecimina,ambitioſiſsimas urbium liberalitates,coronas regũ,deniꝗ quę fert cun-
que terra,mare,inſulæ,& continentes,poſtremò quæ amnes,quæ ſtirpes,quæ cãpeſtria,

C quæ colles, & metalla: qui omnium, inquam, horum primitias decorè inter ſe certantes, ſpeciéq; locũ illum uenuſtatéq; honeſtatites pro rei dignitate æſtimauerit, ut hæc parum abfuerit nihil quicquã ut eſſent, nuſquam ut uiſcrentur, utq; cùm horrendáq; tetraq; caligine barbariſq; gladijs & ſanguinarijs animis omnia tenerentur, abiecta rationiſq; expertia ac ſecordia altilia anſam urbi ſalutis præbuerint? Vt deniq; & magnos illos ciuitatis principes optimoſq; bello uiros, Manlios, Seruios, Poſthumios, Papyrios, nobilium poſteritati familiarum proautores, anſeres tantum non perditos excitarint, ut patriam patriumq; deum tuerentur? Quòd ſi id uerum eſt quod Polybius in ſecundo hiſtoriarũ tradit, quas de Gallis ſcripſit, qui urbem tum ceperunt, Gallos accepto nuncio uri ſe domeſtico bello, finitimis barbaris per occaſionẽ ac ſolitudinẽ fines eorum ingreſsis, omniáq; armis obtinentibus, facta cum Camillo pace digreſſos, ne tum quidem in diſceptationem uenit, Romanis fortunam ſalutis cauſam attuliſſe, quippe diſtinentẽ hoſtes, aut etiam à Roma nec opinato modo diuellentem. Tametſi quod ſatis dignum operæprecium circa hæc diutius immorari, quę nihil certi ſatis explorati ue habent. Nam priſca Romanorum geſta corrupta, ut Liuius tradit, confuſiſq; cõmentarijs multa rerum obſcuritate inuoluta ſunt. Sequentis æui clariora illuſtrioráq; acta benignitatem fortunæ manifeſtius cernendam præbent. Nam Alexandri mortẽ huic quoq; ipſi adſcripſerim, uiri cùm felicibus cœptis, tum clariſsimis facinoribus, tum inaudita ſpirituũ ferocia, ab exortu ad occaſum emicantis aſtri cuiuſdam modo, iamiamq; in Italiam armorũ fulgetras eiaculaturi, ut erat illi expeditionis prætextus Alexander Moloſſus à Brutijs Lucaniſq; ad Pandæſiam obtruncatus. Quanq; reuera in omnes æquè ferebatur homines, cùm gloriæ indipiſcendæ ampliandíq; imperij cupidine, tum uero æmulatione, Herculis Liberiq; patris expeditionũ terminos ſuperandi. Romanam uero potentiam audiebat, bellicumq; robur, Italiam ingreſſuro exacuti mucronis inſtar oppoſita: etenim celebre eorum nomen ad eum peruenerat, eximiáq; fama ueluti pugilum bellis innumeris exercitorum. Et profectò haud incruento marte decerni potuiſſet, ut arbitror, ſi inuictis ad id temporis armis, tam celſi iu-
D giq; impatientes ſpiritus inter ſe conflixiſſent. Multitudine enim erant ad centum & triginta millia bellicoſi omnes & ſtrenui, equeſtri ijdem pedeſtriq; certamine perinde rem gerere aſſueti.

Plutarchi de Alexandri fortuna uel uirtute liber prior.

GVLIELMO BVDAEO INTERPRETE,

HAec uerò fortunæ oratio eſt, proprium ſuumq; unius opus cenſentis Alexandrum regem eſſe: refellenda uerò ex parte philoſophiæ, imò Alexandri potius frementis ſtomachantiſq;, ſi gratuitum adeptus fortuitumq; imperiũ uidebitur, quod ſanguine multo, uulneribuſq; alijs ſuper alia acceptis cumulans, noctes complureis inſomnes belligeranſq; dies traduxit marte cruentos, cum inuictis bello imperijs, innumeriſq; gentibus, amnes idem incõmeabiles editiſsimaſq; rupes, conſilio, tolerantia, fortitudine, & moderatione ſuperans. Equidẽ eum exiſtimo egregijs ipſius geſtis ſeſe inſcribentẽ fortunam huncin modum alloqui: Apagè te à me fortuna, deſine quæſo meæ obtrectare uirtuti, noli mihi conuulſam adimere gloriam. Tuum erat facinus Darius, quem ex ſeruo & regio nuncio, Perſarũ regni compotẽ feciſti. Tuus etiam Sardanapalus, cui regni inſignia purpurã carminanti detuliſti. Ego uerò per Arbela adusq; Suſa peruaſi obuia quæq; ſubigens, Cilicia mihi Aegyptum latè patentem aperuit, Ciliciamq; Granicus, quem, ut ſcis, ipſum per Mithridatis Spithridatiſq; corpora traieci. Mirari te te per me tibi licet in incruentis integriſq; regibus, nempe illi fortunati erant Ochi, Artaxerxæ, quos in lucem ſtatim æditos in Cyri ſolio ſtatuiſti. At meum corpus non pauciſsima ueſtigia fert obluctantis fortunæ, non à me ſtantis. Iam primùm in Illyrijs caput mihi ſaxum, piſtillum uerò collum contudit: ad Granicum caput barbaricus enſis diſcidit, ut ad Iſſum femur: ad Gazam ſagitta in talum ictus ſum, & prę grauitate è ſede elapſus, humerum luxaui: apud Maracandas ſagitta ſurę oſſe diffiſſo ſauciatus ſum. Reliqua iam ſunt Indorum uulnera, tum humero ſagittæ ictu traiecto, tum in Gandridis crure, ad

Alexander alloquatur fortunã.

hæc

A hæc apud Mallotas ſagitta arcu miſſa accepto in pectus uulnere ferro penitiſsimè immer
ſo, poſtremò piſtillo in ceruicem adacto quum fractæ ſunt admotæ mœnibus ſcalæ, ibi ſo
lùm fortuna me impediuit, non claris ipſa tantùm illud facinus, ſed barbaris ignobilibus
condonans. Quòd niſi Ptolemæus cetram mihi ſedulus prætendiſſet, Lymnæusq; mille
pro me telis exceptis tutabũdus cecidiſſet, deniq; ni Macedones ira animiſq; impotentia
inſtincti mœnia ſubruiſſent, barbarus ille certè ignobiliſq; uicus monumentũ Alexandri
fuiſſet. Ipſa uerò expeditio mea quid aliud quàm procellæ, ſqualores, fluminum uoragi-
nes, præcipitia auibus inacceſſa, belluarum inuſitatæ ſpecies, feri uictus, præfectorũ mu-
tationes, ſubindeq; proditiones? Nam quod ad præcedentia pertinet, uniuerſa Græcia
poſt Philippica demum bella uelutí ab animi deliquio palpitabunda ſubſultabat. Thebę
Chæronicum puluerem ab armis excutientes, è ruina ſe erigebant. Athenæ iunctas ma-
nus ipſis porrigebant. Macedonia malè cogitans ad rebellionem ſpectabat Aeropiq; fi-
lios. Irruperant Illyrij, Scythæ occaſioni imminebant, ſi fortè finitimi res nouas moliren-
tur. Perſicum aurum per populares ubiq; homines affluẽs, Peloponeſum ſolicitabat. Ad
hæc exhauſtis Philippi theſauris, fœnus etiam acceſſerat ducentorum (ut Oneſicritus in-
quit) talentorum. In tanta ille rerum omniũ inopia, tam turbulentis rebus cõmodùm adô
leſcens, uixdum adeò puerili ætate exacta, Babylonem auſus eſt Suſáque illa ſperare. Ba
bylonem Suſáque dico? imò uero gentium omnium imperiũ ſpondere ipſe ſibi, triginta
peditum milliũ, quatuor equitũ numero fretus. Tot enim erant, ſi Ariſtobolo credimus:
Sin Ptolemæo regi, triginta millia peditum, quinq; equitũ: Si uerò Aneraximeni, ad tria
& quadraginta millia peditũ, quinq; equitum & quingenti. Egregium uerò permagnũq;
ei fortuna uiaticum in hanc expeditionem ſeptuaginta prærogauit talenta, ut Ariſtobo-
lus prodidit: ut Duris tradidit, triginta dierum cõmeatum. At enim inconſultus temera-
riusq; Alexander tam ſpernẽdo apparatu in tantas opes profectus? Minimè. Quis enim
maioribus unquam pulchrioribusq; rerum opportunitatibus fretus ad res gerendas pro-
fectus eſt? animi magnitudine, rerum intelligẽtia, moderatione, fortitudine, quibus eum
rebus philoſophia ad hanc obeundam expeditionem inſtruxerat. Profectò ab Ariſtotele
præceptore pluſculum quàm à Philippo patre habẽs potiendarũ rerum inſtrumentũ, in Per-
B ſas tranſijt. Verumenimuero ſcribentibus Alexandrum dictitare ſolitũ, Iliadem & Odyſ-
ſeã uſq; ſe quaq; ſecutas uiatici ſibi inſtar fuiſſe, Homero hoc tribuentes credimus. Si quis
uerò dixerit, Iliadem & Odyſſeam pro laborum ſolamẽro fuiſſe amœnoq; ocio, uiaticum
autem ei fuiſſe reuera elogia philoſophiæ cõmentarioſq; ſapientũ de animi fiducia, forti-
tudine, moderatione, animiq; magnitudine æditos, aſpernant aliqui continuò: nimirum
quòd ipſe nihil aut de argumentis colligendis, aut de effandis ſcripſerit ſententijs, quos
ſyllogiſmos, quæq; axiomata uocant, & quòd nec in Lyceo Peripateticorum more am-
bulauerit, nec in Academia quæſtiones diſceptauerit: his enim rebus philoſophiam fini-
unt, qui in ediſſertandis eam rebus, non in gerendis eſſe putant. Quaſi uerò Pythagoras
& Socrates aliquid in uita ſcriptitarint, aut Archeſilaus & Carneades philoſophorũ lon-
gè nobiliſsimi, tametſi nullis illi profligandis huiuſcemodi diſtringebant bellis, non bar-
baris regibus ueluti cicurandis, non urbibus græcis inter feras gentes condendis, non le-
ges fœderumq; iura docendis illegibus inhumaniſq; gentibus, uerùm in ocio illi uitã tra
ducentes, ſcribendi tamen partes ſophiſtis reliquerunt. Vnde porrò tandẽ philoſophari
crediti ſunt? ex dictis? uitæ inſtitutis? an uerò ex præceptis? Agedum ex iiſdem Alexan-
drum quoq; ſpectemus: ex ijs ſanè quæ dictitauit, actitauit, docuit, philoſophus inuenie
tur. Iam primum id quod maximè mirũ eſt, ſi tibi ita uidetur, æſtimemus. Alexandri diſci
pulos cum Platonis Socratiſq; contendamus. Hi igitur dociles homines linguæ quoque
commercio opportunos docebant, ſi nihil aliud, certè græcæ linguæ gnaros, & ne ſic qui
dem tamen multis perſuaſerunt: nam Critiæ, & Alcibiadæ, & Clytiphontes philoſophię
præſcripta quaſi frenos reſpuẽtes, quà eos impetus tulit aliò ſe proripuere. Alexandri ue
rò diſciplinam ſi attendas, Hyrcanos connubia docuit, ut agriculturam Arachoſios. Sog
dianos parẽtes alere perpulit, nec in poſterum interimere. Perſas matres reuereri, earũq;
connubijs abſtinere. O admirabilem philoſophiã, propter quam Indi Græcos deos co-
lunt. Scythæ mortuos iam ſepeliunt, non deuorãt. Et Carneadis eloquentiam miramur,
quòd Clitomachum, Haſdrubalem prius dictũ, genere Carthaginenſem, ad Græcorum
ſe inſtituta formare perpulerit. Zenonis obſtupeſcimus affectus, quòd Diogenem Baby
lonium ad philoſophandum pellicere potuerit. Alexandro Aſiam perdomitante Home
rus paſsim legebatur. Perſarum, Suſianorum, ac Gedroſiorum pueri Euripidis atq; So-

C phoclis tragœdias canebant. Socrates peregrinos Athenis deos inducens, delatorum cri
mina uitare non potuit: propter Alexandrũ Bactra & Caucaſus Græcorũ deos adorauere.
Deniꝗ Plato unicam reipub. formã præſcribẽs, nulli ut ea uteretur perſuadere potuit,
ut ſupra modum ſeuera. Alexander oppidis ſupra ſeptuaginta inter Barbaras gentes con
ditis, diſſeminatis per Aſiam Græcorũ moribus, immitem tandem efferatamꝗ uitam ut
exuerent peruicit. Poſtremò Platonis quidẽ leges unus & alter forſitan legimus, Alexan
dri uerò hominum millia permulta uſi ſunt & utuntur. Proinde beatiores mihi uidentur
multò qui ab Alexandro ſubacti ſunt, quàm qui eum effugerunt: quippe hos nullus per-
ditiſsimè uitam agentes arcuit, illos ad feliciorem uitam uel inuitos uictor traduxit. Itaꝗ
ut Themiſtocles dixiſſe fertur, quum extorris patria ingentibus affectus eſt à Perſarũ re-
ge donis, urbes ſtipendiarias tres adeptus ſingulas in frumentum, item in uinũ & in pul-
mẽtaria: O pueri pueri perieramus niſi perijſſemus: hoc itidẽ mihi uidetur, iuſtiusꝗ adeò
dici poſſe de ijs qui ab Alexandro in ditionem redacti ſunt: Haudquaquam manſuefacti
eſſent, niſi uicti fuiſſent: haudquaquã Alexandriam Aegyptus habuiſſet, nec Meſopota-
mia Seleuciam, nec Sogdiani Prophthaſiam, nec Bucephaliam India, nec accolam græ-
cam Caucaſus urbem: quibus urbibus priſtina exoleta feritate deterrimi quiꝗ mores in

Alexandri cum philoſophis collatio.

meliores uſu tranſierunt. Quòd ſi philoſophi in eo ſibi maximè placent, quòd aſperos ſæ
uosꝗ hominum mores mitiores dexterioresꝗ reddere ſe autument, permulta uerò popu
lorum millia ad humanitatem Alexander cõmutaſſe, efferataꝗ, ut ita dicam, interpolaſſe
ingenia reperiẽ, certè philoſophũ eum cenſeri exiſtimariꝗ par eſt. Porrò quam in primis
admirantur Zenonis rempublicam, qui ipſe Stoicæ ſectæ fundamẽta iecit, hæc in unam
illam ſummam colligitur, ne oppidatim aut per ſingulos diſcriminatim populos habite-
mus, ſuis quiꝗ legibus inſtitutisꝗ dirempti, ſed ut omnes exiſtimemus homines popula
res noſtros municipesꝗ eſſe, una ut ſit uita perinde ut mundus unus, ueluti unius armen-
ti compaſcuo in agro compaſcentis. Hoc Zeno ſcriptum reliquit, quaſi inſomniũ quod-
dam aut ſimulachrũ philoſophicæ ciuilitatis legúmue æquabilitatis effingẽs. At uerò A-
lexander quod uerbis traditum acceperat, re ipſa præſtitit. Non enim, quemadmodũ Ari
ſtoteles ei autor fuerat (ut Græcis ſe ducẽ, barbaris dominũ præberet, utꝗ illos ut amicos
D & neceſſarios honori haberet, cum his uerò ut cum belluis, atque adeo ſtirpibus ageret)
ita ſeſe comparans, exilijs quæ plerunꝗ bellorum ſemina ſunt, diſcordijsꝗ infidis impe-
rium ſuum fœdauit: uerum quum ſe diuinitus miſſum communem uniuerſorum diſcepta
torem exiſtimaret, conſtituendisꝗ mundi rebus arbitrum, quos uerbis inter ſe conciliare
non poterat, armorum ui ſubigens, in unum omnia cõponens, perinde atꝗ propinatitio
poculo uitas, mores, cõnubia, uiuendi inſtituta miſcens, patriam quidem omnes orbem
terrarum exiſtimare uoluit, arcem uerò ac præſidium, ipſum exercitum: cognatos uerò ui
ros bonos, alienigenasꝗ prauos: ad hæc Græcos & Barbaros non chlamydem, non pel-
tam, non acinacem, non candyn (apud Perſas regium capitis geſtamen eſt) dirimere, ſed
Græcos uirtute potius, barbaros uitio internoſci. Deniꝗ ueſtes, menſas, matrimonia, ui-
uendi modum cõmunia exiſtimare, ſanguine utiꝗ inter ſe liberorumꝗ pignoribus uin-
cta. Demaratus, ut aiunt, Corinthius hoſpes amicusꝗ Philippi, quum Alexandrum Su-
ſis uidiſſet, gaudio perfuſus & illachrymans, ingentis dixit gaudij exortes fuiſſe Græcos
qui antea obierant, quandoquidem Alexandrum non uidiſſent in Darij ſolio ſedentem.
Equidem quod ad me attinet, quibus id Græcis cernere licuit, eos non magnopere bea-
tos cenſuerim dũtaxat propter hoc ſpectaculum, utpote quod fortunæ fuerit uulgariũꝗ
regum: illa uerò uiſenda auguſtaꝗ ſponſalia auidè mihi ſpectaturus fuiſſe uideor, quum
ſub uno auro inſigni tentorio coactis in eoſdem penates, eandẽꝗ menſam centum Perſi-
dibus ſponſis, totidemꝗ Macedonibus & Græcis, coronatus ipſe, primus hymenæũ or-
ſus, & tanquam Philoteſiũ canticum accinens, maximis potentiſsimisꝗ populis in ami-
citiam coëuntibus, unius ipſe ſponſus, omnium uerò auſpex idem & pater & conciliator,
hos cum illis legitimo coniugio uinciebat: præcupidè enim dixiſſem, I nunc barbare ſtoli
deꝗ Xerxes, multis te nequicquã laboribus iungendo Helleſponto angito, hoc potius
pacto mentis reges compotes Aſiam Europæ iungunt, non lignis, non ratibus, non in-
animis affectuumꝗ expertibus uinculis, ſed amore legitimo, caſtis coniugijs, liberorum
pignoribus gentes inter ſe uincientes. Cæterùm Alexander Perſarum cultu inſpecto Me
dicam quidem ueſtem admittere noluit, Perſicam uerò non totam ſumpſit illa longè ui-
liorem: ex barbarico enim ornatu inſolentiſsima quæꝗ, & propè dixerim, tragica reſpu-
ens, ut tiaram, ut candyn, ut ſubligacula, miſcellaneum quoddam geſtamen ex Perſico
Macedo-

A Macedonicoq́; habitu inſtituit, ut autor eſt Eratoſthenes, promiſcuis quidem indifferen
ter ut philoſophus utens, ut communis autem imperatorq́; rexq́; clementia præditus, ho
nore ueſti habito, eorum quos armis obtinuerat animos ſibi concilians, quo magis in fi
de permanerẽt, Macedones ut ſibi imperantes amore, non ut hoſtes odio proſequentes.
Contrà uerò inſulſi rebusq́; ſecundis inſoleſcentis animi erat, puram quidẽ chlamydem
admirari, purpura uerò intextam tunicam grauari. Aut rurſus illa aſpernari, hæc uerò ſu
ſpicere, pueri more infantuli mordicus amictum retentantem, quo ipſum patrius mos ue
luti nutrix induit. Belluas captantes homines ceruorum ſibi tergora obuoluunt: pluma
tisq́; tuniculis amiciuntur qui ad aucupia exeunt: taurorum conſpectum uitant qui puni
ceas ueſtes geſtant, ut elephantorum qui candidas, nimirum quòd ijs coloribus irriten
tur & efferentur belluæ. At ſi magnus ille rex gentes indomitas ferarum in modum man
ſuefaciẽs uernaculis eas ueſtibus aſſuetisq́; uiuendi inſtitutis demulſit, placidioresq́; red
didit, cùm animi eorum iniquitatem ad obſequium reuocans, tum uerò ægritudinem le
niens, uitio etiamnum, ſi dijs placet, uertunt, nedum ſapientiã admirantur, quòd leuicu
lo momento in quemlibet habitum ſe formando uniuerſæ Aſiæ moderatus eſt, ueluti po
pulariter obſequenti, corpora quidem armis ſubigens, animos uero cultus genere pelli
ciens. Quid, malùm, Ariſtippum Socraticũ laudibus efferent, quòd ſordido amictu Mi
leſiaq́; uiciſsim chlamyde utens, in utroq́; tamen decentiam ſeruabat: Alexandro crimini
dabunt, quòd patria ueſte honori habita, non etiam eorum aſpernatus eſt quos ditionis
ſuæ fecerat? quanquam ingentiũ rerum cœpta moliens in huiuſmodi ſeſe habitum com
ponebat: haudquaquã enim Aſiã latrocinij modo perſultans lacerare paſsim diuexareq́;
inſtituit, perinde atq́; prædam ſpoliaq́; inſperatæ felicitatis futurã, quomodo poſtea An
nibal Italiam, & antea Treres Ioniam, & Scythę Mediam inuaſerant: uerùm uni omnino
uerbo omnia quæ ubiq́; terrarum ſunt audientia, unum unicæ reipub. populum cunctos
homines efficere uolens, ita ſe comparabat. Proinde ni deus ille, qui Alexandri huc ani
mam demiſerat, eam prępropere reuocaſſet, proculdubio lex una cunctos homines rege
ret, unumq́; ius ueluti commune lumen ad uniuerſos pertineret: nunc uerò terra qua par
te cunq́; Alexandrum non uidit, perpetuis propè dixerim tenebris damnata eſt. Primum
B igitur expeditionis eius conſilium, philoſophum fuiſſe uirum eum declarat: quippe qui
non ſibi delitias, non opes conquiſiuerit, ſed uniuerſo mortalium generi cõcordiam, ſed
pacem, ſed inter ſe commerciũ efficere cogitarit. Videamus iam uoces eius, quandoqui
dem regum principumq́; mores maximè ex mente uocibus depromuntur. Antigonus ſe *Principũ mores*
nex ſophiſta quodam ei cõmentariolum de iuſtitia inſcriptũ porrigente: Stolidus es, in *ex uocibus maxi*
quit, qui quum me uideas alienas urbes uexantem, nihilominus apud me ſermonẽ de iu *mè dignoſci.*
ſtitia habeas. Dionyſius tyrannus cenſere ſe dictitabat, ut pueros talis, ſic uiros iureiuran
do fallendos. In Sardanapali inſcriptum monumento hoc uiſitur: Hæc habui quæ uora
ui, quæq́; per iniuriam abſtuli. Quis iſtis dicterijs tum uoluptuariã uitam neget, tum im
pietatem, tum iniuriam, uiolentiſsimamq́; improbitatem promi? Ab Alexandri dictis re
gia modò inſignia, & ab Ammone ortum, natalesq́; tolle, iam Socratis, aut Platonis, aut
Pythagoræ uidebuntur. Sed nunc non illas expendimus uerborũ inſolentias, quas ſimu
lachris eius poëtæ ſtatuisq́; adſculpere ſolent, non ad ipſius modeſtiam reſpicientes, ſed
opes potius & potentiam attendentes, cuiuſmodi illud eſt:

Aereus in cœlum ſuſpectans fare quid aiat:
Iuppiter, aſſerui terram mihi, tu aſſere cœlum. Et rurſus:
Alexander ego Ioue natus.

Hæc igitur poëtæ, ut diximus, fortunæ ipſius blandien
tes affingere ſoliti ſunt. At uerò uſurpatorum ab ipſo reuera dictorum puerilia primũ per
cenſenda ſunt. Hic igitur quum pedum pernicitate æquales omnes facilè præſtaret, ami
cis ut ad Olympia ſe cõferret flagitantibus ſciſcitatus eſt, num reges Olympiæ certarent.
Quibus id negantibus: Iniquũ, inquit, certamen eſſe oportet, in quo uictori quidem pri
uato eſſe licet, regi uerò uicto. Quum pater eius Philippus apud Triballos fœmore lan
cea traiecto, periculo defunctus, mœrore tamen angeretur claudicantis cruris deformita
te: Suſtine, inquit ille, pater, ne uereare in publicũ te agere, quo magis uirtutis ingredien
do memineris. Hæc & huiuſmodi alia, nonne animi dicta ſunt philoſophiæ pręceptis im
buti, qui honeſti ſplendore captus, flocci iam faciat corporis detrimenta? Aut num tan
dem poteſt aliuſmodi eſſe, qui ſuis ipſe uulneribus inſultet, qui in nulla non corporis par
te uictoriæ monumenta geſtet, urbium expugnatarũ, dedentium ſe ſuaq́; regum, non eru
beſcens ipſe, non cicatrices tegens, ſed tanquã uirtutis expreſſa ſimulachra ſtrenuitatisq́;

C documenta circunferens? At ſi quando Homeri carminum perpenſio, aut in ludis litera-
rijs, aut ſuper conuiuium fieret, alio aliud, ut fit, præponente, hoc ipſe ut omnium pręſtan
tiſsimum probabat:

Regnatorq; bonus ſimul atq; acerrimus haſta.

uidelicet interpretatus, quam laudem Homerus aliquot antea ſeculis de Agamemnone
temerè ſcripſiſſet, legem hanc ſibi latam eſſe: adeò dicere ſolitum ferunt eodem uerſu Ho
merum Agamemnonis uirtutem commendaſſe, Alexandri uerò uaticinatum eſſe. Proin
de quũ traiecto Helleſponto iam Troiam conſpicatus heroica geſta cogitabundus reco-
leret, ad eumq; indigena quidam ueniſſet, pollicens ſe, ſi uellet, Paridis ei lyram daturum:
Minimè, inquit, illa mihi opus eſt, quandoquidem Achillis lyram habeo, ad quam ille re-
creabatur. Hæc uirorum, inquit, fortium laudes canebat, illa uerò Paridis mollem quan-
dam & effœminatã harmoniam amatorijs modis pſallebat. Philoſophi porrò animi eſt,
ſapientię amore capi, ſapientesq; uiros in primis ſuſpicere. Hoc in Alexandro autem ut in
regum fuit nemine. Et quónam modo ad Ariſtotelem ſe habuerit, ſatis, ut arbitror, di-
ctum eſt. Quòd uerò harmonicum Anaxarchum inter paucos amicorum honorificè ha-
buerit, quòd Eleo Pyrrhoni primùm ſibi obuio millia decem aureorũ dederit, quòd Xe-
nocrati Platonis familiari quinquaginta dono talenta miſerit, deniq; quòd Oneſicritum
Diogenis Cynici diſcipulum gubernatorum præfectura ornauerit, à pleriſq; traditũ eſt.
Iam uerò cum Diogene ipſo ad Corinthum agente colloquutus, adeò uitam eius obſtu-
puit, animiq; eius dignitatem admiratus eſt, ut ſæpe quum in mentionem eius incideret,
diceret: Niſi Alexander eſſem, Diogenes forſan eſſem: id eſt, literarum ſtudijs me addice-
rem, niſi reapſe philoſopharer. Nõ dicit, niſi rex eſſem, Diogenes forſan fuiſſem: nec, niſi
diues, nec, niſi Argeades: non enim fortunam ſapientiæ præferebat, nec purpuram & dia
dema mantieę & ſordido amiculo: ſed, niſi Alexander eſſem, haud ſcio an Diogenes fuiſ-
ſem: id eſt, ſi mihi in animo non eſſet barbarica Græcis temperare, totamq; continentem
peragrando ad humaniorem uictum perducere, ad hæc terræ oceaniq; finibus repertis,
oceano Macedoniam admouere, in omneq; genus hominum diſſeminare Græciam, iu-
D raq; & pacem transfundere, nequaquã certè inſigni delitiarum affluentia ſeſsitarem, ſed
æmularer, ut opinor, Diogenis inopiã. Nunc mihi bona tua uenia, Diogenes, liceat exe-
qui id quod in animo habeo. Ad Herculis imitationem me contuli, ad æmulandum Per-
ſeum me comparaui: uolo Liberi patris, mei progenitoris, generiſq; mei proautoris, ue-
ſtigia perſequi: uolo rurſus in India uictores Græcos feſtiuis choris ſaltabundos cernere:
uolo Caucaſi ulteriores accolas, montanos feroſq; homines, Bacchanaliorũ admonere.
Iam uerò uiri quidam illic perhibent eſſe ſolidiori cuidã, atque adeo nudæ aſſueti philoſo
phiæ, ſancti homines, ſuis legibus uiuentes, deo prorſus addicti, ſupra Diogenem etiam
frugi, ad hæc manticæ non egentes, ut qui in diem horamq; uiuant, terra ipſis aſsiduè ci-
baria recentia ſuppeditante, potumq; fluminibus: cubile uerò illis ſtrata paſsim arborum
olia, herbaq; ſolum ſcatens. Per me illi Diogenem noſcent, Diogenesq; illos. Percutere
habeo barbaris numum græcæ ciuilitatis nota ſignandũ. Age iam in geſtis eius fortunæ
ne temeritas, & imperioſa quædam uis impotentiaq; bellica eminet, an ſtrenua potius ui-
rilitas, iuſtitia, moderatio, clementia, ad hæc in gerendis rebus decentia, ingenijq; acrimo
nia uigilanti ſolertiq; conſilio omnia tranſigentis? Profectò in actibus eius, uirtutum di-
ſcrimina neutiquam adnotare licet, ut hoc fortitudinis fuiſſe dicas, illud humanitatis, &
aliud continentiæ: ſed unumquodq; eius facinus ex uniuerſis concretum uirtutibus uide
tur, ut uerìſsimè de eo Stoicum illud dici decretũ poſsit: Quicquid ſapiens agit, id omni
ex uirtute agere, ut in omni actu certæ cuiuſdam uirtutis primæ eſſe partes uideantur: ad-
uocet autem & alias illa eundem in finem contendentes. Proinde in Alexandro cernere
eſt humanitatẽ belligerantiſsimam, mitem fortitudinem, frugi liberalitatem, iracundiam
exorabilem, amorem modeſtum, animi remiſsionem non uacantem, laſſeſcentiam haud
irrecreabilem. Ecquis tandem bellis præter eum dies feſtos inſeruit? Ecquis inter laſciuas
comeſſationes expeditiones ſumpſit? Ecquis inter res gerendas urbesq; adeò obſiden-
das, bacchabundis choris nuptijsq; & hymenęis indulſit? Ecquis deniq; inimicis laceſſen
tibus infeſtior, aut miſeris clementior, aut indigis benignior? Hîc mihi ſuccurrit ut refer-
rem illud de Poro rege memoriæ proditum, qui quum ad Alexandrum uinctus adductus
eſſet, percontante Alexandro, quónam modo de ſe uictorẽ ſtatuere cenſeret: Regio, in-
quit, modo. Rurſus percontante Alexandro, ecquo alio modo? Prorſus, inquit, nullo: in
illo enim omnia inſunt. Haud ſecus nunc mihi ſubit, ſingulis Alexandri geſtis ſucclama-
re,

A re,philoſophicè:in hoc enim omnia. Rhoxanes amore captus, Oxyatrę filiæ, quum inter
bello captas ſaltaret,non illi uim attulit,ſed in uxorem accepit,hauddubiè philoſophicè.
Darium conſpicatus iaculis multis confoſſum, non continuò ſacra dijs fecit, tanquam
diuturno profligato bello,aut pæana cecinit. Quid igitur? nempe adempta ſibi chlamy-
de defunctum Darium texit,uidelicet fortunæ regiæ genituram occulens philoſophicè.
Matris olim arcanam epiſtolam legens,quum Hephæſtion fortè,ut fit,aſsidens ingenua
ſimplicitate adlegeret, hoc animaduerſo ipſum quidem non inhibuit, admoto uerò ori
eius anulo,quaſi obſtricta amici fide ſilenda obſignauit:id quoque philoſophicè.Nam ſi
hæc philoſophicè facta non ſunt, quæ tandem alia ſunt? Agedum contendamus nunc
cum huius,aliorum facinora, qui ſine controuerſia philoſophi ipſi habiti ſunt. Socrates
Alcibiadem eodem ſecum lecto cubitantem perpeſſus eſt. Alexander Philoxeno mariti-
mæ oræ præfecto ſcribenti ad eum,puerum in Ionia eſſe inuſitata formæ uenuſtate,flore
ætatis præſtantiſsimo,ſciſcitanteq; per literas, nunquid uellet ad ſe mitti,acerbiſsimè re-
ſcripſit: O perditiſsime hominum, ecquid unquam huiuſmodi in me noſti,qui mihi hiſ-
ce lenocinęris uoluptuarijs obſequijs? Xenocratem ſuſpicimus omnes,quòd Alexan-
dro talenta ei quinquaginta dono mittente,ipſe illa non attigit, dediſſe uerò non? Quid
ni? non perinde quęſo aſpernari pecunias arbitramur eum qui largitur,atq; eum qui non
admittit? Non egebat pecunijs Xenocrates,propter philoſophiam. Alexander autem e-
gebat,propter philoſophiam,ut talibus largiretur. Illorum memoriam colimus, qui con-
temnendæ mortis nobis elogia reliquerunt. Hoc quoties autem Alexander telis impeti-
tus,in territantem mortem obnixus uſurpauit? tametſi recta quidem iudicia omnibus in-
eſſe remur,natura ſuapte ſponte ducem nobis ſeſe ad honeſtum capeſſendum offerente.
Atqui philoſophi uel eo præcipuè uulgò longè præſtant, quòd ualida ſolidaq; iudicia ha
beant ad adeunda diſcrimina: quippe qui huiuſmodi quædam anticipata in animis ha-
beant,quale illud Homeri:

Augurium felix patriam tutarier unum.

Aut illud Demoſthenis: Finis etenim uitæ mors eſt omnibus,uel ſi ſe quis in conclaue pe
B nitus abſtruſerit. Atqui uiros bonos egregijs ſemper cœptis incumbere, bonā ſibi ſpem
proponentes decet: quicquid uerò Deus dederit, id generoſe ferre. Sed hi tum frangun-
tur animorum habitus,quum horrenda inſtare cernuntur, iudiciaq; elidunt aduentantia
pericula. Pauor enim non modò memoriam, ut Thucydides inquit,excutit, ſed quoduis
etiam conſtitutum, quemuis conatum, quemuis mentis impetum, & laqueos philoſo-
phiæ inijcit.

Plutarchi de fortuna aut uirtute Alexandri, liber poſterior.

EXCIDIT heri nobis,ut opinor,dicere,artificijs multis Alexandri ſe-
culum clariſq; felix ingenijs fuiſſe: quanquam id non tam Alexandri,
quàm fortunæ illorum habendum eſt, ut quibus teſtem contigerit ar-
bitrumq; nanciſci, cùm acri ad æſtimanda artium ſpecimina iudicio,
tum uerò ſuppeditantibus opibus ad maxima quæq; operæprecia au-
toribus ipſis perſoluenda. Proinde quum aliquot poſt annis Arche-
ſtratus uenuſtus admodum poëta,in multa inopia nominiſq; obſcuri-
tate ſeneſceret,ad eum quidam dixiſſe fertur: At ſi Alexandri contemporaneus fuiſſes,in
ſingulos ille tibi uerſus Cyprum aut Phœnicen dediſſet. Equidem exiſtimo,qui tum fue-
runt artifices, eorum præſtantiſsimum quenq; non tam ſub Alexandri tempora,quàm
propter Alexandrum fuiſſe. Vt enim fruges aëris temperie liquidioreq; cœlo exuberant,
haud ſecius bonæ artes eximiaq; ingenia benignitate, honorificentia, humanitateq; re-
gia euocantur,contraq; inuidia,ſordibus,moroſitate eorum qui rerum potiuntur, reſtin-
guuntur & langueſcunt. Dionyſius,ut fertur,tyrannus quum quendam cytharœdum pri
mi nominis audiret,talentum ei ſe daturum ſpopondit: poſtero uerò die heſternam ſpon
ſionem repoſcenti: Heri,inquit,oblectatus à te tantiſper dum canebas, te quoq; uiciſsim
iniecta ſpe oblectare uolui: proinde congruum operæprecium recepiſti hilarans idem,
& mox redhilaratus. Alexander Phereorum tyrannus(ſic enim ſolùm appellandus erat,
ne cognomentum ſuggilletur) tragœdum quendam quum ſpectaret, ſupra modum in

C miſericordiam uerſus eſt, ita afficiente eum auriũ uoluptate. Proſiliens igitur ex theatro
accelerato gradu abibat, indignũ eſſe fremens, ſi qui tot ciues excarnificatus ſit, is Hecu-
bæ Polyxenæq; caſibus illachrymaſſe uideretur. Nec multum abfuit, quin tragœdum ma
le mulctaret, uidelicet quód animum eius tanquã ferrum mollierat. Archelaus quum ui-
deretur malignè munera dare, non ſemel hoc cauillo à Timotheo cantore taxatus eſt: Sci
licet tu terrigenæ pecuniæ faues. Cui Archelaus non inconcinnè reſpondit: At tute aues.
Scytharũ rex Antæas Iſmeniam tibicinẽ bello captum iuſsit ſuper cœnam canere. Omni-
bus autem admirantibus, & prę uoluptate plaudentibus, iureiurando affirmauit, ſuauius
ſe interdũ equum hinnientẽ audiſſe: uſqueadeo aures habebat à Muſis abhorrentes, ani-
mamq; in præſepijs, imò uero audiendis aſinis ꝙ equis appoſitiorẽ. Quod igitur artium
augmentum apud huiuſmodi reges? Quis artibus honor, aut Muſis haberi poteſt? Quan
quam ne apud illos quidem ius ſuum obtineant, qui artium peritiam ſe tenere profiten-
tur, utpote qui æmulatione & odio iuſtos euertãt artifices. Qualis rurſum Dionyſius, qui
Philoxenum poëtam in latumias demiſit, quód tragœdiam eius emendare iuſſus, ab ex-
ordio totam ad umbilicũ una litura circunduxiſſet. Erat autem in huiuſcemodi rebus Phi
lippus quoq; ſeipſo minor, & iuniori ſimilior, ut qui hæc ſeró doceri occepiſſet. Vnde di-
ſceptante eo cum quodam fidicine de pulſandarum fidium ratione, quum ſibi probè ho-
minem refellere uideretur, renidens, ut inquiũt, ille: Dij melius, ô rex, ait, nec uſqueadeo
miſer ſis, ut hæc me melius ſcias. At ueró Alexander probè ſciens quarũ ſe rerum ſpecta-
torem atq; auſcultatorẽ præbere oportet, quarumq; item certatorẽ, ſuapteq; manu acto-
rem, meditabatur quidem aſsiduè ſtrenuus armis euadere, & ut inquit Aeſchylus, grauis
in armis luctator, formidoloſus hoſtibus. Hanc auitã artẽ habens, & per manus ab Aea-
cidis & Hercule traditam, cæteras ueró artes in honore habendas cenſebat, non æmulan
das quoq;: & ut nobilitatem amplectebatur uenuſtatemq; artificum, ita earum oblecta-
mento haud temerè ſeſe ad imitationem conferebat. Aequales eius fuerunt tragœdi qui-
D dem Theſſalus & Athenodorus. Hi quum inter ſe de arte contendentes in certamen ali-
quando ueniſſent, choragorum quidem uice Cypri regibus fungentibus, iudicum uerò
præfectorum nobiliſsimis, uictorq; ad extremum Athenodorus euaſiſſet: Parte, inquit,
emptum regni uellem, ne Theſſalum uictum uiderem: nec tamen quicquam ultrà uerbo
rum cum iudicibus fecit, aut ullo prorſus modo iudicium improbauit: nimirũ dignum
eſſe ratus, cæteris ſe omnibus antecellere, iuri uerò cõcedere. At comœdi fuerunt Lycon
& Scarpheus. Huic quum in comœdia quadam flagitatoriũ uerſum inſeruiſſet, arridens
decem talenta dedit. Citharœdi fuerunt cùm alij, tum Ariſtonicus: qui quum in pugna
ſuppetias cuidam ferret, egregiè pugnans cecidit. Huic Alexander ſtatuam Pythijs æ-
ream ponendam curauit, citharam tenentem haſtamq; protentam, non hoc modó uiro
illi tribuens, ſed & muſicam quoq; hoc honore proſequens, quæ uiros faceret, quæq; in-
ſtinctu lymphatico impetuq; impleret eos, qui in ea ritè educati eſſent. Nam & ipſe olim
Antigenide tibicine Harmation modum modulante, uſqueadeo mente captus modula-
menti incitatu exarſit, ut concuſsis armis proripiens ſeſe, manus in adſtantes intenderet,
teſtimonium Spartiatis præbens illud canere ſolitis: Vrget enim in ferrum ſcitè fidibus
canere. Erant etiam æquales eius Apelles pictor & Lyſippus ſtatuarius. Horum ille ful-
miniferum ipſum pinxit eouſq; expreſſe ac concinnè, uulgó ut dicerent, duorum Alexan
drorum illum quidem Philippi nulla ui ſuperabilem, hunc uerò Apellis nulla arte imita-
bilem. At uerò Lyſippus quum primùm Alexandrum finxiſſet ſupina cœlum facie ſuſpe
ctantem, quo modo Alexander ipſe ſuſpicere ſolitus erat, afflexa leuiter ceruice, adſcri-
pſit quidam haud illepidè:

Aereus in cœlum ſuſpectans fare quid aiat?
Iuppiter aſſerui terram mihi, tu aſſere cœlum.

Quam ob cauſam Alexander Lyſippum unum ſtatuas ſibi fingere uoluit: ſolus enim ui-
debatur affectus eius ære exprimere, Alexandriq; uirtutem cum lineamentis referre. Cæ
teri uerò ſupinitatem ceruicis, oculorũ feſtiuitatem, blandamq; alacritatẽ imitari ſtuden-
tes, uirilem leoninumq; aſpectum retinere nequiuerunt. Inter aliorum artificum turbam
Staſicrates architectus erat: hic nihil lenocinij, nihil lepôris, nihil feſtiui aſſequi in facie
cupiens, ad magnificentiſsimum opus ſe comparabat, dignumq; quod Alexandri unius
opibus faciendum ſuſciperetur. Quodam igitur tempore ad eum inſinuatus improbauit
imagines eius pictas, ſtatuasq; tum fuſiles, tum ſculptas, opera eſſe dictitans inertium ig-
nauorumq; artificum. Ego enimuero ô rex, inquit, corporis tui ſimulachrum condere de-

A ponereꝗ conſtitui in uſua ac nunquam interitura materia, & cum perpetuis radicibus fi-
brata, tum uerò mole libramẽtoꝗ nulla ui agitabilib. Thracius enim Athos, quà eminen
tiſsimus cõſpicuusꝗ maximè eſt, latitudines altitudinesꝗ habet proportione inter ſe ac-
cõmodatas, membraꝗ & artus, & eorũ interſtitia corporis ſpeciem præbentia: hic ſi affor
metur elaboreturꝗ, Alexandri effigies & eſſe & uocitari poteſt, ut mare quidem imis ſe-
dimentis attingat, at uerò manibus, ſiniſtra quidem amplum admodum oppidum ample
xabunda geſtet, dextra uerò perennem fluuium ex ampulla libans effundat in mare. Au-
rum uerò, inquit, æs, ebur, ligna, pigmenta, ſigilla minuta & uenalia abijciamus, quæ aut
furto intercidere, aut igni liqueſcere poſſunt. His Alexander auditis, excelſos artificis ſpi
ritus fiduciamꝗ admiratus collaudauit. Cæterùm, ô Staſicrates, inquit, Athon quieſcere
ſinito, etenim abunde eſt petulantiæ, regis unius eum eſſe monumentum: me uerò Cau-
caſus oſtendet, & Emoda, & Tanais, & Caſpium pelagus. Hęc operum certè meorum ſi-
mulachra erunt. Sed per deos immortales, eſt'ne aliquis, qui ſi huiuſmodi opus abſolu-
tum cernat, exiſtimet eius formam, habitum & ſpeciem fortuitu & temerè facta? nullus
certè, ut arbitror. Quid fulminiferum? quid quem cuſpide nitentem uocant? quid (ma-
lùm) ſtatuæ amplitudo ſine arte à fortuna abſolui non poterit, aurum, ęs, ebur, multam &
precioſam materiam ſuppeditante affatim, largeꝗ ſuggerente: uir uerò amplus, imò ue-
rò hominum ampliſsimus, ſine uirtute à fortuna effici poterit, arma, ſtipendia, urbes, e-
quosꝗ comparante? ceu uerò imperito hæc duci uires aut ornatum afferant, & non iner-
tiæ potius ſocordiæꝗ documentum magno quoꝗ ſuo periculo præbeant. Pręclarè enim
Antiſthenes hoſtibus optanda omnia à dijs eſſe bona dicebat, præter fortitudinem: ete-
nim illa tandem armis pręſtantium fore, non illa poſsidentium. Quapropter naturam in-
quiunt ceruo animali ignauiſsimo cornua magnitudine uiſenda aſperitateꝗ ingeneraſ-
ſe, nimirum ſpecimen dantem, qui audere ipſi fiduciamꝗ imperare ſibi nequeunt, nul-
lum ijs armorum apparatum belliꝗ inſtrumentum uſui eſſe. Hoc ſæpe modo fortuna ſo-
cordibus ſtolidisꝗ opes & imperia aſciſcens, quibus ipſi demum degeneres arguuntur,
adſtruit, honeſtatꝗ uirtutem, utpote in qua una ſita ſint amplitudo decorꝗ uiri. Enimue
B ro, ut inquit Epicharmus, mens cernit, mens audit, reliqua autem ſurda cæcaꝗ ſunt, & ra
tionis indiga. Nam ſenſus facultates quaſdam peculiares habere uidentur, mens uerò
quòd proſit, quòd ornet, quòd deniꝗ uincat, quòd præſtet, quòd imperet, reliqua uerò
ſurda, cæca, inanima, redundent & morentur, deformentꝗ ſe abſque uirtute poſsiden-
tes, ſic reapſe deprehendere licet. Siquidem ijſdem opibus, eodem imperio freta Semira
mis fœmina claſſes inſtruebat, phalangas armabat, Babylones condebat, rubrum deniꝗ
mare nauigio perluſtrabat, Aethiopiæ atꝗ Arabiæ ſubigendis populis: Sardanapalusꝗ
uir quidem natus, domi purpuram carminabat, inter pallacarum turbam ſupinus in hu-
merosꝗ iacens: cui uita functo lapideam ponentes ſtatuam, ſecum ipſam ſaltantem bar-
barico ritu, argutulisꝗ digitis ſupra caput ueluti concrepitantem, adſcripſerunt: Ede, bi-
be, Veneri indulge, nam cætera prorſus nihil omnia. Crates auream Phrynes meretricu-
læ effigiem Delphis poſitam quum uidiſſet, exclamauit, Græcorum id petulantiæ tro-
phæum erectum eſſe. At qui Sardanapali aut uitam, aut monumentum (nihil enim, ut ar-
bitror, differunt) uiderit, hoc fortunæ bonorum trophæum ſanè eſſe dixerit. Quid igi-
tur tandem? ſinemus fortunam poſt Sardanapalum, Alexandrum attingere? aut ampli-
tudinem eius ſibi & potentiam uendicare? Ecquid autem ab illa præcipuum ſupraquàm
cæteri aſſolent reges accepit, armorum, equorum, telorum, pecuniarum, militum? Quin
igitur iſtis fortuna, ſi poteſt, magnum Aridæum facit? quin magnũ Amaſin, aut Ochon,
aut Oarſen, aut Tigranem Armenium, aut Bithynum Nicomedem? quorum ille candi-
dam faſciam inſigne regni ad Pompeij pedes abijciens, fœdiſsimè regnum depoſuit ue-
luti in prædam concedens: Nicomedes uerò raſo capite pileum aſſumens, Romanorum
ſeſe libertum pronunciauit. Proinde rectius fortunam dixerimus humiles, meticuloſos,
animiꝗ demiſſos facere. Quemadmodum porrò prauitatem non rectè infortunio dede-
ris, ita fortitudinem & prudentiam non ſine iniuria, accepta felicitati tuleris: tametſi Ale-
xandri imperio præcipuè fortuna cenſetur, quippe quæ illuſtris in illo, inuicta, celſa ani-
mi, innocentia prædita clementiaꝗ fuerit. At uerò occumbente eo, Leoſthenes dice-
bat, hanc immenſam potentiam errabundam, & huc illuc incurrentem Cyclopi ſimilem
fuiſſe, qui poſt exoculationem manus quoquo uerſus intentabat, nunquam non aber-
rantes à deſtinato propoſito. Haud abſimili, inquit, uertigine ſub imperatoris deſide-
rio ferebatur hallucinabunda imperij magnitudo, irritis ubique conatibus ſe fatigans.

C Rurſus quemadmodum emortua corpora ab anima deſerta non iam concreſcunt coale-
ſcunt ue, ſed deſinunt diſſoluunturq́; à ſeſe, uaneſcuntq́; & exoleſcũt, hunc in modum im
perium amiſſo Alexandro moribundum palpitabat, motabatur, & tumidum languebat,
Perdiccis, Seleucis, Meleagris, & Antigonis inter ſe diſsidentibus, tanquã ſpiritibus ad-
huc calentibus pulſibusq́; micantibus, ad extremum marceſcens, & iam tabidum uelut
obortis undiq; ſcatuit uermibus, degeneribus regibus fractiq́; animi ducibus. Enimuero
ipſe Hephæſtionem aliquando caſtigans, ut fertur, cum Cratero ſimultates exercentem:
Quæ tandem, ait, tuæ ſunt opes, aut quod tuum facinus, ſi quis tuum tibi Alexandrũ de-
mat? Hoc itidem nunc ego ad illius æui fortunam dicere non dubitarim: Ecqua tua ampli
tudo, ecqua tua gloria? nunc ubi tua autem potentia, nunc ubi inuicta uirtus, ſi quis tibi
Alexandrum dempſerit? Si quis, inquam, dempſerit in armis peritiam, in opibus liberali
tatem, in magnificentia moderationem, in certaminis diſcrimine fiduciam, in uictoria cle
mentiam? Agè fac, ſi potes, alium magnum ducem, ut opibus liberaliter nõ utatur, ut non
ante acies ſuas progreſſus diſcrimina ſubeat, ut amicos honori non habeat, ut non in ca-
ptos miſericordem ſe præbeat, ut in fruendis uoluptatibus ſibi temperare nequeat, ut in
occaſiones bene gerendæ rei non immineat, ut à uictoria exorabilis non ſit, poſtremò ut
inceptorum compos clementem ſe non præſtet. Iam uerò quis magnus in potentatu cum
ſtultitia & flagitijs? Tolle uirtutem fortunati hominis, iam uſquequaq; paruus erit, in con
ferendis beneficijs ob ſordidam parſimoniã, in exudandis laboribus ob mollitiem, apud
deos ob ſuperſtitionem, erga bonos ob inuidiam, inter uiros ob ſocordiam, inter mulie-
res ob affectus uoluptarios. Et ut ignari artifices ſimulachra parua prægrandibus ſedi-
mentis fulcientes ipſorum breuitatem arguunt: haud aliter fortuna quum exiguum ho-
minis animum conſpicuis effert rebus & molem habentibus, conſpectiorem eum, & in-
famem per ora hominum facit leuitate errabundum & fluitantem. Idcirco non in haben-
dis rebus, ſed in utendis potius magnitudo ſita eſt, quandoquidem regni paterni infan-
tes etiamnum pueri hæredes eſſe ſolent, ut uerbi cauſa Charillus ille, quem unà cum cre-
pundijs Lycurgus in Phidition delatum loco ſui Spartæ regem renunciauit. Non enim
protinus magnus erat infans, ſed qui infanti potius paternum regnum cùm interuertere
D poſſet, integra tutelari fide reſtituit. Aridæum uerò quis magnum facere poſſet, quem ni-
hilo ab infante differentem, purpura modò infantiliter inuolutum Meleager in Alexan-
dri ſolio conſtituit? Quanquam ô bene factum, ut pauculos intra dies appareret, quo tan
dem modo uirtute regnant homines, & quo forte fortuna. Pro imperio enim certanti ue-
luti hiſtrionem ipſe ſubmiſit, imò uerò diadema orbis terrarum mutum tanquam per ſce-
nam traduxit: Fœmina onus tulerit ſcapulis, ſi ſuſtulerit uir. E contrario uerò dixerit ali-
quis: aſſumere potentatum, & tanquam in humeros tollere alteriq́; imponere opes & im
peria, & mulieris fuerit & pueri fortaſſe. Siquidẽ Oarſæ & Dario Bagoas eunuchus Per-
ſarum regnum humeris ſublatum impoſuit, at magnum iam aſſumptum imperium uelu-
ti contento corpore ferre uerſareq́; ſine magno negocio, nec oneri ſuccumbentem con-
tundi contorquerіue pondere, moleq́; rerum, uiri id eſt profectò uirtute & ſolertia cel-
ſiſq́; animis præditi. Quæ quidem omnia in Alexandro fuerunt, cui etiam ebrietatem ac
temulentiam nonnulli obijciunt. Fuit autem in rebus gerendis cùm magnus in primis,
tum uerò ſobrius & uigilans, non temulentus, non imperij licentia bacchabundus, cuius
qui minimam partem nacti ſunt, temperare ſibi nequiuerunt. Leuiſsimus enim quiſque
quum aut re numaria antecelluerit alios, aut in ciuiles quoquo modo honores incurre-
rit, inopinata ſtatim felicitate laſciuire ſolet. Ecce tibi Clitus ad Amorgum tribus aut ad
ſummũ quatuor depreſſis Gręcorum nauibus, uocitari ſe Neptunum paſſus, tridentemq́;
geſtans. Parte alia Demetrius (cui quotam ipſi partem fortuna ex Alexandri opibus de-
tractam attribuerat?) Iouem ſe uocari æquis ſuſtinuit auribus, nec iam ad eum legati mit
tebãtur ab urbibus, ſed theori, id eſt, oracula ſciſcitaturi, reſponſaq́; eius oracula diceban-
tur. Iam uerò Lyſimachus, qui loca ad Thraciam uergentia quaſi regni extrema obtine-
bat, eouſque inſolentiæ, ferociæq́; euaſit, ut diceret: Nunc demum Byzantij ad me ue-
niunt, quum lancea cœlum attigi. Ibi Paſiades Byzantius, qui tum fortè aderat, Appro-
peremus, inquit, ne lanceæ iſte mucrone medium cœlum pertundat. Tametſi quid in iſtis
magnopere reprehendi poteſt, quibus licebat ipſis propter Alexandrum animi eſſe ela-
tiſsimos, quum iam Clearchus Heracliæ tyrannus geſtauerit fulmen, unumq́; liberorum
Tonitrum appellitarit? Quid quòd Dionyſius iunior Apollinis ſe filium nominauit in e-
pigrammate ſcribens?

Doride

A Doride de nympha Phœbi complexſbus ortus.
Quid quòd pater eius mille, atqueadeo decem millibus ciuiũ interfectis, prodito per in-
uidiam hoſtibus fratre, matre quoq; anicula, non expectato ut paucis è uita diebus cede-
ret, truculentè præfocata, ad hæc in tragœdia ſcribens: Etenim tyrannis eſt genitrix iniu-
riæ: filiarũ tamen unam Virtutem, Temperantiã alteram, & aliam Iuſtitiam nominauit?
Sunt qui ſeſe Euergetas uocitarint, id eſt, beneficos: ſunt qui Callinicos, id eſt, egregiè ui-
ctores: nonnulli Soteras, id eſt, ſeruatores: quidam Megalos, id eſt, magnos: atq; eorũ nu-
ptias alias ſuper alias admiſſariorũ more inter mulierũ greges propalã pernoctantium,
puerorumq́; ſtupra quis eſt qui ſcribendo aſſequi poſsit? ad hæc aleam interdiu, cantus in
theatris, noctem in cœnas, diemq́; in prandia deficientẽ? Contrà uerò Alexander prandio
quum primùm diluculaſſet accumbebat, cœnæ uerò iam appetente nocte. Bibebat inter
ſacrificandũ, alea ludebat cum Medio febricitans. Ludebat iter faciens, ſimul & ſagitta-
re diſcens, & è curru deſilire. Rhoxanes amore captus, eam unã uxorẽ ſoli ſibi duxit, Da-
rij uerò Statiram imperio rebusq́; ita expoſcentibus: erat enim operæpreciũ hoc pacto
genera inter ſe uinciri. Cæteras omnes Perſides tantò modeſtia præſtitit, quantò fortitu-
dine Perſas. Inuitam nullam uidit: quas uidit autem, magis etiam aſpernatus eſt, q̃ quas
non uidit. Mireq; quum cæteris omnibus blandus eſſet, ſolis uenuſtis ſuperbum ſe præbe-
bat. nam de Darij uxore, eleganti in primis forma, nullum unquã uerbum cõmendanda
eius uenuſtate emiſit: defunctæ uerò regiè uſqueadeo iuſta fecit, miſericorditerq; fleuit, ut
fidem eius integritas non faceret præ tanta humanitate, ſummaq; probitas iniuriæ arceſſe-
retur. Siquidẽ Darius primũ admodum cõmotus eſt potentiæ eius ætatisq́; licentia: erat
enim tum eorum unus, qui rerũ potiri Alexandrũ fortunæ beneficio rebantur: ſimulac au-
tem accuratè omnia perſcrutatus id quod erat cõperit, Non uſqueadeo igitur, inquit, res
Perſarum cõploratæ ſunt, nec prorſus ignauos nos imbellesq; dixerit, qui ab huiuſmodi
hoſte ſuperatos audierit. Equidem quod ad me attinet, proſperũ rerum euentum, in ſum-
maq; belli uictoriã à dijs opto, ut beneficẽtia quoq; Alexandrũ ſuperem: ambitioſa enim
quædam me cepit æmulatio, clementiorem eo uideri. Sin de me actum eſt, Iupiter auite
B Perſarum, uosq́; dij regij oro obteſtorq;, nullus in Cyri ſolio præter unum Alexandrũ ſe-
deat. Ita aſciſcebat Alexander teſtib. ipſis dijs: uſqueadeo omnia uirtus uincit. Adſcribe
ſi placet, Arbela fortunæ, & Ciliciã, & cætera uiolentæ manus belliq́; opera. Fortuna ſa-
nè Tyron ipſi exciderit, fortuna Aegyptum ei aperuerit, per fortunam Halicarnaſſus ce-
ciderit, & Miletus capta ſit. Fac fortunæ beneficio Euphratem deſeruiſſe Mazæũ, Baby-
loniamq́; planitiem cæſorum corporibus ſtratã, num etiam à fortuna temperans, aut be-
neuolente fortuna continens fuit? Aut num fortuna præſidio quodã munito animũ eius
ſecurum præſtare potuit, ut ne à uoluptatibus lancinaretũ, neu libidinibus ſauciaretur? At-
qui hæc & huiuſmodi erant, quibus Dariũ uicit: cætera armorũ equorumq́; ſtrages erant,
prælia, cædes, fugæq; hominũ. Ingenti uerò, & hauddubiè decretoria clade uictus eſt Da-
rius, quũ Alexandrũ uoluptatibus, laboribus, beneficijs inuictũ admiratus, uirtuti eius,
animi magnitudini, fortitudini, iuſtitiæq; ueluti faſces ſummiſit. Enimuero peltis, ſariſsis,
in bellico impetu, in conſerenda manu, in armorũ dimicatione inuicti erant Tarrias Di-
nomenis, Antigenes Pellenæus, Philotas Parmenionis: at aduerſus libidines, mulieres,
aurum & argentum, nihilo meliores bello captis. Nam Tarrias quidem quo tempore A-
lexander Macedonas obæratos liberauit, fœneratoribus ære alieno pro omnibus diſſolu-
to, allegato ex compoſito creditore falſo profeſſus ſe debere, fraudisq; tandem cõpertus,
ſeſe propè perdidit, niſi Alexander re cognita hoc eum crimine liberaſſet, ſimul etiã per-
miſſo ut argentum auferret: uticq; poſtq̃ recordatus eſt, Philippo quondã ad Perinthum
pugnante, ſagitta in oculo ictum, nõ anteq̃ hoſtes fuſos fugatosq; cerneret, eximendum
telũ præbuiſſe. Antigenes uerò inter cauſarios, qui in Macedoniã remittebantur, fallere
ſperãs, quũ in turba profiteretũ, manifeſtus ſimulatæ ualetudinis, fuit integris ipſe uiribus,
uir cùm bello ſtrenuus, tum corpore cicatricib. obſito. Quã ob cauſam ſtomachante Ale-
xandro, cauſamq; percontante, Teleſippes ſe amore deperire faſſus eſt, à qua quũ diuelli
perpeti non potuiſſet, abeuntẽ ad mare proſequi cõſtituiſſe. Rurſus cuius eſſet mulիercu-
la Alexandro rogitãte, & qui cum de ea agendũ eſſet, quũ ille ingenuã eſſe dixiſſet: Quin
igitur, inquit, donis illam & promiſsis ut reſiſtat perpellimus? uſqueadeo nulli nõ amanti
indulgentior q̃ ſibi ipſe fuit. Iam uerò Philotas, Parmenionis filius, neſcio quomodo &
ipſe incontinentia lapſus eſt. Antigona in captiuorũ turba ad Damaſcum captorum Pel-
læa quædam muliercula erat ſpecie cõmendabilis, eadem olim ab Autophradate capta

C fuerat, quum in Samothraciam nauigaret. Huius amore uecors Philotas, uir alioqui fer-
reus, ita tum mollis fluxusq; fuit, ut prę uoluptate compos mentis nō eſſet, atque adeo in-
cautus ſilenda pleraq; mulierculæ effutiret. Quid enim, inquit, Philippus ille, niſi Parme
nio? quid hic Alexander, niſi Philotas? ubi porrò Ammon, ubi dracones, ſi nolimus ipſi?
Huiuſmodi mulier ſermones ad quandam familiariū detulit, illa rurſus ad Craterum, Cra
terus autem Antigonam clàm captiuam ad Alexandrum adduxit, qui corpus quidem
eius non attigit, ſed ab ipſa abſtinuit, opera uerò mulierculæ totum illum clàm deprehen
dit, plusq; ſeptem annis nuſquam ſuſpicionē prodidit, non in uino temulentus, non ob
iram iracundus, deniq; non ad amicum, qui nihil non credere Hephæſtioni ſolitus eſſet,
nullorumq; non conſiliorum conſcium eum facere. Quippe ferunt olim matris eum epi-
ſtolam reſignantem lectitantemq; ſecum muſſitabundè, quum admoto ſenſim capite He
phæſtion adlegeret, inhibere eum non ſuſtinuiſſe, exempto uerò è digito anulo, ſignacu-
lum ori eius appreſsiſſe. Vocem certè obtuderim, ſi omnia percenſeam, quibus ipſe opti-
mè imperium adminiſtraſſe, maximeq; è dignitate regia, probatur. Vt enim màgnus pro
pter fortunam fuerit, maior certè uel ob idipſum, quòd fortuna rectè uſus eſt, quòq; ma-
gis fortunam eius extuleris, uirtutē eo magis cōmendaris, nempe propter quam dignus
fortuna fuit. Agè iam incrementi eius primordia, imperijq; auſpicatum repetamus, uidea
musq; quod tandem in ipſis fortunæ facinus fuerit, propter quod Alexandrū fortunæ be
neficio magnum euaſiſſe contendant. Prò dij immortales, quin igitur eum integrum, in-
cruentum, nullis deniq; copijs inſtructū, adhinniens modò equus in Cyri ſolium erexit,
ut Darium olim Hyſtaſpæ filiū? aut quin id ei mulier eblandiebat͂ à uiro, ut Atoſſa quon-
dam Xerxi à Dario eblandita eſt? Aut cur non ad ueſtibulū ei diadema acceſsit ultrò, ue-
lut Paryſatis per Bagoā accepit, qui poſito habitu tabellarij, regiam arrectamq; cidarim
ſumpſit? Aut cur non repētè, nec opinatū orbis ſorte imperiū obtigit, haud ſecus atq; A-
thenis Theſmothetæ & Archontes ſortitò creari ſolent? Vis igitur doceam, quónam pa-
cto homines propter fortunā imperant? Deficiente olim Argiuis Heraclidarum familia,
ex qua regem creari mos illis antiquus erat, ſciſcitantibusq; illis Deus reſpondit, aquilam
oſtenſuram: paucisq; diebus aquila ſupernè deuolans ſuper Aegonis domo ſedit, ſic rex
D creatus eſt Aegon. Rurſus in Papho rege ob flagitia ab Alexandro eiecto, quum rex al-
ter non reperiretur, quòd Cinyradarū gens funditus deleta exiſtimaret͂, unū tandem tra-
dunt inuentum inopem, ultimiq; nominis hominem in hortulo quodam neglectū, uixq;
ſe ex eo tolerantē. Ad hūc qui miſsi erant quum ueniſſent, aquam ſulcis aſpergentem of-
fenderunt. Terrore uerò perculſus eſt, militibus manū in eum inijcientibus, præireq; por
rò iubentibus, quoad ad Alexandrū deductus, obſoleta plagula amictus, rex eſt pronun
ciatus, aſſumptaq; purpura unus eorū eſſe cœpit qui regis ſodales uocitabant͂. Erat tum
ei nomen Alynomo. Sic reges efficiunt fortunæ beneficia, ad noua honorū inſignia pro-
mouentia nec opinantes, celeriterq; trāſcribentia nihil minus q̄ id ſperantes. Alexandro
uerò quid ſupra dignationem? quid citra ſudorem? quid incruenta uictoria? quid citra la
borem obtigit? Amnes ſanguine mixtos bibebat, quos cæſorū corporibus iunctos traij-
ciebat: herbam fame enectus edebat, quam primā offendiſſet: obrutas altis niuibus gen-
tes adijt, urbes ſub terrā merſas excîdit, pugnantia maria nauigauit, arida Gedroſiorum
Arachoſiorūq; littora permenſus, in mari prius etiam q̄ in terra ſtirpes uidit. Quòd ſi ut
hominem, ita fortunā affari liceat, ita ſanè dixerim: Nunc ubi tu, aut quando Alexandri
rebus geſtis aditum præbuiſti? quam tandem petrā incruento per te marte cepit? ecquam
ei urbem præſidio uacuam obieciſti? ecquam inermem phalangem? ecquis aut rex igna-
uus, aut imperator ſocors, aut dormitabundus cuſtos inuentus? ecquis amnis facilè com-
meabilis? ecquā mediocris hyems? ecqua æſtas nō infeſta? Apageſis hinc fortuna, faceſſe
ad Antiochum Seleuci, faceſſe ad Artaxerxem Cyri fratrem, proripe te ad Ptolemæū Phi
ladelphum: illos enim ſuperſtites etiam patres, reges appellitarunt, prælijs illi uincebant
illamentabilibus, feſtos illi dies per pompas & ſpectacula ad extremū uitæ agebant, de-
niq; illorum quiſq; per ſummam felicitatē in regno conſenuit. En tibi Alexandri corpus,
ſi nihil aliud, certè ab imis unguibus ad uerticē ſaucium, acciſum, contuſum, ab hoſtibus
deniq; cæſum, & iaculo, & gladio, & torti libramine ſaxi. Propter amnem Granicum enſe
diſſecta galea capillo tenus. Ad Gazam ſagitta humero ſaucius. In Maracandis ſagit-
tæ ictu ſura, ita ut à tibiæ radio fractum os diſsiliret. In Hyrcania oblæſo lapide collo,
quo ictu tenebris ob oculos offuſis ad dies multos cæcitatem timuit. Propter Aſſacanos
talo Indico telo icto, quo tempore ad aſſentatores renidens dixiſſe fertur: Hic quidem
ſanguis

A ſanguis eſt, non ſanióſum quid, quale ex deorum uulneribus eſfluere creditur. Ad Iſſum enſe femore traiecto à Dario, ut Chares inquit, manus cum eo conſerente. Ipſe uerò Alexander magna cum fide ad Antipatrum ſcribens: Contigit, inquit, mihi pugione ſauciari in femur adacto, ſed unde nulla pernicies aut illicò, aut poſtea ſecuta ſit. Apud Mallos tripedanea ſagitta ictus, ſpiculo per loricam & pectus ad ceruicem pertingente, ut autor eſt Ariſtobolus. Traiecto Tanai Scythas in fugam uerſos, equo etiam ad centũ & quinquaginta ſtadia inſectatus eſt, infeſto alui profluuio remorante. Euge fortuna, quæ Alexandrum magnũ facis, nouisq; ſubinde macte eſſe incrementis iubes, undiq; corpus eius lancinans, omnem corporis partem uulneribus patefaciẽs: non ut Minerua quondã pro Menelao ſtans, tela in firmiſsima quæq; armorũ ueluti manu dirigens, obiectisq; lorica, faſcia & baltheo tenorem iactus frangens, ſummum tantũ corpus ſcarificantis, eliciendo in ſpeciem cruore: ſed nuda potius telis uitalia præbẽs, uulnera per media oſſa infligens, deprehenſo undiq; corpore uiſum inſuper ingreſſumq; obſidens, inſequentem interpellans, uincentem diſtringens, ſpes deniq; eius ludificans. Profectò nullus mihi regum infeſtiore fortuna uſus eſſe uidetur, etſi in multos ingruit aſpera ac inuidẽs. Siquidẽ quum alios fulminis inſtar abſcidiſſet, & ad internicionem perdidiſſet, aduerſus hunc unum pertinax & inexpiabile odium, ineluctabileq; exercere obſtinauerat, ut aduerſus Herculem antea. Quos enim Typhonas ei prodigioſosq; gigantas non allegauit cum ipſo dimicaturos? Quos hoſtes autem aduerſus eum non muniuit armorum apparatu, amnium altitudine, præcipitiorum ſalebris, inuſitata belluarum feritate? An niſi celſi eſſent eius animi, maioreq; uirtute ſubnixi, quàm ut fortunæ præſidio fretus eſſe, ex eaq; pendere uideretur, poſſet nõ de ſtatu deijci? non tantæ rerum moli ſuccumbere? toties inſtruenda acie, toties armandis copijs, tot obſidendis urbibus, tot inſectandis hoſtibus, deniq; toties deſciſcentibus populis, & mox ſuſceptum regem auerſantibus? poſtremò populis contempro rectore, equorum more laſciuientibus, regibusq; improbiſsimè ferocientibus, emorſis, ut dicitur, frenis, Bactra, Maracanda, Sogdianos gẽtes inſidas hydræ inſtar excidens, aſsiduè ſuboleſcentis alijs atq; alijs bellis? Dicam aliquid abſurdum fortaſſe, ſed dicam ta-
B men, idq; uerum. Non pridem Alexander hac opinione propter fortunam excidit, ut crederetur Ammonis filius eſſe. Quis enim dijs genitus periculoſa æquè & moleſta, & operoſa exantlauit certamina, præter Iouis Herculem? tametſi illi quidem uir improbus leones prehendere, apros inſectari, aues abſterrere imperitabat, uidelicet his eum diſtinens, ne maiorib. perluſtrando orbe uacaret, aut ulciſcendis Antæis, aut Buſiridibus ab hominum cædibus inhibendis. Alexandro uerò uirtus diuinum, & è dignitate regia certamen imperabat, cuius erat finis non aurum illud, quod mille camelis circunferebatur, non delitiæ Medicæ, aut menſæ, aut mulieres, non Calydonium uinum, aut Hyrcani piſces, ſed ut iiſdem inſtitutis uniuerſos inſtitutos homines, uni quoq; imperio audientes, uniq; uiuendi rationi aſſuetos redderet. Hunc quum à teneris, ut aiunt, unguiculis inſitum amorem coalitumq; haberet, uenientibus olim à Perſarum rege legatis ad Philippum (& ierat tum peregrè Philippus) feſtiuè eos Alexander, admodumq; hoſpitaliter excipiens, nihil quicquam puerile ab eis percontatus eſt, qualia multa ſolent alij, aut de aurea arbuſtiua uite, aut de pẽſilib. hortis, aut quibus rex utitur inſignibus, ſed totus in ea uerſus, quibus imperia cenſeri maximè ſolent, rogitabat quantæ Perſarũ copiæ, quo in loco rex acie inſtructa dimicaret, quale illud Vlyſsis:

Arma ubi ſunt illi mauortia, & unde caballi?

quæ uiarum compendia ſurſum uerſus à mari tendentibus, ita ut ſtupeſcentes peregrini dicerent: Puer hic rex magnus, noſter uerò opulentus. Quum autem mortuo Philippo in animo haberet Helleſpontum traijcere, totusq; in ſpem apparatumq; gerendarum rerum uerſus, copias Aſiæ admouere geſtiret, ecce tibi fortuna diſtinere eum, auerteréque adeò inſiſtit, & retrorſus inhibere, exhibitisq; identidem negocijs moras undique nectere. Iam primum finitimis barbarorum ſolicitatis, Illyrica Triballicaq; bella commenta eſt: quibus à ſuperioribus bellis ad Scythiam uſque & Hiſtrum reuulſus, longè lateq; procurrens, omnibus periculis ingentibus dimicationibusq; perdomitis, porrò denuò profectus ad tranſitum feſtinabat, quum illa rurſus ei Thebas ob pedes incuſsit, Græciæq; bellum pro offenſaculo obiecit, acerba illi triſtiſsimiq; exitus neceſsitate impoſita, cum quibus ei gentibus generis cognationisq; neceſsitudo intercederet, eas cæde, ferro, igneq; propulſandi. Inde iam tranſijt, ut Philarchus autor eſt, ſumptis triginta dierum commeatibus: ut Ariſtobolus, ſeptuaginta talentis. Quo tẽpore quũ domeſticas poſſeſsiones

C regioſq; redditus maxima ex parte inter amicos diſtribueret, Perdiccas unus offerente eo, nihil quicquam accipere uoluit: percontatusq; ipſum, Tibi uerò Alexander ecquid ipſe recepiſti? quum ille ſpes ſe ſibi relinquere diceret: Et nos igitur, inquit, harum participes erimus. Indignum enim eſt tua potius accipere, quàm quæ Darij ſunt ſperare. Sed quæ tandem ſpes erant, quibus ille fretus in Aſiam exercitũ tranſmittere cõſtituit? Nempe non opes erant ampliſsimis urbium mœnibus metiendę, non claſſes per medios montes uelificantes, non flagra, non compedes, barbarica cruciamẽta maris. Quid igitur? Nimirum quod ad externa pertinet, oppidoquàm generoſus in paucis armis ambitioſiſsimusq; conatus, æqualium æmulatio, certamenq; ſeſe contendentis cum gloria & uirtute ſodalium. Ipſe uerò in ſeſe ingentes ſpes habebat, pietatẽ in deos, fidem erga amicos, frugalitatem, continentiam, experientiam, aduerſus mortem intrepidam expectationem, robur animi, humanitatem, appellandi dexteritatem, ingenij candorem, in explicãdis conſilijs conſtantiam, in gerendis rebus celeritatem, & in primis adipiſcendæ gloriæ propoſitum, quod luculenta exempla per decus abſoluere ſolet. Quocirca nec concinnè Homerus, nec ut par erat, qui Agamemnonis ſpeciem tribus ex imaginibus aptam coalitamq; ſimilitudine illa finxit:

Aſsimilis caput atq; oculos patri altitonanti,
Baltheus eſt Martis, Neptunum pectus adæquat.

Etenim Alexandri ingenium, ſi quidem ex multis ab ipſo creante Deo aptum & conſertum uirtutibus eſt, nonne Cyri ſpiritus, Ageſilai temperantiam, Themiſtoclis ſolertiam, Philippi experientiam, Braſidæ fiduciam, Periclis dicendi uim, adminiſtrandæq; reipublicæ ſcientiam habere iure dixerimus? Quanquam ſi uetuſtiores repetamus, Agamemnone temperantior erat: quippe ille captiuam iuſtæ uxori prætulit, hic à captis abſtinere ſibi imperare ſuſtinuit, antequàm iuſtè nuptæ fuerunt. Animi uerò magnitudine uel magnum Achillem præſtitit: quippe parua pecunia Hectoris cadauer uẽdidit, hic uerò grandi ære Darium funerauit. Rurſus ille munera ab amicis, iræq; ponendæ precium accepit, hic hoſtes armis uictos etiamnum opibus cumulauit. Nam Diomedem quidem pietate antecelluit: etenim ille cum dijs pugnare cõfidentiſsimè ſuſtinuit: hic autem omnia deo-

Alexandri cum uetuſtis heroib. collatio.

D rum cœpta per decus euadere ſemper arbitratus eſt. Poſtremò charior neceſſarijs Vlyſſe quoq; fuit: ſiquidem illius mater mortem mœrore obijt, huius uerò hoſtis mater præ deſiderio eius commori obſtinauit. Ad ſummam, ſi & Solon è fortuna in adminiſtrãda domi repub. uerſatus eſt, & Miltiades foris, militiæq; rem geſsit, ſi deniq; Ariſtides iuſtus fortunæ benignitate fuit, nullum iam protinus uirtutis opus erit, hocq; nominis uerbiq; inane quiddam uitæ nequicquam gloriã meretur, nimirum id ſophiſtis cõmentis, legumq; latoribus. Sin horũ unuſquiſq; omniumq; ſimilium egens aut diues, debilis aut ualidus, deformis aut pulcher, longæuus aut breuis æui, pro fortunæ ipſius uarietate eſſe ſolet, at magnum imperatorem, aut magnũ legumlatorem, aut deniq; magnũ in magiſtratibus, & publicè fungendis officijs ſeſe quiſq; uirtute rationeq; præſtat, agedum Alexandrum conſideremus uniuerſorum contentione. Iam primùm igitur Solon Athenis tabulas nouas inſtituit, quam Siſachthiam nũcupauit, quaſi dicas, oneris excuſſum. Alexander pro ijs qui uerſuram fecerant fœneratoribus diſſoluit. Pericles Græcis tributorũ collatione exhauſtis, extructis paſsim fanis arcem Athenarũ adornauit. Alexander barbarorũ opes raptas in Græciam importandas curauit, templaq; dijs extruenda locari decẽ talentorum millibus iuſsit. Braſidan in Græcia famigeratum fecit auditũ ad Methonem eum ferociter percurſaſſe, diſiecto circa maritimã oram hoſtium exercitu. Alexandri uerò atrocem illum in Oxydracis ſaltum, & auditu incredibilem, & uiſu horrendum, præcipiti ſaltu ſeſe è muro librantis in hoſtes, haſtis, ſpiculis, enſibus, protinus illum excepturos, cui æquius quàm fulmineo igni aſsimilare poſſumus erumpenti è nube, & à turbine rapto? cuiuſmodi quondam uiſa ignitis armis offulgentia, deorſum ferri uidentur. Cæterùm illi ſtupore primùm perculſi, quà cuiq; proximum fuit trepidi refugerunt. Deinde quum hominem unum animaduertiſſent multos ferociter impetentẽ, reſtitere. Ibi uerò fortuna, magna egregiaq; beneuolentiæ exempla in Alexandrũ ædidit. Quippe ipſum ignobili in uico deprehenſum, muriſq; interceptum incluſit: hos uerò qui ſuppetias ei ferre properabant, ob idq; in muros iam ſcandentes, ſuffractis contritiſq; ſcalis deturbatos peſſundedit. Ex ijs autem qui tres omnino mœnibus arrepentes, indeq; ſeſe librantes Alexandrũ ſeduli circunſteterãt, unum confeſtim abripuit, nulloq; dum tentato certamine, è medio ſuſtulit. Crebris alter ſagittis confixus hoc modo à morte aberat, quòd & uiſus & ſenſus compos erat. At uerò

foris

A foris irritæ Macedonum uociferationes nequicquã mœnia offenſantium, quum in prom
ptu nec machina, nec tormentum ullum eſſet: quinimò opitulandi ſtudio enſibus mœnia
tundentium, inermiꝗ adeò manu cæmenta perrumpere, tantumꝗ non mordicus conuel
lere adluctantium. Ibi ille uerò rex fortunatus, ille fortunæ aſsiduæ cuſtodia, & propè di-
xerim ſatellitio tutus, feræ tum beſtiæ modo indagine cinctus, proditus, auxilij inops,
non de Suſis aut Babylone, non de Bactris expugnandis, dignis ſatis operæpreciјs dimi
cabat. Nam ingentia claraꝗ certamina ut ſucceſſum non habeãt, dedecoris certè nullam
notam inurunt. Verùm infeſta uſqueadeo fortuna fuit & barbarorum fautrix, contraꝗ
Alexandrum peroſa, ut nomen etiam eius, quantum in ipſa fuit, deleuerit, totꝗ rerum ge
ſtarum gloriã deformarit, nedum corpus uitamꝗ peremerit. Haud enim pœnitenda for-
tuna fuiſſet, ſi propter Euphratis ripas, aut ad Hydaſpem mortem ipſe oppetijſſet: nec pú
dendus exitus, ſi ad manus cum Dario ueniens Perſarũ impetu opprimeretur, equis, enſi
bus, copidibus (falcati gladij genus eſt) confertim pro rege pugnantiũ: aut ſi Babylonis
muros ſuperare nixus, ab ingenti ſpe deuolueretur. Sic Pelopida, ſic Epaminondas, quo-
rum certè interitus uirtuti decus potius, quàm aduerſæ fortunæ teſtimonium attulerunt.
Huius uerò fortunæ, de qua nunc agimus, cuiuſmodi tandem præ illis exemplum fuit?
in extrema barbarie, intra ignobilis oppiduli mœnia, orbis terrarum dominum interci-
pientis occulentisꝗ, pudendisꝗ eundem armis temereꝗ inuento miſsili pulſatum diu &
impetitum, ad extremum conficientis. Etenim diſciſſa copide galea uulnus etiam in capi
te accepit: excuſſa arcu ſagitta perfracto thorace papillaribus oſsibus, adacta eſt, haſtili
prẹlongo eminente, & uulnus aggrauante: cuſpidis uerò ferrum trientalem latitudinem,
quincuncialem longitudinem habebat. Porrò (quod ſummum aduerſorum eſt) quum
rectà & contemptim graſſantem in ſe quendam enſe territabundum exceptũ ipſe pugio-
ne confodiſſet, trepidus interim quidam piſtillum ex piſtrino raptum in ceruicem illi in-
flixit: quo ictu tenebris ob oculos offuſis, ſenſibus quoꝗ conturbatus eſt. Ipſa uerò uirtus
præſtò tum illi affuit, quæ cùm fiduciam ei, tum uero robur, acreꝗ opitulandi ſtudium cir
cũſiſtentibus eum accẽdit. Lemnæi enim & Ptolemæi, & Leonnati, & qui mœnia cunꝗ
aut ſuperauerant aut perruperant, circunſtantes eum, ueluti uirtutis munimentũ erant,
B charitate, amoreꝗ regis, corpora, facies, animas diſcrimini obijciẽtes. Haud enim pro ſer
uandis bonis regibus fortunæ fauore cæteri diſcrimina ſubeunt, aut etiam mortem oppe
tunt, ſed uirtutis amore potius, haud ſecus atꝗ apes regi ſeſe ſuo amoris ui comites adde-
re, eumꝗ ſtipare cernimus. Quotus igitur quiſꝗ qui huius rei ſpectator ſui ipſe ſecurus
fuiſſet, non hoc dixiſſet, ingens ſe fortunæ certamen cum uirtute ſpectare, in quo barba-
riæ partes indigniſsimè per fortunam præualerent, Gręciæ uerò ſuprà uires per uirtutem
obſiſterent? Quòd ſi illi ad extremum ſuperiores euaſerint, fortunæ nimirum, inuidiꝗ ge
nij, Nemeſisꝗ opus id fore. Sin hi tandem præualuerint, uirtutem, fortitudinem, chari-
tatem, fidemꝗ, palmam reportaturas, ut quæ ſolæ Alexandri fuerint. Quippe reliqua,
potentiam & apparatum, claſſes & equitatum, & omnino exercitus medio fortuna mu-
ro interſepſerat. Cæterũ barbaros in fugam uerſos Macedones; ſubindeꝗ occidione occi
ſos, urbis etiam excidio ſepelierũt: Alexandri uerò nullus iam uſus erat, ut qui raptim ex-
portatus, telum, atqueadeo bellũ in præcordijs haberet, uincliꝗ & claui inſtar erat ſagit-
ta thorace cum corpore traiecto. Telum autẽ ex uulnere conuellere conantes ferrũ non
ſequebatur: penitus enim inſederat in pectoris ſolidiſsimis, quæ cordi prætenduntᷣ. Sed
rurſus arundinem quatenus extabat excindere cunctabantur, ueriti ne penitus os diſcu-
neatũ intolerabiles cruciatus cieret, ac ſanguinis multa uis imitùs erumperet. Quam cun
ctationem Alexander quũ uideret, ipſe primùm conatus quà è thorace prominebat arun
dinem penitius execare: deficiente deinde manu, ex uulnerisꝗ inflammatione torpido
pondere graueſcente, medicos iuſsit intrepidos id agere, animũ integris ſaucius ipſe ad-
dens, imò uero circunſiſtentium partim grauiter increpitans flentes & præter modum
condolentes, partim deſertores appellans opem ei afferre nõ ſuſtinentes, interim
ipſe ad amicos inclamitans: Quid, malùm, tantopere pro me me-
ticuloſi eſtis? Fidem ergo non facio, mortem me non
timere, ſi quidem mihi timetis.

FINIS.

Plutarchi Amatoriæ narrationes.

C. **ANGELO POLITIANO INTERPRETE.**

IN Aliarto Bœotiæ urbe puella quædam fuit forma præcellens, Ari-
ſtoclea nomine, Theophanis cuiuſdã filia. Hãc duo amabãt iuuenes,
Strato Orchomenius, & Calliſthenes Aliartius. Ditior Strato erat,
multoq; magis puellę amore incenſus. Nanq; eam forteſortuna in Le
badia uiderat, cùm ſeſe illa in Ercyna fonte cõmodùm perlueret. Erat
enim Ioui regi ſacrã ciſtam latura. Calliſthenes aũt gratior uirgini, &
genere coniunctior erat. Incertus quid ageret Theophanes (metue-
bat enim Stratonem, ut qui & opibus, & genere omnibus fermè Bœotijs anteiret) eius
optionis Trophonium cõſulere cogitabat. At Strato quum à uirginis domeſticis magis
ad ſeſe illam quàm ad Calliſthenem uergere perſuaderetur, operam enixè dabat, ut puel-
læ ipſi coniugis optio daretur. Vt uerò Theophanes palam omnibus natã interrogauit,
eaq; Calliſthenem maluit, continuò apparuit iniquiſsimo Stratonem animo tuliſſe. Poſt
biduum igitur Theophanẽ Calliſthenemq; adijt, affirmans uelle ſe amicitiam aduerſus
eos initam ſeruare, tametſi nuptias deus ſibi aliquis inuiderit. Laudant illi, eumq; ad nu-
ptiarum epulas uocant. Magnam uerò is ſociorum, ac miniſtrorũ inſtruit manum, eosq;
omnes inter ipſam turbam alium alibi diſperſos, ac ueluti latentes eſſe iubet, donec puel-
la de more ad fontem qui Ciſoeſſa uocatur, deſcenderet, ut uidelicet nympharum ſacris,
quæ Protelea uocant, operaretur. Tum facto impetu, qui in inſidijs erant diſpoſiti puel-
lam corripiunt. Ibi eam Strato ad ſe trahere, Calliſthenes contrà (ut decuit) retrahere ad
ſe. Idem & utriuſq; ſocij pro ſe quiſq; obnixè agere, donec puella inter repugnantium ma
nus dilacerata exanimataq; eſt. Calliſthenes igitur continuò ex omnium ſeſe oculis abſtu
lit, neq; poſtea compertum cuiquã, interemerit ne ſe, an profugus Bœotia exularit. Stra-
to autem in omnium conſpectu ſupra ipſam uirginẽ ferro ſe iugulauit. Quum Phidon
quidam Peloponeſiorum principatui inſidiaretur, Argiuamq; urbem quæ ſua patria eſ-
ſet, reliquis omnibus imperitare uellet, dolum primò Corinthijs intendit. Miſit enim qui
D ab eis mille adoleſcentes cùm ætatis uigore, tum fortitudine præſtantes peterent. Mittun
tur igitur Dexandro duce. Quum itaq; in animo haberet Phidon inſidiari ijs, ut Corin-
thum imbecilliorem efficeret, eaq; ſuo arbitrio uteretur (id enim unum totius Pelopone-
ſi ueluti propugnaculum eſſe intelligebat) rem omnem cum ſocijs quibuſdam commu-
nicat. Inter eos & Abron quidam fuit Dexandri hoſpes, is ei inſidias aperit: quo effectum
eſt, ut ante inſidiarum tempus Corinthũ omnes incolumes diſceſſerint. Veſtigabat Phi-
don eius arcani proditorem, omniq; in id conatu incumbebat. Metuens uerò Abron unà
cum coniuge ac domeſticis Corinthum migrauit, atq; in Meliſſo, qui uicus eſt agri Co-
rinthij, habitauit, ibi & filium ſuſcepit, cui à loco nomen Meliſſo fuit: huius autem Meliſ-
ſi filius fuit Actæon, forma pariter atq; modeſtia inter æquales excellens. Eum quamplu
rimi amarunt, ſed omnium ardentiſsimè Archias ex Heraclidarum genere, qui cùm diui-
tijs, tum potentia Corinthijs omnib. anteibat. Is quum perſuadere adoleſcenti fruſtra ten
taſſet, ad uim animum adiecit. Profectus igitur comeſſabundus ad Meliſsi ædes, amico-
rum ac domeſticorum magna ſtipatus caterua, puerum abducere tentabat. Renitente igi
tur patre, unaq; ſecum & amicis & uicinis qui concurrerant miſerum illum ad ſe retrahen
tibus, in repugnantium manibus Actæon diſcerptus eſt. Ita domum quiſq; digreſsi. At
Meliſſus pueri cadauer in forum illatum miſerabiliter oſtentare, ſimul ſupplicium de ſce-
leris autoribus efflagitare. Miſerabantur quidem omnes ſenem, præterea tamen agebant
nihil. Quum itaq; re infecta domum rediſſet, obſeruato celebritatis Iſthmiacæ tempore,
conſcenſo Neptuni templo Bacchiadas implorabat, patriſq; ſui Abronis beneficia com-
memorabat, inuocatiſq; dijs præcipitem ſeſe de templo iecit. Haud multò pòſt ęſtus qui-
dam ingens, ac peſtilentia urbem inuadit. Conſultum igitur de ciuitatis ſalute oraculum
reſpondit, Neptuni illam eſſe iram, non quieturã donec Actæonis mortem uindicarint.
His Archias auditis (nanq; is oraculo intererat) Corinthũ quidem minimè redijt, ſed in
Siciliam naui præuectus, Syracuſas condidit: quumq; ibi duas filias Ortygiam & Syracu
ſam ſuſcepiſſet, à Telepho, cuius florẽ ætatis decerpſerat, quiq; in Siciliam ſecum nauiga
rat, per inſidias eſt interemptus. Vir pauper Scedaſus nomine habitabat in Leuctris,
qui eſt Theſpienſis agri exiguus pagus. Huic filiæ duæ fuerunt, Hippo & Miletia, ſiue, ut
quidam aiunt, Theano & Euexippa. Erat autem Scedaſus uir probus, atq; aduerſus ho-
ſpites perhumanus, tametſi ille haudquaquam multa poſsidebat. Quum ad eum igitur

duo

A duo Spartani adoleſcentes acceſsiſſent, perlibenter accepti ſunt. Exarſerunt illi uirginum
amore, quoq; minus quid auderent, Scedaſi probitate prohibebantur. Perrexerunt igitur
in Pythonem, quô uidelicet iter inſtituerant, conſultoq; (ut res tulit) deo, domum regre-
diebantur, factoq; per Bœotiam itinere, in Scedaſi rurſus domum ſe recipiunt. Is forte ſor
tuna peregrè aberat, ſed eius filiæ eos de more accipiunt: qui quum puellas incuſtoditas
offendiſſent, uim in eas faciunt: quas quum ſupra modum excepta contumelia ſeſe miſe-
rè affligentes uiderent, ambas interficiunt, iactisq; in puteum cadaueribus, abeunt. Re-
uerſus Scedaſus puellas quidem nuſquam uidet, omnia uerò quæ relicta à ſe forent, ſal-
ua offendit, incertusq; diutius rerum omnium perſtitit, donec admurmurante catella, &
nunc ad ſe curſitante, nunc ad puteum frequentius redeunte, coniecit id quod erat, atque
ita filiarum corpora extraxit. Quum uerò ei uicini dicerent, uidiſſe ſe qui eius domum pri
die eius diei ingrederentur, Lacedęmonios illos qui & ſuperioribus diebus apud eum ip-
ſum diuertiſſent, tranſactum ab iiſdem facinus proculdubio intellexit. Nam & ſuperiori-
bus diebus ſæpe ipſas puellas laudabant, quiq; eas deſponſaturi eſſent beatiſsimos prædi
cabant. Lacedæmonē itaq; proficiſci ſtatuit, remq; omnem ad Ephoros deferre. Sed cùm
ad Argiuorum perueniſſet agrum, nocte præuentus in diuerſorio reſtitit. Ibi & ſenem a-
lium offendit Orei ciuem, quod in Eſtiæatide agro oppidum eſt. Quem quum & gemen-
tem, & Lacedæmonios diris agentem audiſſet, interrogauit, ecquonam is malo à Lacedæ
moniis eſſet affectus. Narrauit ille, ſubditum ſe eſſe Spartanorum ditioni, miſſum uerò in
Oreum, qui magiſtratu fungeretur, Ariſtodemum, omni prorſus crudelitate atq; iniqui-
tate uſum eſſe. Nam quum, inquit, filium meum amaret, neq; precando quicquam pollici
tandoq; efficeret, ad uim conuerſus, eum de palæſtra rapere aggreſſus eſt: prohibente ue-
rò id palęſtræ magiſtro, ac nonnullis adoleſcentibus opem ferentibus, ſtatim quidem Ari
ſtodemus digreſſus eſt, poſtridie autem inſtructa triremi, adoleſcentem rapit, atq; in ulte-
rius littus trauectum uiolare nititur, fortiusq; reluctantem gladio iugulat. Tum in Oreum
regreſſus conuiuium celebrat. Ego uerò interim facinus indignum audio, natiq; corpus
humi mando. Tum Spartam contendo, remq; omnem ad Ephoros defero, cuius illi ratio
B nem prorſus nullam habuerunt. His Scedaſus auditis, uehementer perturbatur. Nam &
ſui rationem nullam habitum iri exiſtimabat: ita uiciſsim hoſpiti ſuam calamitatem nar-
rat. Cohortatur ille, ne ad Ephoros accedat, ſed in Bœotiam redeat, liberisq; ſuis tumu-
lum condat: minimè id tamen Scedaſo perſuadet. Pergit igitur Spartam, atque Ephoros
conuenit. Neglectus ab his reges adit. Mox populares ſingulos ambiens, ſuam calamita
tem conqueritur. Quæ quum omnia fruſtra cecidiſſent, tum uerò Scedaſus mediam per
urbem currere, manus ad ſolem tendere, tum ferire humum, furias inuocare, poſtq; hæc
omnia ſibi mortē conſciuit. Haud multò igitur pòſt pœnas Lacedęmonii dederunt. Nam
quum uniuerſæ Græciæ imperitarent, omnesq; urbes præſidiis firmaſſent, Thebanus E-
paminondas quotquot ſuæ urbis præſidium tenerent, ad unum trucidauit. Inſurgentibus
uerò in bellum Lacedæmoniis, occurrunt Thebani ad Leuctra, loci uidelicet auſpicium
captantes. Nam & antea eo ipſo loco libertatē recuperarant, quo uidelicet tempore Am
phictyon à Sthenelo in exilium pulſus, in Thebanorum urbem confugit: qui quum Chal
cidenſes uectigales feciſſet, tributi immunes Thebanos reddidit, quippe qui Chalcodon
tem Eubœenſium regem interfecerit. Fuſi igitur cæſiq; ad unum Lacedæmonii omnes,
ad ipſum natarum Scedaſi monumentum. Ferunt autem priuſquàm in pugnam prodire-
tur, Pelopidæ uni ex Thebani exercitus ducibus, ſignis quibuſdam quæ aduerſa putaren
tur, exterrito, Scedaſum in ſomniis uiſum, qui bono eſſe animo iuberet: uenire enim in
Leuctra Lacedæmonios, ſupplicium ſibi ſuisq; natabus perſoluturos: ſimulq; iuberet, ne
antè in pugnam prodirent, quàm equi candidū pullum, qui paratus afforet, ad uirginum
ſepulchrum immolarent. Pelopidam uerò militantibus adhuc in Tegea Lacedæmoniis
miſiſſe in Leuctra dicunt, qui de eo ſepulchro anquirerent, req; omni ab indigenis com-
perta, optima imbutū ſpe eduxiſſe exercitū, atq; ita uictoriam reportaſſe. Phocus Bœo-
tius quidam genere erat, utpote ex Cliſante. Vnicam hic filiam habuit, forma atq; mode-
ſtia præcellentem, nomine Calirrhoēn. Triginta illam Bœotiorum primarii adoleſcentes
uxorem ſibi quiſq; poſtulabant. Phocus uerò alias ex aliis nuptiarū moras nectebat, me-
tuens uidelicet ne qua uis inferretur. Poſtremò rogantibus illis, Pyrhium dixit eius ſe o-
ptionis conſulturum. Id illi auditum ægerrimè tulerunt, Phocumq; ipſum facto impetu
interemerunt. In ipſo autem tumultu fugitans puella, per agros errabat, ſequebantur ue-
rò adoleſcentes. Sed quum ea in agricolas incidiſſet, qui triticum in area coaceruarent,

C ſalutem per eos conſecuta eſt: occuluerunt enim ipſam agricolæ in tritico, atq; ita à perſe-
quentibus tranſmiſſa eſt. Quæ quum euaſiſſet, celebritate, quæ Bœotijs omnibus cōmu-
nis foret, obſeruata, Coroneam profecta, ad Itoniæ Mineruæ aram ſupplex conſedit. Ibi
procorum iniquitatem narrans, nomen ſimul cuiuſq;, ac patriam edocebat. Miſerabantur
itaq; Bœotij puellam, atq; adoleſcentibus ſuccenſebatur. Ei uerò quum hæc audiſſent, in
Orchomenum confugiunt, à quibus repulſi ad Hippotas abierunt, qui uicus prope Heli-
conem inter Thebas & Coroneam ſitus erat. Ab his igitur ſuſcepti ſunt. Poſt hæc mittunt
Thebani qui Phoci interfectores ſibi dedi poſtulent. Quod ubi minimè impetrant, bel-
lum eis Thebani unà cum cæteris Bœotijs inferunt. Eius belli imperator Phœdus fuit,
qui tum princeps Thebanorum erat. Expugnato igitur uico munitiſsimo, quiq; intra ip-
ſum erant ad extremam ſitim redactis, comprehenſos Phoci interfectores lapidibus ob-
ruerunt, indigenas uerò ipſos in ſeruitutem abducunt, dirutisq; mœnibus ac domibus, a-
grum Thebani inter ſe Coroneiq; diuiſerunt. Fertur uerò nocte ipſa, quæ Hippotarum
captiuitatem præceſſerit, uocem ſæpius ex Helicone auditam, quæ diceret, adſum. Pro-
cos autem triginta uocem illam, ut quæ Phoci eſſet, agnouiſſe. Qua uerò die lapidibus
obruti ſunt, monumentū ſenis, quod in Cliſante foret, croco fluxiſſe traditur. Phœdo au-
tem Thebanorū principi atq; imperatori à pugna redeunti nunciatum, filiam ſibi natam,
quam ille accepto auſpicio Nicoſtratam appellauerit. Alcippus genere quidem Lace-
dæmonius erat, ducta uerò Damocrita uxore, binos ex ea fœminei ſexus liberos ſuſcepit.
Is quum & optimè ciuitati conſuleret, & ea ageret quæ eſſe è republica intelligeret, inui-
diam in ſe eorum concitauit, qui aduerſas ei partes in republica fouerent: à quibus falſis
ſermonibus perſuaſi Ephori, uelle Alcippum leges diſſoluere, exilio uirum mulctarunt.
Exiuit ille quidem Sparta: Damocrita uerò uxor, quæ ſe uiro comitem unà cum filiabus
præbere uellet, prohibita eſt. Quin & eius bona publicarunt, ne dos uirginibus ſupereſ-
ſet. Sed quum nōnulli puellas ſibi ob paternam uirtutem uxores poſtularent, ſenatuſcon-
ſulto ab inimicis prohibiti ſunt uxores illas accipere, quippe qui de ipſarū matre uotum
dicerent auditū, ut ſibi quamocyſsimè liberi ex natabus orirentur, qui patrem uindica-
D rent. Quum igitur undecunq; Damocrita impugnaretur, communem quandam totius
populi celebritatem obſeruauit, ad quam mos erat, ut unà cum uirginibus, domeſticisq;
omnibus, atq; infantibus, mulieres conuenirent. Quæ uerò ex nobilitate eſſent, ſeorſum
ipſæ à cæteris in magno quodam androne pernoctabant. Ibi illa gladio ſub ueſte accin-
cta, comites ſecum filias educit, noctuq; in templum proficiſcitur, obſeruatoq; tempore,
quo omnes myſterio interforent, quum occluſæ fores eſſent, magnam lignorum uim ad
eas conſtipauit: quippe quæ ad manum, præſtoq; forent, ad ſacrorum uſum conuecta.
Tum ignem immiſit. Accurrentibus autem auxilio uiris, filias ipſa ſuas, tum ſeſe ipſam
Damocrita gladio interfecit. Quapropter quum minimè haberent Lacedęmonij in quos
iram effunderent, extra fines Damocritæ natarumq; corpora proijciunt. Quamobrem
irato deo, ingens ille traditur Lacedæmone terræmotus extitiſſe.

FINIS.

Plutarchi, quo pacto poſsis adulatorem ab amico dignoſcere, liber.

ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

QVI fateatur ſeſe plurimū amare ſeipſum, Antioche Philopappe, huic
omnes ueniam dare ſolent, quemadmodū inquit Plato, cùm tamen ea
res, præter alia multa uitia, illud quoq; grauiſsimū gignat in homine
malum, quòd non poteſt eſſe ſui iudex ęquus & incorruptus. Quiſquis
enim amat, hallucinatur ac cæcutit in eo quod amat: niſi quis doctrina
cōſueſcat, ea magis habere in precio, ſectariq;, quæ ſint boneſta, quàm
quę cognata, domeſticaq;. Atq; id quidem amplum locum ac ſpacium
Aſſentatoribus locum præbere philautian.
inter amicos præbet aſſentatori, quippe cui facilem & commodum in nos aditum aperit
amor noſtri, per quem, quandò ſibi quiſq; adulator eſt primus ac maximus, haud graua-
tim

A tim admittit & alium, ſi eorum quæ appetit ac uult, ſibi teſtis ſimul & aſtipulator accedat.
Siquidem qui contumeliæ cauſa dicitur philocolax, hoc eſt, gaudens aſſentatoribus, is
uehementer eſt amans ſui, ac propter beneuolentiam qua ſeipſum proſequitur, nihil non
adeſſe ſibi, non ſolùm cupit, ſed etiam arbitratur. Quanquam hominum huiuſmodi cupi-
ditas quidem haudquaquã abſurda, cæterùm opinio periculoſa eſt, quæ multam deſide-
ret cautionem. Quòd ſi diuina quædam res eſt ueritas, ex qua ceu fonte, dijs pariter atque
hominibus omnia bona proficiſcantur, autore Platone, conſequens eſt, ut adulator cùm
dijs omnibus ſit hoſtis, tum uerò maximè Apollini Pythio: ſemper enim illi repugnat o-
raculo, Noſce teipſum: id inſerens in animos mortalium, ut unuſquiſque fallat ſeipſum,
ignoretq́; ſua ipſius bona, ac mala: bona quidem mutila reddens & imperfecta, mala ue-
rò prorſus inemendabilia. Ergo ſi, quemadmodum cætera ferè faciunt mala, ſordidos &
humiles duntaxat impeteret adulator, haud eſſet res perinde peſtilens, nec æquè uitatu
difficilis. At poſteaquàm uti teredines lignis teneris ac dulcibus potiſsimum innaſcun-
tur, ſic ingenia generoſa, gloriæq́; cupida, proba, & humana, recipiunt adulatorem, & ad-
naſcentem alunt. Ad hæc, quoniam, ut inquit Simonides, quemadmodum morbus alen-
di equos, non lecythum comitari ſolet, ſed arua frumentifera, ſic uidemus adulationem
non eſſe comitem pauperum, aut ignobilium, aut parum potentium, ſed ingentium fami- *Adulationis incommoda.*
liarum, ac rerum ruinam, ac morbum exiſtere, adeò ut ſæpenumero regna quoq; ſubuer-
tat, & imperia: non mediocris eſt negocij, neque uulgarem poſtulat curam & prouiden-
tiam, ſi quis de ea uelit expendere, quibus rationibus fieri poſsit, ut quum maximè ſe cir-
cumagat, ac penetret in omnia, tamen amicitiam non lædat, neq; traducat. Nam pediculi
diſcedunt à morientibus, & corpora relinquunt, ſimulatq; ſanguis extinctus fuerit, quo
nutriri ſolent: aſſentatores autem uideas nec attingere prorſus res aridas ac frigidas, nobi
libus ac potentibus imminent, hiſq́; aluntur, ſed ijdem rebus commutatis ſtatim auolant.
Verùm haud oportebit illius temporis experimentũ expectare, tum quidem inutile, uel
potius noxium, neq; periculo uacans. Graue ſiquidẽ eſt, in eo demum articulo ſentire qui
non ſint amici, quo amicis eſt opus, cùm non liceat iam incertum & inſyncerum amicum,
B cum certo ſyncerôq́; permutare. Quin magis ut nummum, ita amicum habere conuenit,
nempe probatum antequàm eo ſit opus, non uſu ipſo deprehenſum. Neq; enim oportet
intelligere poſteaquã malum acceptum eſt, ſed ne quid accipiamus mali, experimentum
adulatoris eſt capiendum, & animaduerſio. Alioqui idem nobis accidet, quod ſolet his
qui letale uenenum non aliter ſentiunt, niſi quum prægustarint, ſuo exitio iudicantes.
Neq; hos ſanè probamus, neq; rurſum illos, qui amicos honeſto metientes & utilitate, pro
tinus ipſa re deprehendiſſe ſe putant aſſentatores eſſe, quorum conſuetudo iucundior eſt
& blandior. Nec enim inſuauis res eſt amicus, nec intemperata, neque quiſquis aſper eſt
& agreſtis, hoc ipſo amicus eſt, quòd ſeuerus, & auſterus, uerùm ipſum amicitiæ decus &
grauitas, ſuauis eſt & amabilis,

Hanc iuxta Charitesq́; & Amor ſedem poſuere.

Neque enim afflicto ſolùm dulce eſt, uultum intueri uiri beneuolentis, quemadmodum
inquit Euripides, uerùm in utraq; fortuna præſtò eſt amicitia, non minus uoluptatem &
gratiam addens bonis, quàm malis moleſtiam adimens, ac deſperationem. Et quemad-
modum Eueni ſententia, condimentum potiſsimum eſt ignis ipſe: ſic deus qui uitæ mor-
talium amicitiam admiſcuit, omnia lauta, dulcia, grataq́; reddidit, hac præſente, ſimulq́;
res condiente. Alioqui quomodo per delectationem inſinuaret ſeſe adulator, ſi conſpice-
ret amicitiam nequaquam admittere uoluptatem? certè nullo pacto. Sed uti quæ non au-
rea ſunt, ſed aurum arte mentientia, factitiaq́;, ſolum ſplendorem ac nitorem imitantur
auri: ſic adulator amici iucunditatem ac feſtiuitatem effingens, omni tempore ſeſe hila-
rem ac blandum exhibere uidetur, nuſquam repugnans, nuſquam obſiſtens. Vnde qui
nos laudant, non eos protinus ſuſpectos adulationis habere conuenit: ſiquidem non mi-
nus eſt amici, laudare in loco amicum, quàm reprehendere: quin potius prorſus eſſe mo-
roſum ac querulum, alienum eſt ab amicitia, mutuáque uitæ conſuetudine. Verùm can-
didè libenterq́; rectè factis ſuam laudem tribuentem, beneuolentiam facilè citraq́; mole-
ſtiam ferunt: rurſus & admonentem & liberè loquentem, dum & in bonam accipiunt
partem, & credunt qui libenter laudat, eundem non niſi neceſſariò reprehendere. Ergo
difficilè eſt, dixerit aliquis, aſſentatorẽ ab amico diſcernere, ſiquidẽ neq; delectando dif-
ferunt, neque laudando. Nam in officijs & obſequijs ſæpenumero uidere licet, amicitiam
ab adulatione ſuperari. Cur igitur non potius (dixerimus utique) uerum adulatorem,

C & cum calliditate ac arte rem tractantem perſequimur? ac non quemadmodũ uulgus ho-
minum facit, adulatores exiſtimamus iſtos quos autolecythos ac menſarios uocant, quiq;
tum audiuntur, poſtquàm manibus infuſa eſt aqua, ueluti dixit quidam. Siquidem ho-
rum ſordidum ac ſeruilem animum, in unico calice ac patina, ſcurrilitas ac nugacitas pro-
dit & arguit. Neque enim opus fuit Melanthium Alexandri Phærei paraſitum deprehen
dere, qui interrogantibus quomodo fuiſſet interfectus Alexander, per coſtam, inquit, in
meum uentrem. Neq; hos qui menſas opulentas cingunt, quos nec ignis, nec ferrum, nec
æs prohibet, quo minus ad cœnam uentitent. Neq; rurſus Cyprias illas aſſentatriculas,
quas quum in Syriam tranſiſſent, gradulos appellabant, quód regum uxoribus in cur-
rum aſcenſuris, inclinatæ ceu gradus præberent. A quó nam igitur cauendum eſt? Nimi-

Adulatorum qui maximè cauendi

rum hoc, qui non uidetur adulari, neque præ ſe fert adulatorem, quem non reperias circa
culinam, neq; deprehenditur umbram demetiens uti cœnæ tempus cognoſcat, neq; teme
re cadit uino temulentus, ſed plerunq; ſobrius eſt, curioſus eſt, ad rem pertinere putat ut
negociorum tuorum ſit particeps, uult arcanorum fieri conſcius: in ſumma, tragicus eſt
amicitiæ hiſtrio, non ſatyricus, aut comicus. Nam uti Plato dicit, extremum iniuſtitiæ ge-
nus eſſe, iuſtum haberi qui iuſtus non ſit: ita ſentiendum eſt & adulationem eſſe pericu-
loſam, quæ lateat, non eam quam aliquis præ ſe ferat: neq; eam quæ ludicra ſit, ſed quæ ſe
ria, propterea quód hæc facit, ut ueræ quoq; diffidatur amicitiæ, cui multa ſæpe cum illa
conueniunt, ſi quis animaduerterit. Gobrias igitur, quum fortè in idem incidiſſet domici
lium obſcurum, in quod fugerat Magus, iamq; cum eo colluctari cœpiſſet, Darium immi
nentem & ambigentem, iuſsit utrunq; transfodere. Nos uerò quandoquidẽ minimè pro-
bamus dictum illud, ualeat amicus cum inimico, & adulatorem cum amico multarum
rerum ſimilitudine connexum diſtrahere conamur, diligenter cauere debemus, ne quan-
do uel unà cum malo eijciamus id quod eſt utile: uel parcentes ſyncero, incidamus in id
quod noxium eſt. Nam ut inter agreſtia ſemina, quæ forma ac magnitudine ſimilia ſunt,
frumentis admixta difficilè repurgantur: aut enim non excidunt per anguſtiora forami-
na, aut ſimul excidunt per ampliora: ſic adulatio difficilè ſeparatur ab amicitia, quippe
quæ ſeſe in omnem affectum, in omnem animi motum, utilitatem & conſuetudinem cum
D illa commiſcet. Iam quoniam omnium rerum iucundiſsima res eſt amicitia, nec eſt aliud
quicquam quod æquè delectet, ob hoc & adulator uoluptatibus irrepit, & uoluptati eſſe
ſtudet. Rurſum quoniam gratia & utilitas conſequitur amicitiam: unde dictum eſt etiam
illud, Amicum magis eſſe neceſſarium, quàm aquam, aut ignem: ob id adulator ingerens
ſeſe miniſterijs & obſequijs, uehementer dat operam, ut diligens, impiger, ac promptus

Morum & ſtudiorum ſimilitudo conciliatrix amicitiæ.

eſſe uideatur. Porrò quoniam morum ac ſtudiorum ſimilitudo præcipua res eſt quæ con-
ciliet & cõtineat amicitias, & in ſumma, ijſdem gaudere, eadem fugere, primùm in unum
committit & copulat per affectuum corcordiam: id perſpiciens adulator, ſeſe ceu mate-
riam quandam componit ac format, accommodare ſeſe ſtudens, & aptare, quoſcunque
fuerit aggreſſus, effingens & imitans illos, quum ſit udus ac mollis, idoneusq; qui quid-
uis probabiliter exprimat & imitetur, ut illud poſsis dicere,

Es ipſe Achilles, non Achillis filius.

Loquendi libertas, amicitiæ propria.

Ad hæc autem, quod eſt omnium in adulatore aſtutiſsimum, quoniam intelligit loquen-
di libertatem tum dici, tum uideri propriam amicitiæ uocem, uelut animantis cuiuſpiam:
contrà non liberè loqui, & ab amicitia, & ab ingenuis moribus alienum, ne hanc quidem
inimitatam relinquit. Verùm non aliter atque callidi obſoniorum artifices, amaris ſuccis
& auſteris utuntur condimentis, quò dulcium ſatietatem adimant: ſic aſſentatores haud
ueram illam, nec utilem, ſed uelut è ſupercilio promicantẽ, palamq; titillantem adhibent
libertatem. His itaq; de cauſis difficillimum eſt hominem deprehendere. Quod quidem
accidit & in animantibus quæ colorem mutare ſolent, & rebus ac locis ſubiectis ſimilia
redduntur. At quoniam ille fallit & obtegitur ſimilitudine, noſtræ partes ſunt, oſtenſis di
ſcriminum notis, eundem retegere ac renudare, alienis coloribus ac formis, quemadmo-
dum inquit Plato, propterea quód proprijs careat, ornatum. Protinus igitur à principio
rem conſideremus. Principium autem amicitiæ pleriſq; mortalibus eſſe dictum eſt, affe-
ctuum ingenijq; ſimilitudinem, mores eoſdem, eandémque uitæ rationem libenter am-
plectentem, ijſdem gaudentem ſtudijs, negocijs, exercitamentis. Quibus de rebus di-
cta ſunt & illa:

Seni ſenilis lingua iucundiſsima eſt,
Puero puellus, mulier apta eſt mulieri,

Aegrotus

A Aegrotus ægro: quem tenet ſors aſpera,
Multis malis exercito eſt accommodus.

Ergo perſpiciens adulator inſitum eſſe nobis cõſimilibus gaudere & uti, eaq́; libenter am
plecti, hac uia primùm nititur unicuiq; ſemet adiungere, & in familiaritatẽ inſinuare, non
ſecus atq; hi faciunt, qui belluam aliquam immanem alunt, ijſdem ſtudijs & exercitamen
tis, earundem rerum cura, tractatione, paulatim accõmodans ſeſe, & in eundem transfor-
mans uitæ colorem, donec ille anſam aliquam præbuerit, ac manſuetus iam palpanti, fa-
miliariſq; reddatur. Interea uituperat ac damnat & res, & inſtitura uitæ, & homines, qui-
buſcunq; ſenſerit illum offendi. Rurſum quæ placent, ea laudat haud moderatè, ſed ita,
ut cum ſtupore & admiratione ſupra modum efferre uideatur. Porrò quod amat & odit,
id confirmat à iudicio proficiſci potius quàm affectu. Quánam igitur ratione deprehendi
tur, aut quibus diſcriminum notis capitur ille qui nec eſt, nec fit ſimilis, uerùm ſe ſimilem
mentitur? Primùm illud animaduertendum erit, num ſimile ſit uitæ inſtitutum, & num ſi-
militudo perpetua ſit & cõtinens, num ſemper ijſdem gaudeat, eadẽ laudet, num ad idem
exemplar uitam ſuam dirigat, componatq́;, ſicuti dignũ eſt ingenuo, cui uera cordi eſt ami
citia, uitæq́; conſuetudo, morum ſimilitudine cohærens. Nam huiuſmodi eſt amicus. Aſt
adulator, qui nullam morum ſtabilem habeat ſedem, nec ullum uitæ genus ſibi pręſcripſe
rit, ſed nunc his, nunc illis accõmodet ſeſe, & affingat, haudquaquã ſimplex eſt, nec unus,
ſed in quamuis mutabilis ſpeciem ac uarius, alio atq; alio ſubinde habitu, aquarum in mo
rem ſemper tranſeuntium ac præterfluentium, quæ ad ſubiecti ſoli ſpeciem tranſmutan-
tur. Nam ſimius quidem, ut uidetur, hominem imitari ſtudens, capi ſolet, dum unà cum il
lis mouetur ac ſaltat. Contrà aſſentator ultrò alios illicit, ac fallit imitando, non quidem
eodem modo omnes, ſed cum hoc quidem unà ſaltans & cantans, cum illo colluctans &
conflictans. Porrò nactus hominem uenandi ſtudioſum, ſequitur, tantum nõ exclamans
ea quæ Phædra dicit in Tragœdijs: Per deos geſtio canibus dilacerare ceruos maculoſos,
caſsibus implicans. Atqui nihil ille molitur in feram, ſed ipſum irretit, ac circumuallat ue-
natorem. Quòd ſi iuuenem uenetur & captet, literarum ac diſcendi cupidum, rurſum in li
bris eſt totus, barbam ad talos uſq; demittit, amicitur pallio, nulla eſt uitæ diuerſitas, tum
B in ore habet numeros, rectangulos & triangulos Platonicos. Rurſum ſi quis ſolutior in
eum inciderit, & compotationibus gaudens, ac diues,

Deinde quidem pannis uafer eſt exutus Vlyſſes,

abijcitur pallium, detondetur barba, ceu meſſis infrugifera, poſcuntur delicata uaſcula re-
frigerando uino, & phialæ, proferuntur riſus ac ioci in deambulationibus, iaciuntur di-
cteria in philoſophos. Id quod accidiſſe narrant Syracuſis quum illuc adueniſſet Plato, ac
Dionyſius miro quodam ardore philoſophiæ teneretur, nempe regiam puluere fuiſſe re-
fertam, præ turba geometricas pingentium figuras. At ſimulatq; iam offendiſſet Plato, ac
Dionyſius relicta philoſophia rurſus ad compotationes, ad mulierculas, ad nugas, ad la-
ſciuiam pręceps raperetur, ſtatim uniuerſos, perinde quaſi Circes poculis transformatos,
literarum odium, obliuio, uitæq́; mollities occupauit. Teſtantur autem & magnorũ adu-
latorum facta, & eorum qui rempublicam adminiſtrant, quorum ſummus Alcibiades. Is
Athenis dicterijs ludebat, alebat equos, comemq́; quandam & feſtiuam agebat uitam.
Idem apud Lacedæmonios ad cutem uſq; tondebatur, geſtabat pallium, frigida lauabat.
Rurſus in Thracia belligerabatur, ac potabat. Porrò quum perueniſſet ad Tiſſaphernem,
delitijs, mollitiei, faſtuiq; ſe dedidit. Atq; ad hunc modũ effingens ſeſe, & ad omnium mo
res accõmodans, plebem ſibi conciliabat, & in conſuetudinem ac familiaritatem ſeſe inſi-
nuabat. At non talis fuit Epaminondas, nec Ageſilaus, qui tametſi cum pluribus homini-
bus ac diuerſorum inſtitutorum ciuitatibus haberent conſuetudinẽ, tamen ubiq; mores
ſe dignos, & amictu, & uictu, & oratione, & uita tuebantur. Sic & Plato non alius fuit Sy
racuſis quàm in Academia, nec alius apud Dionyſium, quàm apud Dionem. Cæterùm
adulatoris ueluti polypi piſcis mutationes facillimè deprehẽdere licebit, dum idem in di- *Adulatoris deprehendendi ratio prior.*
uerſa uerti uidetur, uituperans quam prius laudauerat uitam, rurſum approbans facta, ui-
tæ rationem, dicta, perinde quaſi placeant, quibus antea offendebatur. Videbis enim il-
lum haudquaquam ſtabilem, ac ſuum, neq; proprio affectu diligentem, aut odio haben-
tem, gaudentẽ, aut dolentem, ſed ſpeculi ritu, externorũ affectuum, uitarum, ac motuum
imagines in ſe recipientem. Talis enim eſt, ut ſi uerbotenus amicum aliquem apud illum
uituperes, dicat: Serò tu quidem hominẽ pernoſti, nam mihi nec initio placebat. Rurſum
ſi mutata ſententia laudes, Per Iouem gratulor, inquiet, & illius nomine gratiam habeo,

C planeq; uera credo quæ dicis. Quòd ſi dixeris diuerſum uitę genus eſſe ſuſcipiendum, tanquam à reipub. negocijs digreſſus, ad tranquillam & à negocijs alienã uitam te uelis conferre: Iam olim, inquit, nos ab his tumultibus & inuidentijs liberari conueniebat. Quòd ſi rurſum ad negocia, & res agendas propenſus uidearis, ſtatim acclamat, Digna te cogitas: nam à negocijs abeſſe, iucunda quidem res eſt, ſed humilis & ingloria. In hunc igitur protinus illud dicere conueniet:

Hoſpes nunc alius mihi quàm prius eſſe uideris.

Nil opus eſt amico, qui mecum mutet locum, qui mecum annuat, quandoquidẽ iſta multò magis facit umbra, ſed eo qui mecum uera loquatur, qui mecũ dijudicet. Atq; una quidem adulatorem deprehendendi ratio hæc eſt. *Altera ratio.* Alterum autem diſcrimen quod obſeruandum inter ſimilitudines, hoc eſt: Qui uerus eſt amicus, is nec imitat̃ omnia, nec facilè laudat omnia, ſed optima tantùm.

Nam ſocius eſſe amoris, haud curſus ſolet,

quemadmodũ inquit Sophocles. Imò per Iouem, in rectè factis, in honeſtarum rerum ſtudio ſocius eſt amicus, non in peccando, nec in facinoribus. Niſi ſi quis inſciens uitium & improbitatem ex cõuictu & familiaritate ſibi contraxerit, quemadmodũ oculorum morbus contagio ſerpit & inficit uicinum: ſic enim ferunt Platonis familiares contractos humeros expreſsiſſe: item Ariſtotelis amicos balbutiem illius imitari ſolitos: rurſus Alexandri regis familiares ceruicem inflexam, & in dicendo uocis aſperitatem reddidiſſe. Sunt enim nonnulli, qui nõ ſentientes ex alienis moribus & ingenijs multa in ſe recipiunt. Verùm adulatori prorſus id accidit, quod ſolet chamęleonti: ſiquidem & ille colorũ omnium exprimit ſimilitudinem, præterquã albi. *Adulator chamæleonti ſimilis.* Itidem adulator quum ſeſe ſimilem præſtare nequeat in his quæ digna ſunt ſtudio, nihil in turpibus inimitatum relinquit. Sed quemadmodum imperiti pictores, quum quæ pulchra ſunt aſſequi nequeant, in rugis, ac lentiginibus, & cicatricibus ſimilitudinẽ repræſentant: ſic aſſentator imitatur intemperantiam, ſuperſtitionem, iracundiam, acerbitatem in famulos, diffidentiam erga domeſticos & cognatos. Nam pręterquàm quod eſt ſuapte quoq; natura procliuis ad deteriora, uidetur ſi-

D bi ita longiſsimè abeſſe à uitio reprehenſionis, ſi turpia imitetur. Suſpecti ſunt enim, qui quærunt meliora, quiq; amicorũ erratis offendi, eaq; moleſtè ferre uidentur: quæ quidem res & Dionyſio Dionem, & Samium Philippo, & Cleomenem Ptolemæo ſuſpectos & inuiſos reddidit. Adulator autem ſimul & iucundus uideri ſtudet & fidus, quaſi præ magnitudine amoris ne malis quidẽ offendatur, ſed in omnibus ijſdem ducatur affectibus, & ingenio conſentiat. Vnde tales nec fortuitarum rerum, quæq; citra noſtrum accidunt conſilium, expertes eſſe uolunt: quin & ſimili morbo teneri ſe fingunt, aſſentantes ægrotantibus, & nec acutè cernere, nec audire, ſi cum luſcioſis ac ſurdaſtris agant: quemadmodum Dionyſio cæcutiente adulatores illius alius in alium impingentes, & patinas inter cœnandum dejcientes, ſimulabant & ipſi cæcutientiam. Nonnulli uerò magis etiam penetrantes in affectus, interius & altius inſinuant ſeſe, & uſq; ad arcana ſimilitudinem affectuum cõmiſcent. Etenim quum ſenſerint aliquos infeliciter duxiſſe uxorem, uel de filijs aut domeſticis male ſuſpicari, ipſi ſuis non parcunt, ſed queruntur de liberis proprijs, aut uxore, aut cognatis, aut familiaribus, arcana quædam crimina proferentes. Siquidẽ ſimilitudo facit, ut magis affici tangiq; uideantur amici malis. Iamq; illi ceu datis obſidibus, eſſutiunt uiciſsim arcanarum rerum quippiam. Aſt ubi effutierint, utuntur illis, metuuntq; fidei deſertores uideri. Ego uerò noui quendam, qui uxorẽ ſuam eiecerit, ut amicus item ſuam repudiauerat. Deprehenſus eſt autem clanculum ad illam cõmeare, uel ad ſeſe accerſire, id quod etiam ab amici uxore animaduerſum eſt. Vſqueadeo non nouerat adulatoris ingenium, qui credidit hos uerſus iambicos magis cõuenire cancro quàm aſſentatori:

Eſt uenter omne corpus, undiq; obtuens
Oculus, ſuisq; beſtia reptat dentibus.

Nam huiuſmodi quidem eſt imago paraſiti, & amicorum qui patellam ſequuntur, & ad prandia præſtò ſunt, quemadmodum inquit Eupolis. Verùm hæc quidem omittamus in præſentia, ſuo dicenda loco. At illud adulatoris artificium haud eſt prętermittendũ: quòd ſi quid etiam imitat̃ honeſtũ in eo quem aſſentando captat, tamen illi cedit uictoriã. Inter hos enim qui ueri ſunt amici, nec ulla intercedit æmulatio, nec inuidia, ſed ſiue pares fuerint in rectè factis, ſiue impares, ęquo animo ferũt. At aſſentator, cui ſemper curę eſt ſecundas agere partes, ſic imitatur æqualitatẽ, ut ſuperetur, ſitq; inferior, omnibus in rebus uinci ſeſe dicens præterq; in malis. Porrò in malis haud cõcedit illi primas: uerùm ſi fuerit ille

morosus,

A moroſus, ſeſe prædicat atra bili obnoxium eſſe: ſi ille fuerit ſuperſtitioſus, ſe dicit numine
quopiam afflari rapiq́; : ſi amarit ille, ſe dicit inſanire. Immodicè, inquit, riſi: at ego, inquit,
præ riſu emoriebar. In bonis autem rebus contrà facit. Nam ſe quidem ait currere ueloci-
ter, ſed illum uolare. Se quidē equitare mediocriter, ſed quid, inquit, ad hunc Hippocen-
taurum? Poëta ſum non infelicis ingenij, nec peſsimos omnino facio uerſus, tonare uerò
non meum eſt, ſed Iouis. Et ſic adulatur, ut oſtendat ſibi conatū honeſti non defuiſſe, cùm
imitetur: ſed dum non aſſequitur, uiribus deſtitui. Quantùm igitur ad ſimilitudinem atti-
net, huiuſmodi notis dignoſcere poſsis adulatorē & amicum. Cæterùm quoniam, uti iam
dictum eſt, delectatio quoq; cōmunis eſt ambobus (neq; enim minus uir bonus delecta-
tur amicis, quàm malus aſſentatoribus) agè diſtinguamus & hanc partem. Eſt autē diſtin
guendi ratio, ut ad ſuum finem delectatio referatur, id quod hunc ad modum conſideres
licebit. Habet unguentū fragrantiam, habet & pharmacum: ſed hoc intereſt, quòd illud
ad nihil aliud quàm ad delectandum paratum eſt, in hoc uerò quòd purgat, quòd calefa-
cit, quòd carne uulnus obducit, præter hanc uim, obiter etiam bene olet. Rurſum picto-
res floridos colores ac tincturas miſcent: ſunt autem & medicorum nonnulla pharmaca,
aſpectu florida, coloribusq́; non inamœnis. Quî differunt igitur? Nimirū hoc, quòd uſus
fini diſcernuntur. Ad conſimilem ergo modum, amicorū mutua beneuolentia in re qua-
piam honeſta frugiferaq́;, habet quiddam quod oblectet, uelut floſculentum. Aliquoties
autem luſibus, conuiuijs, uino ſeſe oblectant, nonnunquā iocis ac facetijs inter ſe ueluti
condimentis honeſtarum ac ſeriarum rerum utuntur. Vnde & illud dictum eſt:

Delectat amicus & adulator, ſed ratione diuerſa.

Oblectant animum uario ſermone uiciſsim. Item illud:

Indiſcretus amor fuit, indiſcreta uòluptas.

Verùm unum hoc agit adulator, unum hoc ſpectat, ut ſemper uel luſum aliquē, uel rem,
uel orationem, ad uoluptatem comminiſcatur, & arte condiat. Sed ut rem in pauca con-
feram, adulator quò delectet, nihil non faciendum ſibi putat: at amicus ſemper faciens
quod oportet, ſæpe iucundus eſt, ſępe moleſtus, non hoc uolens, nec uerò fugiens, ſi qui-
dem eſſet utilius. Sicut enim medicus quum expedit crocum & nardum immiſcet phar-
B macis, atque adeo ſæpenumero & lauat placidè, & alit benignè, nonnunquā his præter-
miſsis caſtorium immittit,

Aut graue olens polium, uirus inamabile cuius,

aut tritum elleborum cogit ebibere, nec hîc moleſtiam, nec illic iucunditatem ceu finem
ſpectans, ſed utriſq; modis ad idem tendens, nempe ut eum quem curat, ad meliorem ad-
ducat ualetudinem: Itidem amicus, nonnunq̄; efferens ac delectans amicum, laude & be-
neuolentia ad honeſtum adducit, uelut ille apud Homerum:

Teucer amice mihi Telamonie, ductor Achiuûm,

Fac iſto iaculere modo. Et illud:

Pòſt equidem quînam diui obliuiſcar Vlyſsis?

Rurſum cū coërctione eſt opus, tū ſermone mordaci, caſtigatoriaq́; libertate tangens ait:

Inſanis Menelaē, nec hæc dementia quicquam
Profuerit tibi.

Nonnunquam facto ſimul & dictis corripit, quemadmodum Menędemus Aſclepiadis
amici filium luxurioſum & incōpoſitæ uitæ excludens, nec alloquens, ſobrium reddidit.
Et Batto ſcholam interdixit Arceſilaus, quum uerſum in Cleanthem feciſſet in comœdia.
Cæterùm poſteaquàm Cleanthi ſatisfeciſſet, factiq́; pœniteret, recepit hominem in gra-
tiam. Oportet enim ſic amicum contriſtare ut proſis, non oportet autem contriſtando tol
lere neceſsitudinem, ſed dolore ceu mordaci pharmaco conueniet uti, quod ſeruet & in-
columem reddat eum qui curatur. Vnde ſicut muſicus, itidem & amicus, ad honeſtatem
& utilitatem utens mutatione, dum quædam concedit ac remittit, quędam intendit, ſæpe
quidem iucundus eſt, ſemper autem utilis: contrà aſſentator, ſemper eadem formula, eo-
demq́; tenore, quod delectat, & ad gratiam facit, aſſonare ſolitus, neq; facto nouit expu-
gnare, neq; dicto moleſtus eſſe, tantùm quod illum uelle uiderit, id ſequitur, ſemper ad il-
lius uocem concinens & concordans. Quemadmodum igitur Xenophon narrat Ageſi-
laum libenter ab his laudari ſolitum, qui non dubitarent & uituperare: ita putandus eſt
amicè iucundus & blandus eſſe, qui quandoq; poſsit contriſtare amicū, ac reſiſtere. Con-
ſuetudinem autem perpetuò iucundam, & ad immodicā gratiam obſeruientem, omniq́;
carentem morſu, ſuſpectam habere cōuenit, atque adeo Laconis illud in promptu habere,
qui Charillum regē laudante quopiam, Quónā, inquit, pacto hic bonus eſſe poſſit, qui ne

Amici correptio pharmaci inſtar ſit oportet.

C malis quidē acerbus eſt? Aiunt itaq; tauris œſtrum in aurem ingredi, & canibus item uermiculum quem crotonem uocant. Adulator autem ambitioſorum aures laudibus occupans, & affixus, haud facilè excutitur. Vnde iam maximè uigilanti iudicio fuerit utendū, & obſeruandū, utrum ea laus rei tribuatur an homini. Rei tribuitur, ſi magis laudent abſentes quàm præſentes, ſi ijdem uelint eadem, ſuſpicientes non nos ſolùm, ſed quoſcunq; conſimiles, ac non modò hæc, modò diuerſa tum dicant, tum faciant. Ad hæc, quod eſt omnium maximū, conſiderandum eſt, ſi non ſenſerimus ipſi noſmetipſos uel pœnitere, uel pudere eorum de quibus laudamur, ac non optare potius diuerſa à nobis facta dictáq; fuiſſe. Siquidem domeſticum animi iudicium reclamans, nec agnoſcens eiuſmodi laudes, haud corrumpit, aut tangitur affectibus, nec aſſentatoribus capi poteſt. Verùm haud ſcio quo pacto complures in rebus quidem aduerſis cōſolationem non ferunt, ſed magis hos admittunt qui unà ſecum lamentantur ac deflent. Porrò quum errauerint, ac deliquerint, ſi quis eos coarguerit, mordacíq; reprehenſione pœnitudinē inducere conetur, hunc hoſtem & criminatorem eſſe ducunt. Qui uerò collaudet ac prædicet quæ fecerint, eum amplectuntur, hunc beneuolum & amicum eſſe putant. Iam uerò qui factum aut dictū, quicquid illud fuerit, quod uel ſeriò dixerit, uel ſalſè in quempiam luſerit, laudant & applaudunt, ij ſolum ad præſens, ac ſtatim noxij deprehenduntur. Aſt qui laudando penetrant ad ipſos mores, & per ipſos adulantur, perinde faciunt ac famuli ſolent, qui nō de aceruo, ſed de ſemine furantur. Nam dum uirtutis uocabula uitijs tribuunt, nimirū inficiunt affectum actionum ſeminarium, & habitum animi, unde ceu fonte omnia uitæ officia proficiſcuntur. Scribit enim Thucydides, in ſeditionibus ac bellis, ſolitam uocabulorum dignitatem non ijs tribui factis quibus oportebat, ſed accommodari ijs quæ fiebant. Siquidem audacia temeraria, fortitudo contentioſa iudicabatur: cunctatio prouida, timiditas decora. Contrà modeſtiæ nomine prætexebatur ignauia, & diligens in omni re prudentia, ſegnities habebatur. Cæterùm in adulationibus perſpicere & cauere conuenit luxum liberalitatis nomine fucatum, timiditatem cautelæ, temeritatē celeritatis: rurſum ſordes frugalitatis palliatas uocabulo: tum eum qui fœdis amoribus eſt deditus, appellatum comem

D & amantem: iracundum autem ac perferocem, dictum magnanimū: porrò uilis abiectíq; animi hominem uocatum humanum. Quemadmodum alicubi ſcribit & Plato, amantem quoniam adulator eſt ijs quos amat, eum qui ſimis eſt naribus, amabilem appellare: qui naſo ſit adunco, regalem: qui nigri ſint, uiriles: qui candidi, deorum filios. Porrò mellei cognomen, prorſus amantis eſſe fucum, diminuentis, facileq; ferentis amati pallorē. Quanquam cui perſuaſum eſt, ipſum eſſe formoſum, quum ſit deformis: aut procerum eſſe, cùm ſit puſillus, is nec diu tenetur hoc errore, & leui afficitur incōmodo, nec eo quidem immedicabili: uerùm cùm uitia uirtutum nominibus laudantur, ut iam pecces non modò non dolens, ſed gaudens etiam, detrahiturq; peccatis pudor, ea nimirum res Siculos ſubuertit, quòd Dionyſij Phalaridisq; crudelitatem, iuſtitiam, & ſceleratorum odium uocarent adulatores. Eadem Aegyptum perdidit, quòd Ptolemęi muliebritatem, afflatus, eiulatus, liliorum ac tympanorū inſculpturas, religionē deorumq; cultum appellarent. Eadem Romanorum mores tam integros ad nihilum redegit, ac ſuſtulit, quòd Antonij delitias, libidines ac uiſcerationes ita blandientes extenuarent, ut humanitatem & hilaritatem uocarent, indulgente illi potentia fortunáq;. Porrò quænam alia res Ptolemæo capiſtrum ac tibias addidit? Quid aliud Neroni tragicum addidit ornatum? quid perſonam & cothurnos induit? annon aſſentatorum laudatio? Iam reges plerìq;, nónne ſi quum muſicantur, uocantur Apollines: cùm inebriantur, Bacchi: cùm luctantur, Hercules, in omne dedecus gaudentes adulatione abducuntur? Quapropter potiſsimum in laudibus cauendus erit aſſentator, id quod nec illum ipſum fugit, ſed miro artificio cauens ne ſuſpectus ſit. Si quē nactus fuerit ſplendidè cultum, glorioſum: aut agreſtem craſſum capiſtrum ferentē, tum toto utitur naſo. Quemadmodum Struthias inſultans Bianti, ac laudibus in ſtupiditatem illius debacchans: Plus, inquit, bibiſti quàm rex Alexander. Et ad Cyprium per riſum inſueſcens. Quòd ſi uiderit eos naſutiores, maximè ſi cōſpexerit animaduertentes, ac regionem hanc, ac locum, ne poſsit adulator occupare, cuſtodientes, tum nō è directo laudem inducit, ſed procul diſcedens, longisq; circumactus ambagibus, tandē accedit nullo ſtrepitu, ceu belluam manu cōtrectans ac palpans, tentansq;. Interdum enim aliorum de illo laudes renunciat, rhetorū exemplo, alienam inducens perſonam, dicens in foro ſe hoſpitibus quibuſdam, aut ſenibus admodum libenter adſtitiſſe, multa, & ea quidem bona de illo referentibus, & illius uirtutes admirantibus. Rurſum aliquoties leuibus quibuſdam

Vitia nominibus uirtutum collaudari, exitioſum.

& falſis

A & falſis criminibus confictis, & in illum compoſitis, perinde quaſi ea ab alijs audierit, accedit feſtinabundus, ac ſerius rogans, ubinam hoc aut illud dixerit feceritq́: tum ubi negarit ille, ſicuti conſentaneum eſt, hac ipſa occaſione tenens hominem, in laudes conijcit. At ego mirabar, inquit, ſi tu cuiquam amicorũ maledixiſſes, qui ne inimicis quidem ſoleas. Mirabar ſi tu occupaſſes aliena, qui tam multa largiare de proprijs. Rurſum alij pictorum in morem, qui quò quędam illuſtriora reddant ac ſplendidiora, addunt in propinquo umbroſa quædam & obſcura: ita clàm laudant & alunt eorum uitia quibus adulantur, dum his contraria uituperant, inſectantur, carpunt, ac derident. Siquidem apud luxurioſos, auaros, ac ſceleratos, improbos, quiq́ ſibi diuitias fœdis modis pepererunt, frugalitatem ruſticitatis nomine uituperant: ſua contentum eſſe ſorte, iuſtitiamq́, hominis nihil audentis eſſe dicunt, quiq́ ſit imbecillis ad capeſſenda negocia. Cęterùm ubi uerſantur cum inertibus & ocio deditis, ac mediam ciuitatis lucem fugientibus, non pudet illos reipublicæ adminiſtrationem, alienorum negociorum laborioſam geſtionem appellare, & magiſtratus honorem, inanem uocare gloriam ad nihil utilem. Iam uerò nonnunquã & rhetorica adulatione traducunt philoſophũ, & infamant: & apud laſciuas mulierculas magni fiunt, dum matronas uno contentas, & uirorum amantes, ruſticas & alienas à Venere uocant. Eſt autem illud omnium ſceleratiſsimum, quòd nec à ſeipſis temperant adulatores. Nam quemadmodum luctatores ſuum corpus humiliant, ut deijciant alios: ſic illi uituperando ſeipſos, clanculum huc irrepunt, ut alios laudent. Timidum, inquiunt, ſum mancipium in mari, à laboribus abhorreo, inſanio iracundia, ſi quis mihi maledixerit. Verùm huic nihil eſt graue, nihil laborioſum. Sed homo ſingularis, omnia fert leniter, omnia citra moleſtiam tolerat. Quòd ſi quis fuerit qui ſibi plurimum ſapere uideatur, cupiat ſeuerus ac rigidus uideri, ſemper Homericum illud ueluti præ rectitudine quadam animi in medium adferens:

Tydide, neq́ ualde probes, neq́ uituperes me.

hunc non hac artifex aſſentator aggredit̃ uia, ſed eſt alia quædã ars qua captet hominem. Accedit enim de ſuis ipſius negocijs, ut uidelicet prudentia præſtantiorem conſulturus,
B & ſe quidem alios familiariores habere dicit, cogi tamen ut illi negocium exhibeat. Nam quò confugiamus, inquit, quum opus eſt conſilio? aut cui fidem habeamus? Deinde poſteaquã audierit, quicquid illud ſit quod ille dixerit, ita diſcedit, ut confirmet ſe oraculum accepiſſe, non conſilium. Quòd ſi quem uiderit qui facundus & eruditus haberi ſtudeat, huic aliquid ſuorum ſcriptorum exhibet, orat uti legat & emendet. Porrò Mithridati regi, rei medicæ ſtudioſo, quidam amici & ſecandos & urendos ſeſe præbuerunt, factis nõ uerbis adulantes: ſiquidem teſtimonium eſſe uidebatur artis, quòd illi crederent. *Mithridates rex medicinæ ſtudioſus.*

Sanè uaria eſt forma dæmoniorum.

Cæterùm illud diſsimulatum laudationis genus, diligentiorem requirens cautionem, arguendum & aperiendũ eſt, quòd data opera, abſurda quædam profert conſilia monitaq́, & correctiones à ratione alienas. Etenim dum nihil refellit, omnibus annuit, approbat omnia, & ad ſingula ſucclamat, bene dictum, ſatis factum, nimirum palàm intelligitur

Proferre ſtudio, cæterùm aliud perſequens

Hoc agere, ut laudet, ac laudatum perdat ut magis.

Ad hæc, ſicuti quidam picturam definierunt, tacentem eſſe poëticen, ſic & adulatio nonnunquam tacendo laudat. Vt enim qui uenantur ita magis fallere ſolent quæ captant, ſi non hoc agere, ſed uel iter facere, uel paſcere greges, uel agricolare uideantur: ſic adulatores tum maximè mouent laudando, quum uidentur non laudare, ſed aliud quiddam agere. Nam qui locum cedit ad conſeſſum uenienti, & qui loquens apud populum aut in curia, ſi ſenſerit diuitem aliquem uelle loqui, obticeſcit interim, locum ſimul & orationem illi cedens, ſilendo magis declarat, quàm alius clamore, quòd illum ſuperiorem & ſapientia præſtantiorem exiſtimat. Vnde cernere licet iſtos prima ſedilia in recitationibus & ſpectaculis occupantes, non quòd ipſi ſe dignos his arbitrentur, ſed quò cedentes diuitibus, eis adulentur. Item uidere eſt illos in comitijs & concilijs primas dicendi partes occupare, mox eas cõcedere potentioribus, ac facillimè in diuerſam ire ſententiam, ſi potens, aut diues, aut nobilis fuerit, qui contradicit. Atq́ hac nota potiſsimum iſtiuſmodi conceſsiones illorum & ſeceſſus oportebit deprehendere, quòd haud concedant uſui rerum, neq́ uirtuti, neq́ ętati, ſed opibus & nobilitati. Nam Apelles pictor aſsidenti ſibi Megabyzo, & neſcio quid de lineis & umbris loqui conanti, Vides, inquit, hos pueros Melidem colorem terentes? hi tacentem te ſuſpiciebant, purpuram & aurum admirabantur, at ijdem

C nunc derident, poſteaquàm de his loqui cœperis, quæ nõ didiciſti. Et Solon Crœſo de fe
licitate percontanti, Tellum quempiam Athenienſem obſcurum hominem, ad hoc Bito-
nem & Cleobim, pronunciauit eſſe feliciores. At aſſentatores, reges, diuites, ac primates,
non felices tantùm ac beatos prædicant, ſed ijſdem & in prudentia, in artificio, in uirtute
primas tribuunt. Hæc quum ita habeant, ſunt qui Stoicos nec audire ſuſtineant, quum ſa
pientem ſimul & diuitem, & formoſum, & clarum, & regem appellãt. Adulatores autem,
qui diues ſit, eum ſimul & rhetorem & poëtam, quòd ſi uiſum ſit, etiam pictorem ac tibici
nem faciunt. Inſuper & pedibus celerem, & robuſtum, dum illi ſuccumbunt inter luctan-
dum, & in curſu ſuperantur. Sic enim Criſſon Himeræus, curſu contendens cum Alexan-
dro, data opera uincebatur: quod quidem ſentiens rex, indignè tulit. At Carneades dice-
re ſolitus eſt, diuitum & regum filios nihil rectè neq; bene diſcere, præterquàm equitare,
propterea quòd his aſſentetur præceptor in exercitatione literarũ, uſq; laudans quicquid
dixerint: aduletur & is qui colluctatur, cedens ac ſubmittens ſeſe. Porrò equus haud intel
ligens neque cogitans, priuatus quis ſit an magiſtratus, diues an pauper, præcipitat quiſ-
quis ignarus ſit equitandi. Stulta igitur & aſpernanda quæ dixit Bion: Si quis agrum lau
dando feracem & frugiferum reddere queat, non uidere errare, qui id facere malit, quàm
fodere & fatigari. Ad eundem modum haud abſurdè facere uideatur, qui laudet aliquem,
ſi ei quem laudat, utilitatem ac frugem adferat laudando. Nam ager quidem nihilo dete-
rior redditur quum laudatur: at qui hominem falſo præterq; meritũ laudant, tumidum il-
lum reddunt ac perdunt. Ac de his quidem hactenus ſatis dictũ eſt, ſupereſt ut de loquen
di libertate uideamus. Itaq; quemadmodum Patroclus Achillis induens arma, & equos
in pugnam educens, ſolam haſtam Peliacam non auſus eſt attingere, ſed hanc omiſit: ſic
conueniebat ut adulator, quum amici cultum & ſupellectilem adumbrat, hucuſq; notas
& inſignia imitatur, ſolam loquendi libertatem, tanquã eximium amicitiæ geſtamen, gra
ue uidelicet, ingens & ualidum, intactam & inimitatam relinqueret. Verùm quoniam ca
uentes ne in iocis aut uino, dicterijſq; & luſibus deprehendantur, iam ad ſupercilium &
ſeueritatem rem transferunt, & adulantur auſteritatis prætextu, reprehenſionẽ quandam
& admonitionem admiſcentes, agè ne id quidem inexploratum relinquamus. Quemad-
D modum igitur in Menandri comœdia falſus Hercules inducitur, clauam geſtans non gra
uem, neq; robuſtam, neq; rigidam, ſed molle quoddam & inane figmentum: ſic arbitror
aſſentatoris libertatem ijs qui capiunt experimentum, mollem uideri, minimeq; grauem,
neq; rigorem habentem, ſed idem facientem quod ſolent muliercularum capitibus impo
ſitæ ſtruices, quæ quũ uideantur earum capitibus reniti & reſiſtere, cedunt magis & obſe
cundant. Itidem & iſta fucata dicendi libertas, quum inanem, falſam, & ſanie plenam ha-
beat molem, attollitur quidem ac tumet, ut ſubſidens & contrahens ſeſe, capiat & pariter
abripiat in ipſam ſeſe conijcientem. Nam uera & amica libertas, peccatis imminet, ſaluta
rem ac medicam adferens moleſtiam, non ſecus atq; mel, quod ulceroſa mordet ac repur-
gat, alioqui iucundum & utile. Sed huic rei ſuus dabitur ſermo. Adulator autem in cæte-
ros quidem acerbus, & uehementer aſper, & inexorabilis uidetur. Nam ſuis famulis gra-
uis eſt, cognatorũ ac familiarium errata grauiter inceſſit, nec externorum quenq; aut mi-
ratur, aut reueretur, ſed faſtidit ac deſpicit, ignoſcens nemini, ſed deferens ac calumnians,
ut alios ad iram inſtiget, hoc modo captans famam & opinionẽ hominis uitijs infeſti, ut
nec in hos uideatur ſtudio temperare à libera obiurgatione, neq; quicquã ad gratiam uel
facere uel dicere. Deinde idem in ueris ac magnis eorum quibus adulatur peccatis, nihil
ſe ſcire nec intelligere ſimulans, ad errata leuiſſima, & externa, mirè concitatur, magnoq;
clamore & acrimonia iurgatur, ſi quod uas neglectum iacere conſpexerit, ſi parum ſplen
didè habitantem, ſi parum diligenter à tonſore curatum, ſi togam, canem, aut equum pa-
rum, ut oporret, curatum uiderit. Cæterùm parentum contemptus, liberorum neglectus,
uxoris contumelia, faſtus in familiares, pecuniarum abſumptio, nihil hunc mouent, in his
elinguis eſt, in his timidus, perinde quaſi aliptes athletam inebriari, ſcortariq; ſinens, cir-
ca lecythum & ſtrigilem moroſus ſit: aut ſi grammaticus puerum de tabula, deq; ſtylo ca-
ſtiget, porrò ſolœciſmum aut barbariſmum cõmittentem audire ſe diſſimulet. Talis enim
eſt adulator, qualis ſit is qui in imperito ridiculoq; oratore, nihil dicat de oratione, ſed de
uoce cauilletur, & grauiter accuſet, quòd frigidã potans, corrumpat arteriam: aut ſi iuſſus
ſcripturam malam & imperitam recenſere, cauſetur quòd craſſior ſit charta, ac non magis
ſcriptorem ipſum malum ac negligentem appellet. Ad hunc modum adulatores & Pto-
lemæo, quum diſcendi cupidus uideretur, de lingua, de uerſiculo, de hiſtoriola digladian
tes, ad

Principum filios nihil rectè diſcere, præterquàm equitare.

A tes, ad mediam uſq; noctem reluctabantur: at uerò ſæuienti, ferocienti, carnificinam exer
centi, uectigalibus oneranti populum, nullus è tam multis obſiſtebat. Non aliter ergo, ac
ſi quis hominis tubera fiſtulasq; habentis, medico ferro pilos incîdat & ungues: ſic aſſen-
tatores obiurgandi libertatem his admouent partibus quæ non dolent, neq; moleſtiã ad-
ferunt. Quinetiam ſunt & his aſtutiores nõnulli, qui ipſa reprehendendi libertate, ad gra-
tiam & uoluptatem utuntur. Quemadmodum Agis Argiuus, quum Alexander ridiculo
cuidam ingentia daret munera, præ inuidia ac dolore exclamauit: O rem uehementer ab-
ſurdam. At poſtquàm Alexander ira percitus conuerſus ad illum dixiſſet, & quid tu tan-
dem ais? Fateor, inquit, me moleſtè ferre & indignari, cùm uideam uos omnes è Ioue pro
gnatos, æquè adulatoribus & ridiculis hominibus delectari. Siquidem & Hercules Cer-
copibus quibuſdam, & Bacchus Silenis delectabatur, & apud te uidere licet huiuſmodi
magni fieri. Porrò cùm aliquando Tiberius Cæſar in Senatum ueniſſet, ſurgens adulator
quidam, ait hominibus liberis liberè loquendum eſſe, nihilq; metu diſsimulandum, neq;
quicquam reticendum eorum quæ ad publicam utilitatem pertinerent. His uerbis quum
omnes excitaſſet, factoq; ſilentio, & ipſo etiam auſcultante Tiberio: Audi Cæſar, inquit,
in quo te quidem culpamus omnes, etiamſi nemo palàm audet dicere. Negligis teipſum,
corpusq; tuum exponis pro nobis, ſolicitudinibus & laboribus illud cõficiens, nec inter-
diu, nec noctu quieſcens. Huiuſmodi multa cùm ille dixiſſet, aiunt oratorem Caſsium Se
uerum ſubieciſſe: Iſta libertas hunc hominem exitio dabit. Atq; hęc quidem leuiora ſunt:
ſed illa ſanè periculoſa, & ſtultorum animos inficientia, quoties diuerſos morbos ac uitia
criminantur his, quibus laborat is cui palpantur. Quemadmodum aſſentator Himerius
Athenis diuitem quendam ſordidiſsimum & auariſsimum, ueluti per contumeliam luxu
rioſum, reiq; familiaris indulgentem appellauit, addens futurum, ut unà cum liberis ali-
quando miſerè egêret. Aut rurſus quum luxurioſis & profuſis parſimoniam ac ſorditiem
exprobrant, ueluti Neroni Titus Petronius: aut cùm principes crudeliter & acerbè ſubie
ctis imminentes admonent, ut abijciant immodicam humanitatem, intempeſtiuamq; &
inutilem miſericordiam. His affinis eſt & ille, qui ſtupidum ac bardum hominem perinde
cauere ſeſe ac metuere ſimulat, quaſi callidum quempiam ac uerſutum. Item qui inuidum C
B ac ſemper maledicere carpereq; gaudentem, ſi quando cõpulſus fuerit celebrem aliquem
uirum laudare, reprehendit, eiq; contradicens, tanquã hoc uitio morboq; laboret, laudas,
inquit, homines nihili? Quis enim eſt iſte, aut quid unquam magnificum uel fecit, uel di-
xit? Porrò in amoribus potiſsimũ inſidiantur ijs quos captant, quo magis accendant. Ete
nim cùm germanos inter ſe diſſidentes uiderint, aut à liberis parentes haberi deſpectui,
aut maritos male de uxoribus ſuſpicari, tum nec admonent, nec accuſant, ſed magis ac ma
gis inſtigant: Non ſentis, inquiunt, teipſum harum rerum eſſe cauſam, qui nimium obſe-
quentem ac modeſtum te illi prębeas? Quòd ſi quis iracundię pruritus ex ira & zelotypia
ſubortus fuerit in amicam aut adulteram quam amat, ibi præſtò eſt adulatio, ſplendidam
imitans libertatem, ignem igni, quod aiunt, adijciens. Accuſat & in ius uocat amantem,
quòd multa parum amatoriè, multa dura ac reprehendenda fecerit: O ingrate, inquit, &
immemor crebrorum ſuauiorum. Sic Antonio cùm Aegyptiam amaret, & incenſus eſſet,
amici perſuadebant, ipſum ab illa adamari, & conuicíantes rigidum ac ſuperbum uoca-
bant. Mulier, inquiebant, relicto regno tam opulento, tamq; felicibus familiaritatibus, a-
more deperit, tecum militans, concubinæ cultu ſpecieq;:

Aſt immota tibi duro ſub pectore mens eſt,
Qui illam negligas afflictam.

Ille uerò non libenter admittens reprehenſionem, uelut illi faceret iniuriam, & ſic huiuſ-
modi gaudens accuſatoribus, ut non æquè laudatoribus, haud ſenſit ſeſe ſimulata repre-
henſione magis etiam deprauari. Talis obiurgandi libertas ſimilis eſt laſciuientium mu-
lierculanum morſibus: excitat enim tantùm ac titillat, & hoc ipſo quòd dolorem facere ui
detur, delectat. Non aliter ac uinum alioqui remedium efficax aduerſus cicutam, ſi pari-
ter utrunq; commiſcuerint, planè uim ueneni reddunt immedicabilem, quòd uini calore
celerius ad cor penetret: ita callidi quidã intelligentes liberam admonitionẽ efficax eſſe
remedium aduerſus adulationem, ipſi libertati monendi adulationẽ admiſcent. Proinde
nec Bias rectè dixiſſe uidetur, cùm interroganti, quod eſſet animal omnium maximè no-
xiũ, reſponderet, Inter immitia tyrannus, inter mitia adulator. Verius enim dixiſſet, quòd
inter adulatores manſueti ſunt hi qui in balneis & circa menſas uerſantur. At uerò qui in
penetralia, & gynæcea, curioſitatem, calumniam, malitiam perinde quaſi retia quædam

C intendit, hic immitis ac ferus & intractabilis. Cæterùm una cauendi ratio uidetur eſſe, ſi cognouerimus ſemperq; meminerimus, quòd quum animus noſter duas habeat partes, alteram ueram, honeſtis gaudentē, rationi obtemperantē, alterā rationis expertē, mendacijs gaudentem, affectibus obſeruientē: amicus quidem ſemper in potiorem partem conſulit, & huic patrocinatur, medicorum exemplo, quod ſanum eſt id augens ac tuens: adulator autem brutæ, & affectibus obnoxiæ parti aſsidet, hanc ſcabit ac titillat, huic perſuadet, & abducit à ratione, pernicioſam quandā mollitiē illi moliens inducere. Ergo quemadmodum cibi nonnulli ſunt, qui neq; ſanguini ſunt adiumento, neq; ſpiritibus, neq; neruis aut medullis uigoris aliquid addunt, ſed pudenda modò permouent, aluum tumefaciunt, & carnem gignunt ſubputrem & flaccidā: ſic aſſentatoris oratio nihil addit ſobrietati, nihil prudentiæ, ſed eum aut amoris delectatione quadam delinire, aut ſtultam incitare iracundiam, aut inuidiam irritare, aut animi faſtum inducere moleſtū & inanem, aut in dolore collachrymari, aut difficultatem morum, & illiberalitatem ac pertinaciam, ſemper delationibus quibuſdam & præſenſionibus turbulentam ac ſuſpicacem reddere, non ignorabit quiſquis animaduerterit. Semper enim alicui imminet animi morbo, hunc pinguefacit, & adeſt glandularum tumoris in morem, ſemper putribus & inflammatis animi partibus ſuccedens. Si iraſceris, ulciſcere, inquit: ſi concupiſcis, fruere: ſi times, fugiamus, inquit: ſi ſuſpicaris, crede, inquit. Quòd ſi in huiuſmodi perturbationib. animi non queat facilè deprehendi, propterea quòd ratio uehementia magnitudineq; cupiditatum excutiatur, in alijs anſam magis præbebit, & in illis ſui ſimilis. Siquidē ubi cōtigerit amicum ſuſpicari, ne quid peccarit crapula, aut ſi quid de balneo, deq; cibo dubitet, ibi amicus coërcebit hominē, admonebitq; ut ſibi caueat, ac uiter periculum. Et ſi ad iter aut nauigationem, aut aliquid agendum, propenſum eſſe uiderit, tempus minimè urgere dicet, ſed idem fieri poſſe facta dilatione, aut alio miſſo. Contrà adulator in balneum pertrahit, iubens ut ſuperiori peccato nouū aliud addat, neq; dilatione corpus affligat. Porrò ſi pollicitus ſit familiari cuipiam ſe mutuò daturum aut largiturum pecuniam, & pœnitet quidem promiſsi, cæterùm pudet negare, ibi adulator ad peiorē additus lancem, ſententiam

D pro crumena confirmat, & uerecundiā illam excutit, iubens eum rebus ſuis parcere, quippe qui multa inſumat, quiq; multis ſuppeditare cupiat. Vnde niſi ipſi non ſentiamus nos ipſos cupidos eſſe, impudenter facere, ignauos eſſe, nihil nos fallet adulator. His enim affectibus ille ſemper patrocinaī, liberè reprehendens ubi uelis ab his diſcedere. Atq; hiſce quidem de rebus hucuſq; ſatis dictum eſt: deinceps ad utilitatē & obſequia noſtra ſe conferat oratio, quandoquidem in his quoq; ſic confunduntur omnia, ut difficillimum ſit adulatorem ab amico diſtinguere, dum & ille uidetur impiger, & ad omnia promptus, nihilq; recuſans. Nam ut ueritatis, iuxta Euripidē, ſimplex eſt oratio, ſic & amici mores ſimplices ſunt, ſynceri, fucoq; carentes: uerū adulatoris mores, quum reuera morbidi ſint in ipſo, multis ac doctis opus habent pharmacis, atque adeo nouis & exquiſitis. Vt igitur in congreſsibus ſic ſe habet amicus, ut quum neq; dicat quippiam, neq; audiat, tamen aſpectu riſuq; beneuolentiam, uerumq; pectoris affectum tacitè dans, ac uiciſsim accipiens, prætereat. Aſt aſſentator currit, aſſectatur, ſalutat eminus: ſi prior uiſus, appellatus fuerit, excuſat ſeſe teſtib. adhibitis, ſæpius & cum iureiurando. Sic & in negocijs permulta prætermittunt amici minuta, non exactè exquirentes, neq; curioſi, neq; ſemetipſos in quoduis obſequium ingerentes. At hic in huiuſmodi rebus aſsiduus ac perpetuus & infatigabilis, alij nemini locum dans, neq; ſpatium inſeruiendi, ſed exigens uti ſibi mandet, & ſi mandatum non fuerit, moleſtè fert, uel potius prorſus exanimatur, & obteſtatur deos. Ergo & iſta quoq; ſignificant ijs qui ſapiunt, non ueram, neq; ſyncerā amicitiam, ſed meretriciam quandam, promptius ſe implicantem quàm oportet. Quanquam primùm in pollicitationibus animaduertendū eſt adulatoris & amici diſcrimen: ſiquidem rectè dictum eſt illud à noſtris maioribus, hanc amici pollicitationem eſſe:

Veritatis ſimplex oratio.

Si præſtare queam, & fuerit præſtabile nobis. Rurſus adulatoris hanc:
Dic quicquid uerſas animo. Tales enim inducunt Comici:
Nicomache me fac militi iſti opponier,
Flagris niſi illum peponem totum fecero,
Reddideroq; illi os mollius uel ſpongia.

Adde his, quòd amicis nemo cōmodat operā in negocio peragendo, niſi prius ſuſcipiendi negocij conſiliū approbarit, ſed ita demum poſtq; probarit, ſtatueritq; rem uel ad honeſtatē, uel ad utilitatē pertinere. Contrà adulator, etiā ſi quis eum de ſuſcipiendo negocio conſulat,

A conſulat, ſuamq; uelit aperire ſententiam, is tamen quoniam non ſolùm concedere amico & gratificari ſtudet, uerumetiam metuit ne ueniat in ſuſpicionẽ quòd detrectet fugiatq; laborem, accommodat ſeſe ad illius cupiditatem, eamq; magis inſtigat. Siquidem nulli diuitum, neq; regum facilè eſt dicere illud:

Mendicus utinam ſit mihi, uel ſi libet
Mendicum & infra, qui mihi uolens bene,
Timore poſito poſsit ex animo loqui.

ſed quemadmodum Tragœdiarum hiſtriones egent amicorum choro concinentium, aut ſpectatoribus applaudentibus, itidem & illi. Vnde Merope in Tragœdia monet ad hunc modum:

Hos fac amicos, qui tibi concedere
Nolint: at iſtos improbos, ad gratiam
Inſeruientes ac uoluptatem, tuæ
Excludat & procul arceat clauſtrum domus.

At iſti præpoſterè faciunt, dum eos qui non concedant in diſceptationibus, ſed reſiſtunt, ſuadentes quod conducibilius eſt, abominantur & auerſantur: cęterùm qui callidè ad gratiam obſecundant, abiectos & impoſtores, non ſolùm intra domus ſepta, uerumetiam in affectus & arcana recipiunt negocia. Quorum qui ſimplicior eſt, cenſet haud conuenire, neq; dignum ſe iudicat, qui in tantarum rerum conſilium adhibeatur, ſed miniſtrũ & adiutorem ſe præbet. Porrò qui uerſutior eſt, adeſt quidem in deliberando, ſimul adducit ſupercilia, ſimul annuit uultu, loquitur autem nihil. Quòd ſi ille dixerit quid ſibi uideatur, Papæ inquit, paululò me anteuertiſti loquẽdo: nam iſtuc ipſum ego dicturus eram. Sicut enim mathematici dicunt ſuperficies & lineas per ſe nec inflecti, nec extendi, nec moueri, quum res ſint intellectus, non corporeæ, cum corporibus autem unà flecti, & extendi, & loco moueri, quorum ſunt extremitates: ſic adulatorẽ comperies ſemper cum alijs conſitentem, ſententiam dicentem, intelligentem, iraſcentem, ut in his ſanè facillimum ſit diſcrimen animaduertere. Sed multò adhuc facilius, in inſeruiendi modo. Siquidẽ officium quod ab amico proficiſcitur, ceu uiuum quoddam animal, uires maximè proprias in intimis habet, nihil autem accedit oſtentationis aut plauſibilitatis, quin ſæpenumero fit, ut

B quemadmodum fidus medicus ægroto neſciente ſanat, ſic amicus proſit, uel cõgrediens, uel diſcedens, ignorante amico negocium illius curans. Huiuſmodi fuit Arceſilaus tum in alijs, tum erga Apellem Chium, quem ægrotantem quum egêre quoque cognouiſſet, denuò reuiſit hominem, & uiginti drachmas adferens, & aſsidens proximo: Hîc, inquit, nihil eſt præter Empedoclis elementa, uidelicet hæc:

Ignem & aquam, terramq; & ſphæras ætheris alti.

Ac ne cubas quidem ſatis cõmodè, ſimulq; mouens illius ceruical, clanculum pecuniam ſubiecit. Quam ſimulatq; reperiſſet anicula quæ inſeruiebat ægrotanti, & admirans quid eſſet, Apelli retuliſſet, ridens ille: Arceſilai, inquit, hoc furtum eſt. Et in philoſophia ſanè filij naſcuntur ſimiles parentibus. Lacydes enim Arceſilai familiaris, Cephiſocrati criminis rerum male geſtarum reo unà cum reliquis amicis aderat: at quum accuſator anulum poſtulaſſet, isq; tacitè demiſiſſet, Lacydes ſentiens, impoſito pede contexit. Erat autem in eo anulo, quo argui poterat. Poſt latam uerò ſententiam, quum Cephiſicrates iudicibus gratias ageret, unus quiſpiam illorum qui, ſicuti uidetur, rem conſpexerat, iuſsit uti gratias ageret Lacydi: & rem narrauit, cùm Lacydes ipſe nemini retuliſſet. Hoc pacto deos etiam arbitror plerunq; benemereri de mortalibus, ut non ſentiantur benemereri, & ob idipſum benefacere, quòd ſuapte natura gaudeant benefacere. Rurſum adulatoris officium nihil habet iuſtum, nihil uerum, nihil ſimplex, neq; liberale, ſed ſudorem, diſcurſationem, clamorem, & uultus contractionẽ, quæ ſpeciem & opinionẽ præbeat rei laborioſæ, magnoq; ſtudio curatæ, nõ aliter quàm operoſa quędam pictura, coloribus impudentibus, ueſtibus inflexis ac fractis, rugis & angulis id affectans, ut rem euidenter repræſentare uideatur. Quin grauis etiam & moleſtus eſt, quoties errores quoſdam, & curas pro illo ſuſceptas cõmemorat: deinde ſimultates cum alijs ſuſceptas, deinde moleſtias innumerabiles, & ingentia mala recenſet, ut dicere poſsis, non tanti ſunt illa, ut hæc feram. Nam omne beneficium ſi exprobretur, moleſtum eſt, & gratiam perdit, nec ferri poteſt. At adulator non tum exprobrat beneficium poſtquàm præſtiterit, ſed iam cùm pręſtat, protinus exprobrationẽ & pudorem admiſcet. Amicus autem ſi neceſſe fuerit dicere, rem quidem ipſam modeſtè narrat, de ſe uerò nihil loquitur. Sic & Lacedæmonij cùm Smyrnæis egentibus commeatum miſiſſent, atque illi beneficium cœpiſſent extollere, occupantes, Nihil

C magni eſt, inquiunt: hęc enim collegimus, unius diei prandio nobis & iumentis detracto. Siquidem huiuſmodi beneficentia non ſolùm liberalis eſt, uerumetiam accipientibus iucundior, propterea quòd citra magnum benemerentium incõmodum conferri uideatur. Ergo non in hoc potiſsimũ poſſis hominis naturã cognoſcere, quòd adulator inſeruit moleſtè, & pollicet̃ facilè: ſed longè magis hoc, quòd amicus inſeruit in rebus honeſtis, adulator turpibus: hic ad gratiam, ille ad utilitatẽ. Siquidem amicus, non quemadmodũ cenſuit Gorgias, ſibi quidem in rebus iuſtis amicum obſequi uolet, inſeruiturus tamen illi ſæpenumero in rebus etiam non iuſtis: Nam ſano adeſſe, haud deſipiſcenti ſolet. Itaq; potius illum dehortabitur ab his, quæ nòn decent. Quòd ſi non patietur ille, tum bellùm erit uti eo quod Antipatro dixit Phocion: Non potes me ſimul & amico uti, & adulatore: hoc eſt, amico, & non amico. In factis enim adiutandus eſt amicus, non in malefictis: & in conſilijs, non in inſidijs: & in teſtimonijs, non in fraudibus. Atque adeo infortunij participem eſſe conuenit amico, ſed non iniuſtitiæ. Nam ſi nec conſcium eſſe turpitudinis amico conuenit, quanto minus decet illi turpiter agenti, & indecorè ſe gerenti, cõmodare operam? Quemadmodũ igitur Lacedæmonij prælio ſuperati ab Antipatro, ita cum eo rem cõponebant, ut imperaret quanuiuis damnoſa grauiaq;, modò ne quid turpe: ſic amicus, ſi qua inciderit neceſsitas, quę ſumptum aut periculum aut laborem poſtulet, cupit uocari primus, citraq; tergiuerſationẽ & promptè negocium in ſe ſuſcipit: tanùm ubi res cum dedecore cõiuncta eſt, detrectat obſequium, ſibiq; parci poſtulans. Adulator uerò contrà facit: in laborioſis quidem ac periculoſis officijs excuſat. Quòd ſi ceu uaſa ſolemus, ita pulſu tentes hominẽ, cauſans aliquid, inſyncerũ quendam & minimè generoſum tinnitũ reddit. Cæterùm in dedecoroſis, ſordidis, & infamibus obſequijs, abutere, calca, nihil illic graue, nihil cõtumelioſum exiſtimat. Vidés ne ſimiam? non poteſt cuſtodire domum, ut canis: non geſtare ſarcinas, ut equus: non arare terrã, ut boues, & ideo tolerat iniurias, ſcurratur, luſus ac riſus ſe præbet inſtrumentũ. Sic & adulator, quoniam nec in dicendo, nec in cõſulendo, nec in certaminibus ac periculis adeſſe poteſt amico, quippe ab

Subalaria negocia.

omnibus laboribus, omniq; ſtudio abhorrens, in negocijs ſubalaribus, id eſt, quæ ad uoluptatem pertinent, nihil recuſat, fidus amoris miniſter, & in adducendo ſcorto diligentiſsi-

D mus, nec indiligens ad eijciendã ex animo ſumptuũ conuiuij curam, neq; ſegnis in cœnis apparandis, obſequioſus in cõcubinas, in affines autem rigidus & impudens, ſi iubeatur in illos audere, aut uxorem domo eijcere. Vnde fit, ut nec in his difficilè ſit hominẽ deprehendere. Siquidem ſi mandes quicquid libitum fuerit rerum infamium & minus honeſtarum, paratus eſt, nihil ſibi parcens, modò gratum faciat mandanti. Quanquam nõ minus & hinc agnoſci poſsit plurimum à uero amico diſcrepare, quòd longè ſecus erga reliquos amicos affectus eſt: uerus enim amicus quoniam nihil ducit iucundius, quàm cum multis amare ſimul & amari, id agens perpetuò cùm amico uerſatur, ut quamplurimis amicus ſit, & charus. Etenim cùm exiſtimet res amicorum eſſe cõmunes, nihil iudicat tam cõmune eſſe debere, quàm ipſos amicos. At uerò falſus amicus & adulterinus ac factitius, qui maximè iam intelligat ſeſe iniuriã facere amicitiæ, quippe cuius ceu falſæ monetæ nomiſma finxerit, natura quidem inuidus eſt, uerùm hunc morbum exercet in ſui ſimiles, hos ſuperare contendens ſcurrilitate, loquacitateq;, cæterùm ſuperiorem ueretur & timet, haud ſanè pedeſtri curſu properans ad Lydium currum, ſed ad aurum purum, ut inquit Simonides, ac putum, nihil in ſe plumbi habens. Ergo cùm ipſe ſit leuis & inanis, factitiusq; & fucatus, ſi cominus expendat̃ ad ueram, grauem, ac ſolidam amicitiã, haud ſuſtinet, ſed cùm proditur, idem facit quod is qui gallos infeliciter pinxerat, puero mandans, ut ueros gallos procul abigeret à tabula. Sic & adulator ueros abigit amicos, neq; ſinit accedere propius. Quod ſi non poſsit, blanditur quidẽ palàm, & affectatur, ac miratur, ceu præſtantiores, clanculum aũt ſubdit ac ſubſerit calumnias quaſdam. Cæterùm ubi clandeſtinus ſermo uellicauit hulcus, nec tamẽ omnino ſtatim efficere potuit, tum memor obſeruat quod Medius ſolet. Erat hic Medius inter adulatorũ greges qui cum Alexandro uiuebant, ueluti dux, ac magiſter anteſignanus aduerſus optimates oppoſitus. Iubebat igitur uti audacter calumnijs morderẽt & inceſſerent, docens etiã, ſi qui morſus ſit, uulneri medeat̃, cicatricem tamen calumnię relinqui. His ſanè cicatricibus, uel (ut uerius dicam) gangręnis & carcinomatis corroſus Alexander, ſuſtulit Calliſthenem, Parmenionẽ, & Philotam: cæterùm Agnonibus & Bagois, Ageſijs ac Demetrijs impunè præbuit ſeſe ſubuertendũ, dum adoratur, ac ſtolis amicitur, & ab illis ceu barbarica quæpiam ſtatua refingitur. Adeò magnam uim habet ad gratiam obſequi, & maximã, ut uidetur, in his qui maximi uidentur.

A Etenim quòd ſibi uidentur optimi, talesꝗ uelint uideri cæteris, ea res & fidem conciliat
adulatori, & addit fiduciam. Nam loca quidẽ editiora & excelſa, inacceſſa difficiliaꝗ adi-
tu redduntur inſidiantibus: at animus parum ſapiens, ob fortunę ſucceſſus aut generis no
bilitatem ſublimis & elatus, puſillis & humilibus maximè peruius eſt, & expoſitus. Vnde
quod initio ſermonis admonebamus, idem & nunc iubemus, uti noſtri amorẽ, & arrogan
tem de nobis ipſis opinionẽ abſcindamus, quę nobis præblandiens, molliores nos reddit
externis adulatoribus, utpote iam paratos ac promptos. Quòd ſi parentes deo, & oraculũ,
N O S C E T E I P S V M, uelut rem omnium præſtantiſsimã edocti, ſimul & naturã, & edu
cationem, & inſtitutionẽ noſtram reputemus, & contemplemur quàm innumera habeat
admixta, ab honeſto degenerantia, quamꝗ multa & uitioſa & temeraria, idꝗ tum in fa-
ctis, tum in dictis, tum in affectibus, haud facilè noſmetipſos prębebimus aſſentatoribus,
ut ſuo arbitratu nobis inſultent. Nam Alexander quidem duabus rebus cõmoneri ſeſe di
cebat, quo minus fidem haberet ijs qui ſeſe deum eſſe prædicarent, nempe ſomno & Ve-
neris uſu, quòd in his degeneraret, plusꝗ ſolito afficeretur. Nos uerò undiꝗ in rebus no-
ſtris fœda, multa moleſta, multa imperfecta, multa perperàm facta ſemper conſpicientes,
deprehendemus noſmetipſos domi nõ bellè habere, idꝗ amico quopiam haud laudante
& extollente, ſed arguente, libereꝗ reprehendente. Primùm enim inter multos perpauci
ſunt, qui uelint & auſint amicũ liberè reprehendere, magis quàm ad gratiam loqui. Rur-
ſum inter hos paucos haud facilè reperias, qui id facere norint, ſed ita ſe liberè loqui pu-
tant, ſi conuicientur ac uituperent. Atqui habet hoc, ceu pharmacum non in tempore da-
tum, intempeſtiua libertas, ut perturbet ac moleſtiam adferat nulla utilitate, & idem quo-
dammodo efficiat cum dolore, quod cum uoluptate facit adulatio. Lęduntur enim non ij
modò, qui laudantur cùm non oportet, uerumetiã qui uituperantur non in loco: atꝗ hæc
res facit, ut facilius ab aſſentatoribus capiantur, dum ab immodicè reſiſtentibus & aduer
ſantibus, aquæ ritu ad caua molliaꝗ delabunt. Quapropter libertas iucunditate morum
erit condienda, eaꝗ ratione temperanda, ut ueluti lucis, ſic immodicam ipſius uim aufera
mus, ne dum conturbant, moleſtiaꝗ afficiuntur à quiduis reprehendentibus, & quibusli
bet de cauſis incuſantibus, ad aſſentatoris umbram confugiant, & ad id quod moleſtia ua
B cat, ſeſe conuertant. Siquidẽ omne uitium Philopappe uirtute uitandum eſt, non diuerſo *Vitia uirtute, nõ*
uitio: quemadmodũ nonnulli ſentiunt, pudorem impudentia uitare oportere, ruſticitatẽ *contrarijs uitijs*
ſcurrilitate: cæterùm ab ignauia mollitieꝗ mores ita maximè ſeiungi, ſi ad temeritatẽ & *corrigenda eſſe.*
cõfidentiam quamproximè uideantur accedere. Sunt qui ſuperſtitionẽ ita fugiunt ac de-
precantur, ut nullos credant eſſe deos: & ita deſinunt eſſe abiecti, ut incipiant eſſe facino-
roſi, uitam non aliter ac lignum incuruum in diuerſum torquentes, quòd ignorent artem
corrigendi. Porrò turpiſsimũ eſt, hoc modo adulationis opinionem effugere, ut citra uti-
litatem moleſtus ſis: atꝗ ita uitare, ne in amicitia uidearis ſeruilis & abiectus, ut inurbana
& ad conſuetudinẽ prorſus inepta familiaritate grauis ſis & iniucundus, cuiuſmodi liber-
tinus inducitur in comœdijs, qui dum criminatur, ex æquo & blandè ſe loqui credit. Quo
niam igitur fœdum eſt, dum placere ſtudes, in adulationem incidere: rurſus fœdum, dum
adulationẽ uitas, immodica reprehendendi libertate, gratiam amicitiæ ſimulꝗ medendi
perdere utilitatem: ſed neutrum eſt cõmittendum, uerùm ut bona ſit libertas, id ex mode
ratione ſumendum, quemadmodũ & alijs in rebus facere oportet, uidetur ipſe ſermo ſuc-
cedens poſcere, ut hanc coronidem addamus libello. Ergo cùm uideamus reprehenden-
di libertati multas peſtes adeſſe, primùm illi detrahamus amorẽ ſui, diligenter obſeruan-
tes, ne noſtrapte cauſa uideamur obiurgare, uel quòd offenſi ſimus, uel quòd doleat ali-
quid. Etenim ſi de teipſo loquaris, uideris non ob beneuolentiam, ſed iracundiam dicere
quæ dicis, nec admonere, ſed accuſare queriꝗ. Nam admonitio libera amicũ quiddam ha
bet, & graue: contrà querimonia, ſui amorẽ, ac ſordidum animum ſapit. Vnde fit, ut libe-
rè increpantes reuereantur ac ſuſpiciant, querulos autem & incuſantes uiciſsim accuſent
contemnantꝗ. Quemadmodũ Agamemnon Achillem mediocri in dicendo utentem li-
bertate non tulit: rurſus cùm Vlyſſes increpat acriter, ac dicit,

Perdite, diſsimiles utinam moderere phalangas,
Non has egregias,

cedit, animoꝗ temperat, emendatorio cordatoꝗ ſermone correptus. Nam hic quidem
quum nullam haberet priuatim iraſcendi cauſam, Græciæ nomine, hac in illum utebatur
libertate: ille uerò ſua ipſius cauſa potiſsimum indignari uidebatur. Quanquam Achilles
ipſe, etiamſi animo parum leni placidoꝗ præditus, ſed

C Difficilis uir, qui haud dubitet culpare uacantem
Culpa. Patroclum tacitus ferebat, multa id genus in ſeſe dicentem:
Non tibi eques genitor fuit immitiſsime Peleus,
Nec Thetis eſt genitrix, glaucum te protulit æquor,
Aëriæ rupes, tibi nam duriſsima mens eſt.

Quemadmodũ enim Hyperides orator iubebat Athenienſes conſiderare non ſolùm an eſſet acerbus, ſed an gratis acerbus: ſic amici admonitio, uacans omni perturbatione propria, reuerentiam habet & ſeueritatem, ut non auſis contrà tollere oculos. Quòd ſi quis in obiurgando præ ſe ferat, amici in ſe delicta ſe planè prætermittere negligereq́;, ſed alia quædam cõmiſſa reprehendere, ob alia quædam obiurgare, nec amico parcere, inexpugnabilis eſt huiuſmodi reprehenſionis uehementia, quippe quæ ſuauitate monentis intendat & acuat acerbitatẽ & auſteritatem admonitionis. Vnde dictũ rectè eſt illud: Cùm iraſcimur aut diſsidemus cum amicis, ſemper aliquid agendum ac ſpectandum eſſe, quod ad illorum pertineat utilitatem, aut honeſtatẽ. Cæterùm non minus amicum eſt & illud, ſi cùm ipſi deſpici negligiq́; uidebimur, ſuper alijs neglectui habitis, amicum admonere, taciteq́; cõmonefacere. Quemadmodũ Plato cùm à Dionyſio faſtidiretur, parumq́; cum illo conueniret, popoſcit congrediendi copiam: ille putans Platonẽ aliquid de ſe queſturum, dedit. Plato uerò in hunc modum cum eo diſſeruit: Si quem ſenſeris inimicum in Siciliam appuliſſe Dionyſi, qui mali quippiam tibi facere uoluerit, cæterùm nõ data opportunitate, nihil mali fecerit, num hunc ſineres abire, citraq́; noxã dimitteres? Multum abeſt, inquit Dionyſius, ut id faciam ô Plato. Oportet enim hoſtiũ non facta ſolùm, ſed animi quoq́; propoſitũ odiſſe, & ulciſci. Ergo ſi quis, inquit Plato, tui amore beneuolentiaq́; huc profectus boni quippiam tibi cupiens adferre, non faciat autem, te non præbente illi opportunitatẽ, num par eſt hunc nulla cum gratia contemptum abijcere? Hic quum Dionyſius interrogaſſet, quiſnam is eſſet: Aeſchines, inquit, uir & moribus cum quouis Socratis amicorũ conferendus, & qui poſsit dicendo meliores reddere, cum quibus habeat conſuetudinẽ. Is quum huc multum emenſus maris adnauigarit, ut per philoſophiam tecum haberet conſuetudinem, neglectus eſt. Hæc Platonis oratio in tantum cõmouit Dionyſium, ut protinus ipſum amplecteretur, beneuolentia hominis animiq́; magnitudine delectatus, Aeſchinem uerò honorificè ſplendideq́; tractaret.

Magnanimis & candida Platonis oratio.

D Iam igitur ſecundò, uelut expurgantes omnẽ contumeliam ac riſum, dicacitatem & ſcurrilitatẽ, ut mala condimenta, ab admonitione tollamus. Quemadmodũ enim medico ſecante carnem, concinnitatem quandam & elegantiã ad id faciendum cõuenit accedere, cæterùm ſaltatoria geſticulatione, ſuperuacuaq́; & curioſa mobilitate carere debet manus ſecantis: ſic admonitio libera dexteritatem admittit & urbanitatem, ſi ſic temperes iucunditatẽ, ut non pereat grauitas ac ſeueritas. Quòd ſi acceſſerit impudens audacia, inamœnitas & contumelia, hæc prorſus uitiant, ac perdunt admonendi libertatem. Vnde cantor ille non inſcitè, nec inelegante ſilentium impoſuit Philippo, de pulſandis fidibus ſibi cõtradicenti, quum diceret: Abſit à te tantum mali ô rex, ut hæc melius me ſcias. At non rectè Epicharmus, qui quum Hieron quoſdã è familiaribus ſuis è medio ſuſtuliſſet, paucisq́; poſt diebus eum uocaſſet ad cœnam: At nuper, inquit, quum immolares amicos, non uocabas. Perperàm & Antiphon, qui quum apud Dionyſium quæreretur ac diſputaretur, quod æris genus eſſet optimum: Illud, inquit, ex quo ſtatuas Harmodij & Ariſtogitonis fecerunt Athenienſes. Nec enim prodeſt in huiuſmodi dictis acerbitas ac mordacitas, nec delectat ſcurrilitas ac iocus, ſed eſt eiuſmodi intemperantiæ petulantiæq́; genus ſimul ex malitia contumeliaq́; & inimicitia cõmixtum: quo qui utuntur, in exitium conijciunt ſeipſos, planè ſaltationem illam ſaltantes, quam circa puteum prouerbio uocant. Nam & Antiphon interfectus eſt à Dionyſio, & Timagenes à Cæſaris excidit amicitia, quum nullam unquã uocem liberam emiſiſſet, ſed paſsim in conuiuijs & inambulationibus ad nullam rem ſeriam,

Sed fore ridiculum quodcunq́; putaſſet Achiuis,

ad criminandum illius amicitiam, ceu conuicium arte excogitatum, obijciebat. Quandoquidem & comici permulta ſolent in ſpectatores ſeuerè ciuiliterq́; dicta fingere, uerùm quoniam illis ludicrum & iocus admixtus eſt, non aliter quàm cibis malum quiddam & inſipidum intritum, elutam reddit & inutilem admonitionem. Itaq; & qui dicunt, mordacitatis & ſcurrilitatis auferunt opinionem: & qui audiunt, ex ijs quæ dicuntur nihil capiunt utilitatis. Aliàs igitur amicis riſus ac iocus erat adhibendus, cæterùm admonitio ſeria ſit & bene morata. Quæ quidem ſi fiat de rebus grauioribus, talis ſit oratio, ut affectu,

habitu,

A habitu, uehementiaq́ꝫ uocis, & fidem mereatur, & audientem permoueat. Porrò opportunitas non obſeruata, cùm omnibus quidem in rebus ingens adfert malum, tum uerò maximè in admonendo detrahit utilitatem. Satis igitur liquet, ab admonitionibus huiuſmodi temperandum inter pocula, & in ebrietate. Primùm quòd ſerenitati nubilum inducat, qui inter iocos & hilaritatẽ amicorũ, ſermonẽ mouet quo cõtrahatur ſuperciliũ, & frons obducatur. Repugnat enim is Lydio deo, moleſtiarũ ac ſolicitudinũ funiculum ſoluenti, uelut inquit Pindarus. Deinde periculum ingens habet huiuſmodi linguæ petulantia, propterea quòd animi uino caleſcentes, procliues ſunt ad iracundiam, ac ſæpenumero fit ut ebrietas occupans admonendi libertatem, ſimultatem gignat. Denique prorſus ignauum eſt, ac minimè generoſum & audax, eum qui ſobrius liberè loqui non audeat, id in menſa facere, quemadmodũ canes faciũt ignaui. Nihil igitur opus eſt de his ſermonẽ in longum producere. Cæterũ quoniã pleriq́ꝫ amicos donec proſperæ res ſunt, nec uolunt, nec audẽt corrigere, ſed omnino felicitatẽ rem eſſe putãt, ad quã admonitio nõ poſsit adire, nec pertingere, eoſdẽ lapſos ac deiectos inuadũt & calcãt, humiles iam & abiectos redditos, totã ſimul obiurgandi libertatem effundentes in illos, non aliter quàm flumen quod præter naturam uicit, occaſione mutatæ fortunæ libenter utentes ob priſtinam illorum ſuperbiam ac faſtum, ſuamq́ꝫ imbecillitatem, non inutilè fuerit de his iam diſſerere, & Euripidi reſpondere, qui dixit:

Inter pocula nõ eſt admonitioni locus.

Quid opus amicis, quando res ſunt proſperæ?

Quoniam quibus res ſecundæ ſunt, iĳs maximè amicis opus eſt, qui liberè admoneant, & immodicum animi faſtum ſubducant. Perpauci ſunt enim, quibus contigit ſimul & felices eſſe, & ſapere. At pleriq́ꝫ mortales opus habent aliena prudentia, conſilioq́ꝫ aliunde accedente, quod illos à fortuna inflatos iactatosq́ꝫ premat. Nam ubi fortuna faſtum ac tumorẽ deiecerit ac ſuſtulerit, tum rebus ipſis ineſt q́d admoneat, ac pœnitudinẽ inducat. Vnde nullus tum uſus amici liberè monentis, nec opus eſt uerbis grauibus ac mordacibus, ſed reuera in huiuſmodi fortunæ commutationibus,

Vultum intueri beneuoli uiri iuuat,

qui conſoletur & addat animum: quemadmodũ Clearchi uultus, quum in prœliĳs ac rebus
B afflictis, beneuolus & humanus cõſpiceretur, fiduciam addebat periclitantibus, ut inquit Xenophon. At qui liberam & mordacem obiurgationem admouet homini rebus aduerſis afflicto, ceu pharmacum quo ſolet acui uiſus, oculo perturbato inflãmatoq́ꝫ, nihil quidem confert ad ſanitatem, nec ullam aufert doloris partem, quin magis iram addit dolori, & afflictum exacerbat. Proinde mox ubi reddita eſt ſanitas, nullus admodũ indignè fert, aut aſperè, uirum amicum reprehendentem Veneris uſum, & compotationes: reprehendentem inertiam, aut exercitia, aut aſsidua balnea, & intempeſtiuas ingurgitationes: ægrotanti uerò intolerabile eſt, ſed grauius eſt ipſo morbo audire, Hæc tibi ex intemperantia uenerunt, ex mollitie, ex obſoniĳs, ex mulieribus. O hominem intempeſtiuũ, ſcribo teſtamentum & paratur mihi caſtorium aut ſcammoniũ à medicis, & tu me obiurgas ac philoſopharis. Sic igitur etiam res afflictorum haud recipiunt obiurgandi libertatẽ, aut ſententiæ dictionem, ſed humanitatẽ & ſubſidium deſiderant. Siquidem & nutrices ad pueros lapſos haud accurrunt cum conuiciĳs, ſed erigunt, abluunt, & componunt, deinde obiurgant ac puniunt. Narratur & Demetrius Phalereus, cùm exularet, & Thebis inglorius & humilis uiueret, Cratetem adeuntem haud libenter uidiſſe, quòd Cynicam libertatem, & ſermonem aſperum expectaret ab illo. Verùm ubi Crates illum placidè conueniſſet, deq́ꝫ exilio diſſeruiſſet, quòd nihil haberet miſerum, neq́ꝫ grauiter ferendum, quum eſſet à periculoſis negociĳs et incertis liberatus, ſimulq́ꝫ adhortaretur, ut in ſeipſo, ſuoq́ꝫ animo fiduciam collocaret: exhilaratus ille, receptoq́ꝫ animo, ad amicos inquit: Male ſit negociĳs & occupationibus, per quas huiuſmodi uirum non licuit cognoſcere:

Etenim dolenti grata amici oratio eſt, At monita ſanè deſipiſcenti nimis. Atq́ꝫ hic mos eſt ingenuorum amicorum: contrà uiles & humiles, felicibus adulantes, quemadmodum Demoſthenes dixit rupturas & uulſuras, quoties corpori mali quippiam inciderit, tum moueri: ſic hi rebus in diuerſum commutatis imminent, ueluti gaudentes ac fruentes. Nam ſi qua ſubmonitiuncula ſit opus in his, in quibus per ſe lapſus ſit, re male perpenſa, ſatis fuerit illud:

Haud ex mente mea, nam ſæpius iſta monebam.

Quibus igitur in rebus oportet amicum acrem eſſe? & quando cõueniet acerba uti reprehenſione? Quoties tempus hortatur, ut uoluptate, aut ira, aut ferocitate præcipitem coër-

C ceas, aut ut auaritiam cohibeas, aut ut aduerſus ſtultum aliquem animi motum reluctẽ-
ris. Sic liberè locutus eſt Solon apud Crœſum, inſtabili felicitate corruptũ ac tumidum,
iubens ſpectare finem. Sic Socrates compeſcuit Alcibiadẽ, ac ueras expreſsit lachrymas,
cùm illum coargueret, & cor illi funditus moueret. Huiuſmodi Cyri dicta ad Cyaxaren,
& ad Dionem Platonis, quẽ hic quũ eſſet florentiſsimus, & ob pulchritudinẽ rerũ geſta-
rum ac magnitudinẽ, omnium in ſe uertiſſet animos, admonuit, caueret ac metueret con-
Contumaciæ comes ſolitudo.
tumaciam, ut cuius comes eſſet ſolitudo. Scripſit eidem Speuſippus, ne ſuperbiret quòd
magni fieret inter pueros & mulierculas: ſed uideret ut Siciliã ęquitate, iuſtitia, optimiſq;
legibus ſic ornaret, ut eam celebrem redderet Academiã. Rurſum Euctus & Eulæus ami
ci Perſæ, donec ſecũdæ res fuerunt, ſemper illi quemadmodũ & cæteri blandiebant̃, aſſen
tabantur, & obſecundabant: cæterùm ubi cum Romanis congreſſus apud Pydnam, con-
cidit ac fugit, tum acriter inſectantes illũ obiurgabant acerbè, & cõmemorabant quę pec
caſſet, & ut quenq; faſtidiſſet exprobrantes, donec homo dolore pariter & ira uictus, am-
bos gladio peremit. At cõmunis quidẽ admonendi opportunitas, ad hunc modum per-
pendi poteſt. Iam uerò quas ipſi ſæpenumero miniſtrant amici, eas nõ oportet reijcere cui
curæ ſit amicus, ſed arripere atq; uti. Nonnullis enim percontatio uel narratio quæpiam,
uel ſimilium rerum in alijs reprehenſio ſeu laus, uelut anſam prębuit liberè monendi: quo
modo narrant Demaratũ Corintho ueniſſe in Macedoniã id temporis, quo cum uxore fi-
lioq; diſsidium Philippus habebat. Hunc igitur cùm rex eſſet complexus, rogaſſetq; quo-
modo inter ſeſe concordarent Græci, reſpondiſſe ferunt Demaratum, ut beneuolum ac fa
miliarem Philippo: Planè Philippe, pulchrè decet te de Athenienſium Peloponeſio-
rumq; concordia percontari, quum tuam ipſius domum negligas, tanta ſeditione, tantoq;
diſsidio refertam. Scitè & Diogenes, qui cùm in Philippi caſtra ueniſſet eo tempore, quo
parabat cum Græcis confligere, adductus eſt ad regem. Is cùm eum non noſſet, rogabat
num explorator eſſet: Prorſus, inquit, Philippe, explorator temeritatis & amentiæ tuæ,
per quam nulla adductus neceſsitate huc ueneris, una hora de regno ſimul & de uita peri
culum ſubiturus, aleamq; iacturus. Quanq; id quidem acrius uideri poteſt. Sed eſt & alte
ra admonẽdi occaſio, quoties fit ut ab alijs affecti probris, ſua uitia exprobrantibus, ſub-
D miſsi redditi fuerint & humiles. Hac ſcitè uti poterit homo urbanus & comis, maledicos
quidem refellens ac ſubmouens, cæterũ ſeorſim amicum taxans & cõmonefaciens, etiam
ſi nihil eſſet aliud, tamen uel ob ipſum cauendũ eſſe ſibi, ne tantùm audeant inimici. Quid
enim eſt in quo poſsint os aperire, aut quid habent quod in te dicant, ſi iſta quæ tibi obij-
ciunt, mutaris & abieceris? Fit enim ad eum modũ, ut moleſtia imputetur cõuicianti, utili
tas admonẽti. Nõnulli uerò uenuſtius etiã de alijs uerba faciendo corripiunt amicũ, dum
Ammonius Plutarchi præceptor.
in his culpant alios, quæ ſciunt ab illo cõmitti. Noſter autẽ magiſter & inſtitutor Ammo-
nius, quũ in pomeridiana confabulatione familiariũ ſenſiſſet quoſdam pranſos eſſe pran-
dium haud ſimplex, ſed opiparũ & uarium, liberto mandauit ut ſuo filio plagas impinge-
ret, addens elogium: Non poteſt, inquit, prãdere abſq; aceto: ſimulq; in nos flexit oculos,
ut increpatio tangeret obnoxios. Inſuper cauẽdum erit & illud, ne coram pluribus obiur
gemus amicum, ac Platonis illud habere conueniet in animo. Nam cùm Socrates acrius
obiurgaret familiarẽ quempiã in conuiuio cum eo diſceptans, nónne ſatius fuerat, inquit
Plato, hæc illi ſeorſum dixiſſe? Et Socrates: At tu ſanè nónne ſatius feciſſes, ſi ſeorſim iſta
mihi dixiſſes? Porrò cùm Pythagoras in familiarem quempiam aſperius coram pluribus
fuiſſet inuectus, adoleſcentem laqueo præfocaſſe guttur aiunt, ex eo tempore nunquam
Pythagoram quenq; alio præſente reprehendiſſe. Siquidem ut morbi parum honeſti, ſic
& peccati reprehenſionẽ ac retectionem, ſecretam eſſe conuenit, non ut ceu ludi ſolennes
uniuerſo populo exhibeatur, nec ut oſtentetur, & ſpectatores ac teſtes accerſat. Neque
enim amicum eſt, ſed ſophiſticum, ex alienis erratis ſibi parare gloriam, & apud eos qui
adſunt ſeſe iactare, quemadmodũ ſolent medici quos chirurgos uocant, in theatris artem
exercentes ac oſtentantes, quò ipſorũ opera conducatur, & ampliorẽ quæſtũ faciant. Iam
uerò præter contumeliã, quam ab omni prorſus curatione cõuenit abeſſe, cauendũ erit &
illud, ne quod eſt uitioſum, in admonendo contentioſi ſimus & contumaces. Nec enim
ſimpliciter amor obiurgatus magis premit, iuxta ſententiã Euripidis, uerũ ita, ſi quis ob-
iurget coram multis, nihil parcens amico, is omne malum & omnẽ morbũ uertit ad impu
dentiam. Sicut igitur Plato cenſet, ut ſenes qui ſtudeant uerecundiã inſerere adoleſcenti-
bus, ipſi primũ reuereant̃ adoleſcentes: ita quũ uerecundè reprehendit amicus, id potiſsi-
mum gignit in eo uerecundiã: quũq; pudenter ac paulatim aggredit̃, & caſtigat peccantẽ,

ſuperat

A ſuperat ac conficit amici uitium, quem totum occupauit pudor pudeſcentis, & reuerentia reuerentis. Vnde rectiſsimum fuerit illud Homericum:

Admoto capite, ne quiſquam exaudiat alter.

Minimeq́ decet ut aperias delicta uel mariti, audiente uxore, uel patris ſub oculis liberorum, uel amantis præſente amaſio, uel præceptorum coram diſcipulis. Exagitantur enim dolore & iracundia, quum arguuntur apud eos, quibus probari cupiunt. Arbitror autem nec in Clitum perinde concitatum Alexandrum fuiſſe uino, ut quod illum multis præſentibus coerceret. Et Ariſtomenes inſtitutor Ptolemæi, quod dormitanti præſentibus legatis inſtiterit, & expergefecerit, anſam quandam præbuit adulatoribus, regis uicem indignari ſeſe ſimulantibus, ſi tantis laboribus ac uigilijs feſſum, ſomnus occupauit: ſeorſim, inquiunt, admonere te debemus, non coram tam multis uiris manum inijcere. At ille ueneni miſſo poculo, iuſsit hominem ebibere. Ariſtophanes autem ait in hoc ſe criminari Cleonem, quod *Periculoſa principum quæ palàm ſit correctio.*

De ciuitate apud hoſpites dicat male,
Atq́ hac re irritet Athenienſium animos.

Quapropter inter alia cauendum & illud in primis, ne libertatē admonendi iactemus, ac uulgò circunferamus, ſed ad iuuandū ac ſanandum amicū ea duntaxat utamur. Et ſanè quod Thucydides Corinthios de ſeipſis loquentes fecit idoneos eſſe ſe qui reprehendant alios, haud male dictum eſt, & id habere conuenit eos, qui liberè uelint obiurgare amicum. Lyſander autem in Megarenſem quendam inter belli ſocios liberè loquentem pro Græcia, ait illius dictis opus eſſe ciuitate. Sed ad hoc ut quiſquam omnino liberè loquatur, moribus fortaſsis opus eſt integris: atq́ id ueriſsimè dicetur de ijs qui alios admonent & caſtigant. Plato itaq́ dicere ſolebat, per uitam ipſam admonere Speuſippum: quemadmodum uidelicet & Polemonem Xenocrates conſpectus, tantùm in diſputatione & intuitus, uertit, & in alium mutauit hominē. Cæterùm ubi leuis quiſpiam, & improbis moribus homo dictis obiurgat & caſtigat, prius illud audire debet:

Mederis alijs ipſus hulceribus ſcatens. Sed tamen quoniam ſæpenumero res ipſæ B nos inuitant, ut licet ipſi parum boni, cum alijs ſimilibus habentes conſuetudinem eos increpemus, dexterrimus obiurgandi modus fuerit, ſi qui obiurgat, ſe modis omnibus admiſceat culpæ. Quo modo dictum eſt illud apud Homerum:

Tydide, quidnam accidit, ut nos martia uirtus
Fugerit oblitos? Item illud:
At nunc nihili ſumus Hector.

Ad eundem modum Socrates tacitè redarguebat adoleſcentes, perinde quaſi & ipſe teneretur ignorantia, & opus haberet unà cum illis uirtutem amplecti, uerumq́ diſquirere. Siquidem & beneuolentes uidentur, & fides habetur ijs qui uidentur ijſdem quidem obnoxij uitijs, amicos autem nō aliter quàm ſeipſos corrigere. Cæterùm qui corripiens alterum, ſeipſum iactat, perinde quaſi liber & immunis à uitijs omnibus, niſi ſit ætate multò prouectior, aut niſi ſit eiuſmodi, ut omnes illi uirtutis dignitatem ac laudem tribuant, grauis ac moleſtus uidebitur, neq́ quicquam proderit amico. Vnde non ſimpliciter Phœnix de ſuis infortunijs mentionem iniecit, quod quum per iracundiam patrem interficere ſtatuiſſet, mox pœnituerit,

Occiſor patris ne dicerer inter Achiuos.

ne ſic uideretur illum admonere, quaſi ipſe nihil ira commoueretur, aut peccaret. Talia ſiquidem magis penetrant in affectus, magiſq́ cedunt homines ijs qui comunibus tanguntur affectibus, quàm qui deſpicere uidentur. Quoniam uerò neq́ lumen admouendum eſt oculo inflato, nec animus ægrotus admittit libertatem & admonitionē indilutam, utiliſsimum remedium fuerit, laus leniter admixta obiurgationi, uelut in his: *Laus obiurgationi admiſcenda.*

Vobis haud adeò curæ eſt iam bellica uirtus,
Quamuis in caſtris non ſit præſtantior ullus.
Sanè ego nec pugnem cum illo, qui prælia tentet,
Cùm ſit iners, uerùm uobis ſuccenſeo corde. Item in hoc:
Pandare ubi arcus, ubi illa uolucria tela, decuſq́
Quo tecum haud alius caſtris contenderit hiſce? Quin & huiuſmodi

tacita quadam ſignificatione uehementer reuocant aberrantes:

Oedipus ubi ille, ubi clara ſunt ænigmata? Item:
Tam multa paſſus iſta dicit Hercules.

C Non enim ſolùm lenit ac remittit reprehenſionis aſperitatem, & adhortationis, uerumetiam gignit in homine æmulationē quandam erga ſeipſum, ut ſecum ipſe certet, dum honeſtè factorum cōmemoratione turpium pudeſcit, & ob id ſe meliorum exemplum præſtare ſtudet. Nam cùm alios, puta uel æquales, uel ciues, uel cognatos cum eo cōferimus, moleſtè fert, & irritatur improba ambitio, neque raro ſolet illud cum ira ſubmurmurare: Quin tu igitur abis hinc ad me meliores, & mihi negocium faceſſere deſinis? Proinde cauendum erit, ne apud eos quos liberè corripimus, laudemus alios, niſi ſanè fuerint parentes, quemadmodum apud Homerum facit Agamemnon:

Natum haud ualde patri ſimilem genuit ſibi Tydeus.

Et Vlyſſes in Tragœdia, cui titulus, Domini:

Tu ſplendidum natalium obſcurans decus,
Lanam trahis, patre natus Argiuûm optimo?

Cęterùm illud haudquaquā fieri conuenit, ut qui admonetur, uiciſsim admoneat, & libertatem opponat libertati. Siquidem ea res protinus incendit animos, ac diſsidium parit. Et omnino uidebitur ita cōmoueri, non quòd libertatem libertate penſare ſtudeat, ſed quòd liberam admonitionē non ferat. Satius eſt igitur amicum admonere uolentem ferre. Etenim ſi eueniat ut ipſe poſtea peccet, & correptione ſit opus, tum hæc ipſa res libertati quodammodo tribuit libertatem. Submonitus enim citra refricationem iniuriarum, ne ipſum quidem amicos delinquentes ſolere negligere, ſed arguere & caſtigare, nimirum magis admittet, accipietq; correptionem, ut qua beneuolentia referatur & officium, non accuſatio aut ira. Ad hæc, hunc quidem ad modū ſcripſit Thucydides: Quiſquis aduerſus ſummates uiros inuidiam ſuſcipit, is rectè conſulit. Cæterùm amici munus eſt, amicorum offenſam quæ ex admonitione naſcatur, in magnis plurimumq; momenti habentibus rebus in ſe recipere. Nam ſi in quibuslibet, & ad quælibet moleſtus ſit & offendat, nec amicè, ſed imperioſe more pędagogorū familiares inceſſat, hic quum in maximis negocijs admonebit, hebes erit & inefficax, haud ſecus atq; medicus acri quidem & amaro pharmaco, neceſſario tamen & ſumptuoſo, in uulgaria leuiaq;, minusq; neceſſaria, admonendi li-

D bertate abuſus. Igitur ipſe quidem cauebit, ne aſsiduè reprehendat, & obiurgandi cupidus eſſe uideatur. Porrò quoties alius quibuslibet in rebus erit moroſior, & quiduis calumniabitur, tum ipſe uelut anſam habebit, cum de maioribus erratis admonendi. Nam medicus Philotimus, quum quidam hepar habens ſuppuratum, digitum oſtendiſſet exulceratum: Non eſt, inquit, ô bone tibi negociū de unguium uitio. Itidem occaſione data licebit & amico dicere, ad eum qui leuiculis de rebus, & nullius momenti incuſat: De luſibus, compotationibus, ac nugis loquimur. Sed heus tu, iſte potius ableget amicam, aut deſinat alea ludere: ac cæteris quidem in rebus uir nobis eſt admirandus. Etenim cui leuibus in rebus conceditur uenia, is in maioribus haud grauatim permittit amico liberè loqui. Rurſum qui ſemper inſtat, in quouis negocio acerbus & inſuauis, omnia cognoſcēs, omniū curioſus, is adeò nec liberis eſt tolerandus, nec fratribus, ut ne à ſeruis quidem ferri poſsit. Iam uerò quoniam ut ſenectæ non omnia adſunt mala, ueluti dixit Euripides, ita nec amicorū improbitati. Oportet amicos obſeruare, non ſolùm quum delinquunt, uerumetiam quum rectè faciunt. At primùm quidem candidè conueniet illos laudare: deinde ueluti ferrum ſolidatur refrigeratione, ac duritiem accipit, prius calore ſolutum, ac molle redditum: ſic amicis ſolutis & calefactis collaudatione, libertatem admonendi ceu tincturam paulatim addere. Dabitur enim occaſio, ut dicere poſsis: Num illa cum his conferenda ſunt? uides'ne cuiuſmodi fructus reddit honeſtas? hæc abs te requirimus amici: hæc tua ſunt, teq; digna: ad hæc natus es, illa uerò reijcienda ſunt,

Moderata ſit amici libertas in corripiendo.

Vel maris undoſi in fluctus, uel in auia montis.

Nam ſicuti bonus medicus magis cupiet ſomno, ſeu cibo, morbū ægroti depellere, quàm caſtorio, aut ſcammonio: ſic & æquus amicus & bonus pater ac præceptor, laude potius quàm reprehenſione gaudet uti ad emendandos ſuorum mores. Quandoquidē non alia res præſtat, ut liberè admonens & offendas minimè, & ſanes maximè, quàm ſi temperans ab iracundia, modeſtè & cum beneuolentia delinquentē aggrediaris. Vnde nec inficiantes oportet acerbius coarguere, nec obſiſtere purgantibus ſeſe, quin magis honeſtas occaſiones undecunq; ſubminiſtrare, & à peioribus abſtinere cauſis, atq; ad hunc modum amico concedere, ut leuius peccaſſe uideatur. Quemadmodum Hector in fratrem Paridem:

Non ira iſta tibi in pectus deſcendit honeſtè.

Ceu

A Ceu quód in congreſſu aduerſus Menelaũ ceſſerat, non fuga fuerit, aut timiditas, ſed iracundia. Item Neſtor ad Agamemnonem:

Tu porrò tuo iam pectore celſo
Ceſsiſti.

Ciuilius enim arbitror ſi quis dicat, ignoraſti, quàm ſi dicat, iniuriam feciſti, &, non attendiſti, dictu mollius eſt, quàm, turpiter egiſti. Rurſum, ne contendas cum fratre, moderatius ſit, quàm ſi dicat, ne inuideas fratri. Item, fuge mulierem te corrumpentem, urbanius, quàm ſi dicas, deſine mulierem corrumpere. Nam hunc deſiderat modum admonitio, qua mederi uelis amico. Cæterùm in actione negociorum diuerſa ratione utendum eſt. Quoties enim inciderit, ut amicus alioqui peccaturus, ſit coërcendus, aut in impetum quempiam animo propenſus, qui tranſuerſum rapiat, aut quoties ad res honeſtas mollem & ſegnem incitare & inflammare conabimur, ibi cõueniet rem ad cauſas fœdas & indecoras referre. Sicut Vlyſſes apud Sophoclem, Achillem extimulans, non ait illum cœnæ gratia ſuccenſere: ſed, Iam, inquit, Troiæ ſedilia aſpiciens metuis. Ad hæc quum rurſus indignaretur Achilles, ſeꝗ abnauigaturum diceret:

Scio quid fugis, non ne quid audias male,
Sed inſtat Hector, hinc manere haud expedit.

Ad hunc igitur modum, eum qui ſit animoſus ac fortis, timiditatis opinione territantes, incitant ad honeſta, & abducunt à turpibus: ſobrium & temperantẽ, opinione intemperantię: liberalem & magnificum, opinione ſordium & auaritiæ: moderatiores ac leniores in his, quibus mederi non poſſunt, moleſtiæ modum expendentes, ut in admonendo magis amici uicem dolere, quàm reprehendere uideantur: contrà in cohibendis peccatis acriter aduerſus amici cupiditates repugnantes, hîc implacabiles & aſsidui. Nam id tempus pertinacem beneuolentiam, & animum uerè liberũ requirit. At reprehenſione factorum uidemus & inimicos inter ſe uti. Quemadmodum dixit Diogenes, ad ſalutem opus eſſe uel bonis amicis, uel acribus inimicis, propterea quòd illi docent, hi redarguunt. Verùm præſtat ut amicorum conſilijs parens caueas ne pecces, quàm ſi ob inimicorum conuicia pœniteat admiſsi. Quapropter etiã utendum erit arte in amicis corripiendis, quan-
B doquidem hæc res maximum & efficacisſimum eſt remediũ, maximeꝗ deſiderans & opportunitatem & modum. At quoniam, ſicuti dictum eſt, ſæpenumero curanti moleſta eſt huiuſmodi libertas, medicos imitari conueniet. Neꝗ enim hi quum ſecant, partem afflictam in cruciatu moleſtiaꝗ deſtituunt, ſed placidè rigant ac fouent: neꝗ qui admonent ciuiliter amicum, aufugiunt poſteaꝗ amara mordaciaꝗ admouerint, ſed alijs colloquijs & comitate uerborum deliniũt ac exhilarant: quemadmodũ & fabri lapidarij, uulnus ac cicatricẽ quam ictu celtis infixerunt in ſtatuis, rurſum poliendo leuigant, ac nitidũ reddunt. Cæterùm qui reprehenſione uulneratus ac perfoſſus, deinde ira perturbatus ac tumens, turbatuſꝗ dimittitur, hunc poſtea difficilè reuoces, aut cõſoleris. Hoc igitur in primis cauendum eſt ijs qui amicum obiurgant, ne poſt obiurgationem eum deſtituant, ne'ue committant ut ita contriſtent & irritent familiares, ut ea res finiat conſuetudinem, ac familiaritatem.

Plutarchi, quo pacto quis efficiat ut ex inimicis capiat utilitatem.

ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

VIDEO quidem te Corneli Pulcher, placidiſsimum uitę genus, & à reipublicæ negocijs ſemotum tibi delegiſſe, in quo tamen ita maximam adfers utilitatem reipublicæ, dum omnibus qui te adeunt, quiꝗ tecum agunt conſuetudinẽ, teipſum & comem & iucundum præbes. Verùm quandoquidem ita res habet, ut regionẽ quidem liceat inuenire, quæ feris ac noxijs careat beluis, quemadmodũ ferunt de Creta: nulla ſit autem adhuc reperta reſpublica, quæ non aluerit intra ſe inuidiam, æmulationem, cõtentionem, quibus ex affectibus inimicitia potiſsimum naſci conſueuit: imò ut nihil aliud ſit, ipſæ nos amicitiæ inimicitijs inuoluunt: quod quidem quum intelligeret Chilon ille ſapiens, quendam dicentem ſibi nullum eſſe inimicũ, interrogauit, an nullum etiã haberet amicũ: Videntur mihi partes uiri ciuilis, & in adminiſtranda republica

C uerſantis,ut inter alias curas inimicorum etiam habeat rationem,atq; illud animaduertat
haud fruſtra dictum à Xenophonte, cordati prudentiſq; uiri eſſe, etiam ex inimicis utili-
tatem capere.Proinde quæ nuper hiſce de rebus diſſerenti mihi ueniebant in mentem,ea
collegi,totidemq; uerbis ad te ſcripta miſi,cauens quàm potui maximè, ne quid eorũ at-
tingerem,quæ prius in ciuilibus præceptis à me cõſcripta fuerant: quandoquidẽ & eum
libellum uideo tibi frequenter in manibus eſſe.

Priſcis illis mortalibus ſatis erat,ſi non læderent̃ à diuerſi generis animantibus: & hac
modò fini cum noxijs beſtijs depugnabant. At poſteriores ratione deprehenſa qua feris
uterentur,non ſolùm ab illis non offenduntur,uerumetiam utilitatem capiunt, dum car-
nibus illarum aluntur,pilis ueſtiuntur,fel & coagulum ad morborum adhibent remedia,
deniq; dum ſe pellibus armant & muniunt,ut periculum iam ſit,ne ſi feræ deficiant homi
ni,ferina iam,ſylueſtris & inops eius uita futura ſit. Itaq; quoniã cæteris quidem ſatis eſt,
ſi nihil accipiant ab inimicis mali,hos uerò qui ſapiunt, Xenophon ait etiam utilitatẽ ex
aduerſarijs capere,non eſt abroganda fides tanto autori, quin potius uiam ac rationem
oportet inquirere,qua commoditatem hanc conſequi poſsint,quibus abſq; ſimultatibus
uiuere non licet.Non poteſt agricola efficere,ut omnis arbor exuat ſylueſtrem naturam:
neq; uenator omnem feram poteſt cicurem reddere, ac manſuetã. Itaq; ratio quæſita eſt,
ut ad alios nihilominus uſus,illi quidem arbores infrugiferæ, huic autem immites beſtiæ
cõmoditatem adferrent.Aqua marina potui quidem inutilis eſt, & inſuauis,uerũ alit pi-
ſces,commodè tranſmittit quocũq; uelis proficiſci,importandis exportandiſq; rebus ſer
uit.At uerò Satyrus, quum primùm ignem uidiſſet, eumq; complecti uellet,& oſculari:
Prometheus,Heus,inquit,niſi caues hirce,profectò dolebit tibi mentũ:urit enim,ſi quis
Artiũ omnium attingat:non ualet in iſtum uſum,ſed lucem & calorem miniſtrat, tum artium omniũ in-
inſtrumentum, ſtrumentum eſt,ſi quis uti nouerit. Videndum eſt igitur,num & hoſtis alioqui noxius &
ignis. inacceſſus,alia quacunq; uia contingi poſsit,ac peculiarem aliquem uſum ſui præbeat,&
commoditatis nonnihil adſerre ualeat. Nam complures res ſunt inuiſæ,graueſq; quibus
incidunt,ex quibus tamen uſus aliquis excerpitur. Vides enim nonnullos morbo corpo
ris ad occaſionem ocij fuiſſe uſos,item labores caſu obiectos multorũ ualetudinem exer-
D citatione reddidiſſe firmiorem.Ad hæc fuere nonnulli, quibus exilium & pecuniarum ia
ctura uiaticũ extiterit ad ſtudium ac philoſophiam,ueluti Diogeni & Crateti. Nam Ze-
non ubi nauigiũ ſuum fractũ audiſſet: Bene facis, inquit, fortuna, quum ad pallium nos
compellis.Quemadmodum enim animantia quæ plurimũ ſtomacho ualent,quæq; cor-
poribus ſunt ſaluberrimis, etiamſi ſerpentes ac ſcorpios edant,concoquunt:ſunt autem
quæ ſaxis etiam ac teſtis alantur,& has propter ſpirituum uehementiam caloremq; in ali
mentum uertentia,quum interim graciles iſti ac ualetudinarij panem etiam ac uinum ap
poſitum faſtidiant:ita ſtulti corrumpunt ac perdunt etiam amicitias: contrà qui ſapiunt,
etiam ſimultatibus cõmodè norunt uti.Primum igitur quod eſt in ſimultate maximè no-
xium,id mihi uidetur ſummam utilitatem allaturum,ſi quis animũ aduerterit. Quidnam
iſtud eſt,inquis? Nempe inimicus ſemper aduigilãs obſeruat quid agas, & anſam captãs
calumniæ,luſtrat ac circunſpicit undiq; uitam tuam, non tantùm quercus, teſtas,ac ſaxa
oculorum acie penetrans,ſicuti narrant de Lynceo, uerumetiã amicum, famulũ, & quiſ-
quis tecum habet conſuetudinẽ,ut quoad poteſt deprehendat quid agas,perfodiens ac
ſcrutans tua conſilia: quum interim amici,cunctatione negligentiaq; noſtra ſępenumero
nobis inſcijs & ægrotent,& moriantur. Inimicorum uerò propémodum & ſomnia curio
ſe obſeruamus.Iam uerò morbi,æs alienum, diſsidia cum uxoribus, citius eos ipſos quo-
rum ſunt fugerint,quàm inimicum: quanq; ante omnia peccatis imminet,hæc in primis
ueſtigat:nec ſecus ac uultures ad putrium corporũ odorem rapiũtur,ſyncera ſanaq; non
ſentiunt:ita ſi quid morbidum eſt in uita,ſi quid uitioſum,ſi quid affectum, id demum ex
citat ac mouet inimicum,ad hæc aſsilit quiſquis odit,hæc cõtrectat uellicatq;. An non eſt
igit̃ conducibile, ad hoc cogi te,ut per omnia cautim & attentè uiuas,& neq; facias quic-
quam,neq; dicas oſcitanter & incircumſpectè, ſed ſemper eorũ more,qui ſuſpicione mor
bi,diligenti exactaq; uitæ moderatione cauent ne quid offendant ualetudinem,inculpa-
tos uſq; mores & irreprehenſos conſerues? Siquidem eiuſmodi cautio, dum & animi co-
hibet cupiditates,& cogitationem cogit aduocatq;, gignit in nobis ſtudium ac propoſi-
tum integrè & inculpatè uiuendi. Etenim quemadmodum hæ ciuitates, quas finitimus
hoſtis & continens bellum,ſobrietatem uigilantiamq; docuit,& leges obſeruant diligen
tius,& rectius adminiſtrant rempublicam:ita quos huc inimicitia compellit, ut in uita ſo

A brij ſint ac uigilantes, ut uitent ſocordiam, ut omnia citra neglectum illius & comiter a-
gant, paulatim nec ſententies ducuntur in conſuetudinē non peccandi, moresq́; compo-
nendi, ſi modò uel paulùm adiuuerit ratio. Nam quibus illud quod eſt apud Homerum,

Gaudeat hinc Priamus, ſimul & Priameia proles,

ſemper in promptu eſt, eos nimirum auocat, arcet, & abducit ab his, quæ ſunt inimicis uo
luptatem ac riſum allatura. Quinetiam Dionyſiacos quos uocant artifices, hoc eſt, canto-
res, uidemus ſæpenumero remiſſos, ſupinos, minimeq́; accuratè certantes in theatro, quo
ties ſoli canunt. Quòd ſi contentio inciderit, ac certamen cum alijs, tum uerò nō ſolùm ip-
ſi magis intendūt animum, uerumetiam organa ſua diligentius apparant, fides deligunt,
easq́; concinnant accuratius, explorato ſæpius concentu. Ita quiſquis intelligit habere ſe
uitæ famæq́; æmulum, attentius ſibi cauet, facta ſua circūſpicit, uitam omnem componit.
Quandoquidē & hoc habet peculiare malitia, ut in peccando magis uereantur inimicos
quàm amicos. Proinde Naſica, cùm quidam exiſtimarent res Romanas iam in tuto eſſe,
nimirum Carthaginenſibus extinctis, Græcis in ſeruitutē ſubactis: Imò nunc, inquit, ſum
mo in periculo ſumus, poſteaq́; nulli ſuperſunt, quos uel timeamus, uel reuereamur. Acci
pe nunc & Diogenis reſponſum urbanum in primis ac philoſopho dignum. Cuidam in-
terroganti quo pacto poſſet inimicum ulciſci: Si teipſum, inquit, honeſtum ac bonum ui- *Inimici ulciſcendi ratio.*
rum præſtiteris. Cùm bellos equos, ac laudatos inimicorū canes conſpexerint, moleſtè fe
runt. Rurſus ſi fundum uiderint exultum, ſi hortum amœnum ac floridum, ingemiſcūt.
Quid igitur futurum putas, ſi teipſum oſtenderis uirum iuſtum, cordatum, probum, ac fru
gi, admirandum in dicendo, in rebus gerendis ſyncerum & incorruptum, in temperantia
uictus ſobrium ac moderatum,

Alto fruentem pectoris ſulco probi,
Conſilia de quo germinant pulcherrima?

Qui uincuntur, ut inquit Pindarus, uinctam habent linguam, ut non audeant hiſcere. Ve
rùm id nō competit ſimpliciter in quemuis, qui quacunq́; ratione uincitur: ſed in eos dun
taxat, qui ſe ſuperari conſpiciunt ab inimicis, diligentia, probitate, animi magnitudine,
humanitate, beneficentia. Hæc linguam detorquent, ut inquit Demoſthenes, hæc os ob-
B turant & obſepiunt, hæc præfocant guttur, hæc ſilentium indicunt, hæc faciunt, ut, quod
ait Pindarus, non auſis hiſcere.

Proinde tu conare, quandoquidem potes,
Vti malis appareas præſtantior.

Itaq́; ſi diſcruciare cupis inimicum, ne id hac uia facere uelis, ut eum per contumeliam ap-
pelles cinædum, aut intemperantē, aut ſcurram, aut parcum, aut ſordidum & impurum:
ſed ipſe magis da operam ut uir ſis, da operam ut ſis temperatus & continens, ut uerax, ut
humaniter & æquè tractes eos qui tecum habent conſuetudinē atq́; cōmercium. Quòd ſi
contigerit ut ad conuicia quoq́; proceſſeris, uideto ut quamlongiſsimè abſis ab his pro-
bris, quæ iacis in alterū. Fac deſcendas in tuum ipſius pectus, luſtra tuum ipſius ſinum, ac
diligenter circunſpice, num qua ſint illic carioſa, uitioq́; obnoxia, ne fortè ſit unde tibi ma
ledicus aliquis tacitè ſecum conuicium illud ſumptum è Tragœdia poſsit obijcere,

Medetur alijs ipſus hulceribus ſcatens.

Verùm ſi te dixerit ineruditum, tu fac in teipſo ſtudium intendas, & acuas induſtriam: ſi *Vtilitas quæ ex*
ignauum, fortitudinem, animiq́; preſentiam excites: ſi incontinentē ac libidinoſum, uolu *alieno conuicio*
ptatis ſtudium ex animo profliga, ſi quod huiuſmodi inſcio te ueſtigium inhæret. Nihil *capienda.*
enim turpius conuicio, quod in autorem recidit, ac ne grauius quidem aut acerbius quic-
quam. Etenim quemadmodum luminis repercuſſus uehementius offendit infirmos ocu-
los, ita magis dolent maledicta, quæ ueritas in ipſos unde profecta ſunt retorſerit. Siqui-
dem ut Cæcias ad ſe nubes uocat, teſte prouerbio, ſic mala uita ad ſeſe attrahit conuicia.
Proinde Plato quoties incidiſſet in eos, qui facerent indecori quippiam, digreſſus conſue
uit apud ſe dicere, Nuncubi ego talis? Cæterùm qui in alium maledicta congeſsit, ſi con-
tinuò ſuam ipſius uitam contempletur, & componat, mutans eam in diuerſum, & corri-
gens, is uidelicet nonnullam ex maledicendo capiet utilitatem, cùm alioqui res inanis &
habeatur, & ſit. Itaq́; uulgus ridere ſolet, ſi quis ipſe caluus, aut gibbo deformatus, alijs hęc
opprobret uitia. Quin magis in totum ridiculum eſt, in alterum iacere cōuicium, in quem
conuicium aliquod uiciſsim torqueri poſsit. Sicuti Leo Byzantinus, cùm oculorum infir
mitatem obiecisſet ſibi quidam gibbo deformis: Humanum, inquit, opprobraſti uitium,
quum ipſe Nemeſim, hoc eſt, reprehenſionē in tergo portes. Quapropter caue cuiquam

C exprobres adulterium, ipſe fœdiori libidinis generi obnoxius: neq; luxum, ipſe ſordidus.

Cognatus es mariticidæ fœminæ:

Ita maledicit Alcmæon Adraſto. Quid is igitur? Nempe proprium ei, nõ alienum impingens probrum, reſpondet: Matrem ipſe manibus intereміſti tuis. Domitius in Craſſum ad hunc iocatus eſt modum: Non fleuiſti, muræna quam in uiuario alueras mortua? At Craſſus ita retorſit cõuicium: Num tu lachrymabas, cùm tres extuleris uxores? Qui ſit in alium dicturus, nõ hunc oportet facetum, aut clamoſum, aut improbum eſſe, uerùm eum eſſe conuenit, in quem nullum conuicium aut crimen hęreat. Deus enim nulli magis præcepiſſe uidetur illud, Noſce teipſum, q̃ ei, qui ſit alium uituperaturus, ne ſi dixerint quæ uolunt, audiant quæ non uolunt. Nam fieri ſolet, ut iuxta Sophoclis dictum,

Vbi uerba temerè fuderis, tum quæ uolens
Dixti, uiciſsim eadem illa nolens audias.

Atq; hoc quidem utilitatis & cõmodi excerpi poteſt ex maledicendo inimicis: at non minus utilitatis ex altero proficiſcitur, nempe ſi quis male audiat, & cõuicijs afficiatur ab inimicis. Vnde rectè dictum eſt ab Antiſthene, ad ſalutem & incolumitatẽ tuendam opus eſſe aut amicis ingenuis, aut acribus inimicis, propterea quòd illi dum admonent peccantes, hi dum maledicunt, reuocant à uitijs. Sed quoniam his ſanè temporibus ad liberè loquendum penè uocem amiſit amicitia, loquax eſt autem aſſentatio, admonitio muta, ſupereſt ut ab inimicis uerum audiamus. Nam uti Telephus, quum medicum amicum nanciſci non poſſet, uulnus hoſtili lanceæ ſubmiſit: ſic ij quibus non adeſt beneuolus admonitor, maleuolentis inimici uerba ferant oportet, quò mala ipſorum redarguant caſtigentq;. Quo quidem in tempore rem ipſam ſpectare conueniet, non animum maledicentis. Sicut enim is qui Prometheum Theſſalum cogitabat occidere, caſu tuber ita percuſsit ac diſſecuit, ut ſeruaret hominem, ruptoq; tubere periculo liberaret: ita non raro fit, ut conuicium per ſimultatem & odium impactum, medeatur animi morbo uel ignorato, uel neglecto. At uerò pleriq; conuicio tacti, non illud conſiderant, num ipſi obnoxij ſint ei probro quod obijcitur, ſed perpendũt potius, an qui maledixit, aliud quippiam habeat quod in illum dici poſsit: dumq; more colluctantium in palæſtra, probra ceu puluerem non abD ſtergunt à ſeſe, ſed ſeipſos conſpergunt & oblinunt, poſtea congreſſu facto uterq; ab altero contaminatur ac denigratur. Quin magis conueniebat, ut cui conuicium dixit inimicus, id à ſe tollat quod obiectum eſt, quàm faceret, ſi quis maculam ueſti inhærentem oſtenderet. Iam etiam ſi quis obiecerit probrum à quo ſis alienus, tamen inquirendum erit, quibus ex cauſis maledictum hoc natum ſit: deinde cauendum ac metuẽdum, ne quid imprudentes deliquerimus, uel affine, uel ſimile ei, quod nobis obiectum eſt: quemadmodũ Lacydes Argiuorum rex ob comam compoſitiorẽ, & inceſſum delicatiorem uulgò male audiuit, ueluti mollis & effœminatus. Idem accidit Pompeio, propterea quòd uno digito ſcalperet caput, quum à mollitie & laſciuia longiſsimè abeſſet. Accidit & Craſſo, cui ſæpius adeundi uirginem quandam Veſtalem cauſa hæc fuit, quòd prædiolum quoddam elegans ab illa mercari cuperet, atq; hac gratia frequenter cum ea cõgrediebatur, captans mulierem. Poſthumiæ uerò riſus ſolutior, ac liberior cum uiris confabulatio, peperit infamiam, ita ut inceſtus accuſaretur. Quanq; igitur compertum eſſet illam à crimine abfuiſſe, tamen ſummus pontifex Spurius Minutius dimiſſam admonuit, ne inuerecundius loqueretur quàm uiueret. Themiſtocles autem quum nihil peccaſſet, ex Pauſania tamen proditionis ſuſpicionem cõtraxit, quòd eo familiarius uteretur, quotidieq; literas ac nuncios ad illum miſsitaret. Proinde quum dictum fuerit aliquid in te quod uerum non ſit, non oportebit ob id, quia falſum eſt, contemnere ac negligere, ſed expendere tecum, num quid dixeris aut feceris, aut conatus fueris, aut nunquid fuerit in tuis familiaribus, quod illi calumniæ probabilem miniſtrauerit occaſionem, idq; ſimulatq; deprehenderis, cauendum erit atq; uitandum. Etenim ſi difficultates ac moleſtiæ temerè fortuitoq; incidentes, alios docẽt quid expediat, uelut in fabulis Meropa: Fortuna, inquit, ſublatis ijs quæ mihi erant chariſsima, mercede me ſapientem reddidit: quid uetat, quo minus gratuito præceptore utamur inimico, qui nobis proſit, aliquidq; doceat, quod antea fugiebat? quandoquidem pleraq; magis intelligit inimicus, quàm amicus, propterea quòd amor cæcutiat in re amata, uelut inquit Plato. Porrò odio coniuncta eſt tum curioſitas, tum garrulitas. Cùm Hieroni fœtor oris ab inimico quodam opprobratus eſſet, domum reuerſus obiurgauit uxorem: Quid ais, inquiens, hoc uitium ne tu quidem mihi indicaſti? At illa quum eſſet pudica & ſimplex, Putabam, inquit, omnes uiros ad eundem modum olere. Adeò &

Inuerecundius non loquendum, quàm uiuatur.

quæ

A quæ ſenſibus percipiuntur, & quæ corpori inſunt, & quæ conſpicua ſunt omnibus, citius
ex inimicis cognoſcas, quàm ex amicis, aut familiaribus. Adde his, quòd cùm non exigua
uirtutis pars ſit, linguam habere moderatã, ſemperq́; rationi morigeram & obedientem,
id non contingit niſi multa exercitatione, cura, ſtudioq́; peſsimos animi motus edomue-
tis, quod genus eſt ira. Siquidem ut imprudentibus uox excidat, & Homericum illud,

Fugiens uox oris clauſtra reliquit:

item ut contingat uerba nonnulla ultrò euolare, id ſolet uſu uenire potiſsimũ animi inex-
ercitatis, ceu labentibus ac perfluẽtibus, ob impotentiã iracundiæ, ob mentis intemperan
tiam, ob temerariã uitæ rationem. Cæterũ loquacitatẽ rem omnium leuiſsimam, uti diui-
nus inquit Plato, grauiſsima pœna uindicant tum dij, tum homines. Contrà ſilentiũ cùm
ubiq; innoxium eſt, non ſolùm nõ ſitire, uelut ait Hippocrates, tum uerò in conuicijs con
ſtans quiddam ac Socraticum habere uidetur, uel Herculaneũ magis. Siquidẽ ille quoq;

Vel minus ac muſcas curabat uerba moleſta.

Sanè cùm non alia res neq; grauior, neq; pulchrior, quàm ſi conuiciante inimico quietem
agas, ueluti mordacem Liſsi ſcopulum prænauigans, tum latius ea patet exercitatio.
Nam ſi conſueſcas inimicum conuiciantẽ ferre tacitus, facillimè nimirum feres & uxoris
rixantis iracundiam, & amici clamorem, & fratris amarulentiam citra perturbationẽ ſuſti
nebis. Nam patri matriq́; etiam pulſandum te feriendumq́; præbebis, nihil ira cõmotus.
At Socrates quidem Xantippam uxorem iracundam ac moleſtam domi ferebat, ceu faci
lius cum alijs conſuetudinem acturus, ſi illam perpeti conſueuiſſet. Verùm longè præ-
ſtat, ut inimicorum dictis, conuicijs, & odijs exercitatus, conſueſcas iracundiam preme-
re, nec cùm maledictis inceſſeris excandeſcere. Ad hunc igitur modum manſuetudinem
ac tolerantiam in ſimultatibus præſtare conuenit. Cæterùm ſimplicitas ac magnanimitas
benignitasq́; magis in amicitijs locum habet. Neque enim perinde pulchrum eſt de ami-
co bene mereri, quàm fœdum id non facere, quoties opus eſt. At humanum habetur ul-
tionem inimici, ſi quando per occaſionem in te inciderit, negligere. Eius uerò cui lapſus
inimici dolet, etiam qui roganti opitulatur, liberis ac domeſticis rebus periclitantibus ſtu
B dium aliquod animiq́; propenſionem exhibet, quiſquis non amplectitur beneuolen-
tiam, quiſquis non laudat benignitatem, is nimirum cor habet adamantinum, aut ferro
excuſum. Quum Cæſar Pompeij ſtatuas deiectas reponi iuſsiſſet, tum M. Tullius: Sta-
tuas, inquit, Pompeij collocaſti, tuas conſtabiliſti. Vnde nec malignè laudandus eſt, nec
honore fraudandus inimicus meritò laudandus, ac celebris, propterea quòd maior laus
hinc redit ad ipſos qui laudant. Ad hæc, qui promerentem laudat, ei rurſum fides habetur
uituperanti, ueluti qui non hominem ipſum oderit, ſed qui factum illius non probet. Iam
uerò, quod eſt omnium & pulcherrimũ & utiliſsimũ, nequaquam inuidebit uel amicis fe
licibus, uel familiaribus cum laude quippiam agentibus, quiſquis aſſueuerit & inimicos
laudare, & neq; ringi, neq; morderi ſucceſsibus illorum. Eſt ne aliud ullum ſtudium, quod
parem utilitatem pariat, aut habitum potiorem gignat in animis noſtris, quàm id quod æ-
mulationem & inuidentiam nobis adimit? Nam quemadmodum in republica permulta
ſunt, neceſſaria quidem illa, ſed tamen mala, quæ poſteaquã in conſuetudinem abierunt,
iamq́; legis uim nacta ſunt, tamen haud facilè depellant, quibus ea moleſta noxiaq́; ſunt:
ſic ſimultas multa ſecum inducit uitia, nempe liuorem, ſuſpicionem, gaudium ex alienis *Simultatis in-*
malis, tenacem iniuriarũ memoriam, & horum ueſtigia relinquit in animo. Præterea quæ *commoda.*
dam, quæ ſi facias in inimicũ, nec mala uideantur nec iniqua, ita remanent in nobis, ut ab-
ijci difficilè poſsint: quod genus ſunt, uerſutia, fraus, inſidiæ. Deinde fit, ut propter aſſue-
tudinem ijſdem utamur in amicos, niſi cauerimus in inimicos uti. Proinde rectè præcepit
Pythagoras, quum ab aucupio dehortaretur, & empto retium iactu, piſces captos iuberet
amitti: quumq́; omnium mitium animantiũ cædem interdiceret, uidelicet ut in brutis ani
malibus nos conſuefaceret à crudelitate & rapacitate temperare. Atqui multò pulchrius
eſt, ut dum in ſimultatibus ac diſsidijs aduerſus homines & contentionibus, generoſum,
æquum, ac ſimplicem inimicum agis, improbos, ſordidos, ac fraudulentos affectus caſti-
ges, premasq́;, quò nimirum in cõmercijs amicorum prorſus conquieſcant, & à fallendo
temperent. Scaurus cum Domitio ſimultatem habebat, eumq́; fecerat reum: itaque Do-
mitij ſeruus quidam, priuſquàm ageretur cauſa, Scaurum adijt, ſignificans habere ſe quip
piam arcanum, quod illi uellet indicare. At ille non paſſus eſt hominem loqui, ſed com-
prehenſum ad herum remiſit. Catonem quum Murænam popularitatis reum ageret, &
accuſationis argumenta colligeret, aſſectabantur ex more, qui quid fieret obſeruabant.

C Hi frequenter eum interrogabant, nunquid eo die collecturus eſſet, aut acturus aliquid quod ad accuſationem pertineret. Quod ſi negaſſet, credebant, ac diſcedebant. Atqueid quidem maximum erat argumentum, quàm bene ſentirent de Catone. Verùm illud & maius eſt, & longè pulcherrimum, quòd aſſuefacti iuſtè rectèq; agere cum inimicis, haud unquam iniuſtè doloſe'ue cum amicis & familiaribus agemus. At quoniam neceſſum eſt ga leritis omnibus ineſſe criſtam, iuxta Simonidem: & omne mortalium ingenium, contentionem, ſuſpicionem, & inuidentiam ex ſe gignit, inter mente uacuos amicos, ut inquit Pindarus: haud mediocriter profuerit, ſi quis horum affectuum repurgationem in inimicos effuderit, eamq; ueluti cloacam, quam longiſsimè à domeſticis ac familiaribus auerterit. Id quod intellexiſſe uidetur Onomademus, uir urbanus, qui quum orta in Chio ſeditione, in ijs eſſet partibus quæ uicerant, admonebat ſuos, ne cunctos expellerent qui diuerſarum fuiſſent partium, uerùm ſinerent ſupereſſe nonnullos, ne cum amicis, inquit, incipiamus diſsidere, ſi prorſus deſint inimici. Ad eundem modum, ſi nobis hæc animi uitia conſumantur in inimicos, minus erunt moleſta amicis. Neque enim oportet figulum inuidere figulo, neque cantorem cantori, quemadmodum inquit Heſiodus: neque conuenit uicinum æmulari uicino, neque conſobrino, neque fratri ad diuitias properanti, & felicibus rerum utenti ſucceſsibus: ſed ſi non eſt alia uia, qua teipſum à contentione, inuidentia, & æmulatione liberum reddas, conſueſce ſecundis inimicorum rebus morderi, in hos iracundiæ mucronem exacue. Nam ſicut elegantes agricolæ roſas ac uiolas ita meliores futuras putant, ſi cepas & allia ſerant in proximo, quòd quicquid in illis acris ac grauis odoris ineſt, in hæc repurgetur: ſic inimicus in ſe recipiens ac deriuans inuidiam ac moroſitatem, candidiores nos minusq; graues reddit amicis proſpera fortuna utentibus.

Quo fine, & quibus in rebus cũ inimicis certandum.

Quapropter cum illis ſunt exercenda certamina, de gloria, de imperio, de iuſtis lucris, non hactenus tantùm ut diſcruciemur, ſi quid illi plus habeant nobis, ſed ut obſeruemus ſingula, quibus rationibus nos ſuperent, eosq; diligentia, induſtria, ſobrietate, & cautione præire conemur: quemadmodum dicere ſolitus eſt Themiſtocles, ſibi non licere ſomnum capere per Miltiadis in Marathone uictoriam. Etenim qui deijcitur animo, penitusq; liuore contabeſcit, propterea quòd ſe credat ab inimico uinci, uel in gerendis magi-

D ſtratibus, uel in agendis cauſis, uel gratia & autoritate apud amicos, aut optimates, ac non potius conatur aliquid & æmulatur, hunc ocioſa quædam & iners habet inuidia. At quem non excæcat odium, quo minus iudicet de eo quem odit, ſed æquis oculis ſpectat illius & uitam, & mores, dicta ſimul & facta, is nimirum perſpiciet, ea quibus inuidet, pleraque è diligentia, prouidentia, rectèq; factis, illi contigiſſe. Et ad hæc animum intendens, ſtudium ac ſedulitatem ipſius circa res honeſtas imitabitur, oſcitantiam uerò ac ſocordiam excutiet. Quòd ſi uidebuntur in aula principis, aut in republica potentiam indignam & inhoneſtam aſſecuti uel aſſentatione, uel fraudulentia, uel corruptis iudicijs, uel largitionibus, id nobis haudquaquã moleſtum erit, quin potius uoluptatem adferet, integritatem uitæ noſtræ, æquitatemq; cum illorum illiberalitate conferentibus. Siquidem uniuerſum aurum, quod uel ſuper terram eſt, uel ſub terra, non eſt æquiparabile uirtuti, uelut inquit Plato. Illud etiam Solonis dictum ſemper conueniet in promptu habere: At nos uirtutem non ita diuitijs permutabimus, nec acclamationibus epulo conductæ multitudinis, nec honoribus, ſummoq; accubitu apud eunuchos, concubinas, & regum præfecturas. Nihil enim ſuſpiciendum, neq; præclarum, quod ex turpitudine naſcitur. Sed amans cæcutit in eo quod amat, autore Platone: magisq; ſentimus ſi quid præter decorum faciant inimici. Non oportet autem, ſiue quid peccant, inutili affici gaudio: ſiue quid rectè faciunt, ocioſo dolore tangi: uerùm illud in utroq; cogitandum eſt, ut & illa cauentes meliores illis ſimus, & hæc imitantes non ſimus deteriores.

FINIS.

A Plutarchi de tuenda bona ualetudine præcepta.

ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

Τὰ πρόσωπα,

MOSCHION ET ZEVXIPPVS.

TV SANE Glaucum medicum heri deterrebas Zeuxippe, unà nobiſcum philoſophari cupientem. ZEVXIPPVS: Neq; deterrebam amice Moſchion, neq; ille nobiſcum philoſophari cupiebat. Quin magis fugiebam, metuens ne quam præberem anſam homini pugnæ auido. Nam in re quidem medica uir ille, quemadmodũ inquit Homerus,

Alijs æquandus pluribus unus.

Ceterũ erga philoſophiã parum amico eſt animo, ſed cùm in diſputando ſemper acerbum quiddam habet, ac moroſum, tum uerò id quidẽ temporis infeſtus in nos tendebat, acrius etiam illud uociferans, haud mediocriter iniquum facinus auſos eſſe nos, qui diſciplinarũ terminos confudiſſemus, de ratione uictus ad tuendam bonam ualetudinem conducibili diſſerentes. Separatã enim aiebat eſſe philoſophorũ ac medicorum profeſsionem, non aliter atq; Myſorum ac Phrygum fines, ut habet prouerbium: ac nonnulla à nobis dicta non illa quidem accuratè, neq; ſeriò, at rurſum non inutiliter, repetens carpebat ac dilacerabat. MOSCHION: At ego Zeuxippe, tum iſta, tum reliqua illa cupidè lubensq; audierim. ZEVXIPPVS: Nimirum quum philoſophus ſis natura Moſchion, philoſopho ſuccenſes, parum ſtudioſo medicinę, & indignum exiſtimas, ſi magis officij ſui putat eſſe, ut in Geometriæ, Dialecticæ, Muſicæ ſtudio uerſari uideat̃, quàm ut inquirat cupiatq; cognoſcere,

Aedibus in proprijs quæ praua aut recta gerantur,

ipſo uidelicet corpore. Quanquã illic frequentiores uideas ſpectatores, ubi nonnihil ſacræ pecuniæ, qua ad ſpectaculum inuitentur, diſtribuitur affluenti multitudini, ita ut fieri
B ſolet Athenis. At medicina ſic eſt de numero diſciplinarum liberalium, ut politie, ſplendore, iucunditate nulla ſit inferior. Porrò mercedem abundè magnam addit ſui ſtudioſis, nempe corporis ſalubritatem, ac proſperam ualetudinem. Proinde non oportet in ius uocare philoſophos, quaſi terminos prætererint, ſi de his quæ ad bonam ualetudinem conducunt, diſputent, uerùm ita magis accuſandos ducere, ſi prorſus ſublatis finibus, exiſtimarint communiter uelut in eadem regione ſeſe rerum quæcunq; ſint honeſtæ ſtudioſos uerſari oportere, ſectantes pariter & quod in diſputando delectet, & quod ad uſum uitæ ſit neceſſarium. MOSCHION: Quin Glaucum miſſum faciamus Zeuxippe, qui ob faſtum abſolutus uideri ſtudet, nec egens auxilijs philoſophiæ. Tu uerò diſputationẽ omnem nobis recenſe, primoq; locò, ſi uidetur, ea quæ dicebas non admodum ſeriò abs te dicta, carpſiſſe Glaucum. ZEVXIPPVS: Aiebat igitur amicus ille noſter, ſeſe audiuiſſe quendam qui diceret, non mediocre fore momentũ ad bonam ualetudinẽ, ſi quis manus ſemper calidas haberet, neq; pateretur eas frigere. Rurſus, extremarum corporis partium frigiditatem, dum calorem ad interiora cogit, ceu familiaritatẽ quandam & aſſuetudinẽ febris inducere. Rurſum, foras uertere, & unà cum calore materiam in omnes partes trahere ac diſtribuere, ſalubre eſſe. Itaq; ſi quod operis faciamus, in quo manibus ſit utendum, tum calorem ultrò ab ipſa corporis agitatione induci membris, at contineri: ubi uerò nihil agas operis iſtiuſmodi, tum ſummis à membris frigus arcendum eſſe. Hoc igitur erat unum eorum quæ ab illo ridebantur. Alterum autem, ni fallor, erat de cibis, quos ægrotantibus exhibetis. Præcipiebat enim hos multò antè tempore ſumendos, atq; deguſtandos eſſe, quò ſani uidelicet illis aſſueſceremus, ne pòſt ueluti pueri uictum eum horreamus, & auerſemur, ſed paulatim familiaris ac domeſticus ſtomacho reddatur, ne in morbo cibis perinde ut pharmacis offendamur, ne'ue moleſtè feramus, ſi quando ſimplicem aliquem cibum citra opſonium & ſine culinæ nidore apparatum, ſumere neceſſum erit. Vnde ne illud quidem aliquando fugiendum, ut illoti ad cibum capiendum accedamus, nec uti potemus aquam quum adſit uinum, nec ut calidum bibas æſtate, licet appoſita niue: neglectis interim his qui ad oſtentationem, moreq; ſophiſtarum ab iſtiuſmodi rebus abſtinent, ac temperantiæ nomine ſemet efferunt. Quin ipſi magis noſtrapte ſponte paulatim & ſtomachum ita conſuefaciamus, ut citra moleſtiam pareat utilitati, tum procul ab

Medicinæ ſtudioſorũ merces qualis.

C animo tollamus nimis anxiam ac ſuperſtitioſam huiuſmodi rerum curam in morbis, néue collamentemur deplorantibus, quòd è magnis ac iucundis uoluptatibus in ſordidam illam atque humilem uitæ rationem ſint redacti. Nam rectè dictum illud: Optimam uitæ rationem delige, eam tibi iucundam reddet conſuetudo: cum ſingulis quicquid aggrediare conducibile fuerit, tum uerò maximè, ſi in ijs quæ ad corporis uictum uitæq́; rationem attinent, ijs aſſueſcens quæ ſunt ſaluberrima, eadem amica cognataq́; ac domeſtica naturæ reddas, memor eorum quæ nonnulli tum patiuntur, tum faciunt in morbis, quàm moleſtè ferant, quamq́; uix tolerent, quoties aqua calida apponitur, aut ſorbitio, ſeu panis, non ſolùm iſta deteſtabilia & inſuauia, uerumetiam ipſos qui ſumere compellunt deteſtabiles ac moleſtos appellantes. Porrò non paucos etiam balneum extinxit, quum initio nullo graui morbo tenerentur, niſi quòd non poſſent, neque ferrent cibum capere niſi loti: quorum de numero Titus erat imperator, quemadmodum referunt ij qui ægrotanti miniſtrarunt. Ad hęc relatum eſt hoc quoque, corpora gracilia, minimeq́; obeſa, ſemper eſſe ſalubriora: maximeq́; cauendam ingurgitationem, ebrietatem, & immodicum delitiarum uſum his qui ſolenne epulum ſint celebraturi, aut qui amicos apparant conuiuio accipere, aut futurum eſt ut à diuite quopiam, aut principe, conuiuio ſplendido adhibeantur, expectentq́; commune bibendi certamen, quod recuſare non liceat, quò nimirum iam tum in tranquillitate corpus expeditum ac leue reddant, uelut aduerſus imminentem uentorum ac undarum tempeſtatem. Siquidem perdifficilè fuerit, in cœtu hominum, & inter inuitatiunculas illorum, teipſum intra mediocritatem, ſolitamq́; temperantiam continere, ut non omnibus uehementer grauis ac moleſtus & oneroſus eſſe uidearis. Itaque ne ignis addatur igni (quemadmodum prouerbio dicitur) hoc eſt, ne ingurgitatio ingurgitationi, intemperantia intemperantiæ, diligenter oportebit meminiſſe, quod per iocum feſtiuiter fecit Philippus. Id erat huiuſmodi. Cum paucis inambulantem quidam uocarat ad cœnam, deinde quum uideret illum complures ſecum adducentem, cùm non admodum multum epularum apparaſſet, ſanè conturbatus eſt. Id ſentiens Philippus, ſubmiſit qui ſingulos amicos admoneret, ut placentæ locum relinquerent. At hi dum uerè credunt placentam apponendam, atq; expectant, abſtinent ab his quæ fue-

D rant appoſita: atq; eum ad modum factum eſt, ut conuiuium omnibus ſufficeret. Hoc igitur pacto conueniet & noſmetipſos ad ineuitabiles compotationes præparare, ut opſonijs, bellarijs, atque adeo ebrietati quoque locum in corpore reſeruemus, atque integram ad iſtiuſmodi conuiuia ſtomachi appetentiam adferamus. Quòd ſi nos iam expletos, grauiterq́; affectos, talis quæpiam neceſsitas occuparit, optimatibus præſentibus, aut hoſpitibus derepentè oblatis, ut pudore compellamur ad eadem uenire, & compotare cum his qui ſatis id ferre queant, ibi uerò maximè nos arment oportet atque inſtruant aduerſus pudorem, rem magnopere noxiam mortalibus, contraq́; uitioſam erubeſcentiam, ea quæ Creon loquitur in Tragœdia:

Mihi amice longè ſatius eſſe duxerim,
Tibi nunc ut hoſtis reddat ac gratus parum,
Quàm ut leuis in te, poſtea grauiter gemam.

Ruſticitatis metu peccare, maximè ruſticanum.

Etenim ob metum, ne ruſticior uidearis, in laterum aut renum dolorem teipſum dare præcipitem, id uerè ruſticani eſt hominis, mentéque a ratione carentis: qua qui præditi ſunt, norunt & abſque poculis ac nidore cum hominibus conuiuere. Quandoquidem ſi dextrè urbanitérque recuſes, non minus grata fuerit recuſatio, quàm compotatio. Tum ſi quis epulum exhibeat ueluti ſacrificium, unde nihil deguſtet ipſe, ſed abſtineat, atque interim inter pocula, ſuperq́; menſam hilariter atque feſtiuiter ſimul & iocetur, & dicat aliquid in ſeipſum, is iucundior uidebitur, quàm ſi pariter inebrietur, ſimulq́; uoret opſonia. Adduxit autem ex antiquis quidem Alexandrum, qui poſt multam potationem, quum Medio rurſum ad bibendi certamen prouocanti, & rurſus ad meri potationem pertrahenti recuſare uereretur, eam ob cauſam periſſet. Porrò ex noſtri temporis hominibus Rhiglum pancratiaſten cõmemorauit, qui quidem à Tito Cæſare ad balneum manè inuitatus, abijt, ſimulq́; lauit: quumq́; ſemel duntaxat bibiſſet, quemadmodum aiunt, correptus apoplexia ſubitò mortuus eſt. Hæc nobis Glaucus quaſi ridens obijciebat, ueluti pædagogica: de reliquis autem, neque illi libebat audire, neque nobis illi narrare, neque perpendebat unumquodque eorum quæ dicta fuerant. Primus itaque Socrates admonens, cauendos eſſe cibos qui non eſurientes denuò ad edendum inuitent: cauendos eſſe potus qui nõ ſitientes ad bibendum illectent, non ſimpliciter interdixit ne his uteremur,

ſed

Titus imperator balneo extinctus

A ſed quatenus opus ſit, uti docuit, ut harum rerum delectationem ad uſum ac neceſsitatem accommodemus: non aliter quàm faciunt hi, qui in republica pecuniam in ædendis in theatro ludis deſtinatam, uertunt in uſus belli. Nam quòd natura delectet, donec pars fuerit eius quod alit, proprium eſt. Atque oportet eos etiam qui eſuriunt, neceſſarijs frui potius, quàm ſuauibus: ſeorſum autem haudquaquam irritare nouas appetentias, poſteaquàm à cõmunibus epulis diſceſſerimus. Nam quemadmodum Socrati ſaltatio, exercitatio erat nequaquam iniucunda: ſic is cui bellaria, & ſecundæ menſæ, lautitiæq́ ſunt cœnæ ac cibi loco, minus ab his offenditur. Cæterùm qui iam acceperit quod naturæ ſatis eſt, ſeſeq́ expleuerit, ne is auidè talia ſumat, id uerò cumprimis cauendum eſt. Atque in his non minus fugienda eſt imperitia & ambitio, quàm uoluptas & ingluuies, propterea quòd hæ quoq́ ſæpius inuitant ad edendum quum non eſurias, ad bibendum quum non ſitias, dum illiberales admodum & moleſtas ſuggerunt imaginationes, quaſi ſit abſurdum claris ſumptuoſiſq́ rebus non frui quum adſint, uelut ſumine, aut fungis Italicis, aut Samia placenta, aut niue in Aegypto. Siquidem iſta ſæpenumero illectant, ut celebratis ac raris utare cibis, uelut ab inanis gloriæ nidore adductus, uti corpus adigas cum cibis habere commercium, quum nihil ſit opus, quò poſsis apud alios prædicare, admiraturos ac felicem iudicaturos, cui rebus tam non obuijs, tamq́ exquiſitis frui contigerit. Conſimilem autem ad modum afficiuntur erga mulieres nobiles: fit enim aliquoties, ut cum proprijs dormientes, tum formoſis, tum etiam amantibus, nihil tamen commoueantur: cæterùm Phrynæ, Laidiue perſoluto argento, quum corpore ſint ægro, & ad coitum ignauo, excitant tamen & irritant laſciuiam ad uoluptatem, idque inanis gloriæ cauſa. Quo factum eſt, ut ipſa Phryne iam anus facta dixerit, à multis fæcem emi propter gloriam. Porrò magnum eſt ac mirum, ſi quaſcunque natura poſtulat ac recipit uoluptates, eas adhibentes corpori, imò ſi plerunque propter occupationes reluctantes illi flagitanti, differenteſq́ quod poſtulat, ac uix uoluptates magnopere neceſſarias ſuppeditantes, aut quemadmodum inquit Plato, titillanti etiam & uehementer inſtanti morigerantes, citra noxam diſceſſerimus. Iam uerò illius cupiditates quæ præpoſteræ ab animo ſcatent in corpus, cogúntque affectibus obſequi & inſeruire, nulla ratione fieri po-

Voluptates ab animo in corpus ſcatentes pernicioſiſsimæ.

B teſt, quin grauiſsima maximáque incommoda ex inualidis inanibúſque uoluptatibus in eo relinquant. Nequaquam autem competit animi cupiditate corpus ad uoluptatem concitare. Nam ut hinc uoluptas oriatur, id præter naturam eſt. Quemadmodum enim axillarum titillationes haud proprium neque amabilem riſum præbent animo, ſed moleſtum ſpaſmóque ſimilem: ita quaſcunque uoluptates corpus extimulatum ab animo, turbatumq́ capit, hæ nimirum & ſtupidæ ſunt, & turbulentæ, & à natura alienæ. Quoties igitur rarum aliquod, aut nobile cibi genus fruendum appoſitum fuerit, magis ita quærenda gloria ut abſtineamus, quàm ut fruamur, memores quemadmodum dixit Simonides, nunquam ſeſe pœnituiſſe, quòd tacuiſſet: quòd loquutus eſſet, ſæpe: ita nos quoque nunquam pœnituiſſe quòd opſonium recuſauerimus, aut quòd aquam phalerni loco biberimus. Quin è diuerſo magis non ſolùm non eſt ad iſta cogenda natura, uerum etiam ſi quid iſtiuſmodi proponatur deſideranti, conueniet ob conſuetudinem & exercitationem ſæpius ad leuia conſuetaq́ reuocare appetentiam. Nam ſi ius uiolandum, quemadmodum dixit Thebanus ille, etiamſi non rectè, optimum eſt imperij cauſa uiolare. Nos uerò melius: Si gloria affectanda eſt, optimum eſt eam ſanitatis cauſa in huiuſmodi rerum abſtinentia affectare. Quanquam ſunt nonnulli, quos parſimonia coniuncta cum gulæ uitio adducit, ut quum domi coërceant cupiditatem, apud alios lautitijs fruantur, expleántque ſeſe, ampliter ingurgitantes, perinde quaſi rebus bello partis: deinde grauiter affecto corpore diſcedunt, poſtero die præmium ingurgitationis auferentes, nempe ſtomachi cruditatem. Crates igitur quum exiſtimaret in ciuitatibus ſeditiones ac tyrannides potiſsimum è delitijs & luxu naſci, per iocum admonuit, Ne pro lenticula ſemper augens patinam, in ſeditionem nos conijcias. Sed ſeipſum adhortetur quiſque, ne ſemper pro lente augens patinam, neúe modis omnibus præterito naſturtio & olea, ad placentam & piſcem deſciſcens, ex repletione corpori ſeditionem concitet, & tumultum, ac alui profluuium. Nam cibi uiliores appetentiam intra naturæ modum cohibent. Cæterùm artes iſtorum qui opſoniorum ſunt opifices atque architecti, & operoſæ iſtæ cupediæ, neque non ingenioſa condimenta, ſemper, ut inquit Comicus, uoluptatis fines longius promouent, ac uitiant utilitatem. Atqui haud ſcio quo pacto fiat, ut quum uxores quæ philtris ac ueneficijs in uiros utuntur, abominemur, faſtidiamúſque,

Parſimonia gulæ coniuncta notatur.

In operoſas cupedias opſoniorum

C conductitijs ac ſeruis cibos & opſonia noſtra proijciamus, ut ea penè dixerim ueneficijs
ac præſtigijs uitient. Proinde quanq; amarius illud ab Arceſilao dictum uidetur in adul-
teros ac libidinoſos, nihil referre aduerſus an auerſus cinædus ſit aliquis, tamen haud ma-
le quadrat & in hanc rem de qua agimus. Quid enim (ut uerum loquar) intereſt, utrum ex
hibitis ſatyrijs intemperantiam ad uoluptatem excites atq; irrites, an guſtum odoribus &
lautitijs prouoces, ut ceu membra ſcabioſa ſcalptu frictuq; ſemper opus habeamus? Sed
aliàs fortaſsis aduerſus uoluptates dicemus, quamq; per ſe honeſta res & egregia ſit tem-
perantia demonſtrabimus: nunc nobis de multitudine ac magnitudine uoluptatũ eſt in-
ſtitutus ſermo. Morbi igitur non tam multa negocia, neq; tot ſpes, neq; tot peregrinatio-
nes, neq; tam multa exercitia nobis eripiunt ac perdunt, quàm multas adimunt uolupta-
tes. Vnde fit ut qui maximè ſectantur uoluptatem, his minimè expediat corporis ſanita-
tem negligere. Siquidem permulti ſunt, quibus aduerſa ualetudo nequaquam eſt impedi
mento, quo minus philoſophiæ dent operam, aut rem etiam exerceant militarem, aut im-
perium adminiſtrent: at corporis uoluptates huiuſmodi ſunt, ut his in morbo frui nullo
modo poſsis. Quòd ſi quibus in morbo quoque locus eſt, hę nec illam ipſam delectatiun
culam ſuapte natura breuem, puram exhibent, ſed magna ex parte malis alienis fermen-
tatam ac cicatricoſam, uelut è procella ac tempeſtate quapiam reddunt. Neq; enim Vene
ri locus in ingurgitatione, quin magis in corporis ſerenitate tranquillitateq;. Nam Vene
ris finis uoluptas eſt, quemadmodum & eſus ac potus. At bona ualetudo uoluptatibus,
haud aliter atq; cœli tranquillitas alcyonibus, præbet ut tutò commodeq; generenr, incu-
bentq;. Eleganter enim Prodicus uiſus eſt dixiſſe, optimum condimentum eſſe ignem ip-
ſum. Nam ueriſsimè quis dixerit, bonam ualetudinem maximè diuinum longeq; blan- *Bona ualetudo bonum diuinũ.*
diſsimum eſſe condimentũ. Siquidem cibi elixi, aſsi, coctiq;, his qui morbo laborant, aut
crapula grauantur, quiue ſtomacho nauſeant, nullam adferunt neq; uoluptatem, neq; iu-
cunditatem: at pura, ſynceraq; ſtomachi appetentia, corpori ſano quidlibet etiam reddit
ſuaue, & accõmodum, atq; harpaleon, quemadmodum inquit Homerus, id eſt, quod ra-
pere libeat. Sed ſicuti Demades, Athenienſes qui non in tempore bellum capeſſerent,
aiebat numquam niſi pullatos pacem decernere: ita nobis haud unquam tenuis ac mode-
D rata uictus ratio uenit in mentem, niſi iam febri æſtuantibus, & admotis pharmacis. At-
que adeo quum in hæc inciderimus, mirum tamen quàm peccatum noſtrum celamus, ni-
mium innitentes famæ & opinioni, quemadmodum mortalium uulgus aſſolet, qui nunc
aërem, nunc regiones morboſas criminantes, aut populares aliquos morbos producere
ſolent, ne morbi cauſa uideatur luxus, & uoluptatũ immoderatior uſus. Sed quemadmo-
dum quum Lyſimachus inter Getas ſiti conſtrictus, ſeſe pariter atq; exercitum hoſtibus
dedidiſſet, ac deinde frigidã bibiſſet aquam: Dij boni, inquit, quàm breuis uoluptatis gra
tia, magnam depoſui felicitatem: itidem & nobis ipſis in morbo debemus in animum re-
uocare, quòd ob frigidam potionem non in tempore ſumptam, aut balneum intempeſti-
uum, aut compotationẽ, complures earum rerum delectationes amiſerimus, deinde prę-
clara negocia permulta, poſtremò non paucas exercitationes iucundas perdiderimus. Fa
cit enim huiuſmodi reputatio, ut dolor quidem animũ mordeat, uulneransq; memoriam,
ueluti cicatrix quæpiam remanens, in bona ualetudine cautiores, ac circunſpectiores nos
reddat in obſeruanda uitæ ratione. Neq; enim tum corpus ſanitati redditum, admodum
magnas pariet cupiditates, nec intractabiles, aut inuſitatas, & inuincibiles: quin magis
forti & intrepido animo eſſe oportet aduerſus appetentiam erumpentẽ, & ad fruendum
his quæ cupit exilientem, ut quæ nihil habeat præter leues ac pueriles querimonias, ac
ploratus, deinde mox conquieſcat, ſublata menſa, neq; quicquam incuſet, aut lædat, ſed
contrà potius pura atq; hilaris, minimeq; grauis, minimeq; faſtidioſa, duret in poſterum
diem. Quemadmodum uidelicet Timotheus qui ſuperiore die in Academia apud Plato-
nem cœnauerat muſicam tenuemq; cœnulam, dixit, qui cœnaſſent apud Platonem, eos
poſtero quoq; die ſuauiter agere. Fertur autem & Alexander dixiſſe poſteaquàm ſolitos
opſoniorum artifices abieciſſet, ſe longè cõmodiores ſecum poſſe ducere, nempe noctur-
nam profectionẽ ad condiendum prandium, ad cœnam uerò prandij tenuitatem. Quan-
quam equidem non ſum neſcius fieri, ut laſsitudo, aut æſtus, aut frigus, febrim conciliet
hominibus: uerùm quemadmodum floſculorum odoramenta per ſe parum efficacia, ſi o-
leo admiſceantur, uehementiorẽ uim habent, itidem iſtiuſmodi morborum cauſis & prin
cipijs externis, uelut quibuſdam poteſtatibus, humorũ abundantia iam antè collecta, cor
pus exhibet ac tradit. Ea ſi non adſit, nihil ab illis fuerit periculi: uerùm facilè euaneſcunt
illa,

A illa,ac diſsipantur,ſi ſanguine ſubtili, ſi puris ſpiritibus inciderit iſtiuſmodi quæpiam affe
ctio. Rurſum diſtento corpore & humoribus redundante,ueluti cœnũ cõmotum, noxia,
difficilia, quæq; non facilè profliges, reddit omnia. Proinde cauendum eſt, ne ſicuti mali
naucleri,poſteaquàm ob auiditatem multum oneris in nauim coniecerint, deinde perpe
tuo labore ſentinam exhauriunt, aquamq; marinam eijciunt: ita nos quoq; ſimulatq; cor-
pus expleuerimus,onerauerimusq;, tum rurſum repurgemus, & clyſteribus exoneremus:
ſed leue & expeditum ſeruare conueniet, quò ſi quando etiam cõtinget premi, ſuberis in
morem ob leuitatem ſurſum emicet. Sed maximè præcauendum, cùm morbus aduentat
ac præſentitur. Neq; enim morbi omnes aduéniunt taciti,uelut inquit Heſiodus,

Vocem ubi præripuit conſultor Iuppiter omnem.

Imò pleriq; uiatores habent qui prænuncient,præcurrantq;,nempe ſtomachi cruditatem
& corporis ſegnitiem ac torporem. Grauitates, inquit Hippocrates, ac laſsitudines ſpon-
taneę,morbum denunciant: idq; uidetur accidere, quòd corpus intus repletum ſit,neque
non propter diſtentos ac impactos ſpiritus circa neruos. Atqui quum interim corpus ip-
ſum quodammodo reluctetur, & ad lectulum quietemq; pertrahat, tamen alij gulæ deli-
tiarumq; intemperantia in balnea ſe conijciunt, ad propinationes feſtinant, cibis oneran-
tes ſeſe uelut in futuram obſidionẽ, quaſi uerò metuant ne ſeſe febris impranſos occupet.
Alij rurſum magnificentiores, iſta quidẽ ratione non capiuntur, ſed dum longè abiectius
pudet ingurgitationem aut cruditatem fateri, totumq; diem in ueſtimentis ſuis agere, cæ
teris in certamen euntibus, ac eôdem prouocantibus, ſurgunt & ipſi, ſimulq; cum alijs ue
ſtes exuunt, eademq; faciunt quæ ſani. Sunt complures quos intemperantiæ, molliticiq;
ſuæ prouerbio patrocinãtes, ſpes impellit, ac perſuadet, ut relictis ſtratis, audacter ad con
ſuetam uitæ rationem accedant, perinde quaſi iam uinum uino, crapulam crapula profli-
garint ac diſcuſſerint. Aduerſus hanc igitur ſpem cautio Catonis eſt adhibenda, quæ qui-
dem, ut inquit uir ille, quæ magna ſunt, ea puſilla facit: quæ puſilla, prorſus tollit: ac memi
niſſe oportebit, ſatius eſſe, ut præter neceſsitatem abſtineas à cibo, & quietem agas, quàm
tractus ad balneum atq; conuiuium, ibi prouoluaris atq; concidas. Nam ſi quid eſt pericu
li, nocebit non cauiſſe, nec abſtinuiſſe. Si nihil eſt, haud nocebit corripuiſſe corpus, ac pur
B gatius reddidiſſe. At puerilis ille, qui ueretur, ne amicis ac famulis fiat palàm, ex ingurgi-
tatione luxuq; collectum eſſe morbum, dum præ pudore grauatur hodie fateri cruditatẽ,
poſtridie fatebitur alui profluuiũ, aut febrim, aut uentris tormina, uel cum pudore. Sum-
mum probrum ducis eſuritionem, at longè turpius exiſtima, ſi corpus crudum cibis onu-
ſtum ac diſtentũ ad balneum pertrahas, nõ aliter quàm ſi in mare deducas nauem putrem
ac rimoſam. Nec aliter profectò, quàm nauigantes nonnullos pudet ſæuiente tempeſtate
in littore tempus terere: at ijdem paulò pòſt in altum perducti turpiſsimè ſeſe gerũt, uoci-
ferantes ac nauſeantes: Sic hi qui corpus ad morbum iam eſſe propenſum ſentiunt, dum
ignauum arbitrant̃ unum diem lecto decumbere, nec apponi menſam, poſtea turpiſsimè
decumbunt complures dies, dum purgantur, inunguntur, dum medicis obſeruiunt atq;
obſecundant, dum uinum aut frigidam aquam poſtulant, coacti interea partim ob crucia
tum, partim ob metum, abſurda & indecora permulta cùm facere, tum dicere. Atqui iſtos
qui uicti uoluptatibus ſibi non temperant, ſed in affectus procliues, ab ijs præcipites ra-
piuntur, docere ac commonefacere oportebit, uoluptatibus maximam delectationis par
tem ab ipſo corpore proficiſci: & quemadmodũ Lacones cùm acetum ac ſalem coquo de
derint, reliquũ in ipſa uictima iubent quærere, ita in corpore eius cui exhibentur, optima
condimenta ſunt, ſi ſano & puro exhibeantur. Nam dulce quidem ac opiparũ, aliquid per
ſe & abſq; his dici poteſt. Conſueuit aũt ita demum iucundum fieri, ſi inciderit in eius cor
pus qui gaudet ac delectat̃, quiq; iuxta naturam uitam agit. Rurſum in moroſis, crudis, ac
male affectis, hęc omnia gratiã ſui perdunt & uſum. Proinde nõ illud oportebit expende-
re, num recens ſit piſcis, num ſyncerus panis, num caleat balneũ, num formoſum ſcortũ,
ſed ſeipſum cõſideret, faſtidioſus'ne ſit, aut parum tranquillus, aut marcidus, aut perturba
tus. Quod ni factũ erit, haud ſecus ac ſi comeſſatores ebrij in ædes irrumpant luctu, fune-
ſtas, nihil hilaritatis neq; uoluptatis ſint allaturi, quin eiulatũ potius excitaturi: ſic etiã Ve
nus, opſonia, balnea, uinum, ſi quidem in corpore male præterq; naturã affecto miſceant̃,
his etiam humoribus qui nondũ certum uitium, aut corruptionẽ acceperunt, phlegma bi
lemq; mouent, exagitant, magis ac magis excitant. Porrò delectationẽ nullam adferunt,
quam magni facias, neq; fruendi uoluptatem, qualis fuerat expectata, reddunt. Igitur exa *Exacta uitæ ratio inutilis.*
cta quidem illa, & uehementer ad unguem, ut dici ſolet, obſeruata uitæ ratio, ſimul &

C corpus formidoloſum reddit, ac periculis obnoxium, & animi frangit uigorem & alacri-
tatem, dum omnia negocia refugit, dumq́; non audet, nec in uoluptatibus, nec in labori-
bus uerſari, dum omnem rerum adminiſtrationē ſuſpectam habet, neq; quicquam confi-
denter & intrepidè aggreditur. Verùm oportebit corpus non aliter quam nautæ uelum,
neq; contrahere ſereno cœlo, neq; uehementer premere, neq; rurſum laxatis uti linteis, &
negligenter ac ſupinè agere, quum ſuſpicio ſit tempeſtatis: ſed obſequi conueniet, ac leue
corpus reddere, quemadmodum eſt dictum, non expectata cruditate aut perfluuio, neq;
feruore aut torpedine, quibus rebus, perinde ceu nuncij quidam ac uiatores, febrim in fo
ribus adeſſe renunciarint, uix tandem perturbati nonnulli, tum contrahunt ſeſe. Quin ma
gis procul multò antè præcauendum erit, quàm tempeſtas inciderit, uelut marinum ali-
quem ſcopulum ſpirante Borea. Siquidem abſurdum fuerit, coruos crocitantes, gallinas
glocitantes, & ſues iactatis manipulis inſanientes, uelut inquit Democritus, diligenter
obſeruare, his rebus uentum aut imbrem imminere ſignificantes: in corpore uerò motus
& exundationes, & morbi præludia, non animo præcipere aut præcauere, nec ulla tenere
ſigna, quibus tempeſtatē in teipſo cooriturā præſentias. Vnde non in cibis ſolùm & exer-
citationibus conueniet obſeruare corpus, num præter ſolitum illis grauatim & illibenter
utatur: aut contrà, num ſiticuloſius, magiſue famelicum ſit quàm conſueuerit: ſed etiam il
Somnus & inſomnia conſideranda. lud obſeruandū erit, ſi quando ſomnus nec perpetuus fuerit, nec placidus, ſed inæqualis
& interruptus. Quin inſuper inſomniorū etiam abſurditatem cōueniet annotare. Nam ſi
nefaria, minimeq; conſueta uiſa occurrerint, aut craſsis humoribus abundare corpus, aut
ſpiritus intus turbatos eſſe declarant. Iam uerò & animi affectiones indicant, corpus ad
morbum eſſe ptopenſum. Nam ſæpenumero fit, ut occupet quoſdam triſtitia nullam ob
cauſam idoneam oborta: aut metus repentè ſpes extinguens, idq́; cùm nihil appareat cur
ſit metuendū. Redduntur autem & iracundi, ſic ut facilè cōmoueantur, & ob rem quan-
tumlibet leuem indoleant, lachrymenturq́; ac mœrent quoties mali uapores & exhalatio
nes amaræ, cōgregatæ, animi circuitibus, ut inquit Plato, fuerint admixtæ. Quamobrem
quibus acciderint iſta, conſiderent ac meminerint oportet; ſi nulla tes animi ſit in cauſa,
D tum corporale quippiam eſſe, quod ſubductionē aliquam ac temperantiā requirat. Rur-
ſum profuerit & illud, ſi quis amicos laborantes obſeruans, ſciſcitetur motbi cauſam, non
ita ſanè, uti ſophiſticè præterq; rem de corporeæ molis intenſionibus, & ſanguinis in arte
rias præterlapſu, ac cōmunitatibus garriat, fruſtraq́; ꝙ calleat medicorū nomina, quamq́;
ſit eruditus, oſtentet: uerùm ubi leuia iſta uulgariaq; nō oſcitanter audierit, puta de reple-
tione, inſolatione, laſsitudine, & uigilijs, præcipuè uerò quo uictu tum uteretur cùm in fe
brim inciderit, deinde ſicut in alienis erratis Plato ſolitus eſt diſcedens ſecū dicere, Num
& ego ſum iſtiuſmodi? ita & ex amicorū malis ſibi quenq; cōſulere & cauere cōueniet, ac
meminiſſe, ne in eadē incidat, neúe ſimiliter ipſe lecto affixus, laudet ac deſideret precio-
ſiſsimam illam ſanitatē. Sed alio laborante ſecū annotabit, quàm precioſa res ſit bene ua-
lere, dandaq́; erit opera, ut eum theſaurū ſibi conſeruet, curę habeat, ac parcat. Nec inutile
fuerit, ut noſtram ipſorū uitæ rationē ſeorſum penſitemus. Nam ſi fors acciderit ut cōpo-
tationi, ſeu inuitatiunculis, aut laborib. aliquibus, aut alioqui parum moderatis rebus in-
terfuerimus, neq; corpus interim ullam morbi ſuſpicionē, aut præſenſionē præbeat, nihi-
lo ſecius tamen ultrò nos cauere & occupare conueniet, ut poſt Venerem ac fatigationē,
ocium & requiem adhibeamus, poſt temulentiā & compotationē aquam potemus. Ma-
ximè uerò ſi cibis uſi ſimus oneroſis, puta carnium, aut uarijs, tum oportebit exiguo paſtu
contentos eſſe, neq; ſuperfluum quicq; in corpore reliquū facere. Siquidē ut hæc ipſa per
ſe multarum ægritudinū ſunt cauſæ, ita alijs cauſis materiam ac uim adiungunt. Proinde
Ad ſanitatē conſeruandam quæ neceſſaria. præclarè dictum eſt illud, ueſci citra ſaturitatē, impigrum eſſe ad laborē, uitale ſemen con
ſeruare, res eſſe longè ſaluberrimas. Etenim coitus immodicus, propterea quòd maximè
uim eam extrahit qua cibus concoquitur, plurimū ſuperfluitatis & redundantiæ gignit.
Itaque turſus ab initio repetito ſermone, de ſingulis ordine diſſeramus, ac primo loco de
exercitamentis, quæ literarū ſtudioſis congruant. Sed quemadmodū is qui dixit, mariti-
mis non eſſe ſcribendū de cura dentiū, uſum aquæ marinæ docuit: ita dixerit aliquis, lite-
Studioſorum exercitatio. rarum ſtudioſis nō oportere pręcepta tradi de corporis exercitationibus, ꝙ ipſe quotidia
nus diſputationis uſus, qui uoce peragitꝰ, mira quędā eſt exercitatio, conducens nō ſolùm
ad bonam ualetudinē, uerùm etiam ad corporis robur: non illud quidem palæſtricū, neq;
quod carne cutē diſtendat, incruſtet, infarciatq́; foris, uelut in ædificio, ſed quod partibus
maximè uitalibus, principaliſsimiſq́;, uim internā, uigoremq́; uerum ac genuinū inſerat.

Porrò

A Porrò ſpiritum ad uires facere ipſi declarant aliptæ, iubentes athletis ut obnitantur frica-
tionibus, ac ſemper ſe opponant, moueantq; corporis partes dum unguntur ac cõtrectan
tur. At quum uox ſit agitatio ſpiritus, non leuiter, nec in ſuperficie, ſed uelut in ipſo fonte, *Commoda exer-*
in ipſis uiſceribus ualens, & calorem auget, & ſanguinem ſubtilem reddit, & omnes pur- *citij uocis.*
gat uenas, & omnes aperit arterias, humorem uerò ſuperfluum non ſinit craſſeſcere, neq;
concreſcere, neq; fæcis in morem ſubſidere in his conceptaculis, quibus accipitur & con-
ficitur cibus. Itaq; cumprimis danda eſt opora, ut ſeſe huic exercitationi familiares & aſ-
ſuetos reddant, aſsiduè diſſerendo, aut legendo, ſiue recitando, ſi quid ſuſpicabuntur cor
pus eſſe laſſum, aut imbecillius. Nam quod ad certaminum laborem eſt geſtatio, id eſt ad
diſputationem lectio, quæ uelut alieni ſermonis uehiculo, mollius nos agitat, & placidè
uocem perfert. At diſputatio contentionem ac certamen adiungit, quum animi labor unà
cum corporis labore copulatur. Quanquam à nimis cõmonis uociferationibus & iurgio-
ſis clamoribus eſt temperandũ: ſiquidem inæquales illæ ſpiritus intenſiones & impetus,
rupturas & conuulſiones ſolent inducere. Cæterùm à recitatione ſeu diſputatione, priuſ-
quàm inambules, pingui calidoq; frictu conuenier uti, ac mollire carnem, quantũ eius fie
ri poteſt uiſcerib. contactis, & ſpiritu leuiter adæquato, & ad ſummas corporis partes dif-
fuſo. Sit autem hic frictus modus, ut eouſq; utaris, donec gratum minimeq; moleſtum ſen
ſeris. Quiſquis ad hunc modum compoſuerit in intimis ortam turbationẽ, ac ſpiritus in-
tenſionem, is nec è ſuperfluitate quicquam moleſtiæ ſentier: & ſi temporis incõmoditas,
aut negocium aliquod obſtabit, quo minus inambulatione liceat uti, nihil fuerit periculi.
Nam quod erat ſuum, id ipſa natura adepta eſt. Neq; cauſari oportebit, in nauigatione,
aut in diuerſorio publico deeſſe ſilentium, ne ſi derideant quidem omnes. Etenim ubi tur
pe non eſt cibum capere, ibi nimirum nec exerceri turpe eſt: imò turpius eſt metuere ac ue
reri nautas, muliones, ac ſtabularios irridentes, non quòd ſphæra ludas, aut umbraticam
pugnam exerceas, ſed quòd inter exercitandum ſimul & diſputes, doceas, quæras ali-
quid, aut diſcas, & in memoriam reuoces. Quare Socrates ſolitus eſt dicere, ſaltatione mo
uenti ſeſe, ſpatioſa domo opus eſſe, in qua exerceretur. At ſi cantu dictionéue exercitare-
tur, uel ſtanti, uel accumbenti quemuis locum ſufficere. Vnum illud erit in his cauen-
B dum, ne conſcij nobis, uel repletionis, uel immoderatę libidinis, uel defatigationis, acrius *Repletis & laſ-*
intendamus & exaſperemus uocem, id quod oratoribus ac ſophiſtis non paucis uſu ueni *ſatis non conue-*
re conſueuit, alijs quidem ob gloriam & ambitionẽ, alijs rurſum dum præmijs ad publica *nit uocis exerci-*
certamina prouocati, uehementius contendunt, quàm expediat. Niger autem familiaris *tium.*
noſter dum in Galatia ſophiſticen profiteretur, forte fortuna piſcis ſpinam deglutiuerat.
Interea dum alius quiſpiam ſophiſta peregrinus eſſet exortus, & artem ſuam exercere cœ
piſſet, metuens hic ne is ſibi gloriam præriperet, ſi conceſsiſſet, ſpina etiamnũ gutturi infi-
xa cœpit exercere, uerùm exorto tumore duro aſperoq;, doloris impatiens, coactus eſt fo
ris ſectionẽ adhibere, ferro altè adacto. At ſpina quidem per uulnus educta eſt: cæterùm
quum uulnus factum eſſet periculoſum, ac profluens, ſuſtulit hominem. Sed hæc aliquis
poſtea ſuo loco meminerit. Cæterùm ab exercitamentis, frigidis uti balneis, ambitioſum
magis eſt ac iuuenile, quàm ſalubre. Nam diſpoſitio quæ ægrè externorum læſioni obno-
xia eſt, & durities corporis, quã efficere uidetur, ea plus mali gignit in intimis, cùm mea-
tus occupat, & humores condenſat, cùm exhalationes ſiſtit, quę ſemper laxari cupiunt, ac
reſolui. Ad hæc neceſſum eſt, ut qui frigidis utuntur balneis, in eandem rurſum incidant,
quam uitamus, exactam illam & anxiè præſcriptã uitæ rationẽ, ſemper ſoliciti, ne ſi quid
prętermiſſũ fuerit, protinus quiduis peccati poſſit acriter imputari. Verùm in calidis balneis
multum eſt ueniæ. Neq; enim ea res tantundem adimit uigoris, ac roboris, quantum adiu
menti confert ad ſanitatem, dum ea ſubminiſtrat quę cõmoda ſunt & amica concoctioni.
Ea uerò quæ concoqui non poſſunt, niſi planè cruda fuerint, & in ſummo hæreant ſtoma
cho, citra moleſtiam diffundit ac diſsipat, & occultas laſsitudines refocillat ac mitigat te-
pore. Quanquã ubi natura ſignificante ſenſeris corpus temperatè, ſatisq; rectè affectum
eſſe, ſatius erit omiſsis balneis ungi ad ignem, ſi corpori tepore fuerit opus. Nam calor ip-
ſius prout libet diſtribuitur. Verùm ſol neq; magis, neq; minus, ſed prout ad aërem tempe
ratus eſt, uſum ſui præbet. Hactenus igitur de exercitationib. ſatis dictũ eſt. Iam uerò ut
ad cibi rationẽ ueniamus, ſi quid profuerunt ea quæ ſuperius dicta ſunt, quibus appeten- *De ciborum*
tiã coërcemus ac manſuefacimus, quid attinet de reliquis præcipere? Quod ſi ſit moleſtũ, *ratione.*
ueluti ſolutũ uinculis tractare uentrem, & cõtendere cum aluo auribus carente, quemad-
modum dixit Cato, tum conandũ eſt, ut ciborũ qualitate leuiorem reddamus expletionẽ.

C Id ita fiet, ſi ſolidiores multiꝗ nutrimenti cibos, quod genus ſunt carnes, caſeus, fici ſicci,
oua aſſa, quum apponuntur, cautim attingamus: nam ſemper recuſare difficilè ſit. Subti-
libus autem ac leuibus immoremur, cuiuſmodi ſunt olera pleraꝗ, uolatilia, & ſi qui piſces
ſunt non pingues. Siquidem fieri poteſt, ut his exhibitis, ita palato gratificeris, ut corpus
tamen non graues. In primis autem cauenda cruditas, quæ ex eſu carnium naſcitur, pro-
pterea quòd non ſolùm protinus grauant uehementer, uerumetiã in poſterum noxiæ ha-
rum reliquiæ remanent. At optimũ quidem fuerit ita conſuefacere corpus, ut nullum car-
nium eſum deſideret. Nam terra plurima ſuppeditat, quæ abundè ſatis ſint non ad alimo-
niam modò, uerumetiam ad delitias ac uoluptatem. Quorum alia ſic exhibet, ut citra ne-
gociũ protinus eis uti liceat, alia rurſum ut cæteris admixta omnijugis rationibus ea con-
dulcent condiantꝗ. Iam uerò quoniam conſuetudo tantùm abeſt ut præter naturam ſit,
ut ipſa uelut in naturam quodammodo tranſeat, nõ decet luporum ac leonum ritu, ad ex-
plendam appetentiam carnium eſu uti, ſed iacto ceu fundamento ac munimento paſtus,
tum reliquis cibarijs uti cõueniet, alijsꝗ obſonijs, his uidelicet quæ cùm magis congruũt
cum natura corporis, tum minus hebetant rationalem animi partem, ut quæ è tenuile-
De liquidis. uiꝗ materia excitatur. Ex liquidis autẽ non oportebit lacte uice potus uti, ſed cibi loco,
ut quod & fortiter & copioſe nutriat. Porrò uino eadem à nobis dicenda ſunt, quæ Vene
ri dixit Euripides: Contingat mihi tui copia, ſed contingat moderata, nec unquam mihi
deſis. Siquidem uinum & potus eſt utiliſsimus, & pharmacum ſuauiſsimũ, & obſonium
quamminimè noxium, ſi quidem temperatũ eſſe contigerit, idꝗ magis ut in tempore mo
dicè ſumas, quàm ut aqua diluas. Aqua uerò nõ ſolum ſi uino admiſceatur, uerùm ſi ſubin
de inter uina diluta per ſe ſola bibatur, magis innoxium reddit id quod dilutum eſt. Proin
de cõſuefacere noſmetipſos oportebit, ut extra quotidianã uictus rationem, duos tréſue
aquæ cyathos addamus, quibus & uini uis, uigorꝗ lenior redditur, & corpus aſſueſcita-
quæ potandæ, quò ſiquando neceſsitas inciderit, non offendatur inſolentia nouitateꝗ,
neꝗ renuat ac recuſet. Fit enim ut nonnulli tum maximè uinum appetant, cùm maximè
opus eſt aquæ potu: ſiquidem quoties ſole æſtuant, aut contrà frigore rigent, aut ubi ue-
hementius dicendo laborarunt, aut acrius cogitationem intenderunt, in ſumma, poſt la-
D bores ac delaſſationes, exiſtimant bibendum eſſe uinum, perinde quaſi natura ſolatium
aliquod corpori poſtulet adhiberi, quo à laboribus refocilletur. At natura ſolatium qui-
dem haud poſtulat, ſi delitias ſolatium appelles: refocillationem autem poſtulat, quę me-
dia ſit inter uoluptatẽ & laborem. Quapropter in iſtiuſmodi minuendus eſt etiam cibus,
uinum aut omnino ſubtrahendum, aut adhibendũ eſt multa ſubinde aquę po tatione tem
peratum ac dilutum. Etenim cùm uehemens & uelocis efficaciæ ſit uinum, corpus iam tur
batum magis exagitat, quæꝗ cõmota ſunt, magis exaſperat atꝗ exacerbat, quum mitiga
tione potius egeant, ac lenimine, ad quæ maximè conducit aqua. Nam ſiquando nõ cùm
ſitimus, ſed alioqui poſt fatigationẽ, calidam biberimus aquam, aut poſt uehementẽ com
motionem ęſtúmue, protinus in intimis laxamentũ ac lenimentum ſentire ſolemus, pro-
pterea quòd lenis eſt humor aquę, minimeꝗ motorius. Contrà uini potus multum habet
impetum, uimꝗ nequaꝗ amicam ac placidam morbis recentibus. At quoniam ſunt qui
dicunt, inediam corpori ſiccitatem & amaritudinem adferre: ſi quis id metuat, aut ſi quis
puerorum more durum exiſtimet non apponi menſam priuſquàm febris acceſſerit, quam
acceſſuram ſuſpicatur, huic aptiſsimũ fuerit confinium aquæ potus. Nam ipſi quoꝗ Bac-
Nephalia Dionyſij ſacra. cho Nephalia ſacra frequenter exhibemus, à ſobrietate ſic appellata, quòd in his uinum
bibere nefas eſſet, rectè noſmetipſos aſſuefacientes, ne ſemper merum requiramus. At Mi
nos & tibiam ſubmouit à ſacris, & coronam à luctu. Atqui ſcimus animum dolentem ni-
hil uel à tibijs, uel à coronis offendi, aut affici poſſe: ſed nullum corpus adeò ualidum eſt,
quod non lędatur, ſi cõmoto & inflammato uinum acceſſerit. Feruntur autẽ Lydi, ſiquan
do fames & annonæ penuria inciderit, ita tranſigere tempus, ut alternis diebus paſcãtur,
deinde ludant ac teſſeris certent. Porrò ſtudioſus ac literarum amans, ſiquando pro tem-
pore ſerius fuerit cœnandum, picturam geographicam, aut librum, aut lyram haudqua-
quam abijciet, cum uentre bellum gerens, ſed aſsiduè cogitationẽ auocans à menſa, & ad
illa traducens, cibi cupiditatem, uelut harpyias, literis diſcutiet. Nam ſi non ueretur Scy-
tha, quum inter potandum ſubinde contrectat arcum, neruoꝗ ſoluto cantat, uidelicet ab
ebrietate reuocans animum: uir græcus num metuet ne rideatur, quum literis ac libris im
probam & impotentem cupiditatem ſenſim remittit ac relaxat? Nam & adoleſcentes illi
apud Menandrum, quibus inter pocula leno tendit inſidias, formoſis aliquot ac magni-
ficis

A ficis inductis meretricibus, in ſeſe quiſq; dimiſsis, ut inquit, oculis arrodebant bellaria, nō
auſi in eas oculos deflectere. Verùm eruditionis ſtudioſi, & honeſtas, & permultas iucun
das habent rationes, quibus auocent atque auertant animum, ſi nequeant alia uia cibis
appoſitis caninam ac ferinam ſtomachi appetentiam cohibere. Cæterùm cùm undiq; uo-
ciferentur aliptæ, undiq; dictitent pædotribæ, quòd inter cœnam diſputare de literis, &
alimenta corrūpit, & capitis grauedinē inducit, id tum deniq; metuendū erit, quoties aut
Indum reſoluturi, aut de dominante diſputaturi ſumus in conuiuio. Nam palmulæ cere-
brum cùm ſit admodum dulce, tamen aiunt capitis dolorem parere. Dialectica uerò edu-
lium eſt in cœna, ut minimè ſuaue, ita uehementer & capitis dolorem & grauedinem gi-
gnens. Quòd ſi nō ſinent nos aliud quippiā ſuper cœnam uel inquirere, uel diſputare, uel
legere, ex his quæ in honeſtate & utilitate, uoluptatē ac iucunditatē inducunt: admonebi
mus eos, ne quid obturbent, néue moleſti ſint, uerùm abeant ipſi potius, eademq; iſta nar
rent athletis in xyſto, ſiue in palæſtra uerſantibus, quos dum à libris arcent, omnemq; ui-
tam in cauillis ac ſcurrilibus iocis peragere cōſueſaciūt, gymnaſiorū columnis ſimiles red
dunt, nempe pingues & ſaxeos, quemadmodū uenuſte dictum eſt ab Ariſtone. Nos ipſi
uerò medicis credentes qui admonent, ut inter cœnam & ſomnum interuallū aliquod ſi-
namus intercedere, neq; cibos in corpus cōgeramus, ac ſpiritus offendamus, ne protinus
crudis & feruentibus etiamdū eſcis, concoctionē oneremus, uerùm interſpirationē & la-
xamentum indulgeamus, quemadmodū facere ſolent hi, qui cùm à cœna ſtatuerunt agi-
tare corpus, haudquaquā id faciunt curſibus, aut pancratijs, ſed mollioribus exercitijs, pu
ta inambulationibus, modulatiſq; ſaltationibus ac choreis. Itidem & exiſtimare debe-
mus, animum à cœna non eſſe uexandū, neq; negocijs, neq; curis, neq; ſophiſticis conten
tionibus, quæ ferè in ambitioſum certamen ac tumultū exeunt: ſed ſunt complures de re-
rum naturis quęſtiones, ut minimè graues, ita probabiles: cōplures item narrationes quæ
ad mores pertinent, & in quibus ineſt aliquid conſiderandū atq; expendendū, coniunctæ
tamen cum eo, quod Homerus uocat menóices, id eſt, animum deliniens, alienæ ab omni
contentione pugnaq;. Porrò iſtiuſmodi hiſtoricarū & poëticarum quæſtionū exercitati- *Studioſorum ſecundæ menſæ.*
B unculas, ſunt qui non iniucundè, ſtudioſorum & eruditorum hominum ſecundas menſas
cognominarunt. Sunt item narrationes, in quibus nihil eſt moleſtię: ſunt fabulæ. Tum de
lyra, tibiaq; aliquid uel audire uel dicere, leuius eſt, quàm ipſam lyram tibiamq; ſonantem
auſcultare: Porrò modus temporis in eo eſt, ſi paulatim ſubſidente cibo, & conſpirante,
temperata fuerit concoctio cōmodaq;. At quoniā Ariſtoteles in hac eſt ſententia, ut putet
ambulationē à cœna calorem excitare: ſomnum autem, ſi quis ilicò dormiat, eundem calo
rem ſuffocare: rurſum alijs placet, quiete concoctionē magis adiuuari, agitatione contrà
turbari digeſtionem: factum eſt ut alij rationem Ariſtotelis ſecuti, protinus à cœna inam-
bulent, alij diuerſa permoti ſententia conquieſcant: peculiarem, & utrinq; mixtam ratio-
nem ſequi uidebitur, qui corpus poſt cœnam foueat, contineatq;, neq; uexans cogitatio-
nem, neq; rurſum ocio ſtatim languens, ſed (uti dictum eſt) leniter digerēs ſpiritus, & ſub
tiliores reddens, uel fabulando, uel audiendo aliquid placidum ac lepidum, quod neque
mordeat animum, neq; grauet. Porrò uomitus & alui ſubductiones, quæ pharmacis fiūt,
ut mala ſolatia repletionis, niſi grauis exigat neceſsitas, non oportebit experiri. Quod ta-
men uulgus hominū facit, qui in hoc ipſum corpus explent, ut poſsint euacuare: rurſum
euacuant, ut poſsint explere, utrunq; contra naturā, non minus interim cruciati diſtenſio-
ne, quàm inanitate, imò potius expletione modis omnibus grauantur, tanquam quæ deli
tijs ſit impedimento, inanitatem uerò ueluti locum ac ſpaciū uoluptatibus ſemper præpa
rant: nō enim obſcurum eſt iſta noxiam adducere, cùm utraq; corpus perturbent, atq; lan
cinent. Habet autē uomitus & peculiare malum, quod inſatiabilitatē auget aliter. Naſcun *Vomitus incommoda.*
tur enim ueluti interciſi fluctus, eſuritiones acres ac turbulentę, & per uim ad cibum per-
trahunt ſemper relinquentes, non ſimilem his quæ cibis opus habent, ſed inflammationi-
bus, quę pharmacis & cataplaſmatis indigent. Vnde quum uoluptates illis contingunt re
pentinæ & imperfectæ, multumq; torminis habentes in fruendo, tum uerò diſtenſiones,
ac plagæ meatuum, ſpirituumq; concluſiones ſuccedunt, quæ naturales eductiones non
expectent, ſed ita redundent in corporibus tanquam in nauigijs ſentinæ plenis, quibus
onerum eiectione opus eſt, non acceſsione. Iam cōmotiones per pharmaca in aluo inferi-
ore corrumpunt, ac liquefaciunt partes ſubiectas, & plus addunt ſuperfluitatis, quàm e-
ducunt. Itaque non aliter, quàm ſi quis grauiter ferens Græcorum multitudinem ac tur-
bam eadem in ciuitate cōmorantem, Arabibus ac Scythis peregrinis expleat ciuitatem;

C ſic nonnulli tota errant uia, dum eijciendis conſuetis ac domeſticis ſuperfluitatibus, aliunde grana quædam Cnidia, & ſcammoniam in corpus ingerunt, item aliarum rerum compoſitiones incongruas, atq; agreſtes, quæ tantùm abſunt ut naturam expurgare queant, ut ipſa magis indigeant purgatione. Proinde optimum fuerit moderato frugaliq; uictu tale corpus efficere, quantum ad inanitiones & repletiones attinet, ut ipſum ſibi ſufficiat, conſtetq;. Quòd ſi quando neceſſum erit nouare corporis ſtatum, tum citra pharmaca, citraq; curioſitatem uomitus faciendus eſt, ita ut nihil conturbemus, ſed ad cruditatem euitandam, redundanti euacuationem per ſe permittamus. Nam quemadmodum lintea ſi cinere nitroq; lauentur, magis atteruntur lotione, quàm ſi proluantur undis: itidem uomitus pharmacis extorti magis offendunt, uitiantq; corpus. Porrò quum dura ſumus aluo, non aliud remedium melius, quàm ut his utamur cibis, qui leniter cient aluum, ac placidè ſoluunt: quorum cùm familiaris eſt experientia, tum uſus moleſtia uacat. Quòd ſi minus his rebus commoueatur, tum oportebit complures dies aquam potare, aut abſtinere cibis: deniq; clyſter ſumendus potius quàm pharmaca iſta, corpus perturbantia ſimul & uitiantia,

Clyſterum uſus pharmacis potior.

quæ uulgus cupidè facileq; ſolet appetere, non aliter quàm mulieres ueneficijs utentes, quibus abortum faciant, fœtumq; perdant, ut rurſum impleantur ac uoluptuentur. Sed hos quidem dimittamus. Porrò qui nimium ſunt diligentes, ac ſtatas quaſdam, certoq; dierum recurſu decretas inedias ſibi imponunt, haud rectè faciunt, quippe qui naturam, quum nihil ſit opus, docent indigere abſtinentia, & facere neceſſariam, quæ neceſſaria non eſt, cibi ſubtractionem, in tempore ſtatum morem exigente. Præſtabilius enim eſt, non ex præſcripto, ſed liberè caſtigationes iſtiuſmodi corpori adhibere. Verùm quum nulla morbi præſenſio eſt, neq; ſuſpicio, tum oportebit reliquam omnem uitæ rationem ita præparatam habere, ut pro re nata facilè commodeq; ferat nouitatem, & obſequetur, non ut ſeruiat, eidemq; uitæ tenori ſit alligata, ſic inſtituta & aſſuefacta, ut ad certa tempora, numeros, circuitus redigatur. Nam id neq; tutum eſt, neq; facilè, neq; ciuile, neq; hominis omnino, ſed oſtrei magis, aut ſtipitis uita uidetur. Nam qui ſic ad eundem perpetuò tenorem aſtringunt ſeſe in cibis, in abſtinentijs, in exercitijs, in quiete, in umbraticam quandam & ignauam uitam ſingularem, ab amicitia, à gloria, à ciuilitate maximè alienam conijciunt, contrahuntq;

D ſeipſos, me quidem, inquit, haudquaquam approbante. Neq; enim inertia & ocio comparatur bona ualetudo, quum hæc præcipua duo mala putentur, quæ morbis adiuncta ſint. Neq; quicquam intereſt inter eum qui oculorum ſanitatem hac uia tuetur ut nihil aſpiciat, & uocem hac ratione ſeruat ut nihil loquatur, & hunc qui credit bonam ualetudinem non aliter ſeruari poſſe, quàm ſi ea non utatur, nec exerceat. Etenim cùm rectè ualet is, nihilo tamen ipſe ſibi fuerit utilior ad multa humanitatis officia præſtanda. Proinde nequaquam exiſtimandum eſt, ſalubrem eſſe inertiam: ſiquidem id perdit, cuius gratia ſalubritas expetitur. Ac ne illud quidem uerum eſt, ualere rectius eos, qui degunt in ocio. Siquidem neq; Xenocrates rectius ualuit quàm Phocion, neq; Theophraſtus quàm Demetrius: neque quicquam profuit Epicuro, nec Epicureis, ad eam quam tantopere laudant bonam corporis conſtitutionem, quòd omnem rerum adminiſtrationem & ambitionem effugerint.

In quouis uitæ genere, & morbo & ualetudini locum.

Sed alijs rationibus naturalem illum corporis habitum oportebit tueri, ſic ut meminerimus, in quouis uitæ genere, & morbo & bonæ ualetudini locum eſſe. At ſanè qui in reipublicæ negocijs uerſantur, inquit, diuerſa ratione ſunt admonendi, quàm ea qua Plato conſueuit adoleſcentibus præcipere. Siquidem è diſputatione diſcedens, dicere ſolitus eſt ad hunc modum: Videte pueri, ut ocium in re quapiam honeſta collocetis. At nos hortabimur eos qui rempublicam adminiſtrant, ut in rebus honeſtis ac neceſſarijs laboribus exerceantur, neq; uilium aut mediocrium gratia corpus exagitent. Sic enim complures in morbum incidunt, dum ſe quibuslibet de cauſis diſcruciant uigilando, peregrinando, ſurſum ac deorſum curſitando, quum interim nihil utile aut bonum agant, ſed alijs uel inſidientur, uel inuideant, uel contendant, aut gloriolas inanes & infrugiferas aucupentur. In hos (ni fallor) maximè quadrat illud quod dixit Democritus: Si corpus animum in ius uocaret, non futurum ut ille muneris male adminiſtrati crimen effugeret. Atq; haud ſcio an uerum dixerit Theophraſtus, quum per translationem ait, animum ingentem pro locata domo mercedem corpori perſoluere. Quanq; plus malorum accipit corpus ab animo, cùm is eo non utitur ut par eſt, neq; curat uti debet. Nam quoties affectibus ſuis, contentionibus, & curis occupatus eſt animus, tum non parcit corpori. Miror itaq; quid Iaſoni uenerit in mentem quum diceret, in paruis negocijs ius eſſe uiolandum, ut in magnis ſeruari poſſit. Nos uerò iure optimo monebimus uirum in reipublicæ negocijs uerſantem, ut in

rebus

A rebus minutis remiſſus ſit & ocioſus, & ab his quieſcat, ſi uelit ad præclara & ardua nego-
cia corpus habere laboris patiens, non languidum neq; detrectans, ſed uelut in ſtatione
nauali curatum ac redintegratū ocio, quò cùm animus rurſum ad neceſſarios uſus uocarit,

Curſu ſequatur, pullus ut lactens equum.

Quapropter quoties per negocia licebit, reficiāt ſeſe, neq; ſomnum interim corpori, neq;
prandium inuidentes, neq; relaxationem, quæ quidem media eſt inter uoluptatem & af-
flictionem, nec terminos obſeruat: cuiuſmodi plerią; mortales obſeruantes, corpus perin
de ac ferrum immergendo crebris permutationibus conſumunt, cùm aliquando labori-
bus ſupra modum urgetur atq; intenditur: rurſum uoluptatibus liquefit præter modum,
ac molleſcit: poſt hęc iterum Venere uinoq; diſſolutū ac flaccidum, in forum, aut curiam,
aut aliam conſimilem functionem trahitur, quæ uiuidum & acre deſideret ſtudium. Hera
clitus quidē cùm aqua intercute laboraret, medico præcepit, ut ex imbre ac humiditate fa
ceret ſiccitatem. At multi tota errāt uia, qui quoties in laboribus, fatigationibus, cibi, ſom
niq; inopia fuerint uerſati, tum maximè dant operam, ut corpus uoluptatibus ſoluāt, atq;
remolliant; rurſum autem poſt uoluptates denuò diſtringant atq; intendant. Nec enim na
tura eiuſmodi penſationes ac ſarturas corporis requirit, ſed animus magis intēperans atq;
illiberalis, qui dum nautarū exemplo à laborib. digreſſus, ad uoluptates ac delicias rapit,
rurſum poſt uoluptates ad nauigationes ac labores incitāt, nō ſinit naturā id cōſequi, quo
potiſsimū opus habet, nempe cōſtantiā ac tranquillitatē, uerùm inæqualitate uitę pertur
bat, atq; à ſtatu ſuo dimouet. At hi qui ſapiūt, nequaq; fatigato corpori uoluptates admo
uent: neq; enim omnino deſiderāt, imò ne meminerūt quidē iſtiuſmodi, ut quibus mens
ſit honeſtis intenta negocijs, eaq; pars animi quę uoluptatē affectatura fuerat, alijs cupidi
tatibus obruatāt. Etenim, quod aiunt per iocū dixiſſe Epaminondā, cùm uir quiſpiam pro-
bus, tempore Leuctrici belli morbo periſſet: Papæ, quo pacto fuit ociū moriendi homini
in tam multis negocijs: hoc uerè licebit dicere de uiro, uel publicis negocijs, uel philoſo-
phiæ ſtudijs occupato. Quod aūt ociū nunc eſt iſti uiro, ut crudus ſit, aut ut temulētus, aut
uti laſciuiat: Verum ubi rurſum à negocijs in ocium ſeſe receperint, relaxāt, ac refocillant
B corpus, cauentes ac uitantes cùm labores inutiles, tum uerò præcipuè uoluptates non ne-
ceſſarias, uelut hoſtes naturæ. Equidem Tiberium Cæſarem aliquando dixiſſe audiui: Ri
diculum hominem eſſe, qui ſexageſimū prætergreſſus annum, manū porrigeret medico.
Sed hoc ille mihi dixiſſe uidetur arrogantius. Quanquam illud eſſe uerum arbitror, con-
uenire ne ſui quiſq; pulſus peculiares rationes ignoret, ſingulis enim diuerſæ ſunt: neque *Sui cuilibet pul-*
ſuæ temperaturæ ſit imperitus, quàm calidum, quàm ſiccum habeat corpus, neq; quarum *ſus attendendi.*
rerum uſu uel iuuari ſoleat, uel offendi. Siquidem ipſe ſui ſenſu caret, cæcuſq; ac ſurdus
corpus inhabitat, quiſquis iſta diſcat ab alio, medicum percontans, utrum rectius æſtate
ualeat, an hyeme, & utrum humida facilius accipiat, quàm ſicca, & utrum pulſum natura
denſum habeat, an rarum. Nam iſta ſcire non ſolùm utile eſt, uerumetiam perfacile, quip-
pe qui aſsiduè experiamur, & adſimus. Cæterùm inter ciborum ac potus genera magis
oportet cognoſcere quæ iuuant, quàm quæ delectant: ac magis peritum eſſe eorum quæ
ſtomacho ſunt amica, quàm quæ inimica: & eorum quæ non perturbant concoctionem,
quàm quę palatum magnopere titillant. Etenim à medico ſciſcitari, quid ſibi ſit concoctu
facile aut difficile, quid aluo conducat aut noceat, id non minus ſit turpe, ꝗ interrogare,
quid dulce, quid amarū, quid auſterū. Nunc uerò ipſos quidem opſoniorū artifices repre-
hendunt caſtigantq;, experimento percipientes ubi plus dulcedinis, aut ſalis, aut auſteri-
tatis inſit ꝗ oportet. At ijdem ignorant quę res ſi corpori admiſceatur, leuis, aut innoxia,
aut utilis ſit futura. Vnde fit, ut in condiendo iure raro peccetur apud iſtos: at dum ſeipſos
perperàm ac màle condiunt, plurimū negocij quotidie medicis exhibent. Ac ius quidem
non ita ducunt optimum eſſe, ſi ſit dulciſsimū, quin acria quoq; permulta cōmiſcent: ue-
rùm in ipſum corpus multas & ſatietatem & nauſeam gignentes uoluptates immergunt,
partim quòd ignorent, partim quòd non meminerint, his quæ ſalubria ſunt & utilia, uolu
ptatem innoxiam ac perpetuam à natura adiungi. Quin & illud ad rem pertinet, ut memi
nerimus quæ cognata ſint & accōmoda corpori, & quæ ſecus, in temporarijs affectioni-
bus, ac reliquis caſibus & circumſtantijs, uti nouerimus propriam ac peculiarem cuiq; ui-
ctus rationem accommodare. Nam quæ plerią; uulgò incurrunt curioſitatis ac illiberali-
tatis offendicula, circa colligendos ac laborioſè adſeruandos fructus, uigilijs ac circuncur
ſionibus, corporis debilitatē ac marcorem deprehendentes, non eſt uerendum ne ſtudio-
ſis aut rempublicam adminiſtrantibus uiris accidant, ad quos nobis eſt inſtitutus ſermo:

C ſed his, in literis ac diſciplinis alia quædã acrior curioſitas & anxietas eſt uitanda, qua fit ut neq; parcere corpori, neq; curam illius habere compellant, ſæpenumero iam deficienti non indulgentes, uerùm adigentes ut mortale cum immortali, terreſtre cum olympio, certamen ſuſcipiat ac perficiat. Deinde bos camelo conſeruo recuſanti ſeſe oneris parte ſublevare: imò, inquit, paulò pòſt & me ipſum, & hæc omnia portabis. Id quod etiam euenit boue mortuo. Idem uſu uenit animo, qui dum puſillum relaxare & concedere renuit fatigato corpori & poſtulanti, paulò pòſt febri quapiam incidente, ſeu capitis uertigine, libris, diſputationibus & exercitijs literarijs omiſsis, cogitur unà cum illo ægrotare ſimulq; laborare. Proinde rectè monebat Plato, ut neq; corpus exerceremus ſine animo, neq; animum ſine corpore, ſed ueluti iugi quoddam ęquilibriũ ſeruaremus corpori, cùm corpus maximè animo nauat operam, ſeq; laborum ſocium præbet, tum plurimam illi curam ac ſolicitudinem uiciſsim impendamus, præclaram illam & optabilem incolumitatẽ præmij uice rependentes: ita ut præſtantiſsimũ omnium bonorum quæ corpus animo præſtat, id eſſe putemus, ut ad uirtutis cognitionẽ, & ad dicendi & agendi uſum, nõ ſit impedimẽto.

Contra ſtudioſos corporis nullam curã habentes.

Plutarchi commentarium, in principe requiri doctrinam.

ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

PLATO rogatus à Cyrenenſibus ut ſibi leges ſcriberet, ſcriptasq; relinqueret, ac reipublicæ ſtatum componeret, recuſauit, dicens eſſe perdifficilè leges condere Cyrenenſibus, qui tam eſſent felices. Nihil enim tam ſuperbum, nihil tam intractabile ac moroſum eſſe, quàm hominẽ quem felicitatis opinio corripuerit. Quapropter difficilè eſt his qui gerunt imperium, de imperio conſulere. Reformidant enim doctrinam
D ceu principem admittere, ne potentiæ bonum quod habere uidentur impediat, ſi id aſtringat, & ſeruire cogat honeſto. Idq; faciunt, quòd ignorent ſententiam Theopompi Spartanorũ ducis, qui cùm primus in Sparta regiæ poteſtati adiunxiſſet magiſtratus Ephoros, deinde uxor dixiſſet, probro illi futurum ſi filijs traderet minus imperium quàm accepiſſet ipſe: Imò maius, inquit, relinquo: nimirum hòc maius, quò firmius. Nam cùm acerbitatem ac ſæuitiam imperij remiſiſſet, unà cum inuidia uitauit & periculum. Quanq; Theopompus ex imperio uelut magno flumine deductis riuis, quantum alijs dedit, tantũ ſibi detraxit. At doctrina ex philoſophia principi aſsidens, & uelut cuſtos inhabitans, uirium periculum uelut ex bona corporis habitudine auferens, quod ſanum eſt relinquit. Sed pleriq; reges ac principes parum cordati, ſtatuarios imperitos imitantur, qui credunt coloſſos magnos & amplos uideri, ſi tibijs uehementer diductis, ſi latè diſtentos & hiantes finxerint. Nam hi quoq; grauitate uocis, toruitate uultus ac morum truculentia, fugáq; conſuetudinis humanæ, maieſtatem & autoritatem imperij ſibi uidentur imitari, nihil prorſum à coloſſorum ſignis diſcrepantes, qui cùm foris heroicam ac diuinam quandam ſpeciem præ ſe ferant, intus pleni ſunt terra, lapide, plumbo: niſi quòd iſtud coloſſorum pondus rectitudinem illorum ſtabilem & immotam ſeruat: at ineruditi duces ac principes, propterea quòd intus male librati ſint, ſæpenumero uacillant, ac ſubuertuntur. Etenim cùm baſi non rectè poſitæ ſublimem ſuperſtruunt poteſtatem, ſimul cum ipſo pondere nutant, & ad ruinam inclinantur. Verùm quemadmodum oportet, ut ipſa regula primùm recta ſit, nihil habens obliquum, deinde cætera ſibi admota, quatenus ſibi congruunt, exæquet: conſimili modo princeps poſteaquàm imperium in ſeipſo parauerit, ac direxerit, uitamq; ſuam compoſuerit, tum debet ſibi coaptare eos quibus imperat. Nec enim cadentis eſt alium erigere, nec ignorantis docere, nec incompoſiti componere, nec ordinare inordinati, nec imperare eius qui non pareat imperio. At qui parum ſapiunt, illud præcipuum imperij bonum eſſe ducunt, quòd nullius imperio ſubiaceant. At Perſarum quidem rex omnes pro ſeruis habebat, præter uxorem ſuam, cuius maximè conueniebat eſſe dominum. Quis igitur imperabit principi? nempe lex omnium regina, & mortalium & immortalium, ut ait Pindarus: non iſta quidem lex foris in libris, aut ligneis ſcripta tabulis, ſed animata ipſi inſita ratio, ſemper conuiuens, ac familiaris principi, nec unquam animum ſuo ductu, ſua moderatione deſtituens. Nam Perſarum

Imperium non ſpacio locorum ſed ſtabilitate metiendum.

rex

A rex unum habebat cubicularium, cui hoc negocij mandatum erat, ut diluculo ingreſſus il
li diceret: Surge rex, atq; ea cura negocia, quæ te curare uoluit Meſoromaſdes. At erudi-
to prudentiq; Principi intus in animo adeſt, qui ſemper idem dictet ac iubeat. Polemon
dicebat amorem eſſe deorum obſequium ad proſpiciendum adoleſcentulis. Sed uerius
quis dixerit, Principes miniſtros eſſe Dei ad curam ac ſalutem hominum, uti bona quæ *Principes, miniſtri Dei.*
Deus illis largitur, partim diſtribuant, partim ſeruent. Vides in ſublimi cœlum hoc im-
menſum, quod terram undiq; liquidis ulnis amplectitur? Illud quidem demittit ſeminum
quibus opus eſt principia, terra uerò producit: creſcunt autem partim imbribus, partim
uentis, partim ſtellis ac luna confouentibus: porrò ſol ornat omnia, omnibus uim amoris
ex ſeſe admiſcens. Sed tot tantiſq; muneribus ac bonis quæ dij largiuntur, non licet nec
frui, nec uti rectè, ſi deſit lex, iuſtitia, & princeps. Itaq; iuſtitia quidem legis eſt finis, lex au
tem principis opus, princeps uerò Dei ſimulachrum adminiſtrantis uniuerſa, nihil egens
Phidia ſtatuario, neq; Polycleto, neq; Myrone; ſed ipſe ſeipſum per uirtutem Deo ſimi-
lem reddit ac fabricatur ſtatuam omnium uiſu iucundiſsimam, ac magnificentiſsimam.
Quemadmodum enim Deus in cœlo pulcherrimū ſuijpſius ſimulachrum cōſtituit ſolem
ac lunam, talis eſt in republica imago ac lumen princeps, qui Dei reuerens, iuſtitiam tue-
tur, hoc eſt, Dei rationem geſtat, nempe intellectum, non ſceptrum, aut fulmen, aut tri-
dentem, qua ſpecie ſeipſos nonnulli fingunt, ac pingunt, ſtultitiam ſuam, quòd uideantur
inacceſsi, reddentes inuidioſam. Offenditur enim Deus his, qui tonitrua, fulmina, radio-
rum iaculationes imitantur: delectatur autem his, qui ſuam æmulantes uirtutem, ſemet in
honeſtate & humanitate reddunt adſimiles, atq; hos in maius prouehit, impertiens ſuam
æquitatem, iuſtitiam, ueritatem, ac manſuetudinē. Quibus rebus nihil eſt diuinius, neque
ignis, neq; lux, neq; ſolis curſus, neq; exortus & occaſus aſtrorū, nec ipſa æternitas, aut im
mortalitas. Non enim felix eſt Deus uitæ ſpatio, ſed principatu uirtutis: hic enim diuinus
eſt. Honeſtum autem eſt etiam quicquid imperio ipſius ſubiacet. Anaxarchus igitur, quū
Alexandrum de Cliti cæde diſcrucianteṁ ſeſe conſolaretur, dixit ad hunc modum: Clito
iuſtitiam contigiſſe, quæ dijs aſsideat, ut quicquid à rege fieret, fas iuſq; uideretur. Idq;
B nec rectè, nec utiliter, cùm regem errati pœnitentem animare ad ſimilia patranda exiſti-
maretur. Quòd ſi hiſce de rebus ſimilitudines ſunt conferendæ, non aſsidet Ioui iuſtitia,
ſed ipſe iuſtitia, faſq; eſt, lexq; tum antiquiſsima, tum exactiſsima. Veteres ita & loquun-
tur, & ſcribunt, & docent, abſq; iuſtitia principatum rectè gerere, ne Iouem quidem ipſum
poſſe. Atq; eadem uirgo eſt iuxta Heſiodum, nimirum incorrupta, pudoris, modeſtiæ, &
utilitatis amica, unde & reuerendos cognominant reges. Conuenit enim ut hi maximè
reuereantur, qui minimè timent. Cæterùm principem magis oportet timere, ne quid mali
faciat, quàm ne quid patiatur. Nam hoc ex illo naſcitur. Atq; hic eſt principis metus, &
humanus, nec ingeneroſus, ut his, quibus imperat, metuat, ne quid ſe inſcio lædantur:
Non aliter atq; canes nocturnā ac laborioſam agentes ouium in ſeptis cuſtodiam, ſimul-
atque trucem audierint feram, timent non ſibi, ſed his quæ cuſtodiunt. Epaminondas au-
tem Thebanis in ludos quoſdam feſtos & compotationes ſolutis, ſolus adibat arma, mœ-
niaq;, dicens ſe ſobrium eſſe, ac uigilare, quò liceret alijs ebrios eſſe, ac dormire. Præterea
Cato in Vtica, uictore Cæſare, reliquos omnes iuſsit ad marę uocari: eos ſimulatq; impo-
ſuiſſet, ac proſperam eſſet nauigationem precatus, ipſe reuerſus domum, ſibi necem ſua
manu conſciuit, docens uidelicet; quibus debeat timere princeps, & quæ debeat contem
nere. Contrà Clearchus Ponti tyrannus, arculæ incluſus, ſerpentis in morem dormire ſo-
litus eſt. Et Ariſtodemus Argiuus in cœnaculo domicilium habebat oſtio penſili, cui im-
poſita lectica dormire conſueuit unà cum amica. Puellæ mater ſcalas detrahebat, eaſq;
rurſus apponebat orta luce. Quantopere creditis hunc horruiſſe theatrum, palatium, cu-
riam, conuiuium, qui è cubiculo ſibijpſi carcerem fecerit? Itaq; qui uerè ſunt reges, timent
his, in quos habent imperiū: contrà tyranni eos ipſos timent: proinde metum augent au-
cta potentia, propterea quòd quò pluribus imperant, hòc plures metuunt. Nec enim con
ſentaneum eſt, neq; decens, id quod à nonnullis philoſophis dictum eſt, in hyle, id eſt, ma
teria, quæ cuncta patiatur, quæq; in rebus innumeras recipiat neceſsitates, caſus, commu
tationes, latêre Deum admixtum, ſed ſupra nos in ſublimi, iuxta naturam quę ſemper eo-
dem modo ſe habet, in ſanctis, ut inquit Plato, fundamentis fixus ſedens, recta perficit iu-
xta naturam obambulans. Quemadmodum autem in cœlo ſolem pulcherrimum ſui ſi-
mulachrum, quod ſe ceu ſpeculo repræſentet, oſtendit his qui ipſum per illum poſſunt in-
tueri: ita in ciuitatibus iuſtitiæ lucem, huiuſq; rationē uelut imaginem conſtituit, quam ſe

C lices ac prudentes effingunt è philoſophia, ad ſummã rerũ pulchritudinẽ accõmodantes ſeſe. Hunc autẽ animi habitum nihil eſt quod gignat in nobis, niſi doctrina è philoſophia proficiſcẽs: ut ne idem nobis accidat quod Alexandro, qui cùm Corinthi uidiſſet Diogenem, eiusq; probaſſet ingeniũ, ac uiri prudentiã ac magnitudinẽ eſſet admiratus, Ni Alexander eſſem, inquit, Diogenes eſſem: aliquantulũ, ut ita dicam, onuſtus ſua felicitate, ac ſplendore, potentiaq;, uelut impedimentis & ocium negantib. ad capeſſendã uirtutẽ, inuidens tamen interim Diogeni palliũ ac peram, quibus ille inuictus erat & inſuperabilis, non quemadmodũ ipſe, armis, equis, & ſariſsis. Licebat igitur philoſophantẽ ſimul & affectu fieri Diogenẽ, & fortuna manere Alexandrũ. Et ob hoc magis etiam Diogenẽ fieri conueniebat, quòd Alexander eſſet, ut qui aduerſus magnã fortunã, turbulentã ac procelloſam, multis opus haberet fulturis, magnoq; gubernatore. Nam in imbecillibus, humilibus, ac priuatis, ſtultitia impotentiæ mixta, ad hoc ut peccare non poſsint, anxietas quędã uelut per ſomnia grauia animã perturbat, ad cupiditates coëxurgere nõ potentẽ. At uerò ubi poteſtas malitiã aſſumpſit, affectibus effectum addit. Verum eſt illud Dionyſij, qui dicebat ſe tum maximè capere fructum ex imperio, cùm quæ uellet celeriter efficeret. Itaq; uehementer eſt periculoſum, uelle quæ non decet, eum qui quæ uelit, facere poſsit.

At ſimulac dictum eſt uerbum, res ipſa peracta eſt.

Malitia celerem nacta curſum ex poteſtate, quemuis affectum auget, iram faciens cędem: amorem, adulterium: auaritiam, proſcriptionẽ: ac ſimul ut uerbum dictum eſt, actum eſt de eo qui ſuſpicione offendit, perijtq; delatus. Et quemadmodũ docent phyſici, fulgur po-

Fulgur poſterius erumpere, quàm tonitru.

ſterius erumpere quàm tonitru, prius tamen apparere, ſicuti ſanguis prius apparet quàm uulnus, propterea quòd ſonitum quidem excipiant aures, lumini uerò uiſus occurrat: ſic in imperijs ſupplicia præuertunt accuſationes, & prius emicant condemnationes, quàm probationes:

Illic enim i·a iam nequit reſiſtere,
Hamata ſicut ancora æquori fero.

Niſi rationis pondus frangat ac premat potentiã, uti princeps ſolem imitetur, qui cùm altiſsimus eſt, ad polum ſeptentrionalẽ euectus, tum minimũ mouet, curſum tutum reddẽs

D tarditate. Neq; enim fieri poteſt ut malitia lateat in poteſtate. Verùm eos quidẽ qui morbo comitiali ſint obnoxij, ſi in frigus aliquod incidant, eoq; corripiant, cõtinuò capitis occupat uertigo, ac uacillatio morbum arguens: At indoctos & ineruditos ſimulatq; fortuna paululum extulerit, opibus ac gloria, aut potentia ſubuectos in altum, protinus oſtendit caducos. Imò potius quemadmodum in uaſis inanibus non queas dignoſcere integra ſint an uitioſa, uerùm ubi infuderis aliquid, tum apparet quâ perſtillent: ſic animi putres, non ferentes potentiam, effluunt cupiditatibus, nempe iracundia, faſtu, inſolentia. Sed quid attinet de his dicere, cùm minima etiam nobilium & illuſtriũ uirorum delicta calumnientur homines? Catoni uinum obijciebatur, Scipioni ſomnus, Lucullus ob cœnas ſumptuoſiores male audijt.

Plutarchi, cum principibus maximè philoſophũ debere diſputare.

ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

IN amorem principũ uirorum inſinuare ſeſe, & illorum amicitiam ambire, & ſuſcipere, eamq; colere, quæ multis ſit tum publicè, tum priuatim utilitatem ac fructum allatura, id hominum eſt ciuilium, honeſtate & humanitate præditorum, non gloriæ cupidorum, quemadmodum nõnulli dictitant. Quin contrà potius is & gloriæ ſitiens, & probri metuens uidetur, qui reformidat ac ueretur, ne dicatur ſtudioſus & obſeruans eorum qui poteſtate præcellunt. Alioqui quid dicit is qui ſanabilis eſt, & philoſophũ deſiderat? Vtinam ſim Simon ille coriarius, aut grammatiſta Dionyſius, è Periclis aut Cimonis familia, uti mecum confabuletur, mihiq; aſsideat, quemadmodum Socrates illis. Et Ariſton Chius, cùm male audiret à ſophiſtis, quòd cum omnib. qui

cunq;

A cunq; uellent, diſputaret: Vtinã, inquit, etiam feræ intelligerent ſermones qui prouocent
ad uirtutem. Et nos refugiemus habere conſuetudinem cum uiris potentibus & optimati
bus, perinde quaſi immites ſint ac feri? Philoſophiæ doctrina non eſt ſtatuarum artiſex, ut
ſigna fingat quę in baſi muta ſtent, & ſenſus expertia, quemadmodum dixit Pindarus: ſed
agilia ſtudet facere quæcunq; aggredit̃, actuoſaq; ac animata. Addit impetus quibus ex-
citentur, addit iudicium quod inuitet ad utilia, addit delectum quo ſequamur potiora, ad
dit prudentiam, animiq; magnitudinem, cum manſuetudine cautelaq; coniunctam. Per
quas res uiri ciuiles libentius habent familiaritatẽ & conſuetudinem cum pręcellentibus
dignitate uiris ac præpotentibus. Etenim ſi quis medicus ſit egregius, libentius illi mede-
bitur oculo, qui pro multis circunſpiciat, multosq; cuſtodiat. Ita philoſophus eius animi
curam libentius aget, quem uidet pro multis ſolicitũ, quemq; oporteat multis ſapere, mul
tis eſſe philoſophũ, multis exhibere iuſtitiam. Etenim ſi peritus artiſex fuiſſet in exquiren
dis & contrahendis aquis, cuiuſmodi narrant Herculẽ, ac ueterũ complures, non gauiſus
eſſet fodere in extremis oris iuxta corui rupem ſubulcicam illam Arethuſam, ſed amnis ali
cuius perennis fontes aperuiſſet ciuitati & exercitui, regum arbuſtis ac ſaltibus. Audiui-
mus ſanè Homerum, Minoa dei oariſtem appellantẽ, hoc eſt, interprete Platone, familia-
rem ac diſcipulũ. Neq; enim cenſebat priuatos homines, aut ędium cuſtodes, aut ocioſos,
eſſe deorum diſcipulos, ſed reges: quibus ſi cõtigerit rectum conſilium, iuſtitia, probitas,
fortitudo, continuò futurum eſt ut omnes adiuuentur, fructumq; capiant, qui cum eis ha-
bent cõmercium. Ferunt ſi eryngiũ herbam una aliqua capra ſumpſerit in os, primũ ipſam *Mirum de*
ſiſti, deinde reliquũ omnẽ gregem cum illa conſiſtere, donec accedens caprarius, herbam *capris.*
eximat. Eiuſmodi quædã uis & acrimonia fluit à poteſtate, quæ ignis in morem depaſca-
tur ac diſsipet quæcunq; propius admota fuerint. Atqui philoſophiæ doctrina, ſi in homi
nem priuatum inciderit gaudentẽ ocio, ſeſeq; ueluti centro ac ſpacio geometrico, corpo-
ris neceſſitatibus circumſcribentẽ, nihil transfundit in alios, ſed ſacta in uno illo tranquilli
tate & quiete marceſcit, ſimulq; cum eo deficit. Verùm ſi principem, aut magiſtratũ, & in
negocijs uerſantẽ attigerit, atq; hunc expleuerit honeſtate, per unum prodeſt cõpluribus.
Sic fuit Anaxagoras Pericli familiaris, Dioni Plato, Pythagoras Italię primatibus. Ac Ca
B to ipſo relicto exercitu, nauigauit ad Athenodorũ. Scipio Panætium accerſiuit, cùm à ſe-
natu legatus eſſet, ut tum iniuriam, tum æquitatẽ hominũ conſideraret, uelut inquit Poſi-
donius. Quid igitur oportuit dicere Panętium? Si quidẽ eſſes Caſtor aut Pollux, aut alius
quiſpiam priuatus, cupiens mediam urbis lucem effugere, per ocium in angulo quopiam
philoſophorũ ſyllogiſmos reſoluens ac nectens, lubens te docendum ſuſcepiſſem, tuaq;
uterer conſuetudine. Sed poſteaquàm es Pauli Aemilij bis conſulis filius, nepos autem
Scipionis Aphricani, eius qui Hannibalem Carthaginenſem deuicit, haud diſſeram te-
cum. Cæterùm quòd dicunt nonnulli, duplicem eſſe philoſophiæ doctrinam, alteram ip-
ſo in animo ſitam, Hegemonis, id eſt, ducis Mercurij munus: alterã in efferendo & enun-
ciando poſitam, atq; organicam, id friuolum eſt, coniungendumq; cum illo quod dici ſo-
let: Hoc noueram antequàm Theognis natus eſt. Quanquam ea diſtinctio nihil obſtite-
rit, propterea quòd tum eius doctrinæ quæ ſita eſt in animo, tum eius quæ poſita eſt in e-
nunciando, finis eſt amicitia: huius quidem erga alterum, illius uerò erga ſeipſum. Ea er-
go doctrina quæ per philoſophiam omnia refert ad uirtutem, ipſum ſecum concordem, ſi
biq; conſentientẽ, ac talem ut ipſe de ſe nihil queratur, pacis & gaudij plenum, ſemper ſi-
bijpſi amicum ac beneuolentẽ reddit hominem. Non hîc ſeditio, non impium bellum in
membris, non affectus parum dicto audiens rationi, non cupiditas cum cupiditate pu-
gnans, non concurſus cogitationis cum cogitatione, non uelut in confinio cupientis, ac
pœnitentis aſperitas, ac turbulentia cum delectatione coniuncta, ſed amica pacataq; om-
nia: per quæ fit, ut unuſquiſq; pluribus fruatur bonis, ac ſeipſo gaudeat. At enunciatiuæ
doctrinæ muſam, Pindarus negat olim quæſtus auidam & operariam fuiſſe: ego ne nunc
quidem eſſe puto, ſed inſcitia & honeſti neglectu, communem illum Mercurium, nego-
ciatorem ac mercenarium eſſe redditum. Neque enim conſentaneum eſt, Venerem ſacri-
ficii ſui filiabus indignatam fuiſſe, quòd primæ tentarint odia ſerere in adoleſcentulos:
Vraniam autem & Calliopen & Clio gaudere his qui ſermonem ac doctrinam pecuniæ
gratia tradant. At mihi ſanè ſic uidetur, Muſarum opera muneráque magis quàm Ve-
neris eſſe cum amicitia beneuolentiaq; coniuncta, magiſque ad hæc paranda conduce-
re. Nam gloria famaq;, quam nonnulli doctrinæ finem faciunt, uelut initium ac ſemina-
rium amicitiæ diligitur. Quin potius hominum uulgus in totum, gloriam beneuolentia

C metiuntur,arbitrantes nos eos duntaxat laudare quos amamus. Verùm ſicut Ixion Iuno
nem inſequens,in nubem incidit,ſic iſti pro amicitia,falſum amicitiæ ſimulachrũ,popula
re,uagumq́ʒ amplectuntur.At is qui ſapit,ſi in adminiſtranda repub.uerſetur ac negocijs,
is tantum gloriæ deſiderabit, quantum ſatis eſt ad conciliandũ illi in rebus gerendis auto

Autoritas unde conciliatur.

ritatem,quæ naſcitur inde,quòd uir optimus creditur. Neqʒ enim iucundũ eſt neqʒ facilè,
prodeſſe,ſi quis nolit prodeſſe:ut autẽ uelis,facit opinio,fidesq́ʒ tibi habita. Sicuti lumen
bonum eſt nõ tam his qui uidentur,quàm his qui uident: itidem fama his qui ſentiunt po
tius,quàm his qui non negligunt̃. At is qui ſemotus à publicis negocijs ſecum ipſe uiuit,
quiq́ʒ finem boni collocat in ocio & quiete,ut gloriam in turbis hominum,in theatris per
omnem populum circumuolantem, non aliter quàm Venerem Hippolytus quòd caſtus
eſſet,procul ſalutat,ita eam quæ à probis cordatisq́ʒ uiris proficiſcitur,idem haud aſperna
tur.Opes porrò & maieſtatẽ regiam & potentiam,nec oportet perſequi in amicitijs,neqʒ
fugere tamen,ſi cum modeſtis morib. hæc fuerint cõiuncta. Neqʒ enim philoſophus ado
leſcentes requirit formoſos & uenuſtos,ſed tractabiles,compoſitos,& diſcendi cupidos.
Neqʒ rurſum,ſi quib.adeſt decor & forma,flosq́ʒ æui,id deterret philoſophũ,neqʒ pulchri
tudo alienat aut abigit à curandis his qui digni ſunt.Itaqʒ ſi principis dignitas ac potentia
ſimul contigerit homini modeſto & humano, non abſtinebit ab huius amore beneuolen
tiaq́ʒ philoſophus,neqʒ metuet hominũ rumores,ne dicatur aulicus,& principum cultor.

> Quicunqʒ Venerem fugit,inſanit nimis,
> Non aliter atqʒ hi,qui ſtudent bona tollere.

Similiter & iſti, qui erga tam ſplendidam amicitiam optimatũ eodem modo ſunt affecti.
Ergo philoſophus à negocijs alienus,non refugiet,nec abhorrebit ab huiuſmodi. At ciui
lis eos etiam audire cupiet, nõ obſtrepens, ac moleſtus , nec aures infarciens importunis
ac ſophiſticis diſputationibus,uerùm cum his qui cupiunt,gaudebit & diſputare,& ocia-
ri,& libenter habere familiaritatem.

> Bis ſex dierum iter,ſero arua fertilem
> Berecynthium agrum.

Hic ſi non ſolùm agricolationis ſtudioſus fuiſſet,uerumetiã hominum, num libentius ſe-
D reret agrum,qui tantam hominũ multitudinẽ alere poſſet,quàm illum Antiſthenis agel-
lum,quem aiebat ſibi uix ſufficere? At ſi te rogem,an idem facere uelis,uniuerſum terrarũ
orbem inuertere,recuſo dixeris. Atqui Epicurus ſummum bonum in ocio altiſsimo con-
ſtituens, uelut in portu tranquillo, qui nullis agitet̃ undis,nullo ſtrepat fragore,dicit non
modò pulchrius eſſe beneficio afficere quàm affici , uerumetiã iucundius. Nam nulla res

Gratiarũ nomina ab alacritate, gaudio, & floru lentia.

perinde parit gaudium,ut beneficentia.Sapiebat aũt qui Gratijs indidit nomina,Aglaię,
Euphroſynæ,ac Thaliæ. Lætitia enim & hilaritas amplior & purior eſt, in eo qui benefi-
cium confert. Quapropter multi ſæpe pudore ſuffunduntur, cùm beneficium accipiunt:
ſemper autem gaudent,quum beneficium præſtant. Porrò de multis bene merentur, qui
eos reddunt bonos, quorum opera plures indigent. Ac rurſum qui ſemper corrumpunt
principes,reges,ac tyrannos,nempe delatores,calumniatores & adulatores,ab omnibus
exiguntur, puniunturq́ʒ, ut qui non in unum calicem letale uenenum mittant, ſed in fon-
tem publicitus ſcatentem,& quo uident omnes uti.Quemadmodum igitur Calliæ adula
tores in comœdijs nec ignis,nec ferrum,nec æs arcere potuit, quo minus ad cœnam uen-
titarent, teſte Eupolide: Apollodori autem tyranni, Phalaridis ac Dionyſij familiares &
amicos mactarunt,torſerunt,inuſſerunt, & execrabiles ac deuotos reddiderunt, quòd il-
li unum modò læderent, hi multos per unum imperium gerentem: Sic hi qui cum priua-
tis hominibus habent conſuetudinem , efficiunt ut ipſi ſibi moleſti non ſint, ſintq́ʒ inno-
cui & placidi: ſed qui principis malos mores aut ſententiã mutat, prout res poſtulat eum
emendans,is quodammodo publicitus philoſophatur,ac rempub. corrigit, qua uniuerſi
gubernantur.Sacerdotibus reuerentiam & honorem reſpublicæ impendunt,quòd à dijs
poſtulent bona non ſolùm ſibijpſis,amicis,ac familiaribus,uerumetiam in commune om
nibus ciuibus , quum tamen ſacerdotes non id efficiant ut dij ſint bonorum datores, ſed
tales quum ſint,inuocant:At philoſophi qui cum principibus uiuunt,eos reddunt melio
res ac moderatiores , & ad benefaciendum propenſiores: unde par eſt eos etiam magis
honorari.At ego quidem ſic exiſtimo,eum qui lyræ fabricandæ ſit artifex,libentius factu
rum lyram, ac promptius,ſimulatque cognouerit futurum, ut eius lyræ poſſeſſor Theba-
norum urbem mœnibus cingat,quemadmodum fecit Amphion,quàm cuius poſſeſſor ſit
Lacedæmoniorũ ſeditionem compoſiturus,incinens ac deliniens eos,ita ut fecit Thales.

Itidem

A Itidem faber libentius faciet clauum, ſi percontatus intellexerit futurum, ut is Themiſtoclis imperatoriam nauem gubernet pro Græcia propugnantem, quàm ſi Pompeij nauem eſſet gubernaturus, cum piratis nauali bello pugnantis. Quid igitur ſenris de philoſopho doctrina & eruditione prædito? Nimirum quód quicunq; in repub. adminiſtranda conſtitutus, ac principatum gerens uir, hunc ipſum aſſumpſerit, is toti reipub. profuerit, exhibens iuſtiriam, cõdens leges, puniens nocentes, euehens moderatos ac bonos. Mihi uerò uidetur & nauium opifex elegans, libentius clauum fabricaturus fuiſſe, qui audiſſet futurum, ut is Argo gubernaret, pro qua omnes eſſent ſoliciti: & faber lignarius nõ tam libenter compoſiturus aratrũ, aut plauſtrum, quàm tabulas illas, in quibus Solon leges ſcripturus eſſet. Et ſanè philoſophorum doctrinæ, ſi principum & rempub. adminiſtrantium animis inſcribantur, infiganturq; ſic uti inhæreſcant, legum uim nanciſcuntur. Siquidem & Plato nauigauit in Siciliam, futurum ſperans ut philoſophiæ decreta & leges, & facta gignerent in Dionyſij negocijs: uerùm reperit Dionyſium ceu librum prioribus literis deraſis denuò ſcriptum, ac maculis mendiſq; plenum, nec remittentem tyrannidis tincturam, qua longo iam tempore fuerat imbutus, ut non facilè poſſet elui. Faciles autem adhuc & mutabiles ſint oportet, qui utiles accipiant doctrinas,

Plutarchi, utrum grauiores ſint animi morbi, quàm corporis.

ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

HOMERVS quidem, ubi mortalium animantiũ genera contemplatus eſſet, horumq; uitę rationẽ & ſtatum inter ſe contuliſſet, in hanc uocem erupit, omnium quæ in terris & ſpirarent, & ſerperent, nihil eſſe calamitoſius homine: principatũ haud ſanè felicem homini tribuens, ut in malorum præminentia primas teneat, atq; excellat. At nos hominem tanquam iam uincentem calamitate, iamq; animantium omnium pronunciatum miſerrimũ, ipſum cum ſeipſo conferimus, ut proprijs malis ſecum ipſe certet, eum in corpus atq; animum partientes. Quod quidem negocij nequaquã fuerit inutile, ſed uehementer ad rem pertinens, nimirum ut intelligamus, utrum per animum, an per noſipſos miſerius uiuamus. Nam morbus quidẽ natura corpori innaſcitur, uitium uerò & malitia primùm actus eſt ab animo proficiſcens, deinde morbus eiuſdem. Quanquam non pauló æquiore animo ferendum erat, ſi uel id quod peius eſt, eſſet medicabile, uel leuius eſſet quod eſt immedicabile. Proinde quum uulpes Aeſopica de uariegata maculis pelle cum pardali certaret (nam hæc corpus ſumma cute florulentũ, uarijsq; picturatum notis oſtentabat: illi contrà flauor quidam erat ſqualidus, minimeq; iucundus aſpectu) Atqui, inquit, ſi me introſpexeris iudex, uidebis me pardali magis uerſicolorem, ſignificans morum dexteritatẽ ad complures uſus reſpondere. Dicamus igitur ipſi nobis: Complures quidem, ô homo, morbos ac mala corpus tuum & gignit ac prodit ex ſeſe, & foris incidentes accipit, uerùm ſi teipſum intus aperueris, uarium quoddã, ac multis refertum malis penum reperies, ac mundum quendam miſeriarũ reconditum, quemadmodum inquit Democritus, non quidem foris incidentium, ſed ipſo in ſolo, ipſaq; in terra ſuos habenriũ fontes, unde ſcaturiant, quos remittit malitia, copioſum ac largum fluxum præbens affectibus. Quód ſi corporis morbi, pulſibus arteriarũ aut coloris rubore déprehenduntur, hoſq; feruor aut facilis laſsitudo ſolet arguere, contrà animi mala pleroſq; ita fallunt, ut non habeantur pro malis, nimirum ob idipſum periculoſiora ſunt, quód ſui ſenſum adimunt ægrotanti. Siquidem corporis morbos ratio ſana percipit, at animi morbos ipſa ſimul ægrotans non poteſt iudicare è quibus laborat, propterea quód ægrotet ea pars, cuius erat iudicare. Proinde inter primos ac maximos animi morbos ponenda eſt dementia, per quam fit, ut pleriſque immedicabilis ac domeſtica ſit, & conuiuat, & commoriatur malitia. Etenim ſanitatis initium eſt, ſi qui laborat, ſentiat ſibi opus eſſe remedio. Rurſum qui non uidet quibus eget, propterea quód non credat ſeſe ęgrotum, etiamſi præſtó ſit qui medeatur, tamen recuſat, nec admittit curationem. Nam inter corporum morbos pernicioſiores ſunt hi, qui ſui ſenſu uacant, quod genus ſunt lethargus, capitis dolor, morbus comitialis, febres, atque hæ potiſsimum febres, quæ ad delirium tendunt,

Iliad. 6. (margin, beside "HOMERVS"; B in the left margin beside "quam iam uincentem")

Dementia præcipuus animi morbus.

C inflammationẽ ac ſenſum uelut per organum perturbantes, mouent chordas non mouendas mentium. Quapropter medici uolunt quidem ut ne ægrotet homo, ſi uerò ægrotet, ut ne ignoret quòd ægrotat, id quod in omnib. animi morbis ſolet uſu uenire. Neq; enim qui deſipiunt, neq; qui ſunt petulantes, neq; qui faciunt iniuriam, ſibi uidentur peccare: uerumetiam ſunt qui tum officioſe ſe facere putant. Febrim enim nemo uocat ſanitatem, neq; tabem quiſquam appellat bonam habitudinẽ, neq; podagram, pedum uelocitatem, neq; pallorem nominat ruborem: at iracundiæ multi fortitudinis nomen imponunt, amorem amicitiæ nomine palliant, inuidiam æmulationis, timiditatẽ diligentiæ, quâ res in tuto collocenẽ. Hinc fit, ut illi quidem medicos accerſant, quippe qui intelligant quid morbus poſtulet: è diuerſo hi fugitent philoſophos, putant enim ſe rectè facere eas res, in quibus delinquunt. Atq; his quidem rationibus adducti, dicimus ophthalmiam, id eſt, oculorum morbum eſſe leuiorem inſania, podagram phrenitide, propterea quòd ille morbum intelligens uociferans accerſit medicum, cui cùm adeſt, oculos inungendos, capitisq; uenam ſecandam præbet. Porrò Agauem inſanientem audis ob morbum etiam ſibi chariſsima non agnouiſſe. Adducimus domum è monte pampinum recens deciſam, felicem prædam. Nam qui corporis morbo tenetur, is protinus in lectulum ſeſe conijcit, atq; interim dum curatur, quietem agit. Quòd ſi paululum exerat ſeſe, cõmoueatq; corpus illapſa inflammatione, aſsidentium aliquis blandè dicens, manè miſer quietus in ſtratis tuis, cohibet hominẽ atq; compeſcit. Contrà qui animi morbis laborant, tum maximè ſunt in negocio, minimeq; quieſcunt. Nam ut agas aliquid, ab animi impetu proficiſcitur: at impetus uehementia à morbo naſcitur. Itaq; non ſinit animum eſſe quietum, adeò ut cùm maximè opus eſt homini tolerantia, ſilentio atq; ſeceſſu, tum maximè pertrahant illum ſub dium, aperiantq; iræ, contentiones, amores, dolores, cogantq; multa tum facere nefaria, tum loqui nequaquam accõmoda tempori. Itaq; quemadmodũ periculoſior eſt tempeſtas quæ uetat in portum appellere, quàm ea quæ cohibet à nauigando: itidem quæ in animo accidunt tempeſtates, grauiores erunt, quæ non ſinunt hominẽ contrahi, neq; rationem perturbatã conſiſtere, ſed nullo gubernatore, nullis fulturis in perturbatione atq; errore, per-

Grauius eſſe animo quàm corpore ægrotare, concluditur.

D nicioſo curſu procul auectus, præceps in metuendũ aliquod incidit naufragium, ſuamq; ipſius uitam illiſus cõminuit. Proinde his quoq; de cauſis grauius eſt animo, quàm corpore ægrotare, propterea quòd hi tantùm patiantur, illi non ſolùm patiantur, uerumetiã faciant malè. Deniq; quorſum attinet de morbis multa uerba facere? ipſum tempus nos admonet. Videtis ingentem hanc multitudinẽ, & confuſaneam, omniq; ex hominum genere permixtã turbam hic circum tribunal ac forum congregatam? Non in hoc cõuenerunt iſti, uti dijs patrijs rem diuinam faciant, non ut communia inter ſe ſacra peragant, non uti Aſcræo Ioui Lydorum fructuũ primitias ferant, non Baccho furioſum thyrſum, ſacris noctibus, & cõmunibus epulis Orgia celebrantes: quin magis ceu morborum ui, uicibus annuis recrudeſcente, huc ad lites & cõdicta certamina ueniunt ſuas facultates collaturi. Porrò cauſarum multitudo, negociorumq; ueluti collectarum fluxionum, in unum incidit forum, inflammatq; & erumpit, ita ut perdant ac pereãt aliqui. Quæ febres iſta faciunt? qui epiali? quæ corporeæ molis intenſiones, aut ſanguinis in arterias dilapſiones? aut quæ caloris intemperantia? quæ humoris exundantia? Si litem unamquanq; uelut hominẽ perconteris, unde nata ſit, unde uenerit, hanc ira præfracta peperit, illam inſana contentio, aliam iniqua cupiditas.

Plutarchi, num rectè dictum ſit λάθε βιώσας, id eſt, ſic uiue, ut nemo te ſentiat uixiſſe.

ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

AT ne ille quidem ipſe, qui hoc dixit, latêre uoluit: quandoquidem hoc ipſum ideo dixit, ne eſſet ignotus, ſed uideretur aliquid ſupra uulgus ſapere, adhortando ad gloriæ contemptũ, immeritam ſibi parans gloriam. Sapientem ego odi, qui ſibijpſi non ſapit. Narrant enim Philoxenum Eryxidis filium, & Gnathonem Siculum, opſonatores nobiles, naſi mucum emungere ſolitos in catinũ, quò reliquis conuiuis deterritis, ipſi ſoli cibis appoſitis explerentur. Sed qui immodicè ſunt auidi gloriæ,

A gloriæ, alijs ad ſatietatē uſq; damnāt gloriam, ueluti riualibus, ut ea citra æmulum potian
tur, idemq́; faciunt quod remiges ſolent. Etenim quemadmodū illi ad puppim ſpectan-
tes, proræ tamē impetum adiuuant, ut undæ quoq; repercuſſus cymbam arreptam impel-
lat: ita qui præcepta huiuſmodi prodiderunt, gloriā uelut auerſi ſectantur. Alioqui quor-
ſum attinebat hoc dicere, quorſum autē ſcribere, ſcriptū ædere, ac poſteris tradere? An ſuæ
ætatis homines latêre uoluit, qui ne poſteris quidē uoluit ignotus eſſe? Quin illud ipſum
nónne malum eſt, Sic uiue, ut nemo ſentiat te uixiſſe, perinde quaſi quis ſepulchrū ſuffo-
diſſet? An hoc ipſum uiuere turpe eſt, ut omnibus conueniat eſſe ignotū? Ego uerò dixe-
rim, ne male quidē uiuens latêre uelis, ſed eſto notus, reſipiſce, pœniteat: ſiue uirtute præ-
ditus es, ne fias inutilis: ſiue malus es, ne maneas incuratus. Imò diſtingue ac diſcerne, cui-
nā iſtud præcipias: Si indocto, malo, ac ſtulto, perinde eſt ac ſi dicas, nemo te ſciat febrici-
tare, nemo te ſciat teneri phreneſi, ne te nouerit medicus, abi, conijce te aliquò in tenebras
ignotus unà cum tuis malis. Et tu abi cum tuo uitio, morbo laborans immedicabili ac per
nicioſo, occultans inuidiam ac ſuperſtitionē, ueritus ceu pulſum quendā exhibere his qui
monere poſſunt, ac mederi. At priſci illi mortales ægrotos palàm exponebāt, & eorum u-
nuſquiſq; ſi quid habuiſſet conducibile, quod uel ipſe ægrotans, uel alterum curans com-
periſſet, conſulebat ei cui opus erat. Atq; ita ferunt artem experimentis ſingulatim colle-
ctam, in maius auctam eſſe. Verùm illud etiam oportebat, morbidam uitam, animiq́; mor
bos omnibus retegere, ut qui tetigiſſet, & affectus perſpexiſſet, poſſet dicere: Iraſceris, hoc
caueto: zelotypus es, hoc facito: amas, & ego quondā amaui, uerùm pœnituit. Nunc con-
trà negant, occultant, contrahunt, alteq; in ſemetipſis animi peſtem recondunt. Iam ſi bo-
nis præcipis ut lateant & ignorentur, dicis igitur Epaminondæ, Ne fueris dux exercitus:
Lycurgo, ne leges cōdideris: Thraſybulo, ne peremeris tyrannos: Pythagoræ, ne doceto:
Socrati, ne diſputato: ac tibijpſi in primis Epicure, ne quid ſcribas amicis quos habes in
Aſia, neue cōmunices cum his, qui ab Aegypto profecti te uiſunt, ne Lampſacenis ephe-
bis ſtipatus incedas, ne paſsim emittas libros, omnibus uiris ac mulieribus ſapientiā tuam
oſtentans, ne quid ordines de ſepultura. Quorſum enim pertinēt menſæ cōmunes? Quor
ſum ſtudioſorū & bonorum conuentus? Quorſum tot uerſuum millia ad Metrodorū, ad

Veteres palàm ægrotos curabant.

B Ariſtobolum, ad Chæredemū ſcripta, accurateq; compoſita, ut ne defuncti quidem igno
ti ſint? an ut uirtuti præſcribas obliterationē, ocium arti, ſilentium philoſophiæ, obliuio-
nem beneficentiæ? Quòd ſi uelut è conuiuio lumen, ſic è uita tollis cognitionem, quò ne-
ſciantur omnia ex uoluptate, & ad uoluptatem facere, nemo ſciat te uixiſſe. Prorſum igi-
tur ſi quis cum iucundo ſcorto ſituitam acturus, ſi cum Leontio conſuetudinē habiturus,
ſi formoſam amplexurus, ſi ſummū bonum in carnis titillatione poſiturus, hæc extremas
deſiderant tenebras, hæc noctem, ad hæc obliuionē & ignorationē præcipe. Sed ſi quis
in naturalibus Deum laudet, eiuſq; iuſtitiam ac prouidentiā: in moralibus autem legem,
benignitatem, & rerum adminiſtrationē: in adminiſtratione uerò honeſtum, non utilita-
tem, cur debeat huius latêre uita? An ne quem erudiat, ne quem ad uirtutis imitationem
excitet, ne cui ſit exemplo ad honeſtatem? Si Themiſtocles ignotus fuiſſet Athenienſi-
bus, Græcia non expuliſſet Xerxem: ſi Romanis Camillus, non eſſet ciuitas Romana: ſi
Dioni Plato, non fuiſſet liberata Sicilia. Verùm quemadmodū lumen in cauſa eſt, ut non
ſolùm alij alijs conſpicui ſimus, uerumetiā utiles: ita notitia nō gloriam modò, uerùm ex-
ercitationem parit uirtutis. Epaminondas igitur ad quadrageſimū uſq; annum ignotus,
nihil profuit Thebanis: deinde præfectus rebus gerendis, & imperium nactus, rempubli
cam pereuntem ſeruauit, Græciam ſeruitute liberauit, uirtutem in gloria uelut in luce, ſuo
tempore efficacem exhibens. Refulgeſcit enim cùm res & uſus poſtularit, & uelut gene-
roſum æs, quod per tempus ocioſum iacuit, impetum ſuum per domum declarat, uelut in
quit Sophocles. Quinetiam hominis ingenium, ceu cariem & ſenium in ocio contrahit,
propter obſcuritatem. At muta quies, uitaq; ſedentaria in ocio ſemota, non corporibus
modò, uerumetiam animis marcorem conciliat: non ſecus atq; aquæ latentes, propterea
quòd umbra ſint opacæ, torpeantq́;, neq; profluant, putreſcunt. Itidem eorum qui in ocio
degunt uita, ſi quid habeat uſui futurum, tamen quia non promanat ad alios, nullo inde
bibente, corrumpitur & conſeneſcit uis illa natiua. An non uides inſtante nocte, cùm
corpora inerti torpore occupari, tum animos pigra quadam inertia ſegneſcere, con
tractamq; & coarctatam in ſeſe rationem uelut ignem penè extinctum ob inertiam ac
mœrorem, paululum diſtractis imaginationibus moueri, ut hominem uiuere tantùm
iudicet? At ſimulatque ſol emergens fulgurantia ſubmouit ſomnia, ac uelut in unum

Vita ſedentaria in ocio ſemota, marcorem conciliat.

C commiſcens, reuexit atq; excitauit ſua luce actus & cogitationes omnium, quemadmodũ
inquit Democritus, nouo in die uerſantes homines, mutuo inter ſeipſos impetu, uel uni fi-
lo intento tracti, alius aliunde ſurgunt ad opera. Ego ſanè ſic exiſtimo, hoc ipſum quòd ui-
uimus, quòd omnino naſcimur, quòd in hominũ genus aſciti ſumus, in hoc à Deo dona-
tum eſſe ut homo innoteſcat. Latet autem & incognitus eſt, in turba uniuerſi, dumq; per
minuta ſparſim mouetur. Verùm ubi natus fuerit, & ſe ipſe collegerit, ſumpſeritq; magni-
tudinem, tum eluceſcit, fitq; ex ignoto manifeſtus, ex obſcuro conſpicuus. Neq; enim co-
gnitio uia eſt ad eſſentiam, quemadmodum dicunt nonnulli, ſed eſſentia potius ad cogni-
tionem. Neque enim ille producit aut gignit omnia quæ naſcuntur, ſed oſtendit. Quem-
admodum nec corruptio eſt ſublatio exiſtentis ad non eſſe, ſed magis abductio rei diſſo-
lutæ ad obſcuritatẽ. Vnde qui ſolem Apollinem eſſe credunt, ex maiorum ac priſcorum
myſterijs Delium ac Pythium quaſi manifeſtatorem ac illuſtratorem eundem nominant.
Cæterùm eum qui diuerſæ partis eſt dominus, ſiue Deus is eſt, ſiue dæmon, Aden, id eſt,
Orcum appellant, quòd mortui in locum tenebroſum & obſcurum demigremus, ad den-
ſæ noctis, ſomniq; inertis regem. Opinor autem à ueteribus hominem quoque ſimili de
cauſa dictum eſſe phota, nimirum à luce, propterea quòd omnibus propter cognatio-
nem uehemens quædam inſita ſit cupiditas & cognoſcendi, & innoteſcendi. Sunt autem
& philoſophi nonnulli, qui ipſam animi ſubſtantiã lumen eſſe putent, cùm alijs adducti
coniecturis, tum hac potiſsimũ, quòd nihil omnium æquè refugit & odit atq; ignorantiã,
& quicquid luce uacat, id refugit, eoq; perturbatur, quòd tenebræ illi ſuſpectæ terrorem
incutiant. Contrà lux uſqueadeo eſt iucunda & amabilis, ut nihil eorum quę natura uolu-
ptatem adferunt, abſq; luce cupiat in tenebris: uerùm ea uoluptatẽ omnem, omne ſtudiũ,
quacunq; re frui uelis, ceu nouum condimentum admixtum exhilarat, & edulcat humani-
tate. At qui hominem conijcit in ignorationẽ & obſcuritatẽ, ac tenebris obtegit, uitamq;
quaſi ſepelit, is uidetur hoc ipſum grauiter ferre, quòd naſcimur, & eò reuocare nos, ut nõ
ſimus. Et tamen aiunt gloriæ eſſentiæq; locum ſedem eſſe piorũ, quibus ſplendet ſolis ui-
gor, deinde noctem infernè in pratis roſeo colore purpurantib. quibus infructuoſarũ qui-
D dem, uerùm floridarũ, & procerarũ arborum floribus amœnus conueſtitur campus, tum
amnes quidam fletus ignari, ac lenes eum perfluunt, ipſi tranſigunt iucundè tempus col-
loquijs & cõmemoratione rerum præteritarũ ac præſentium, deducentes ſeſe mutuò, &
inter ſe conſuetudinẽ uitæ agitantes. Porrò tertia uia eorum eſt, qui impiè uixerunt & in-
iuſtè, animas in obſcurum locum & barathrũ quoddam præcipitans, unde immenſas ru-
ctant tenebras, languida noctis obſcuræ flumina, quæ recipiunt, & ignoratione atq; obli-
uione tegunt eos qui puniuntur. Neq; enim uultures ſemper arrodunt hepar ſontium in
terra iacentium: nam aut exuſtum eſt aut computruit. Neq; grauium quorundã onerum
geſtatio affligit, conficitq; corpus eorum qui puniuntur: neq; enim iam carnes, aut oſſa
cohærent neruis. Nullæ ſunt corporis reliquiæ, uita defunctis, cruciatuũ eorum capaces,
qui ſpeciem ſibi renitentem requirunt: ſed una profectò ratio puniendi eos qui male uixe-
runt, nempe obſcuritas & ignoratio, & modis omnibus abolitio, tollens in triſtem am-
nem, eq; lethe, id eſt, obliuione præcipitans in abyſſum, ac uaſtum pelagus, uidelicet igna-
uiam & ocium, quod ſuo fluctu ignorationem & obſcuritatem ſecum trahit.

Plutarchi de cupiditate diuitiarum lib.

ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

HIPPOMACHVS aliptes, quibuſdã laude efferentibus prælongũ quempiam, ac prælongis manibus hominem, tanquam ad pugilum certamẽ idoneum: Sanè, inquit, ſi ſuſpenſa in alto corona foret detrahenda. Idem licebit dicere in hos qui pulchra prædia, qui amplas ædes, qui pecuniæ uim ſtupent, atq; his in rebus felicitatem ſitam eſſe ducunt: ſanè ſi quidem uenalis eſſet emenda felicitas. Quanquã permultos uideas, qui malint eſſe diuites, ſimulq; miſeri, quàm dato argento parare felicitatem. At non emitur nummis animus liber omni moleſtia, ſuaq; contentus ſorte, nec magnanimitas,

A gnanimitas, neq; tranquillitas, neq; libertas. Diuitem eſſe, non eſt diuitias contemnere, *Diuitem eſſe, quid ſit.*
nec immodicas opes poſsidere, ſed non egêre ſuperuacaneis. A quibus igitur malis libe-
rant diuitiæ, ſi ne hoc ipſum quidem adimunt malum, ſui cupiditatē? Quin potus ſedat ſi-
tim, cibus famem ſanat: & ille qui dicit, da pallium Hipponacti, uehementer enim algeo:
pluribus oblatis pallijs offenditur, ac fugatur. Cæterùm argenti cupidinē non extinguit
argentum, nec aurum auri, neq; ſi plura poſsideas, coërcetur plura poſsidendi cupiditas.
Quin idem dicas licebit diuitijs, quod in medicum competit impoſtorem: Pharmacum
tuum morbum auget. Nam illæ cùm ſuſceperint homines egentes pane, tecto, mediocri-
bus indumentis, & opſonio quolibet, implent cupiditate auri, argenti, eboris, ſmaragdo-
rum, canum, equorum, uidelicet à neceſſarijs ad periculoſa, rara, paratu difficilia, & inuſi-
tata traducto appetitu. Quandoquidē nemo pauper eſt earum rerum quæ naturæ ſuffi-
ciunt: neq; quiſquā unq; fœnore mutuū accepit, ut farinā, caſeum, panem, aut oleæ bac-
cas emeret: ſed hunc ſumptuoſa domus æri alieno reddidit obnoxiū, illum contiguū ſuis
agris oliuetum, alios arua frumentaria ſeu uineta, nōnullos mulæ Galaticæ, alios equi iu-
giſeri uehicula magnifica cum plauſu ducentes, præcipitarunt in barathrū pactorū, uſura
rum, pignorū. Deinde fit, ut quemadmodū hi qui non ſitientes bibunt, neq; eſurientes e-
dunt, etiam ea quæ ſitientes atq; eſurientes ſumpſerant, reuomunt: ſic hi dum ſuperuaca-
nea & inuſitata appetunt, ne neceſſarijs quidem potiuntur. Atq; iſti quidē ſunt huiuſmo-
di: cæterùm eos qui nihil inſumunt, poſsident autē permulta, ſemperq; plura deſiderant,
magis etiam admirabitꝰ qui meminerit Ariſtippi. Nam is ſolitus eſt dicere: Si quis multum
ederit, multumq; biberit, nec unq; expleatur, adit medcos, percontatꝰ quid ſit morbi, quæ
ſit affectio, qua ratione queat leuari. At ſi quis habens quinq; lectos, requirat decem: ac
decem poſsidens menſas, alteras totidem coëmat, cumq; multū adſit agrorū, multū pecu-
niæ, non tamen expletur, uerùm in alia inhians uigilat, nulliſq; omnino rebus ſatiari po-
teſt, hic nō exiſtimat ſibi opus eſſe à quo curetur, quiq; oſtendat quibus ex cauſis morbus
is ſit ortus. Ac ſanè qui cùm nondum biberit, ſitiat, futurū expectes ut is ſimulatq; biberit,
ſiti liberetur: eum uerò qui continenter bibat, nec ullum faciat finem, huic nō expletione,
B ſed purgatione iudicamus opus eſſe, iubemuſq; uomere, quippe qui non perturbetꝰ ino-
pia, ſed acrimonia caloreq; quopiā, qui præter naturā ineſt. Ergo etiā qui eget atq; inopia
laborat ex eorum numero qui parant facultates, fortaſſe quieſcet parata domo, aut inuen
to theſauro, aut amici cuiuſpiam ope perſoluto, liberatus ære alieno à fœneratore. Aſt qui
plura q̃ ſat eſt poſsidet, plura nihilominus concupiſcens, hunc nec aurum, nec argentū ſa
nare poteſt, nec equi, nec oues, nec boues, ſed eiectione ac purgatione opus habet. Neq;
enim huius morbus eſt penuria, ſed inſatiabilitas, amorq; diuitiarum, à prauo & à ratione
alieno iudicio proficiſcens, quem niſi quis reuellat ab animo, ceu obliquum implicamen-
tum, nō deſinet immodicis egêre, hoc eſt, deſiderare ea quibus non eſt opus. Medicus ad
hominem ingreſſus lecto affixum, ſuſpirantem, ac cibum capere recuſantem, ſimulatq; te
tigerit eum, ac percontatus fuerit, deprehenderitq; non teneri febri, animi morbus eſt, in-
quit, ac diſcedit. Nos igitur cùm uiderimus hominē lucris addictum & intabeſcentē, ſum-
ptibus ingementem, à nulla turpitudine moleſtiaq; temperantē, quæ modò conducat ad
rem faciendam, cùm domos habeat, agros, armenta, mancipia, ueſtes, quo tandem mor-
bo dicemus hunc hominem teneri, niſi animi paupertate? Quandoquidē pecuniarū ino-
piam, quemadmodum ait Menander, uel unus amicus benemerens ſuſtulerit: at illam ani
mi penuriam ne uniuerſi quidem expleant, neq; uiuentes, neq; uita defuncti. Quare illud
eleganter in hos dictum eſt à Solone:

Haud eſt finis opum fixus mortalibus ullus.

Alioqui hi qui ſapiunt, naturæ modum habent præſcriptum, adeſtq; finis aliquis, neceſsi-
tatis ueluti centro & interſtitio circunſcriptus. Iam uerò eſt & illud auaritiæ proprium,
quòd hæc cupiditas ipſa ſibi repugnat ne ſatietur, cùm reliquę magis ad id adiuuent. Itaq;
nemo probus ab opſonijs abſtinet ob idipſum q; ſit auidus opſoniorum, nec à uino quòd
uini ſit appetens, quemadmodū iſti à pecunijs abſtinent, ob pecuniæ cupiditatē. Et ſanè
nónne morbus inſaniæ ſimilis ac miſerandus uideatur, ſi quis ob id nō utatur ueſte quòd
algeat, neq; pane quòd eſuriat, neq; diuitijs quòd diuitiarum ſit auidus? ſed ijſdem in ma-
lis eſt, in quibus Thraſonides ille: Nam intus apud me eſt, licet hoc mihi, & uolo, quemad
modum ſolent hi qui inſaniſsimè amant, non tamen facio: ſed poſteaquàm omnia conclu
ſero, obſignaueroq;, aut uſurarijs, ac negociatoribus denumeraro, tum alia coadceruo ue-
norq;, urgeo famulos, agricolas, debitores. Deū immortalē, num quem hominē miſerio-

C rem uidiſti aut amantem infelicius? Sophocles interrogatus, poſſet'ne congredi cum mu
liere: Bona uerba, inquit, ô homo, nam liber iam ſum factus, & ab inclementib. iſtis ac fu-
Senectutis beneficium. rioſis dominis aufugi ſenectutis beneficio. Elegans enim eſt, ut cum uoluptatibus ſimul
deſinant & cupiditates, quas neq; uir poteſt effugere, quemadmodũ dixit Alcæus, neque
mulier. Atqui id nõ accidit in cupiditate diuitiarũ, ſed magis tanquam acerba grauisq; do
mina, cogit quidem ut pares, cæterùm uetat ne fruaris. Et cupiditatẽ quidem acuit, uolu-
ptatem autem ſubducit. Stratonicus igitur Rhodienſiũ luxuriem taxauit, cùm diceret eos
ædificare tanq; immortales, opſonare tanq; breui tempore uicturos. At auari parant qui-
dem opes tanq; ſplendidi, utuntur autem uelut ſordidi, & labores tolerant, cùm careant
uoluptatibus. Itaq; cùm Demades adeſſet aliquando Phocioni prandenti, uideretq; men
ſam illi parcam ac frugalem eſſe: Demiror te Phocion, inquit, qui rempublicam admini-
ſtres, cùm poſsis ad iſtum prandere modum. Nam ipſe uentri gerebat magiſtratus, adeò
ut cùm exiſtimaret Athenis minus eſſe, quàm ut ſuo luxui ſuppeditare poſſent, è Macedo
nia quoq; cõmeatum pararet. Vnde & Antipater hunc iam ſenem conſpicatus, dicebat,
uelut è ſacro uictimę oblatæ peracto, nihil eſſe reliquũ pręter linguam & uentrem. Te ue
rò quis non admiretur infeliciſsime, ſi cùm poſsis iſtum ad modum uiuere uitam adeò ſor
didam, adeò ab homine alienam, nemini quicquam impertiens, tam incomis in amicos,
tam non munificus erga rempub. tamen affligeris, uigilas, operas conducis, captas hære-
ditates, ſubmittis te, cùm tantum habeas ocij uiaticum, nempe ſordidam parſimoniam?
Narrant Byzantium quendam, cùm mœchum in deformi uxore deprehendiſſet, dixiſſe:
O miſer quid opus eſt Sapragoræ dote? Agè tu quidem ſceleſte miſces ac ſubtaxas reges,
quòd opes ſibi comparent, regumq; præfectos, tum hos qui dominari in repub. primasq;
tenere uolunt: at his quidẽ neceſsitas eſt, dum ob ambitionẽ, faſtum, & inanem gloriam
exhibent conuiuia, largiuntur, ſatellitiũ alunt, munera mittunt, alunt exercitus, dum qui
ſingulari certamine congrediunt̃, redimunt: tu uerò tantum negocij ſuſtines, perturbans
ac diſtorquens teipſum, cùm cochleę uitam uiuas, ob animi ſordes ac parſimoniam & om
nia moleſta perfers, nullum inde fructum capiens: haud ſecus atq; balneatoris aſinus, qui
cùm ligna ſarmentaq; deportet, ſemper tamen fumo ac fauillis eſt oppletus, nec unq; par-
D ticeps fit, neq; balnei, neq; teporis, neq; munditiei. Atq; hæc dixerim aduerſus aſininam
iſtam, ac formicarũ uitæ ſimillimã diuitiarum cupiditatem. Eſt autem & aliud auaritiæ
Auaritia ferina. genus ferinum, nempe eius quæ calumniatur, quæ captat hæreditates, quæ circumuenit,
quæ pluribus negocijs inuoluit ſeſe, quæ curis diſcruciat, numeratq; quot adhuc ex ami-
cis ſint ſuperſtites: atq; hæc omnia cùm faciat, nulla tamen ex parte fruitur quæſitis. Itaq;
quemadmodũ uiperas, cantharides, ac phalangia magis deteſtamur atq; odimus, quàm
ipſos urſos ac leones, propterea quòd interficiant ac perimant homines, nullum uſum ca-
pientes ex his quos occiderint: ita magis conuenit infenſos eſſe his qui per ſordes ac parſi
moniam mali ſunt, quàm his qui per luxum: nam alijs eripiunt, quibus ipſi uti neque poſ-
ſunt, neq; ſolent. Vnde fit, ut illi quidem cùm abundant, & quod ſatis ſit habent, inducias
agant, quemadmodũ reſpondit Demoſthenes his qui credebant Demadem deſijſſe ma-
lum eſſe: Iam enim, inquit, ſaturum uidetis, ueluti leones. At his uerſantibus in publicis
officijs, idq; ad nullam rem nec iucundam, nec utilem, nullæ prorſus induciæ, neque feriæ
ſunt cumulandi diuitias, propterea quòd ſemper inanes ſint, ſemperq; egeant omnibus.
Ac iſti ſanè, dixerit quiſpiam, liberis & hæredibus ſeruant ac recondunt opes, quibus
dum uiuunt, nihil impertiunt: uerùm perinde accidit ut in muribus qui in metallis aureis
ueſcuntur arenulis, nec licet per eos auro potiri, niſi mortui ſectione aperiantur. Porrò fi-
lijs atq; hæredibus qua de cauſa cupiunt multam pecuniam, & amplas relinquere facul-
tates? Nimirum ut hi quoque ſeruent alijs filijs, non aliter quàm faciunt canales fictiles,
quæ nihil ipſæ in ſe recipiunt humoris, ſed omnes alia in alia transfundunt aquam, donec
aliunde quiſpiam uel calumniator, uel tyrannus extiterit, qui cuſtodem illum intercîdat,
eoq; cõminuto, aliò diuitias auertat ac deriuet: aut donec, quemadmodũ dicunt, aliquis
qui ſit totius generis ſceleratiſsimus, omnia bona ſolus deuoret. Non enim ſeruorum tan
tùm liberi naſcuntur prodigi, iuxta Euripidis ſententiam, uerumetiã ſordidorũ, quemad-
modum Diogenes facetè taxauit hoc hominũ genus, cùm diceret, præſtare arietem eſſe
uiri Megarenſis, quàm filium: ſiquidem cùm erudire uidentur, & inſtituere, perdunt ac
deprauant, inſerentes in animos eorum pecuniæ ſtudium, ac parſimoniam, ueluti muni-
Auarorum dogma. tum quempiã locum in hæredibus ædificantes, in quo tutò ſeruetur hæreditas. Nam hæc
ſunt quæ monent ac docent: Lucrator, ac parcito, tantiq; teipſum eſſe putato, quantum
habueris.

A habueris. Atqui iſtud non eſt inſtituere, ſed cõtrahere & ueluti ſarcire marſupium, quò ca-
pere ſeruareq; poſsit quod fuerit immiſſum. Quanq; marſupiũ tum deniq; redditur ſordi-
dum, ac male olens, poſteaq; immiſſum fuerit argentum. At auarorum liberi priuſq; acci-
piant diuitias, implentur amore diuitiarũ ab ipſis parentibus: quibus illi ſanè dignam pro
inſtitutione mercedem rependunt, dum eos nõ ob id amant quòd multum ab illis ſint ac-
cepturi, ſed oderunt quòd nondum accipiant. Etenim cùm ab illis didicerint nihil admira
ri præter diuitias, nec aliò uitæ rationes referre, niſi ut quamplurima poſsideant, non ſi-
nunt eos uiuere, putantq; tantum ſibi adimere tempus, quantum illis adiecerit. Quas ob
res uiuis adhuc parentibus clanculum utcunq; ſurripiunt ac ſuffurantur uoluptatem, fru-
untur, & tanquã de alieno impertiunt amicis, inſumentes in cupiditates, ubi quid auditu
perceperint: uerùm ubi defunctis parentibus claues acceperint ac ſigilla, tum protinus a-
lia uitæ ſpecies, uultus grauis & auſterus, atq; inaffabilis, non exercetur luſus follis, non pi
la, non trachelíſmus, non academia, non lycæum, ſed ſeruorum examinatio, ſyngrapharũ
inſpectio, cum diſpenſatoribus ac debitoribus diſceptatio, tum occupatio ac ſolicitudo,
quę prandio priuet, quæq; noctu ipſum in balneum agat. Cæterùm exercitamenta in qui
bus fuerat inſtitutus, & aqua Dirces negliguntur. Quòd ſi quis illi dixerit, non audis phi-
loſophum? quî poſſum? inquit: non eſt mihi ocium patre mortuo. O te miſerum, quid ti-
bi reliquit pater conferendum cum eo quod abſtulit? nempe libertatem & ocium: quanq;
non tam ille abſtulit, quàm ipſa rerum opulentia, quæ tibi circunfuſa tuiq; uictrix, inflam-
mat te, ut apud Heſiodum uxor abſq; titione, crudeliq; tradit ſenectuti, tanquam præpro
peras rugas & canos inducens animo, uidelicet curas è ſtudio diteſcendi, èq; negocijs na-
ſcentes, per quæ marceſcit alacritas, ſplendor & humanitas. Sed dicet aliquis, at non ui-
des quoſdam ſplendidè pecunijs utentes? Sed tu (ſic enim reſpondebimus) non audis Ari
ſtotelem dicentem, alios quidem uti, alios uerò abuti, perinde quaſi neutrum ad rem per-
tineat? uerùm illos ſua opulentia nec ornat, nec iuuat, hos uerò lædit etiam, ac dehone-
ſtat. Agè ſanè conſideremus in primis, quiſnam ſit uſus iſte, cuius gratia magnifacimus di
uitias: num eſt earum rerum, quæ ſufficiunt naturæ? At in his nihilo plus habent locuple-
tes, quàm hi qui fortuna ſunt mediocri. Verùm opulentia res eſt profectò leuis, nec admo
B dum ſuſpicienda, quemadmodũ dictum eſt à Theophraſto, ſi Callias Athenienſium locu
pletiſsimus, & Iſmenias Thebanorũ locupletiſsimus, hiſdem uſi ſunt quibus Socrates &
Epaminondas. Nam ſicut Agathon tibias è conuiuio relegauit ad mulieres, ſatis eſſe iudi
cans confabulationẽ eorum qui adeſſent: ita ſtragulas purpureas, menſas precioſas, cun-
ctaq; ſuperuacanea ſubmouerit, qui uideat diuites hiſdem rebus utentes, quibus & pau-
peres. Non

Protinus arenti temonem impoſito fumo,

Intereatq; labor mulûmq; boumq; ualentum,

ſed aurificũ, tornatorum, unguentariorũ, coquorum, ſi rerum inutilium luxus per tempe-
rantiam probè eijciatur. Quòd ſi ea quæ ſufficiunt naturæ, etiam diuitum ſunt cõmunia,
diuitiæ uerò ſeſe iactant de ſuperfluis, Scopamq; Theſſalum laudaueris, à quo cùm pete-
retur aliquid ex rebus domeſticis, uelut ſuperfluũ, ita etiã inutile: Atqui, inquit, his ſuper
uacaneis felices ſumus ac beati, non illis neceſſarijs: uide ne pompam magis, ac ſolennes
ludos laudare uidearis, quàm uitam. Patrium Bacchanalium feſtum olim populariter atq; *Bacchanalium*
hilariter agebatur: pompa erat, amphora uini & uitis malleolus, deinde hircum trahebat *pompa.*
quiſpiam, hunc alius ſequebatur caricarum cophinum geſtans, poſtremo loco phallus, id
eſt, Priapus erat. At iſta nunc deſpiciuntur & obſcurata ſunt, nimirũ dum circunferunt au
rea uaſa, magnificæ ueſtes, dum aguntur currus ac perſonæ: ita quæ erant neceſſaria atq;
utilia in diuitijs, ea ſunt obruta ſuperfluis & inutilibus. Verùm pleriſq; noſtrûm accidit il-
lud Telemachi. Nam ille per imperitiã, uel potius ob ruſticitatem, cùm Neſtoris domum
uideret inſtructam menſis, ueſtibus, ſtragulis, uino ſuaui, non admiratus eſt eum rebus ne
ceſſarijs & utilibus abundantem: cæterùm apud Menelaum conſpicatus ebur, aurum, &
electrum, obſtupuit, dixitq;:

Talis adeſt aula hæc, qualis Iouis altitonantis.

Plurima dictu mira, ſtupor me habet aſpicientem.

Porrò Socrates aut Diogenes dixiſſet, quàm multa hic miſera, inutilia, ſtulta, riſus me ca-
pit aſpicientẽ. Quid ais peſsime? cùm debueris detrahere purpurã & ornatũ à muliere, ut
deſineret deliciarũ, rerumq; peregrinarũ amore inſanire, tu contrà exornas ædes, perin-
de quaſi theatrũ aut ſcenã ingredientibus? Huiuſmodi felicitatẽ adferunt diuitiæ, quæ ſit

C ſpectatorum ac teſtium, aut certè nulla. At temperatū eſſe, philoſophum eſſe, de dijs ſcire quæ ſcitu ſunt neceſſaria, id ſemper idem eſt, etiamſi uniuerſi neſciant mortales: ſed proprium iubar magnamq́; lucem habet in animo, & gaudiū domeſticū parit, ipſo ſuoipſius fruente bono, ſiue uideat aliquis, ſiue lateat omnes & deos & homines. Huiuſmodi quidem res eſt uirtus, ueritas diſciplinarū, Geometriæ & Aſtrologiæ pulchritudo. An conuenit huic phaleras iſtas diuitiarū, monilia, puellariaq́; cōferre oſtentacula? Si nemo uideat, nec aſpiciat, uerè cęcæ ſunt, & orbæ luce ſunt diuitiæ. Siquidē diues cùm ſolus cœnat cum uxore ſeu familiaribus, non faceſsit negocium menſis conuiualibus, neq; poculis aureis, ſed utitur quibuslibet, ac plebeis: adeſt uxor nullo auro, nulla purpura inſignis, ſed ſimplici cultu. Verùm ubi iam cōcœnatio, hoc eſt, pompa & ſpectaculū adornatur, fabulaq́; diuitiarum inducitur, tum è nauibus effert lebetesq́; tripodesq́;, ordine diſponuntur lucernæ, contrahuntur calices, mutant pocillatores, reueſtiunt omnia, omnia mouent, aurum, argentum gemmis additum, palàm ſe diuites eſſe confitentes, Cæterùm abeſt temperantia, ſiue ſolus cœnet, ſiue conuiuium celebret.

Plutarchi de uitioſa uerecundia liber.

ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE

EX HIS quæ terra producit, quędam ſunt non modò ſuapte natura ſylueſtria infrugiferaq́;, uerumetiā mitibus frugiferisq́; ſeminibus ac plantis ſuo incremento officientia: attamē hæc agricolæ iudicant argumenta ſoli nequaquā mali, ſed pinguis ac feracis. Itidem ſunt & affectiones animi, per ſe quidem non bonæ, ſed tamen ceu germina quædam ac flores bonæ indolis, quæq́; ſemetipſam rationi colendam cōmodè poſsit exhibere. In his numero & eam quam Græci uocant dyſopiam, hanc *Dyſopia quid.*
D dicere poſsis uitioſum pudorem, aut ſtupidam uerecundiā, quę ſignum quidem eſt haudquaquam malum, cùm ſit cauſa mali. Etenim qui pudeſcunt, frequenter eadem peccant quæ ſolent impudentes, niſi quòd illi cùm peccant, dolore moleſtiaq́; afficiuntur, nō autē delectantur, quemadmodū iſti. Quiſquis enim pudore uacat, non ſentit dolorem ex turpiter factis. Contrà qui facilè pudeſcit, citò cōmouetur, non ſolùm obiectis his quæ uerè turpia ſunt, uerumetiā quæ ſpeciem habent turpitudinis. Siquidem immodicus pudor δυσωπία dicitur, hinc impoſito nomine, quòd uultus quodāmodo ſimul cum animo uertatur, locoq́; dimoueatur. Quemadmodū enim κατήφειαν, quam pronitatem aut putiditatem latinè poſsis dicere, definiunt dolorem in nobis efficientem, ut uultum demittamus: ſic pudorem adeò nos afficientem, ut non audeamus obtueri quos oportebat, δυσωπίαν appellant, uoce cōpoſita ex ὠπὸς aſpectu, & δυς particula quæ difficultatis habet ſignificationē, Vnde orator quidem ille de impudente dixit, quòd in oculis haberet nō κόρας, ſed πόρνας, id eſt, non pupillas ſed ſcorta, uidelicet ludens ex ambiguo uocis κόρη, quę & uirginem ſonat, & oculi pupillam. At è diuerſo qui facilè pudeſcit, animū plus ſatis muliebrem ac mollem in uultu prę ſe fert, extenuans interim uitium ſuum, & id quo uincit̄ ab impudente pudorem appellans. Itaque Cato dicebat, ſibi magis placere adoleſcentes qui rubeſcerent, quàm qui palleſcerent: rectè conſuefaciens illos docensq́;, probrum eſſe metuendum magis quàm reprehenſionem, & ſuſpicionem potius quàm periculum. Attamen immodicus ille metus ſuſpicioq́; probri eximenda eſt ex animo, eò quòd ſæpenumero fit in nonnullis, ut dum nō minus metuunt audire male, quàm affici malis, deterreantur ac reſiliant ab honeſto, quòd non queant perpeti infamiam. Nec horum ſanè fouendus eſt affectus, qui tam molles ſunt & imbecilles: neq; rurſus laudandus eſt ille animi rigor & immobilitas, Cæterùm in hoc quòd quis

Intrepidè fixisq́; oculis contra aſpicit omnes,
Lucet Anaxarchi uis improbitasq́; canina.

Quin magis arte conandum eſt, ut ex utroq; modulata quædam fiat temperatura, quæ ſimul & à perpetuo fixoq́; obtutu tollat impudentiam, & à nimia modeſtia tollat imbecillitatem. Eſt profectò & difficilis horum curatio, nec abſq; periculo fit ab exceſsibus huiuſmodi reuocatio. Sicut enī agricola cùm euellit ſylueſtre germen & infrugiferū, ibi ualidè impacto ligone ſubuertit radicē, aut admoto igni incendit. Cęterū cùm uitem aggreditur putandam,

A putandam, aut mâli arborem aut oleam tractat, circunſpectè manum admouet, metuens
ne quid ex his quæ ſana ſunt reſecet: Itidem philoſophus, cùm ex adoleſcentis animo exi-
mit inuidiæ infrugiferum germen, quodq́; non facilè manſueſcit, aut intempeſtiuū pecu-
niæ ſtudium, aut cùm libidinis intemperantiā execat, cruentat premitq́;, ac ſectionem &
cicatricem profundam facit. Cæterùm quoties ad delicatam teneramq́; animi partem ſer-
monem adhibet auocantem à uitio, qualis eſt ea quę immodico pudore cōmouetur ac tur
batur, cauet ne imprudens ſimul reſecet ingenuū pudorem. Nutrices enim dum frequen-
ter preſsius exterguntſordes ab infantibus, nonnunquā & carnem unà cum ſordibus ab-
ſtrahunt læduntq́;. Proinde non eſt cōmittendum, ut dum modis omnibus ab adoleſcen-
tibus ad uiuum uſq; pudorem immodicum extundimus, incogitantes eos reddamus, ac
præter modum improbos: quin potius quemadmodū ij qui demoliuntur ædes alijs ædifi
cijs contiguas, quæ proxima ſunt & continentia manere ſinunt ac fulciunt: ita dum immo
dici pudoris uitium attingimus, cauendum eſt ne ſimul & illa detrahamus, quæ contigua
ſunt pudori, modeſtiæ ac manſuetudini. Nam ſub his latitat, his adhæret uitioſus pudor,
palpans & aſſentans immodicè uerecundo, uelut humano ciuiliq́;, ac ſenſum habenti
communem, minimeq́; rigido ac præfracto. Hanc ob cauſam Stoici his de rebus diſſertu-
ri, protinus ipſo etiam nomine diſtinxerunt erubeſcentiam ac uitioſum pudorem à uere-
cundia, ne ſi cōmune uocabulum reliquiſſent, uitio darent occaſionem lædendi: uerùm
nobis concedant nominibus citra calumniam uti, uel potius largiantur nobis Homerico
more loqui. Siquidem ille dixit:

Valde pudor mortale genus læditue iuuatue.

Et haud male quidem lædendi uerbum priore loco poſuit. Fit enim pudor utilis ratione,
quæ & detrahit quod redundabat, & quod erat moderatum relinquit. Illud igitur in pri-
mis perſuadendum eſt ei qui immodico pudori obnoxius eſt, quòd affectu noxio tenea- *Dyſopiæ affe-*
tur (nihil autem eſt noxium quod idem ſit honeſtum) quodq́; non oporteat uoluptatem *ctus noxius eſt.*
capere, quoties laudibus demulcetur, dum pro graui, excelſo ac iuſto, prędicatur elegans
& hilaris: neq;, quemadmodum Euripidis Pegaſus,

Pauitando ceſsit inſidenti plus ſatis Bellerophontæ,

B ita ſeſe præbeat quibuslibet rogantibus, atq; ad illorum humilitatē ſimul & ſemetipſum
deijciat, metuens ne audiat durus & inexorabilis. Etenim Bocchoridi Aegyptio, cùm eſ-
ſet natura ſæuus, Iſis (ut ferunt) immiſit aſpidē, quę circumuoluta capiti ſupernè obumbra
ret, uidelicet quò iuſtè iudicaret. At pudor immodicus mollib. & effœminatis imminens,
nec ualens ad ullam petitionem renuere aut contradicere, & iudices auertit à iuſtitia, & in
conſultatione ſedentibus obturat os, multaq́; cogit tum dicere tum facere inconſultè. Cę-
terùm qui improbiſsimus eſt, ſemper huius affectus dominus ac ſuperior eſt, ſic excutiens
pudoris affectum ut nunquam pudefiat. Itaque pudor immodicus dum nullam interpel-
lationem poteſt repellere nec ſubmouere, perinde ut ager ſupinus ac mollis, turpiſsimis
tum factis tum cupiditatibus peruius eſt. Nam huiuſmodi pudor, malus cuſtos eſt tene-
ræ ætatis, quemadmodum dixit Brutus, ſibi non uideri eum ætatis florem rectè collocaſ-
ſe, qui nihil negaret. Rurſus malus eſt thalami & fœminei conclauis curator, ſicut apud
Sophoclem loquitur illa adultero, iam facti pœnitens:

Suaſu impuliſti, blandiendo illecta ſum.

Itaq; pudor immodicus, poſteaq; intemperantiam ad turpia procliuem magis etiam non
obſiſtendo corrupit, omnia præbet inuadentibus immunita, patentia, procliuia: & dando
quidem perdunt ingenia ſceleratiſsima: perſuadendo uerò & exorando, corrumpunt e-
tiam proba. Non interim cōmemoro detrimenta rerum utilium, quæ parit immodicus
pudor, dum mutuū dant, quibus diffidunt: dum ſponſores fiunt, pro quibus nolunt: dum *Dyſopiæ in-*
laudant quidem illud, Sponde, ſed præſtò eſt noxa, cæterùm eo in rebus gerendis uti non *commoda.*
poſſunt. Quàm multos autem hic morbus ſuſtulerit, nemo facilè recenſuerit. Siquidem
Creon dum ſic Medeam alloquitur:

Mulier ſatius eſt hoſtis ut fiam tibi,
Quàm ſi obſequar nunc, gemere dira in poſterum:

alijs quid eſſet agendū præſcripſit: at ipſe ſtulto pudore uictus dum unum diem poſcenti
dat, ſubuertit domum. Nonnulli uerò etiam cùm cædes & uenena ſuſpicarentur parari,
tamen ob pudorem uitioſum ſubuerſi ſunt. Hunc in modum perijt Dion, non quòd igno
raret ſibi Callippo ſtrui inſidias, ſed quia puduit obſeruare amicum & hoſpitem. Sic Anti
pater Caſſandri filius, uocato ad cœnam Demetrio: deinde poſtero die cùm uiciſsim eſſet

C uocatus ab ipſo,puduit recuſare,ne uideretur ei diffidere qui ipſi ſiſus fuiſſet. Cùm iſſet igi
tur,ſuper cœnam interfectus eſt. Cęterùm Polyperchon pactus talenta centum,receperat
Caſſandro ſeſe peremptur ũ Herculem Alexandri ex Barſine nothum, deinde ad cœnam
uocabat. Porrò cùm adoleſcens ſuſpectam quidem haberet eam uocationem,metueretq́ꝫ
ſibi, cæterùm excuſaret incõmodam ualetudinem, Polyperchon ueniens ad illum prior
ita loquutus eſt: O puer imitare morum paternorum facilitatem humanitatem q́ꝫ,niſi pro
fectò metuis nos,quaſi tibi ſtruamus inſidias. Adoleſcentulus autem pudefactus,ſecutus
eſt: illi uerò peracta cœna eum iugularũt. Non eſt igitur ridicula,quod aiunt quidam,nec
illiberalis,ſed prudens illa Heſiodi ſententia:

Ad cœnam uoca amicum,ne acceſiueris hoſtem.

Ne ſis immodicè pudens erga oſorem,neqꝫ ſubmoueris eum,qui uidetur fidere: etenim ſi
uocaris,uiciſsim uocaberis: & cœna accipies,ſi fueris acceptus, ita ut diffidentiã cuſtodi-
entem te,pudore emollitam,uelut tincturã dimittas. Conandum eſt igitur,ut hic morbus
Dyſopia exercitatione emendanda.
multorum cauſa malorũ propellatur, primùm per exercitationẽ,facto initio,more eorum
qui alijs in rebus quippiam meditantur,à puſillis, & ubi non difficilè ſit contrà oculos tol
lere: ueluti ſi quis tibi propinet in cœna, quum ſatis biberis,ne te moueat pudor inutilis,
neqꝫ tibi ipſi uim facias, ſed deponito poculum. Rurſum aliquis prouocat ad cubos inter
pocula,ne pudeſcas, neqꝫ metuas ſi petaris dicterio, ſed imitare Xenophanẽ Lagi, quem
cùm Hermoneus meticuloſum uocaret, quòd nollet cum ipſo cubis ludere, confeſſus eſt,
ſe nõ modò timidum,ſed uehementer etiã timidum & meticuloſum eſſe aduerſus inhone
ſta. Rurſus incidiſti in hominẽ ineptè loquacem, qui te apprehendit, & inhærens cõplexu
retinet,ne ſis hìc immodicè pudens,ſed interruptũ ſermonem urge,& propoſitũ abſolue.
Nam huiuſmodi recuſationes ac diſcuſsiones,quoniam in minoribus malis pręparant ex
ercentq́ꝫ ad excutiendum inutilem pudorem,conſuefaciunt nos ad maiora. Atqꝫ hoc ſanè
loco non alienum fuerit cõmemorare quod dixit Demoſthenes. Etenim cùm Athenięſes
geſtirent Harpalo ferre auxilia,iamq́ꝫ aduerſus Alexandrũ armarentur, derepentè appa-
ruit Philoxenus,quem Alexander maritimis negocijs ducem pręfecerat. Cùm uerò popu
D lus attonitus metu conſileſceret, Quid faciant,inquit Demoſthenes,ſi ſolem uideant,qui
non poſsint obtueri lucernã? Quid enim facturus es in arduis negocijs,ſi rex interueniat,
aut populus exorando inſtet, cùm familiari propinanti poculumq́ꝫ porrigenti, nõ poſsis
recuſare,neqꝫ garrulũ apprehendentẽ effugere,ſed homini nugaci præbeas teipſum quo-
ad illi lubet immorari,non habens tantum roboris ut dicas,uidebo te poſthac,nunc nõ eſt
ocium? Iam uerò ad laudandos alios, non inutilis fuerit in rebus leuioribus meditatio ex-
ercitatioq́ꝫ ad expellendum uitioſum pudorem: quod genus ſit, In amici conuiuio citha-
rœdus inſcitè canit,aut comœdus magno emptus inſcita actione perdit Menandrum,ple
riſqꝫ plaudentibus & admirantibus: non fuerit,opinor, moleſtum aut difficile cum ſilen-
tio audire,nec illiberaliter laudare, ſupraquàm tibi uideatur. Quòd ſi in his tibi non tem-
peras,quid facies amico recitante malum carmen, aut ſcriptam orationẽ oſtendente? Ni-
mirum illiberaliter ridiculeq́ꝫ laudabis, ſimulq́ꝫ cum cæteris adulantibus applaudens au-
gebis tumultum. Quomodo igitur reprehendes in negocio ſerio delinquentem? Quo-
modo in gerendo principatu, aut in nuptijs, aut in adminiſtranda republica non rectè ſe
gerentem admonebis? Nam ego quidem nec Periclis illud probarim, quod reſpondit cui
dam amico poſtulanti, ut pro ſe ferret falſum teſtimonium cui coniunctum erat iuſiuran-
dum: Vſqꝫ ad aram,inquiens,amicus ſum. Nimis enim propè iam acceſsit. Cęterùm qui è
longinquo ſeſe conſuefecerit,ut neqꝫ dicentem laudet præter animi ſententiã,neqꝫ canen
ti applaudat,neqꝫ ſcõmatis parum dextrè ludenti arrideat, non cõmittet ut eouſqꝫ progre
diatur aliquis, ut uel dicere audeat homini in huiuſmodi negocijs inexorabili: Iura pro
me, dic falſum teſtimonium, aut pronuncia præter iuſtum. Itidem oportet & pecuniam
mutuum flagitantibus obſiſtere, conſuetudine multò antè parata in rebus neque magni
momenti, neque recuſatu difficilibus. Archelaus Macedonum rex, quum ab ipſo po-
culum aureum poſtularet quidam inter cœnam, qui nihil ducebat honeſtum præter-
quàm accipere, iuſsit miniſtro ut id Euripidi daret. Et hominem illum intuitus: Tu qui-
dem,inquit, dignus es qui poſcas,nec accipias: hic uerò dignus eſt qui etiã non poſtulans
Largitione quomodo utendum.
accipiat: pulchrè declarans, nõ ex pudoris arbitrio, ſed ex iudicij delectu donationem ac
largitionem eſſe faciendam. Nos uerò ſæpenumero modeſtis hominibus ac familiaribus
quum egent contemptis, alijs inſtanter improbeq́ꝫ flagitantibus damus, non quòd dare
uelimus, ſed quòd negare non ualeamus. Quemadmodum Antigonus ſenior, quum

frequenter

A frequenter Biantem moleſtè flagitantē tuliſſet: Date, inquit, Bianti talentum uel uí: tametſi is regum omnium maximè erat exercitatus & inſtructus dictis ad huiuſmodi poſtulationes excutiendas. Etenim cùm aliquando Cynicus quidam petiſſet ab ipſo drachmā, Non eſt, inquit, regum dare drachmam: & cùm ille ſubieciſſet, ergo da mihi talentum: reſpondit, atqui non eſt Cynici accipere.

Diogenes quidem igitur obambulans in Ceramico, petebat à ſtatuis. Id factum admirantibus reſpondit, ſe in hoc exerceri ut aſſueſceret fruſtrari poſtulatis. Nobis autem primùm exercitatio ſumenda eſt in rebus uulgaribus, ac meditandū in paruis negare ijs qui flagitant pręter meritum accepturi, ne deſit quod reſpondeamus maiora recuſaturi. Siquidem nullus, ut inquit Demoſthenes, qui quod habebat inſumpſit in quæ non oportebat, quæ non poſsidet ſi contingant, utetur in quę oportet. Quoties autem deficimus circa honeſta, redundantes in ſuperuacaneis, oritur multiplex turpitudo. Ad hæc uitioſus pudor, non modò malus & imprudens diſpenſator eſt pecuniarū, uerumetiam maioribus in rebus non admittit uriliter conſulentem rationem. Etenim ægrotantes non accerſimus medicum peritum, ueriti familiarem: ac liberis præceptores eligimus eos potius qui nos huc ambitu ſuo prouocant, quàm idoneos. Quin & in litibus frequenter non patimur eum patronum dicere, qui cauſæ utilis eſt & rei forenſis peritus, ſed amici cuiuſpiam aut cognati filio gratificantes, tradimus apud populum agendā cauſam. Poſtremò permultos cernere eſt ex eorum numero qui philoſophiæ uacare dicuntur, quum ſint Epicurei ac Stoici, non delectu, neq; iudicio uerſantes cum amicis ac familiaribus, uerùm ultrò ſe pręben tes illis impudenter aliquid poſtulantibus. Agè igitur & ad hæc multò antè in rebus uulgaribus ac puſillis noſmetipſos exerceamus, aſſueſcentes neq; tonſore, neque pictore per immodicū pudorem uti, neq; in ſordido diuerſorio manere, ſi copia ſit melioris, eò quòd caupo frequenter ſalutarit nos: ſed in conſuetudinem ducamus, etiamſi paululum præſtet, eligere quod melius eſt. Sicut Pythagorici ſemper cauebant, ne quando dextro femori læuum imponerent, neq; parem numerum pro impari ſumerent, quoties in cæteris eſſet æqualitas. Quin & illud ducendum in conſuetudinem, ne quum rem diuinam facimus, aut

B nuptias celebramus, aut aliud huiuſmodi conuiuiū apparamus, uocemus ſalutantem aut ultrò accurrentem potius, quàm beneuolum & humanum. Etenim qui ad hunc modum ſeſe conſueſecerit exercueritq;, haud facilè capietur, quin potius tutus erit in negocijs grauioribus. Ac de exercitatione quidem hæc ſufficiunt. Cæterùm rationum ad hæc conducibilium illa prima eſt, quę nos docet & cōmonefacit, quòd omnes affectus ac morbos ea ſequuntur, quæ per illos uidemur nobis effugere: uelut ignominia, gloriæ ſtudium: dolores, uoluptatum amorem: labores, mollitiem: & ambitionem uincendi, ſequitur uinci & condemnari. Cæterùm illud palàm accidit immodico pudori, ut dum fumum uitat ignominiæ, in ignem ſeſe conijciat. Etenim quos pudet eis contradicere qui improbè moleſti ſunt, petendo quod æquum non eſt, poſtea pudefiunt ab illis qui meritò uocant in ius: dumq; metuunt leuem reprehenſionem, frequenter confeſſum pudorem ſuſtinent. Nam amico petenti pecuniam, dum præ pudore non audent contradicere, quòd non habeant, paulò pòſt indecorè pudeſcunt redargui, & aliquibus auxiliū polliciti, litigare coguntur cum alijs, & pudore perfuſi latitant ac fugitant. Quin permultos uitioſus pudor, poſteaq; eos inutili promiſſo de nuptijs, aut de filia ſororè ue conſtrinxit, rurſus in diuerſum mutata ſententia mentiri cogit. Etenim qui dixit omnes Aſianos uni ſeruire homini, eò quòd non poſſent unam ſonare ſyllabam, N O N, haud ſeriò dixit, ſed facetia luſit. Cæterùm qui pudore tenentur uitioſo, etiamſi nihil omnino dixerint, tantùm adductis ſupercilijs, aut in terram demiſſo uultu, licet multa inconſulta & abſurda obſequia effugere. Nam ſilentium, Euripides ait ſapientibus reſponſi loco eſſe. Et fortaſsis aduerſus improbos magis opus erit ſilentio, quandoquidem humanioribus licet nos excuſare. Quin & multa crebraq; uirorum illuſtrium ac bonorū reſponſa conueniet in promptu habere, ac meminiſſe aduerſus eos qui noſtro pudori uim faciunt: quod genus eſt illud Phocionis ad Antipatrum: Nō potes me ſimul & amico uti & adulatore. Rurſum quod reſpondit Athenienſibus, flagitantib. ab eo ut aliquid adderet in feſtū, ſimulq; applaudentibus: Pudet, inquit, uobis addere, & huic non reddere, Calliclem oſtendens ipſius fœneratorē. Non enim turpe eſt fateri paupertatē, ut ait Thucydides, ſed re ipſa non effugere turpius eſt. At qui ob imbecillitatem mollitiemq; animi, non audet ob pudorem ineptum reſpondere petenti,

Silentiū ſapientibus reſpōſi loco.

Non eſt in antro argentum amice candidum,
mox ueluti proiecto arrabone, ipſa promiſsione,

C Compedibus obſtrictus tenetur, non faber
Quas cudit ære, ſed pudor quas addidit.

Perſæus autem quum noto cuidam mutuam daret pecuniam, apud forum ac menſam fecit cautionem, memor uidelicet illius Heſiodij dicti:

Et fratri teſtem ridens adhibere memento.

Verùm quum ille admirans dixiſſet: Adeóne Perſæe legaliter? ſcilicet, inquit, ut amanter recipiam, nec legaliter repoſcam. Multi ſiquidem ob immodicum pudorem initió non cauentes ne fallantur, póſt cum amicitiæ detrimento coguntur legibus experiri. Contrà Plato quum Heliconi Cyziceno daret ad Dionyſium literas, commendauit illum ut humanum ac modeſtum. Deinde in calce literarum adſcripſit: Hæc autē tibi ſcribo de homine, animante natura mutabili. Xenocrates tametſi moribus alioqui eſſet auſteris, tamen pudore uictus, literis commendauit Polyperchonti, hominem minimè probum, ut res indicauit. Hunc ubi complexus eſſet Macedo, rogaretq; num qua re opus haberet, popoſcit talentum. Atque ille quidem dedit, cæterùm Xenocratem per literas admonuit, ut poſthac diligentius circunſpiceret, quos cōmendaret. At Xenocrates ignorabat, quem commendabat. Nos uerò quos comperimus, idq; frequenter, improbos, in hos non modò literas commendatitias profundimus, uerumetiam pecunias, ipſi nobis noxam accerſentes, haudquaquam cum uoluptate, quemadmodum ij qui meretricibus & aſſentatoribus ſua largiuntur, ſed moleſtè grauiterq; ferentes poſtulantium impudentiam, quæ nobis iudicium ſubuertit, opprimitq;. Porrò ſicubi alias, certè aduerſus eos qui nos pudore grauant, dicere licet illud:

Intelligo quæ ſim patraturus mala,

ſi falſum præbuero teſtimonium, aut ſi præter æquum iudicauero, aut ſi ſuffragium tulero negocio inutili, aut ſi mutuum dedero nō reddituro. Quapropter habet hoc peculiare pudor uitioſus, quòd cùm cæteras cupiditates ſequatur pœnitentia, hîc non ſequitur, ſed protinus in ipſis factis adeſt. Nam & cùm damus, diſcruciamur: & teſtimonium ferentes, pudeſcimus: & auxiliantes, infamiam contrahimus: & non obſequentes, redarguimur. Quoniam enim imbecilliores ſumus, quàm ut poſsimus poſtulantibus recuſare, etiam illa pollicemur ijs qui nos urgent, quæ præſtare nequaquā poſſumus, ueluti cōmendationes in principum aulas, & interceſsiones apud præſides, dum nec uolumus, nec audemus dicere:

Dyſopiæ proprium.

D

Non nouit nos rex, ſed alios potius reſpicit.

Hoc pacto Lyſander cùm offendiſſet Ageſilaum, gloriæ tamē cauſa putaretur plurimum apud illum poſſe, non erubuit excuſare ſe adeuntibus, iubens illos ad alios ire, & illos tentare qui plus ipſo ualerent apud regem. Nec enim turpe eſt, non omnia poſſe. Cæterùm quum non poſsis, nec idoneus ſis ad talia negocia ſuſcipienda, ad hæc recipienda pudore protrudi, præterquàm quòd turpe eſt, ſummam etiam adfert moleſtiam.

At ut aliud principium petamus, hoc ſtudio habere oportet, ut in his quæ uirium noſtrarum ſunt & honeſta, libenter obſequamur ijs qui noſtrum requirunt officium, non coacti pudore, ſed uolentes. In noxijs uerò & inhoneſtis, cōuenit illud Zenonis ſemper habere in promptu, qui quum incidiſſet in adoleſcentem quendam ipſi familiarem, iuxta mœnia furtim ambulantem, audiſſetq; quòd fugeret amicum, à quo poſtulabatur ad ferendū falſum teſtimonium: Quid ais, inquit, ignaue? ille auſus eſt te malo iniuriaq; afficere, nec erubeſcit, & tu illi pro iuſtitia non audes obſiſtere? Proinde qui dixit,

Improbos aduerſus homines armat improbitas probe:

malè docet ſic ulciſci malitiam, ut illam imitemur. Cæterùm quiſquis improbitatem illorum, qui impudenter ac fronte perfricta obſtrepunt, pari impudentia retundit, nec turpia concedit, uerens facere inuerecunda, rectè iureq; facit, id quod faciunt quicunq; ſapiunt. Iam uerò obſcuris & humilibus, nulliusq; precij hominibus quum obturbant, non magni negocij fuerit obſiſtere, uerū tales cum riſu quoq; & ſalibus nonnulli ſubmouent. Quemadmodum Theocritus, quum in balneo duo ſtrigilem commodatò peterent, quorum alter erat peregrinus, alter notus fur: Te, inquit, non noui, te noui. Itaq; ioco repulit ambos. Lyſimache uerò apud Athenienſes Mineruæ, quæ Polias dicitur, ſacerdos, mulionibus ſacra adducentibus, iubentibusq; ut infunderet: Non faciam, inquit, ne hoc quoq; fiat patrium, & in conſuetudinem ueniat. Item Antigonus ad adoleſcentē quempiam, qui prognatus quidem ex elegante uiro belli duce, ſed ipſe ignauus ac mollis, poſtulabat tamen ob id cæteris anteferri: Apud me, inquit, ô adoleſcens, uirorum, non parentum uirtutibus præmia ſunt. Attamen ſi qui nos grauat pudore, nobilis ſit ac potens, quod hominum

genus

A genus difficillimè recipit excuſationem, nec patiens eſt repulſæ, præſertim quoties in iu-
dicijs ac ſuffragijs interpellant: quod Cato iuuenis etiamnũ fecit erga Catulum, fortaſsis
alicui nec facile uidebitur, nec neceſſariũ. Siquidem Catulo ſumma erat apud Romanos
autoritas, ac tum Cenſuram gerebat. Adijt autem Catonem tum ærarij quęſtorem, depre
caturus pro quodam, cui Cato mulctam dixerat, eoq; ſupplicem ſe prębuit, quò precibus
eum uinceret cogeretq;, nec finem fecit donec Cato non ferens deprecatoris improbita-
tem: Turpe fuerit, inquit, Catule, te Cenſorem, cùm hinc nolis diſcedere, à miniſtris meis
abſtrahi. Moxq; Catulus erubeſcens ſimul & iratus diſceſsit.

Quin illud potius conſidera, quod fecit Ageſilaus, quodq; Themiſtocles humanius ſi-
mul ac modeſtius. Nam Ageſilaus patri iubenti, ut in cauſa quadam præter leges pronun
ciaret: Imò, inquit, abs te pater à puero didici parêre legibus: quamobrem nunc quoq; ti-
bi obtempero, cauens ne quid faciam pręter legem. Themiſtocles autem Simonidi peten
ti quiddam iniuſtum: Nec tu, inquit, bonus poeta fueris, ſi præter numerũ canas: nec ego
bonus princeps, ſi præter leges iudicem. Quanquam autem non ob pedem lyræ modulis
parum reſpondentem, quemadmodum dixit Plato, & ciuitates cum ciuitatibus, & amici
cum amicis diſſentientes, leuiſsima tum faciunt, tum patiuntur: ſed ob id potius, quòd in
his quæ ſunt legum ac iuſtitiæ, peccent: attamen ſunt qui quum in modulis ac literis me-
trisq; ad unguem obſeruent quod artis eſt, ab alijs tamen poſtulant, ut in obeundo magi-
ſtratu, ut in iudicijs ac negocijs negligant honeſtũ. Proinde quod dicam maximè ſeruan-
dum eſt erga tales. Interpellat te rhetor in iudicio ſedentem, aut concionator in concilio
uerſantem, promittito, ſi ille ſolœciſmum cõmittat in dicendo prooemio, aut barbariſmũ
faciat in narratione. Non enim id uolet, propterea quòd turpe nõ tam ſit quàm uideatur,
adeò ut nonnullos uideamus in dicendo ne uocalis quidem cum uocali concurſum ferre.
Rurſus ubi moleſtus eſt nobilis quiſpiam & in precio habitus, iubeto ut ſaltans forum,
aut diſtorto uultu tranſeat. Quod ſi recuſet, tum tibi loqui tempeſtiuum erit. ac perconta-
ri, utrum ſit turpius ſolœciſmũ admittere, aut diſtorquere uultum, an uiolare legem, tranſ-
gredi iuſiurandum, ac præter ius & æquum malo bonum poſthabere. Ad hæc quemad-
B modum Nicoſtratus Argiuus, quum ab Archidamo ſolicitaretur ingenti promiſſa pecu-
nia, tum coniugio cuiuſcunq; uellet Lacænæ, ut Cromnum traderet: reſpondit, Archida-
mum non ducere genus ab Hercule, quòd ille obambulans ſolitus eſſet improbos affice-
re ſupplicio, ipſe autem ex bonis faceret improbos. Itidem & nobis ad hominem qui po-
ſtulet honeſtus ac probus haberi, dicendum eſt, ſi moleſtus ſit, & pudorẽ noſtrum urgeat,
quòd nec ipſi decora faciat, nec ipſius uel claritate uel uirtute digna. Cæterùm in uulgari-
bus illud uidendum ac diſpiciendũ, an auarum huc pudore poſsis adigere, ut abſq; cautio
ne credat talentum: an honoris auido perſuadere ualeas, ut locum honoratiorem alteri ce
dat: an ei qui gaudet gerere magiſtratum, quum iam imminet gloriæ, ut temperet à peten
do magiſtratum. Profectò meritò uideatur abſurdum, ſi quum illi in cupiditatibus ſuis ac
uitioſis affectibus inflexibiles, rigidiq; & immobiles perſeuerent, nos qui non ſolùm eſſe
uolumus, uerumetiam eſſe nos profitemur ſtudioſos honeſti, & amantes æqui, non tem-
peremus nobis, ſed ſubuertamus abijciamusq; uirtutẽ. Etenim ſi qui nobis moleſti ſunt,
gloriæ potentiæ'ue cauſa id faciunt, abſurdum eſt eos qui aliorum mores componunt &
educant, ſeipſos dehoneſtare, ac ſibi ſiniſtrum conflare rumorem: quemadmodũ male au
diunt, qui in certaminibus perperàm addicunt præmia, quiue in comitijs ſuffragia ferunt
ad gratiam, officio parum honeſto alijs parantes palatia, coronas, & gloriam, ſibijpſis bo
nam opinionem & honeſtum detrahunt. Quòd ſi, qui noſtrum pudorem urget, pecuniæ
cauſa moleſtus eſt, qui fit ut non protinus ſuccurrat, abſurdum eſſe, propriæ opinionis ac
uirtutis iacturam facere, ut huius aut illius crumena reddatur onuſtior? Verùm iſta qui-
dem ſuccurrunt permultis, nec ignorant ſeſe à recto deflectere, non aliter quàm ſolent ij,
qui quum coguntur ingentes epotare calices, ægrè ac ſuſpirantes, uultumq; diſtorquen-
tes perficiunt quod imperatum eſt. Sed animi imbecillitas, corporis temperaturæ ſimilis
eſt, & aduerſus calorem male compoſita, & aduerſus frigoris rigorem. Nam & quum lau
dantur ab improbis, geſtiunt, ac dilatantur, & erga querimonias ac ſuſpiciones eorum
quibus negarunt obſequium, meticuloſi ſunt, ac probri plus ſatis metuentes. Sed opor-
tet aduerſus utrunque muniri, ut nec territantibus, nec aſſentantibus cedamus. Thucy-
dides igitur exiſtimans inuidiam neceſſariò comitem eſſe potentiæ, dicit illum recto con Potentiam inui-
ſilio duci, qui in maximis rebus eligit quod inuidiæ eſt obnoxium. dia comitatur.

Nos uerò exiſtimantes non adeò difficile eſſe inuidiã effugere, in querimonias autẽ non

C incurrere, aut efficere ne quid accedat moleſtiæ ab ijs, quibus cum habemus conſuetudi-
nem, uidentes prorſus impoſsibile: rectè nobis conſuluerimus, ſi ſimultates improborum
ſuſcipere malimus, quàm iure meritoq́ꝫ criminantium, illis præter bonum & æquum obſe
quentes. Ac laudes quidem ab improbis proficiſcentes, cùm ſint fucatæ & inſyncerę, mo
dis omnibus cauendæ ſunt: nec oportet ab his ſic affici, quemadmodum afficiuntur ſues
dum fricantur ac titillantur, ut noſipſos facillimè prębeamus utendos cuiuis uolenti, deij-
cientes nos, & ad ſcalpturam accõmodantes. Etenim qui prębent aures palponibus, nihil
differunt ab his qui crura præbent ſupplantantibus: niſi quòd turpius ſubuertuntur ca-
duntq́ꝫ, tum ij qui pœnas remittunt hominibus improbis, quò uidelicet miſericordes, hu-
mani, facilesq́ꝫ uocentur: tum iſti qui contrà ſimultates & accuſationes haudquaquã ne-
ceſſarias nec periculo uacantes ſuſcipiunt, perſuaſi ab his qui ipſos laudant, tanquam ſoli
ſint uiri, ſoli aduerſus adulationẽ inuicti, deniq; ora & uoces eos appellant. Itaq; Bion ta-
les ſimiles eſſe dicebat amphoris, quòd auribus facilè circunferrent. Quemadmodũ nar-
rant Alexinum ſophiſtam inter ambulandum multa mala dixiſſe in Stilponem Megaren
ſem: cùm autem quiſpiam ex ijs qui aderant dixiſſet, Atqui ille te nuper laudauit: Per Io-
uem, inquit, uir enim optimus eſt ac præſtantiſsimus. Contrà Menedemus quum audiſ-
ſet, quòd frequenter ab Alexino laudaretur: At ego, inquit, ſemper uitupero Alexinum.
Itaq; uir malus eſt, & is qui malum laudat, & is qui à bono uituperat. Vſqueadeo à talibus
nec flecti poterat nec capi, ſeruans præceptum illud quod Antiſthenæus Hercules præce
pit filijs, ne quam haberent gratiam ijs à quibus laudarentur. Hoc autem nihil aliud erat,
quàm non uinci ſtulto pudore, nec mutuò adulari laudantibus. Sufficit autem opinor il-
lud Pindari, cui quum quidam dixiſſet, quòd ipſum ubiq; & apud omnes prædicaret: Et
ego, inquit, refero tibi gratiã, efficiens ut uera prædices. Igitur quod aduerſus omnes affe
ctus conducit, huius oportet eos qui facilè uincuntur inutili pudore, quoties morbo ſupe
rati præter animi ſententiam peccant ac ſubuertuntur, firmiter meminiſſe, notasq́ꝫ morſus
ac pœnitentiæ defixas in animo, reuocare, ſeruareq́ꝫ in longiſsimum tempus. Sicut enim
uiatores poſteaquàm ſemel in lapidem impegerunt, aut nautæ poſteaquàm ad ſcopulum
fregerunt nauem, ſi meminerint, perpetuò metuunt cauentq́ꝫ nõ illa tantùm, uerumetiam
D alia illis ſimilia: ita qui turpitudinẽ damnaq́ꝫ ex uitioſo pudore accepta, aſsiduè ingerunt
animo, pœnitentia morſuq́ꝫ uulnerato, in ſimilibus poſtea reuocabunt ſeipſos, nec facilè
patientur ſeſe à recto curſu deduci.

Plutarchi, de cohibenda iracundia dialogus Syllæ & Fundani.

ERASMO ROTERODAMO INTERPRETE.

RECTE mihi facere uidentur, Fundane, pictores, qui priuſquàm abſoluant opera ſua, ex interuallo temporis ſolent ea cõtemplari, propterea quòd dum ea ſeponunt, nec in oculis habent, frequenter iudicando, faciunt ut nouum ſit iudicium, quo tenue diſcrimen magis attingitur, id quod celat aſsiduitas & aſſuetudo. Quoniam autem fieri non poteſt, ut homo à ſeipſo ſeiunctus, ac interrupto ſenſu aſsiduitatis rurſus ex interuallo ſemet adeat, imò ea res uel maximè facit unumquenq; deteriorẽ ſuipſius iudicem quàm aliorum, proximũ fuerit ut amicos quiſq; ſuos ex interuallo contempletur, pariterq́ꝫ ſeipſum illis contemplandum exhibeat, non an breui conſenuerit, & utrum corpus melius an deterius habeat: ſed mores potius ac uitam oportet inſpicere, an his aliquid boni tempus addiderit, aut aliquid mali detraxerit. Ego igitur cùm hic alter ſit annus quòd Romam adueni, deinde hic menſis quintus quòd tecum ago conſuetudinem, non arbitror admodum eſſe mirandum, quòd ob ingenij tui dexteritatem ad ea bona, quæ prius aderant, tantum incrementum, tantaque facta eſt acceſsio. Cæterùm ubi uideo tantam illam ingenij uehementiam, & igneum, ut ita dixerim, ad iram impetum, rationis magiſterio uerſum in tantam morum placabilitatem ac manſuetudinem, ſubit ad illum irati animi impetum hoc dicere: Odiui quanto eſt iam mollior. Cæterùm hæc mollitudo non ſegnitiem aut diſſolutionem, ſed, non aliter quàm terra cultu ſubacta, leuitatem ac profunditatem, ad res agendas efficaciam, pro impetu illo ac uehementia,

accepit.

A accepit. Vnde liquet & illud, iracundiam ac ferociam non per ætatem ſimul cum deficiente corporis uigore, neq; ſuapte ſponte uelut emarceſcere, ſed honeſtis quibuſdam ac placidis rationibus ſanari. Quanquam ſanè (nam uerum apud te non tacebitur) Eros amicus, qui hæc nobis renunciabat, ſuſpectus erat, quaſi ob beneuolentiã ea teſtificaretur de probis ac bonis amicis, non quæ adeſſent, ſed quę deceret adeſſe: etiam ſi, quod tu noſti, non ſolet facilè huc adduci, ut in cuiuſquam gratiam cõcedat de ſententia. Verùm & ille nunc à falſi teſtimonij crimine liberatur: & tu, quando præbet ocium ipſa profectio, enarra nobis, ueluti curationem tuiipſius, ac medicinam quampiam, qua uſus, animum iracundum reddideris adeò tractabilem, ſimplicem, ac rationi audientẽ, obtemperantemq;. FVNDANVS: Itáne non conſideras, amiciſsime Sylla, ne & ipſe ob amicitiam ac beneuolentiam qua nos proſequeris, hallucineris alicubi in iudicandis noſtris? Siquidem Eroti, quum frequenter ne ipſe quidem ſtabilem habeat animum, in regione, & in Homerica Piſa, hoc eſt, loco firmo permanentem, ſed exacerbatiorem odio uitiorum, ueriſimile eſt nos uideri manſuetiores, quemadmodum in picturis figurarum muſicarum tranſmutandis, netæ quædam, chordæ, quæ ſonum reddunt acutiſsimum, collatæ ad alias netas acutioris ſoni, ordinem accipiunt hypatarum ac fidium inferiorum, quæ ſonant grauiſsimè. SYLLA: Neutrum horum accidit, ô Fundane, ſed agè fac quod dico, nobiſq; gratificare. FVNDAN. Atqui in his quæ multa pulchrè dicta à Muſonio meminimus, eſt & illud ô Sylla, his qui uelint eſſe ſalui, ſemper curandã eſſe uitam. Nec enim opinor conuenire, ut quemadmodũ elleborus in curationem adhibitus, ſimul cum morbo eijcitur, itidem eijciatur & ratio, quã oportet in animo manentẽ, continere ſeruareq; iudiciũ. Neq; enim pharmacis aſsimilis eſt rationis uis, ſed cibis ſalubrib. placidè habitũ bonum gignens, in his quibus facta fuerit familiaris. Cæterũ admonitiones & obiurgationes adhibitæ malo uigenti tumentiq;, ægrè quidẽ ac uix perficiunt quod agunt, nihil autem differunt ab odoramentis, quæ morbo comitiali obnoxios erigunt quidẽ collapſos, non liberant tamen à morbo. Ac cætera quidẽ mala, etiam tum cùm uigent, utcunq; cedunt, & admittunt orationem opiferã, aliunde uenientẽ in animũ: uerùm ira, nõ quemadmodũ ait Melanthios,

Acerba patrat, mentem ab ædibus ſuis
B Alias in ædes transferens,

ſed expellens ex ædibus, deniq; & excludens, non aliter q̃ iſti qui ſeſe unà cum ipſis ædibus incendũt, ita tumultu, fumo, caligine cuncta intus replet ira, ut nec uidere poſsis, nec audire eos qui cupiunt ſubuenire. Quapropter nauis in mari tempeſtate periclitans ſine nauclero, citius aliunde recipiat gubernatorẽ, quàm orationem alienam admiſſurus ſit homo, quum impetu & ira ceu fluctibus iactatur, niſi paratam habeat domi rationem. Sed quemadmodũ qui expectant obſidionem, cõtrahunt & in promptu collocant, quibus eſt opus, nihil ſpei collocantes in his quæ ſunt extra ciuitatẽ: ita maximè nos oportet aduerſus iracundiam auxilia è longinquo petita, nimirũ è philoſophia, cõportare in animũ, ne cùm tempus aduenerit eorũ uſum poſtulans, nõ facilè poſſint aliunde inuehi. Neq; enim tum audit animus eos qui foris ſunt, ob tumultũ, niſi intus habeat uelut monitorẽ rationẽ ſuam, celeriter accipientem, & intelligentẽ ſingula quæ præcipiunt. Verùm ubi audierit, ea quidem quæ ſenſim ac placidè dicuntur, negligit: rurſus aduerſus eos qui acerbius inſtant, irritatur. Etenim cùm ira ſuperba ſit ac præfracta, quæq; omnino difficilè moueri patitur ab alio, non aliter quàm undiq; ſatellitio cõmunita tyrannis, ex ſeſe habeat oportet domeſticũ aliquid ac familiare, quod ipſam diſſoluat. Itaq; iraſcendi aſſiduitas, ac frequenter in iram impingere, habitum peruerſum gignit in animo, quem appellant iracundiam, huc tandem deducens hominem, ut facilè cõmoueatur, utq; ſit amarulentus ac moroſus, poſteaquàm animus redditus eſt ulceroſus, ac leues ob cauſas ægreſcens, ac de quibuslibet mouens querimonias, non aliter quàm ferrum tenue & inualidum, non fert denuò ſculpentis manum. Cæterùm ratio iudex, quæ prótinus inſtat ac premit iracundiam, non ſolùm præſenti medetur malo, uerumetiam in reliquum tempus firmum reddit animum, ut non facilè morbo tentetur. Mihi quidem igitur poſteaquàm ſemel atq; iterum iræ reſtitiſſem, accidit id quod Thebanis, qui quum primum repuliſſent Lacedæmonios, tum ut uidebantur inuincibiles, poſtea nullo in prælio ab iiſdem ſuperati ſunt. Iam enim intelligebam, ratione prudentiaq; uictoriam eſſe parandam. Videbam autem non ſolùm frigore offuſo deſinere iram, quemadmodum dixit Ariſtoteles, uerumetiam metu admoto extingui. Quinetiam, per Iouem, ſubito oborto gaudio, iuxta Homerum, Multis effloruit, atque exporrectus eſt animus ira turbatus. Itaque mihi perſuaſum eſt, non omnino

Auxilia contra iracundiam unde petenda.

C malum eſſe immedicabile, ſi qui modò uelint. Neq; enim ira ſemper ex magnis ac ualidis initijs oritur, ſed uel dicterium, uel iocus, uel ridere quempiam, uel innuere, aliaq; huius generis multa, complures ad iram concitant. Velut Helena fratris filiam alloquens:

In Eurip. Oreſt.

Electra uirgo longa temporis mora
Me fari adegit. & cætera quæ inibi ſequuntur. Viciſsim audit à uirgine,
Nunc quidem ſerò ſapis,
Quæ tum penates turpiter reliqueris.

Itidem Alexandrum offendit Calliſthenes, qui quum in conuiuio circunferretur ingens patera, Nolo, inquit, Alexander bibendo cõmittere, ut mihi Aeſculapio ſit opus. Quemadmodum igitur flammã pilis leporum, aut ſtuppis paleiſq; ſuccenſam, facilè eſt cohibere: quòd ſi corripuerit ſolida, ac ſpiſsitudinem habentia, mox corrumpit ac ſimul perdit,

Surſum inualeſcens, opera fabrorum ardua,

ut dixit Aeſchylus: ita qui ſtatim initiò in iram animaduertit, dum uidet paulatim ex leuibus dictis, ac ſtuppea ſcurrilitate fumare & incendium colligere, non opus habet magno negocio, ſed frequenter ipſo ſilentio ac negligendo reſtinguit. Nam ut incendium qui non addit materiam extinguit, ſic & iram quiſquis non aluit naſcentem, nec eam flatu concitauit, ſeipſum ſeruat ac ſubtrahit incendio. Proinde quanquã alioqui multa dicens ac præcipiens utilia Hieronymus, mihi tamen non ſatisfecit in hoc quòd dicit, ob celeritatem in nobis non eſſe ſenſum iræ naſcentis, ſed natæ duntaxat, ac præſentis. Neq; enim ullum eſt uitium, quod dum colligitur ac concitatur, habeat æquè manifeſtam originem & incrementũ, quemadmodũ eruditè nos docet Homerus, dum Achillem quidem mox è ueſtigio facit animo diſcruciari, dicto prouocatum. Sic enim ait:

Sic ille, hunc nubes contexit nigra doloris.

Agamemnonem uerò, quanquã multis uerbis prouocetur, tamen inducit lentum ad iraſcendum. Ea ſi quis ſtatim initiò ſubtraxiſſet illis, ac progredi uetuiſſet, non euſq; increuiſſet diſcordia. Proinde Socrates quoties ſenſit ſeſe acerbius cõmoueri aduerſus amicorum quempiam, uelut ante tempeſtatem, marinum quendam ſcopulum euitans, remittebat uocem, ac uultu arridebat, faciemq; placidiorem oſtendebat. Itaq; alteram in partem
D deflectendo, atq; in diuerſum nitendo, quàm quô uocabat affectus animi, ſeruabat ſeipſum inconcuſſum & inuictum. Eſt enim quoddam, ô amice, iræ, ceu tyranni, diſſoluendę initiũ, ſi non obtẽperes, nec auſcultes illi imperanti, ut acriter uocifereris, ut truci ſis aſpectu, ut cædas teipſum, ſed ſi quieſcas, nec iram ceu morbũ iactatione corporis & clamore reddas uehementiorẽ. Nam ea quę facere ſolent amantes, dum adlaſciuiũt, dum occinũt, dum coronant fores amicæ, habent utcunq; alleuiationẽ nõ ingratam, nec inelegantem.

Adueniens autem non clamore effero, cuius,
Aut quis, ſed fixi dilectæ baſia amicæ,
Hæc iniuria ſi eſt, fateor, ſum iniurius.

Præterea quæ permittuntur lugentibus, complorare ac lamentari, bonam doloris partem unà cum lachrymis educunt. Contrà, ira uehementius incitatur his quæ faciunt ac dicunt qui ea ſunt occupati. Proinde quieſcere optimum eſt, aut effugere, aut occultari, ſeſeq; ad ſilentium uelut in portum recipere, quemadmodum ſolent qui ſentiunt morbum comitialem oborientem, ne concidamus, aut potius ne in quenquã irruamus. Nam in amicos & potiſsimum & frequentiſsimè irruimus. Nec enim amamus omnes, nec omnibus inuidemus, nec omnes metuimus. Cæterùm nihil eſt quod non inuadat, & in quod non faciat impetum ira, ſed iraſcimur tum inimicis & amicis, tum liberis ac parentibus, ac per Iouem etiam dijs, deniq; beſtijs ac uaſis anima carentibus, quemadmodum fecit Thamyris,

Cornuq; rumpens, auro id obuinctum licet,
Moduloſq; rumpens fidibus intenſæ lyræ.

Ac Pandarus ſeipſum deuouens, niſi arcus manibus confractos in ignem conijceret. Xerxes uerò etiam ipſi mari notas ac plagas incuſsit, ac monti miſit epiſtolas: Atho infelix, ad cœlum uſq; porrecte, ne meis operibus facias lapides magnos, & ad eruendum difficiles, alioqui exciſum te proijciam in mare. Multa enim ſunt horrenda, quæ deſignat ira, multa rurſus ridicula. Quapropter nullus eſt animi morbus, qui magis uel habeatur odio, uel cõtemnatur magis. Profuerit autem utrunq; conſideraſſe. Ego igitur, neſcio quidem an rectè fecerim, attamen quum hinc medendi feciſſem initium, quemadmodũ Lacones in helotibus (ſic enim illi uocant homines mediæ conditionis inter ſeruos & ingenuos) quàm fœda res eſſet ebrietas, ita ego in alijs didici qualis eſſet ira. Ac primũ quidem, ſicut

Xerxis epiſtola ad Atho montẽ.

Hippo-

A Hippocrates ait, eum morbum eſſe grauiſsimum, qui faciem ægrotantis quãmaximè mutet in diuerſum: ita conſpiciens alios ob iram maximè mente moueri, ac uultum immutantes, colorem, inceſſum, uocem, in diuerſum uertere, hinc uelut imaginem eius mali mihi fingebam admodum dolens, ſi quando tam formidabilis & commotus uiderer amicis, uxori ac liberis, non tantùm aſpectu truci, & ad conſuetudinem inamœno, uerumetiam uocem emittens immitem & aſperam, quemadmodum in alios familiares incideram, qui neq; mores, neq; formam, neq; ſermonis gratiam, nec affabilitatem & comitatem in colloquio, præ ira ſeruare poſſent. Itaque Caio Graccho, qui fuit orator & moribus acerbus, & in dicendo uehementior, fiſtula erat adaptata, qua cantores uocem paulatim uel intendunt, uel remittunt, tonos ad id aptos occinentes. Hanc ſeruus tenens dicenti adſtabat à tergo, tonumq́; accõmodabat placidum ac manſuetum, quo clamorem illius reuocabat, uociſq́; contentionem & aſperitatem adimebat: quemadmodum arguta paſtorum cera compacta perſtrepit fiſtula, modulos ſomnum conciliantes blandè occinens, ita oratoris iracundiam ſedabat. Quòd ſi mihi famulus eſſet diligens & elegans, haud moleſtè tulerim ſi in ira ſpeculum adferret, quemadmodum nonnullis offerunt ubi lauerint, nulli uſui futurum. Cæterùm ſi quis ſeipſum contempletur pręter naturam affectũ conturbatumq́;, non parum habeat momenti ad infamandum iræ morbum. Nam & Mineruam aiunt qui iocoſis fabulis delectantur, cùm tibia caneret, à Satyro admonitam non aduertiſſe quidem tum animum:

Non te decet forma iſta, mitte tibias.
Sume arma, buccas, ut decet, componito.

Cæterùm ubi figurã oris uidiſſet in amne quodam, offenſam tibias abieciſſe: quamuis ars deformitatis ſolatium, habet aptam modulationẽ. Ac Marſyas, ut uidetur, capiſtro quodam ac ſolliculis ori circumpoſitis, per uim flatus ſtridorem cohibebat, & uultus deformitatem corrigebat, atque inæqualitatem celabat:

Auro fulgenti hirſutum caput undiq; cinxit,
Ac tenerum loris os à ceruice reuinctis.

B E diuerſo, ira inflans ac diſtendens indecore uultum, fœdiorem etiam uocem emittit & inſuauiorem,

Fides mouendo, non mouendas mentium.

Mare quidem cùm uentis turbatum, algam & fucum reijcit, aiunt purgari. Verùm ira, animo exæſtuante & inuerſo, ſermones reijcit impudicos, amarulentos ac ſcurriles, quibus primùm ipſos loquentes conſpurcat, oppletq́; infamia, quippe qui talia ſemper quidem in ſeſe cõtineant, ijſq́; ſordibus abundent, cæterùm per iram quod latebat aperiant. Vnde fit ut pro leuiſsima re, uidelicet oratione, grauiſsimas (ut ait Plato) dent pœnas, dum pro hoſtibus ac maledicis & improbis habentur. Hæc itaq; dum cõſidero & obſeruo, fit ut placidè reponam apud me, ſemperq́; habeam in memoria, quod in febri quidem bonum eſt, ſed melius in ira, linguam teneram ac leuem habere. Nam lingua febricitantium, ſi minus affecta ſit ſecundum naturam, malæ quidem rei ſignum eſt, cauſa nequaq;. At iraſcentium lingua poſteaquàm facta eſt aſpera ſordidaq́;, ac diffluens in ſermones abſurdos, emittit ferocem & contumelioſum ſermonẽ, immedicabilis inimicitiæ parentem, ac latentis maleuolentiæ proditorem. *Iraſcentium lingua damnoſa.* Neq; enim indiluta uini potatio refundit quicq; tam petulans ac moleſtum, quàm ira. Atq; illa quidem riſui & luſui curę ſunt, hęc uerò bili ſunt temperata. Ac in compotationibus quidem qui ſilet, moleſtus grauiſq; eſt familiaribus: cæterùm in ira nihil decentius eſt quiete, quæ ſi non repentè adeſſe poſsit in pectore, cuſtodire tamen ab ira linguam fruſtra latrantem decet. Iam non hæc tantùm reputare licet ei qui attenderit, quomodo ſint affecti quos ira corripuit, uerùm aliam etiam iræ perſpicere naturam, uidelicet, quàm nõ generoſa res ſit, neq; uirilis, nec prudentiam obtinens, nec animi celſitudinem. Tametſi uulgus hominum, quoniam ira turbas ciet, putat eſſe agilitatem: & quòd minax eſt, credit eſſe fiduciam: & quòd intractabilis eſt, opinatur eſſe fortitudinem. Nonnulli etiam crudelitatẽ interpretantur eſſe dexteritatem ad res grandes gerendas: & implacabilitatem, putant eſſe conſtantiam: deniq; moroſitatem difficultatemq́;, faciunt odium uitiorum, idq; non rectè. Nam ipſa facta, ipſæ cõmotiones, ipſi habitus multam arguunt uilitatem atq; imbecillitatẽ, nõ ſolùm ob id quòd pueros diuexant, quòd in mulierculas exacerbantur, quòd canes, equos, & mulos putant eſſe pœnis afficiendos, quemadmodũ Cteſiphon pancratiaſtes mulæ recalcitrans, uerumetiam in cædibus tyrannicis, dum in amarulentia cõſpicitur illorum puſillanimitas, dumq́; in eo quod agunt, perſpicitur quid

C patiantur,res ſimilis uidetur ſerpentum morſibus,qui poſtq; exarſerint,& circumcirca do
lorem excitarint, tum demũ medici his quæ læſerũt adhibitis inflammationẽ exhauriunt.
Quemadmodũ enim tumor accidit ex magna in carne plaga, ita in molliſsimis animis, ſi
quis ſe præbeat dolori, hoc ipſo quò maior eſt imbecillitas,hòc maiorem elicit iracundiã.
Atq; hac de cauſa mulieres iracundiores ſunt uiris,ægroti ſanis,ſenes ætate uigentibus,&
infelices felicib. Iracundiſsimus enim eſt auarus aduerſus diſpenſatorẽ,lurco aduerſus po
pinatorẽ,zelotypus aduerſus uxorẽ,glorioſus in maledicos.At longè ſæuiſsimi ſunt uiri,
qui honores ambiunt in ciuitatibus,aut ſeditionẽ,conſpicuũ,ut ait Pindarus,malum. Sic
ex eo quod maximè dolet, & ægrotat in animo,maximè ob imbecillitatẽ, naſcitur ira,ne-
quaquam neruis adſimilis animi, ſicut dixit quidam , ſed intenſionibus ac cõuulſionibus
in uindicandi impetum uehementius inſurgentis. Itaq; malarum rerum exempla,ſpecta-
culum præbent non iucundum,ſed utile duntaxat ac neceſſarium. Cæterùm cùm eos qui
placidè leniterq; ſeſe gerunt in ira, uel ſpectare uel audire exiſtimem eſſe pulcherrimum,
incipio contemnere iſtos qui dicunt:

Læſo uiro uir ſuſtinendus eſt tibi. Item illud:

Impinge ceruici calcem,impinge & uſq; ad ſolum.

aliáq; dicta ad ultionem irritantia,per quæ nonnulli iram ex conclaui mulierũ,in concla-
ue uirorũ transferunt,haud rectè.Nam fortitudo in cæteris cõſentiens ſociáq; iuſtitiæ,mi
hi uidetur de ſola manſuetudine digladiari,ut quæ ipſam magis deceat.Siquidem non ra
rò cõtingit,ut homines deteriores ſuperent meliores.Cęterùm erigere trophæa in animo
aduerſus iracundiam,qui cum difficilè eſt cõfligere,ut inquit Heracletus, quicquid enim
uelis uita emitur, magnæ cuiuſdam eſt ac palmariæ uirtutis, quippe quæ uerè ceu neruos
ac tendones habeat rationis iudicium aduerſus animi cupiditates. Quas obres ſemper
ſtudeo colligere ac legere,non ſolùm iſta quorundã philoſophorũ,quos qui ſapiunt,affir
mant carere bili,ſed regũ potius ac tyrannorũ dicta factáq;:uelut illud Antigoni, cui cùm
milites iuxta tentoriũ clàm maledicerent , exiſtimantes eum nõ audire, baculo foras pro-
lato:Papæ,inquit,non uos aliquò longius hinc digreſsi,male loquemini de nobis? Præ-
terea cùm Arcadion quidam Achiuus nõ deſineret maledicere Philippo,moneretq; ut fu
D geret, donec eos adeat qui non nouere Philippum : deinde uerò in Macedonia appare-
ret, amici erant autores ut puniretur:nec enim oportere negligi tantam petulantiam. Phi
lippus autem cùm occurriſſet homini, humaniter cum eo colloquutus, mox etiam xenijs
ac donis ad eum miſsis,poſtea iuſsit eos percontari, quomodo iam de ſe loqueretur apud
Græcos. Cunctis autem teſtificantibus, eum hominem iam mirum Philippi laudatorem
eſſe factum: Ego igitur,inquit,melior medicus quàm uos. In Olympijs autem cùm conui
cia iacerentur in ipſum,ac nonnulli dicerent,Gręcos dignos eſſe ſupplicio,qui beneficijs
affecti à Philippo,male de ipſo loquerentur: quid igitur,inquit,facerent,ſi illos læderem?
Egregia uerò ſunt quæ Piſiſtratus fecit erga Thraſybulum, quæq; Porſena erga Mutium,
quæ que Magas erga Philemonem,qui quum à poëta publicè taxatus eſſet in theatro hi-
ſce uerſibus:

En rege ab ipſo literæ adſunt tibi Maga,

Sed tu miſer iam literarũ ignarus es: & præ tempeſtate in Parætoniũ portum poſtea
delatũ cepiſſet,ſatelliti mandauit, ut nudo enſe ceruicẽ duntaxat attingeret,moxq; comi-
terabiret. Deinde miſsis talis ac pila, tanquam puerulo qui non ſaperet , dimiſit. Ptole-
mæus uerò grammaticũ irridens, imperitum rogabat quis fuiſſet pater Pelei. Atq; ille: Di
cam,inquit,ſi tu prius dixeris quis fuerit Lagi pater. Hoc dicto tetigit regis ignobilitatẽ,
cunctiq; indignè ferebant,uelut intolerabile conuicium. Hîc Ptolemæus: Si regium, in-
quit,non eſt ferre, cùm dicto tangitur,nec illud regium eſt,dictis quenquã attingere. Ale
xander uerò amarulentior ſolito fuit, in his quæ geſsit aduerſus Calliſthenem & Clitum.
Quare etiã Porus captus cùm hortaret eum ut ſe regaliter tractaret, ac rege percontante,
nunquid pręterea? In hac uoce,inquit,regaliter,inſunt omnia. Quapropter deorũ regem,
Milichion,hoc eſt,placidum,Athenienſes uerò,ni fallor,Mæmacten appellant, à benefa
ciendi promptitudine. Cæterùm punire, ad furias & dæmonia pertinet, minimè uerò di-
uinum eſt, aut olympium. Itaque ſicut de Philippo qui Olynthum ſubuerterat,dixit qui-
dam: At talem ciuitatem nõ poſſet condere: ita dicendum eſt de ira, Subuertere quidem,
perdere ac diruere potes,erigere uerò ac ſeruare,parcere ac tolerare,manſuetudinis eſt &
clementiæ,& moderationis: hoc eſt,Camilli eſt,Metelli eſt, & Ariſtidis ac Socratis. Cæ-
terùm inhærere ac mordere, formicarum eſt & muſcarum. Quin inſuper cùm ſimul & ad

uindictam

A uindictam reſpicio, ulciſcendi rationē quæ per iram geritur, comperio plerunq; irritam, ut quæ morſu labiorum, ſtridoribus dentium, inanibus incurſionibus, conuicijs præter dementes minas nihil habentibus, conſumitur. Deinde fit, quod in curſu pueri ſolent facere, qui quoniam ſibi temperare non ualent, ridiculè cadunt priuſquàm perueniant ad metam, ad quam feſtinabant. Vnde non male Rhodius ille, aduerſus miniſtrum Imperatoris Romani uociferantem ac ferocientem: Non curo, inquit, quid tu dicas, ſed quid ille taceat. Itidem & Sophocles, cùm Neoptolemum & Eurypilum armaſſet, gloriatus eſt:

Torſere, inquit, tela ſine conuicijs
Armorum in orbes æreorum.

Nam nonnulli quidem barbari ferrum ueneno tingunt. Cæterùm fortitudo non eget ira, ſi quidem à ratione tincta eſt. Porrò quod furore & ira corruptũ eſt, facilè frangitur, eſtq; putre. Proinde Lacedæmonij, pugnaturis iram adimunt cõcentu tibiarum, ac Muſis rem diuinam faciunt antequàm ineant prælium, quò uidelicet ratio permaneat in illis. Et cùm hoſtem uerterint in fugam, non eum perſequuntur, ſed reprimunt iram, quippe quæ facilè reuocari poſsit, non aliter quàm moderatæ menſuræ gladioli. Contrà ira innumeros ſuſtulit ante uindictam, ueluti Cyrum ac Pelopidam Thebanum. Agathocles uerò quum conuicijs inceſſeretur ab his quorum ciuitatem obſidebat, placidè ferebat: quumq; dixiſſet quidam, Figule, unde perſolues hoſpitibus mercedem? ille arridens, ſi iſtam, inquit, excidero. In Antigonum autem quidam è muro dicteria iaciebant, quòd eſſet deformis: Attamen, inquit, uidebar mihi formoſus eſſe. Verùm ubi cepiſſet ciuitatem, uendidit irriſores, teſtatus ſeſe cum dominis illorum loquuturum, ſi rurſus in ipſum iacerent conuicia. Quin & uenatores & oratores uideo uehementer labi præ ira. Ariſtoteles refert, Satyri amicos, quum litem habent, aures illius obturare cera, ne quum ab hoſtibus conuicijs afficitur, propter iram cauſæ cognitio turbetur. Quin nobiſipſis quoq; frequenter accidit, ut ulciſci non queamus ſeruum qui deliquit. Aufugiunt enim, minis ac dictis territi. Itaque quod nutrices dicere ſolent pueris, ne plora, & accipies: hoc non inutiliter dicetur iræ, Ne feſtina, ne clama, ne urge, atq; ita citius quæ uis fient, ac melius. Etenim pater ubi uidet filium tentantem ferro ſecare quippiam, aut findere, ipſe arrepto ferro facit. Itaq; qui iræ in-

B tercepit è manibus ultionem, ipſe tutò, nulloq; detrimento, atq; etiam utilitate, punit commeritum, non ſeipſum uice illius, quem ulciſci uolebat, id quod non rarò facit ira. Cæterùm quum omnes animi cupiditates egeant aſſuetudine, ueluti domitrice, quæ exercitatione ſuperet impetũ rationi rebellem & intractabilem, non alibi maius eſt certamen heris inter famulos, quàm aduerſus iram. Neq; enim aduerſus hos oboritur, neque inuidia, neq; metus ullus, neq; ambitio, ſed iræ etiam aſsiduæ, quæ multas pariunt offenſas & errores, ob faciendi quod uelis licentiam, uelut in lubrico loco abripientes animum, nemine obſiſtente aut prohibente. Nec enim fieri poteſt, ut in eo affectu nihil peccans, cohibeat rebelles animi motus, niſi quis multam illam quod uelit faciendi licentiam, multa lenitate circunſepſerit, ac niſi multas uoces tolerauerit uxoris & amicorum incuſantium lenitatem & ſocordiam: quibus potiſsimum exacerbabar & ipſe aduerſus famulos, ueluti quos corrumperem non caſtigando. Tandem uerò cognoui, quòd primùm quidem præſtaret illos reddere deteriores tolerantia, quàm ſi quis amarulentia & ira deprauet ſeipſum, dum corrigere uult alios. Deinde quum uiderem multos, hoc ipſo quòd non punirentur, ſæpenumero uereri malos eſſe, quodq; his mutandorũ morum initium, magis eſſet ignoſcentia quàm ultio, atque adeo per Iouem, conſpicerem eos ad nutum, tacitè promptiuſque ſeruire quibuſdam, quàm alijs cum plagis ac flagellis, perſuaſus ſum, rationem magis herilem eſſe & principatui gerendo accommodam, quàm iram. Non enim ſicut poëta dixit,

Vbi enim eſt timor, & pudor hic eſt:

ſed contrà, pudeſcentibus innaſcitur timor, modeſtum reddens. Cæterùm aſsidua uerberatio, non admiſsis precibus aut excuſatione, nequaquam hoc efficit in ſeruis ut pœniteat peccaſſe, ſed ut proſpiciant, ne ſentiantur peccare. Tertiò, ſemper memor, ac mecum reputans & illud, quòd nec is qui nos docuit iaculari, prohibuit ne mitteremus ſagittam, ſed ne aberraremus à ſcopo: ita nec obſtabit quo minus ſumas pœnas, ſi quis doceat id facere tempeſtiuiter, moderatè, utiliter, & quemadmodum decet. Conor iram ſubducere maximè, non denegans ijs qui puniuntur pro ſe reſpondendi facultatem, ſed audiendo quid adferant. Nam quum ipſum tempus gignit in perturbatione, quo ſeſe occupet, & inducit cunctationem remittentem impetum iræ, tum iudicium inuenit modum aptum, ac decen

Fortitudini cal non opus ira.

Aſsidua uerberatio in ſeruis quid efficiat.

C tem pœnæ magnitudinẽ. Ad hæc non relinquitur ei, de quo pœna ſumitur, occaſio relu-
ctandi aduerſus correctionem, ſi non per iracundiam, ſed reuictus puniatur: nec iam ad-
eſt id quod eſt turpiſsimum, ut famulus uideatur iuſtiora loqui, quàm dominus. Proinde
quemadmodum Phocion poſt Alexandri mortem, non ſinens Athenienſes ante tem-
pus commoueri, nec facilè credere rumori: Si hodie, inquit, uiri Athenienſes, Alexander
mortuus eſt, & cras & perendie erit mortuus: ſic nimirum oportet hominem iræ impul-
ſu ad uindictam properantem ſibiipſi ſuggerere, Si hic hodie peccauit, & cras & peren-
die uerum fuerit eum peccaſſe: neq; quicquam erit periculi, ſi paulò ſerius det pœnas, ſed
ſi præproperè punitus fuerit, ſemper uidebitur non peccaſſe: quod iam frequenter acci-
dit. Quis enim noſtrûm uſqueadeo moroſus ac ſæuus eſt, ut puniat ac flagris cædat ſer-
uum, quòd ante quinque aut decem dies aduſſerit opſonium, aut menſam ſubuerterit,
aut tardius auſcultauerit? & tamen hæc ſunt, ob quæ protinus ut acciderunt ac recens ad-
miſſa ſunt, turbamur, exacerbamur, & implacabiles ſumus. Quemadmodum enim per
nebulam corpora, ita per iram maiora uidentur commiſſa quàm ſunt. Quapropter opor-
tet illicò hæc & his ſimilia in memoriam reponere: deinde quum liberi ab affectu, ſuſpe-
cti eſſe deſierimus, ſi puræ rationi ſibiq; conſtanti uidebitur admiſſum ſcelus, animaduer-
tere, nec tum diſsimulare, nec ultionem omittere, uelut cibum dimittunt hi quos edendi
deſtituit appetentia. Neq; enim perinde culpandum eſt præſente ira punire, quàm ubi ſe
remiſerit non punire, ſed remiſſum ac diſſolutum fieri, ut idem accidat nobis quod ſolet
pigris nautis, qui dum eſt tranquillitas cõmorantur in portu, deinde periclitantur uento
uelificantes. Nam nos quoq; neglecta rationis manſuetudine ac mollitudine in punien-
do, properamus id facere adueniente ira, ceu flatu periculoſo. Ac cibo quidem ſecundum
naturam utitur qui eſurit: ultione uerò tum rectè quis utitur, quum eam nec ſitit, nec eſu-
rit, nec iam opus habet ira ad puniendum, uelut opſonio ad edendum: quin potius quum
longiſsimè cœperit abeſſe ab appetitu uindictæ, neceſſariò rationem ac prudentiam ad-
mouens. Neq; enim, quemadmodũ refert Ariſtoteles, ſuo tempore apud Tyrrhenos ad ti- *Apud Tyrrhenos, ſeruos ad tibiam cædi ſolitũ*
biam ſeruos cædi ſolitos, ſic oportet ad uoluptatem, pœnæ ceu rei iucundæ appetitu ſatia-
ri gaudereq;: rurſus ubi punieris, pœnitentia cruciari: quorum illud ferinum eſt, hoc mu-
D liebre: ſed abſq; dolore ſimul & uoluptate, eo tempore quo uiget ratio pœnas ſumere, nul-
la iræ relicta occaſione. Hæc itaq; fortaſſe non uidetur iræ medicina, ſed depulſio potius,
& cautio, ne quid peccetur eorum quæ ſolent per iram cõmitti. Quanquam & ſplenis tu-
mor ſolet ſimul accidere cum febre: cæterùm is ubi reſederit, febrim alleuiat, ſicut inquit
Hieronymus. Porrò ubi mecum recolo, quibus modis naſcatur ira, uideo alios aliis de
cauſis in eam incidere: quibus omnibus probabiliter hæc accidit opinio, ut ſe contemni
negligiq; credant. Quapropter his qui ſe defendunt, quaſi iure iraſcantur, ſic oportet ſuc-
currere, ut quod admiſſum eſt, quamlongiſsimè remoueamus à ſuſpicione contemptus
& contumaciæ, transferentes ad opinionem dementiæ, neceſsitatis, morbi, aut infelicita-
tis, quemadmodum fecit Sophocles:

> Neq; mens enim, ô rex, quamlibet urgens, manet,
> Fortuna quibus eſt triſtis, imò his excidit.

Ita fecit & Agamemnon, qui Briſeidis ablationem in Aten reiicit. Nihilominus mox cu-
pit ſatisfacere, ac

> Donare ingentia dona.

Nam rogare, non eſt contemnentis. Et qui læſit, dum ſe præbet humilem, amouit contem-
ptus ſuſpicionem. Verùm hæc non oportet expectare eum qui ira correptus eſt, ſed il-
lud potius Diogenis, Hi te derident, ô Diogenes: Ego uerò, inquit, non derideor: ſibiipſi
aſſumere, nec exiſtimare ſe contemni, ſed illum magis contemnere, ut qui per imbecillita-
tem, aut errorem, aut præcipitantiam, aut incogitantiam, aut ob ſeruile ingenium, aut ob
ſenium, aut iuuentutem delinquat. Famulis autem & amicis, modis omnibus talia ſunt
remittenda: non enim quaſi non poſsimus ulciſci, aut quaſi fruſtra ſimus moliturі uindi-
ctam, negligimur ab his, uerùm ob humanitatẽ aut beneuolentiam, illi negligunt nos ut
placabiles, hi ut amantes. Nunc uerò non tantùm aduerſus uxorem, ſeruos & amicos, qua-
ſi cõtemnamur ab illis, exaſperamur, ſed & in caupones, in nautas, in muliones, in ebrios
frequenter ob iracundiam irruimus, dum nos putamus ab his contemni. Quinetiam & ca-
nibus latrantibus, & aſinis in nos impingentibus indignamur: quemadmodum fecit ille,
qui quum uerberare uellet agaſonem, atque ille clamaret, Athenienſis ſum: Atqui tu, in-
quit, aſino loquens, Athenienſis non es, eumq; uerberauit, multaſq; plagas inflixit. Atta-

A men huiuſmodi perpetuas ac frequentes iras, quæ paulatim in animis colliguntur, potiſ-
ſimum gignunt in nobis, amor noſtri, moroſitas cum delitijs ac mollitie coniuncta, non
aliter quàm examen apum aut ueſparum. Proinde ad manſuetudinem nullum maius uia-
ticum, quàm facilitas ac ſimplicitas morum, erga famulos, uxorem & amicos, uidelicet ſi
poſsimus rebus præſentibus eſſe contenti, nec egêre multis ac ſuperfluis.

At qui nec aſsis, qui nec elixis nimis,
Nec plus minus'ue, nec cibis gaudet modo
Medio apparatis, ſic ut appoſita approbet,
Sed nix niſi adſit, non bibit, nec è foro
Panem edit, eq; uaſculis frugalibus
Teſtaceis'ue, haud attigit piſcem, neq;
Lecto incubat ſtratisue, niſi tumentibus,
Non aliter ac mare fundo ab imo concitum,

ſed uirgis ac uerberibus menſæ miniſtros cogit accelerare, non ſine curſu, clamore ac ſu-
dore, perinde quaſi non cibum adferant, ſed ulcerum cataplaſmata, is debili iurgioſæq; ac
querulæ diætæ inſeruiens, nõ ſentit ſe ex multis offenſis, uelut à perpetua tuſsi, ulceroſam
ac deſtillatoriam affectionem circa irę effeciſſe ſedem. Itaq; conſuefaciendum eſt corpus,
ut per frugalitatem facilitatem'q; diſcat ſibi ſufficere (etenim qui pauca requirunt, non fru
ſtrantur multis) utq; nihil tumultus mouens cibi gratia, ſilentio utatur his quæ fortè con-
tigerunt, ut ne multis de cauſis iraſcentes & indignantes, ingurgitemus nos opſonio in-
ſuauiſsimo tum nobis, tum amicis, uidelicet ira.

Hac cœna haud poſsit contingere triſtior ulla,

dum famuli uerberant, uxor conuicijs afficitur propter cibum aduſtum, aut fumum, aut ſa
lis defectum, aut panem ſicciorem. Arceſilaus uerò cùm hoſpites quoſdã unà cum amicis
acciperet cõuiuio, appoſita eſt cœna, ſed deerat panis, nimirũ famulis oblitis emere: quo
quidem in caſu quis noſtrûm non rupiſſet parietes clamore? At ille ridens: Quàm, inquit,
res eſt apta cõuiuijs apparandis, eſſe ſapientem. Socrates uerò cùm è palæſtra redeuntem *Sapientem eſſe, apta res conuiuijs.*
Euthydemũ caſu duxiſſet ad conuiuium, Xanthippe cùm irata ſurrexiſſet, dixiſſetq; con-
B uicia, tandem etiam menſam ſubuertit. Euthydemus autem ſurgens abire cœpit, dolore
affectus. Tum Socrates: At domi tuæ nuper, inquit, nónne accidit ut gallina quædã ſub-
uolans idem hoc efficeret? nos tamen non indignabamur. Oportet enim cum comitate,
riſu ac beneuolentia amicos accipere, non adducentes ſupercilium, nec horrorem ac tre-
morem incutientes miniſtris. Conſueſcendum eſt autem, ut faciliter aſſueſcamus & uaſcu
lis quibuslibet, nec hoc magis utamur quàm illo. Quemadmodũ nonnulli poculo quo-
piam è multis ſibi delecto, ſicuti narrant Marium adamaſſe conchylij teſtam quod nery-
tum uocant, nequaquam biberent ex alio. Similiter affecti ſunt erga lecythos ac ſtrigiles,
ex omnibus unum adamantes. Deinde ſi quod iſtorum comminutum fuerit, aut perierit,
grauiter ferunt, ac pœnas ſumunt. Proinde qui ad iram propenſus eſt, huic abſtinendum
eſt à raris ac inſignibus, uelut à poculis, ſigillis, ac lapidibus precioſis, propterea quòd ſi
pereant, magis turbantur, quàm ob ea quæ paratu facilia ſunt & uulgaria. Itaq; cùm Nero
octangulum quoddam tabernaculum apparaſſet, magnificũ ſpectaculum, tum pulchritu
dine, tum precio: Declaraſti, inquit Seneca, te eſſe pauperẽ: nam ſi hoc amiſeris, non poſ-
ſis alterum parare ſimile. Et ſanè euenit, ut naue demerſa periret hoc tabernaculũ. At Ne-
ro reminiſcens Senecæ, moderatius tulit. Cæterùm facilitas in rebus utendis etiam erga
famulos reddit hominem facilem ac manſuetum. Quòd ſi tales reddit erga famulos, haud
dubium eſt quin multò magis erga amicos, & erga illos, in quos gerimus imperium. Vi-
demus autem & ſeruos nuper emptos, de eo à quo empti ſunt percontantes, non an ſit ſu
perſtirioſus, non an inuidus, uerùm an iracundus. Atq; in uniuerſum, ſi adſit iracundia, ui
demus neq; uiros poſſe ferre uxorũ pudicitiam, nec uxores uirorum amorem, nec amicos
mutuam inter ſe conſuetudinem, adeò ut neq; coniugium, neq; amicitia tolerari poſsit, ſi
adſit iracundia. Contrà ſi non adſit, etiam ebrietas res eſt toleratu facilis. Nam ipſa Dei fe
rula ſatis eſt ad caſtigandũ ebrium, ſi non accedens iracundia, meracum uinum, pro Lyæo
& Chorio, quæ Bacchi ſunt cognomina, à ſoluendis curis choreiſq; ducendis impoſita,
reddat Omeſten ac Mænolen, quæ crudelitatis & inſaniæ ſunt cognomina. Atq; inſaniæ
quidẽ ſi ſola ſit, medetur Anticyra: quòd ſi mixta fuerit iræ, tragœdias ac fabulas excitat.
Cæterùm nec inter ludendum ac iocos oportet iræ dare locum, propterea quòd inimici- *Iræ nullibi dandus locus.*
tiam aſciſcat beneuolentię: nec in colloquijs ac diſputationibus, eò quòd ex cognoſcendi

C ſtudio gignit contentionē: nec in iudicando,nam uiolentiā addit autoritati:nec in docen
do,deſperationē enim adfert,ac ſtudiorum odium:nec in rebus proſperis, eò quòd auget
inuidiam:nec in aduerſis,aufert enim miſericordiam,quoties ſe præbent difficiles ac prę-
fractos his qui ſimul dolent.Sic Priamus:

Obiurgatores procul hinc,procul ite moleſti.
Num uobis deeſt luctus,ut huc me curaturi
Veneritis?

Contrà morum facilitas alijs quidem opitulatur,alia uerò componit,
alia condulcat. Vincit autem manſuetudine & iram, & omnem morum difficultatem,
quemadmodum de Euclide narrant,cui cùm frater ob diſsidium dixiſſet,peream ni te fue
ro ultus: At ego,inquit,peream ni tibi perſuaſero.Hoc dicto, mox uertit in diuerſum fra-
tris animum. Polemon item, cùm in hunc quidam diceret conuicia homo qui gemmis de
lectabatur,& in ſigilla precioſa inſaniebat,nihil quidem reſpondit,uerùm in unum quod
dam ſigillum erat intentus,eiusq; naturam explorabat.Id ubi ſenſit homo: Nō ſic,inquit,
Polemon, ſed ad lucem contemplare, & uidebitur multò melius. Ariſtippo poſteaquàm
ipſi cum Aeſchine neſcio quid iræ incidiſſet, & quidam illi diceret: O Ariſtippe ubi nunc
amicitia ueſtra? Dormit,inquit,ſed eam ego excitabo: adijtq; Aeſchinem , Adeóne, in-
quit, tibi uideor modis omnibus infelix & inſanabilis, ut ne moneri quidem merear abs
te? At Aeſchines: Non mirum,inquit,ſi cùm in omnibus me præcellas ingenio,hic quoq;
prior uideris quid eſſet facto opus:

Etenim ferocem non modò mulier caprum,
Verùm & puellus ſcalpitans tenera manu
Flectit facilius quàm palæſtes quilibet.

Nos uerò beſtias feras cicuramus,ac luporū catulos manſuefacimus,etiam leonum catu-
los in ulnis circunferentes,ac poſt hęc & filios, & amicos, & familiares per iracundiam eij-
cimus: in ſeruos autem ac ciues,iræ ceu noxiæ beſtiæ, liberas habenas laxamus, morbum
noſtrum hoc prætextu extenuantes,quaſi uitiorum odio cōmoueamur, non rectè, ſed ita
nimirum,quemadmodū & in cæteris animi morbis,dum alium appellamus prouidentiā,
alium ingenuitatē,alium pietatem,à nullo liberari poſſumus. Et ſanè quemadmodū dixit
D Zenon, Semen mixturam ac temperaturā eſſe, ex omnibus animæ uiribus reuulſam: ita
uidetur & ira ſemen quoddam eſſe,ex omnibus animi perturbationibus commixtum: ſi-
quidem & à dolore, & à uoluptate, & à ferocia decerpta eſt. Tum ab inuidia quidem hoc
habet, quòd malis gaudet alienis. Cæterū homicidio deterior eſt.Nam illud conatur ira,
non ne quid ipſa patiatur mali, ſed ut male habeat, modò funditus perdat alium. Habet
autem & ex concupiſcentia ſibi quod eſt inſuauiſsimum, innatum : ſiquidem appetentia
eſt afficiendi alium moleſtia.Itaque cùm luxurioſorum ædes adimus,tibicinam audimus
manè canentem,ac lutum,ut quidam dixit, uini,fragmentaq; coronarū, ac conſectaneos
uidemus in foribus crapula grauatos. At iracundorum ac difficilium hominum indicia,
uidebis in uultibus famulorum, & in cicatricibus, & in compedibus.

At cantor unus in ædibus aſperi uiri
Nunquam deeſt ploratus,

dum flagris cæduntur œconomi, dum torquent ancillæ, ut qui uident has iræ moleſtias,
in ipſis concupiſcentijs ac uoluptatibus, cōmiſerentur. Verumenimuero quibus accidit,
ut uerè ob uitiorum odium frequenter ira corripiantur,hos oportet iræ nimietatem & in-
temperantiam detrahere, ſimulq; credendi facilitatem, ſi quid defertur de his quibus cum
habent conſuetudinē. Siquidem hæc cauſa potiſsimū exaggerat iram, cùm is qui pro bo-
no habitus eſt, apparet improbus: & qui uiſus eſt amare, incidit in diſsidium ac reprehen-
ſionem. Porrò mores meos profectò noſti, quanto impetu rapiantur ad beneuolentiā ac
fidendum hominibus.Itaque,quod uſu uenit his qui per uacuum eunt, ubi magis innitor
amori, ibi pecco magis, lapſusq; moleſtè fero. Atque hanc quidem ad amandum immodi
cam propenſionem mihi penitus inſitam, nondum ſanè poſſum eximere. Cæterùm aduer
ſus credendi facilitatem fortaſsis utar fręno, uidelicet Platonis cautione. Ait enim Helico
Homo animal natura mutabile nem mathematicum ſic ſe laudare tanquam hominem animal natura mutabile: & metue
re ſe, ne qui in ciuitate rectè fuerint educati, quum ſint homines, & ab hominibus progna
ti, declarent alicubi naturæ imbecillitatem. At quomodo ait Sophocles,

Pleraque furum turpitudo, nil quidem
Eſt aliud, ac mortalium deprehenſio:

uidetur nos ſupra modū inceſſere ac deijcere. Attamen hæc iudicandi difficultas & con-
tentio,

A tentio,nos reddit modeſtiores in ira. Etenim quod ſubitò ac præter expectationẽ acciderit,reddit attonitos. Cæterũ oportet,ut alicubi dixit etiã Panætius,uti Anaxagoræ exemplo,& quemadmodum ille in filij morte dixit,ſciebam me genuiſſe mortalem,hoc unumquenq; noſtrûm ſubijcere his qui nos peccatis ad iram prouocant: ſciebam me nõ emiſſe ſeruum ſapientem,ſciebam me non paraſſe amicum affectibus uacuũ,ſciebam quòd uxorem duxiſſem mulierem. Quòd ſi quis illud Platonis ſemper aſſonans alienis peccatis, Nuncubi & ego talis? rationem ab externis teferat intrò, & alienorum erratorum incuſationi interſerat cautionem,non admodum execrabitur aliena peccata,cõſiderans ſibijpſi multa opus eſſe uenia. Nunc unuſquiſq; noſtrûm dum iraſcitur ac punit, Ariſtidis Catonis'q; uoces infert:ne furator,ne mentitor,quare ceſſator es? Deniq;,quod eſt omniũ turpiſsimum,iraſcentes increpamus iracundè, quæq; per iram commiſſa ſunt, per iram caſtigamus,nõ quidem ut medici ſolent,qui amaram amaro pharmaco bilem eluunt, ſed exacerbantes potius & exaſperantes. Itaq; quum hæc mecum repeto, ſimul conor etiam aliquid detrahere curioſitati. Nam omnia exactè obſeruare ac deprehẽdere, & quicquid gerit famulus in medium adducere, quicquid agit amicus, quicquid exercet filius, quicquid clanculum garrit uxor, multum adfert irarum & frequentium & quotidianarum, quarum caput eſt, morum difficultas ac moroſitas. Deus igitur, quemadmodum dixit Euripides, quæ ſunt immodica attingit, *Irarum caput moroſitas.*

Curanda uerò parua fortunæ ſinit.

Ego porrò non arbitror quicquam eſſe cõmittendum fortunæ,neq; negligendam tamen ei qui ſapit,ſed concredenda,alia quidem uxori,alia uerò famulis,alia amicis ueluti principibus, principum præfectis quibuſdam, ſupputatoribus & gubernatoribus, ſic ut ipſe per rationem tractet ea quæ potiſsimum ad rem pertinent,quæq; ſunt momenti maximi. Etenim quemadmodũ minutæ literæ uiſum,ita puſilla negocia,quoniam magis reddunt intentos, pungunt & cõmouent iram, malam hinc conſuetudinem ſibi contrahentem ad maiora. Super omnia uerò illud Empedoclis magnum quiddam ac diuinũ exiſtimabam, ieiunum eſſe à malitia. Laudabam interim & illas non inuenuſtas, nec abhorrentes à ſtudio ſapientiæ actas in precibus conſuetudines, annum à re uenerea uinoq; puros uiuere, *Chriſtiano homini digna appendix.*
B colentes interim Deum temperantia: aut rurſus à mentiendo certum tempus abſtinere, noſipſos interim obſeruantes,ut uera loquamur tum in ludicris, tum in ſerijs rebus omnibus. Deinde hiſce rebus inſtruebam animum meum, ut qui non minus amet pietatem, quàm philoſophiam,ut primùm paucos dies ſacros ſine iraſcendo tranſigerem,uelut abſque temulentia uinoq;,non aliter quàm ſi celebraſſem Nephalia aut Meliſponda, in quibus uinum attingere aut luxui indulgere fas non eſt: deinde idem faciebã menſem unum aut duos,paulatim mei ipſius periculum faciens. Sic tempore proficiebam ad ulteriorem malorum tolerantiã,diligenter attendens & conſeruans meipſum,cum uerbis bene ominantibus,placidum iræq; uacuum,purum, & à dictis improbis & à factis abſurdis,& à cupiditate,quæ ob uoluptatem exiguam & inuenuſtam,tum turbas ingentes,tum pœnitentiam turpiſsimam adduceret. Vnde, ut opinor, etiam Deo aliqua ex parte adiuuante,ipſa experientia declarauit illud eſſe uerè iudicatum, quòd placabilitas hæc & manſuetudo & humanitas, nulli familiarium perinde grata eſt, nulli tam amica, nec tam moleſtia carens, quàm ipſis quibus hæc adſunt.

Eiuſdem de curioſitate.

EODEM INTERPRETE.

OPTIMVM fortaſſe fuerat prorſus fugere domum haudquaquã perflabilem, aut tenebroſam, aut frigori uentiſq; obnoxiam, aut alioqui morbidam. Cæterùm ſi quis ob aſſuetudinẽ loco delectetur, licet uel tranſlato lumine,uel aliò tranſpoſitis ſcalis, uel oſtijs alibi apertis, alibi rurſus occluſis, illuſtriorẽ,magiſq; perflabilem, ac ſalubriorem reddere. Ac nonnulli ciuitatibus huiuſmodi rerum tranſmutatione profuerunt. Quemadmodũ & meam patriam ſpectantem ad Zephyrum uentum, ac ſolem tendentẽ ad occaſum à Parnaſo accipientem, ferunt ad exortum fuiſſe uerſam à Chærone. Empedocles autem phyſicus montis cuiuſdam profundum inter rupes hiatum, grauem ac morbiferum, eò quòd Notum uentum efflaret in uicinos campos,

C obſtruxit,atque ita uiſus eſt peſtilentiam è regione depuliſſe. Itaq; ſi quæ ſunt cupiditates
peſtiferæ noxiæq́;, tempeſtatem ac tenebras inuehentes animo, optimum quidem fuerit
eas expellere, atq; ad ſolum uſq; demoliri, quò nobis ipſis paremus aërem apertũ, lucẽ ac
ſpiritum purum. Quòd ſi minus hoc poterimus, certè illud adnitendũ erit, ut quibuſcunq;
modis licebit, translatis ac inuerſis quæ nos offendunt, reddamus ea nobis aptiora cõmo
dioraq́;. Velut ecce protinus curioſitas, ſtudium eſt quoddam cognoſcendi mala aliena,
morbos qui neq; ab inuidentia purus eſſe uidetur, nec ab improbitate. Cur, ô homo inui-
dentiſsime, in alienis malis perſpicaces habes oculos, in tuis cæcutis? Inuerte cognoſcen-
di ſtudium, & iſtam curioſitatem ab externis transfer ad ea quæ ſunt intra te. Si cordi eſt
aggredi malorum hiſtoriam, habes affatim domi quod agas.

Quanta Iſthmum circum defertur copia aquarum,
Aut quercum circum quantum ſtratum eſt foliorum,

tantam reperies multitudinem erratorum in uita tua, malarumq́; cupiditatum in animo,
nec minus negligentiæ in his quæ fuerat officij præſtare. Etenim quemadmodum ſcribit
Xenophon, diſpenſatoribus rerum domeſticarum ſeorſum eſſe repoſitam ſupellectilem
quæ pertinet ad ſacrificia, ſeorſum quæ ad conuiuia, rurſus alibi repoſita quę pertinent ad
agriculturam, alibi quæ ad bellum: itidem tibi digeſta ſunt mala partim quæ proficiſcun-
tur ab inuidia, partim quæ à zelotypia, partim ab ignauia, partim à parſimonia: hæc recen
ſeto, hæc recognoſcito, feneſtras unde proſpectus in uicinos, aditusq́; curioſitatis obturã
to. Cæterùm alias aperito uias, quæ ducunt in uirorum conclaue quod tibi domi eſt, in
conclaue muliebre, in loca in quibus uerſantur famuli: illic habet iſtud percontandi ſtu-
dium & curioſitas negocium nec inutile, nec improbum, uerùm utile ac ſalutiferum, cùm
ſibi quiſque ſic loquitur:

Quô lapſus? quid feci? quod mihi munus omiſſum eſt?

Nunc uerò, ſicut fabulę narrant, Lamiam domi quidem degere cæcam, oculos habentem
in uaſculo quodã repoſitos, uerùm ubi prodit foras reponere, ac tum oculatã eſſe: ita quiſ-
que noſtrûm foris & in rebus aliorum ob maleuolentiã, ſibi curioſitatẽ uelut oculum im-
ponit. In noſtris autem ipſorũ erratis ac malis frequenter labimur præ ignorantia, ad hæc
D nec oculos habentes, nec lucem. Quapropter homo curioſus, hoſtibus utilior eſt quàm ſi
bi. Siquidem illorum mala coarguit, profertq́;, cõmonſtrans illis quid ſit cauendum, quid
ue corrigendum. Porrò pleraq; quæ domi geruntur, nõ animaduertit, uidelicet attonitus
ὀδυσ. λ. ſtudio negociorum alienorum. Proinde Vlyſſes ne cum matre quidem prius colloqui uo
luit, quàm ex uate percontatus eſſet ea, quorum gratia deſcenderat ad inferos. Ea quum
audiſſet, tum demum & ad matrem ſeſe uertit, & alias mulieres percontatus eſt, quænam
eſſet Tyro, & quæ formoſa Chloris, & quam ob rem mortua ſit Epicaſta,

Dum triſtem laquei nodum trabe nectit ab alta.

Nos uerò mirè ſecuri, ignariq́; eorũ quæ ad noſipſos pertinent, aliorũ genus inquirimus,
uidelicet quòd auus uicini fuerit Syrus, auia uerò Thræſſa. Ille uerò debet talenta tria, nec
uſuram perſoluit. Quin & huiuſmodi diſquirimus: unde illius uxor redijt domum? quid
hic & ille ſoli in angulo collocuti ſunt? At Socrates obambulabat ambigens, quibus Py-
thagoras dictis ac uerbis perſuaſerit. Et Ariſtippus in Olympijs cum Iſchomacho con-
greſſus interrogabat, cur Socrates diſputans ſic afficiat adoleſcentes: quumq́; puſilla quæ
dam dictorum illius ſemina & exempla cepiſſet, ſic fuit cõmotus ut corpore concideret,
fieretq́; modis omnibus pallidus & macilentus, donec nauigaſſet Athenas ſitibundus &
incenſus, hauſiſſetq́; de fonte, ſimulq́; & uirum & huius ſermones ac philoſophiam didi-
ciſſet, cuius hæc erat ſumma, ut quiſq; norit ſua ipſius mala, quò uidelicet ab his liberetur.
Atqui nonnulli propriam uitam uelut inamœniſſimũ ſpectaculum non ſuſtinent intueri,
neq; rationem ueluti lucem ad ſeſe reflectere, ac circumducere. Verùm animus omni ge-
nere malorum ſcatens, horrens ac metuens quæ ſunt intus, exilit foras, uagaturq́; circa a-
liena, nutriens ac ſaginans animi uitium. Etenim quemadmodum gallina in ædibus fre-
quenter, cùm cibus ſit appoſitus, ſubit angulum, ibiq; ſcalpens terram,

Sicubi, ut in fimo, uel granum appareat unum:

itidem qui curioſitatis uitio laborant, prætermiſsis interim ſermonibus inſtitutis ac nar-
rationibus, alijsq́; quæ nullus uetat percontari, nec quiſq; moleſtè fert, ſi quis interroget,
occulta ſecretaq́; mala omniũ ędium colligunt. Atqui ſcitum eſt illud, quod Aegyptius re
ſpondit interroganti, quid ferret obuelatũ: Ideo, inquit, obuelatũ eſt. Tu uerò cur curioſe
ueſtigas quod occultatũ eſt? Si nihil eſſet mali, nõ fuiſſet occultatũ. Et ſanè in alienas ędes

A non eſt mos ingredi quenquam, niſi prius pulſarit fores: quanquã nunc adhibentur ianitores: olim mallei circuliue penſiles, illiſi foribus, efficiebant ut ſentiretur ingredi uolens, ne matremfamiliâs alienus in medio deprehenderet, aut uirginem, aut uapulantem famulum, aut clamantes ancillas. Curioſus autẽ ad hæc ipſa clàm ſubit, pudicæ domus, rectęq; conſtitutæ, nequaq; libenter ſpectator futurus, etiam ſi quis uocet. Ea uerò quorum cauſa clauis, repagulum, ac ueſtibulum adhibentur, retegit & effert in uulgus. Atqui uentorum hi nobis ſunt moleſtiſsimi, ſicut ait Ariſton, qui nobis reuellunt pallia. Curioſus autẽ non pallia uicinorum, neq; tunicas, ſed parietes detegit, fores reſerat, & ad teneram uſq; uirginem, non aliter quam uentus penetrat irrepitq; per omnia, bacchanalia, choreas, ac pannychidas, quæ noctu celebrant Dianæ, perſcrutans & exquirens quod calumnietur. Ad hæc, quemadmodum Cleonis, quem taxat uetus comœdia, *Curioſorum inueſtigationes importunæ.*

In Clopidis mens erat, in Aetolis manus:

ſic hominis curioſi mens ſimul eſt in ædibus diuitum, in caſis pauperum, in aulis regum, in thalamis nuper nuptarum, ſcrutans omnia omnium negocia, tum hoſpitum, tum præſidum: atq; id quidem haud citra periculũ, ſed perinde ac ſi quis guſtet aconitum curioſitatis uitio, ſcire cupiens quale ſit, priuſquàm ſentiat tollitur è medio, ſic qui potentiorũ inquirunt mala, prius abſumunt ſeipſos quàm intelligant. Etenim qui ſolis radios, largos ſanè atq; omnibus diffuſos intueri nolunt, ſed ipſum ſolis orbem impudenter obtuentur, ac lucem in ſemet auerti cogunt audaces, excæcantur. Itaq; ſcitè Philippides comœdiarum ſcriptor, quum rex Lyſimachus ipſi dixiſſet: Quid è meis rebus tibi impartiam? Quiduis, inquit, ô rex, modò ne quid arcanorum. Etenim quæ regum ſunt iucundiſsima pulcherrimaq;, foris propoſita ſunt, conuiuia, diuitiæ, ſolennes conuentus, munificentiæ. Verùm ſi quid arcanum eſt, ne adeas, néue moueas. Non celatur regis gaudium, cùm res ſunt proſperæ: neq; riſus ludentis, neq; cùm apparat aliquem humanitate ſeu beneficio proſequi. Quod occultatur formidabile eſt, triſte, inamœnũ, inacceſſum, ſuppuratæ cuiuſdam iracundiæ theſaurus, aut ultionis profunda in animo uerſatio, aut zelotypia in uxorem, aut ſuſpicio quæpiam in filium, aut diffidentia erga amicum. Fuge nigram iſtam & condenſantem ſe nubem. Senties tonare ac fulgurare ſimulatq; eruperit, quod nunc latet. Quænam igitur fugiendi ratio? Si contrahas & adſtringas, ut dixi, curioſitatem: potiſsimũ autem ſi mentem uerteris ad ea quæ magis proſunt, iuuantq;. Curioſe perquire quæ ſunt in cœlo, quę in terra, quæ in aëre, quæ in mari. Vtrum paruarum rerum contemplatione delectaris, an magnarum? Si magnarum, circa ſolem curioſus eſto, ubi occidat, & unde exoriatur. Quære cur luna uelut homo ſubinde mutetur: ubi tantum luminis abſumpſerit, unde rurſus quod amiſit, reparauit:

B

Vbi iam uideri deſijt, qui fiat ut
Primùm noua ac uultu decora prodeat,
Senſim uſq; ad orbis aucta plenitudinem:
Rurſum ubi decorem enituit ad ſummum, ſtatim
Seneſcat imminuta, donec nulla ſit.

Atq; hæc quidem ſunt arcana naturæ, nec indignãt ea deprehendentibus. At magna contemnis: curioſus igitur eſto circa minora, qui fiat ut in his quæ terra producit, alia perpetuò floreant & uireant, omniq; tempore uernent, opes ſuas oſtentantia: alia rurſus nunc quidẽ ſint illis ſimilia, nunc rurſus uelut homo negligens rei familiaris, qui ſemel omnes facultates profudit, nuda mendicaq; relinquantur. Deinde quamobrem alia quidem fructus ædant proceros, alia anguloſos, alia orbiculares aut rotundos. Fortaſsis eam ob cauſam non es harum rerum curioſus, quòd in his nihil inſit mali. Quòd ſi omnino neceſſe eſt curioſitatem in malis, quemadmodũ ſerpentem in letiferis ſyluis ſemper ali uerſariq;, ducamus illam ad hiſtorias, atq; illinc nobis congeramus copiam minimè malignam, abundantiamq; malorũ. Hic enim inſunt ruinæ uirorum, profuſiones facultatũ, corruptiones uxorum, inſidiæ famulorum, calumniæ amicorũ, apparatus uenefiorũ, inuidiæ, zelotypiæ, naufragia familiarũ, eiectiones principũ. Hiſce temet expleto, his te oblectato, nemini moleſtiam aut dolorẽ allaturus eorum, quibus cum uiuis. Verùm ut uidetur, curioſitas non gaudet perantiquis & obſoletis malis, ſed calidis ac recentibus, nouasq; tragœdias libenter ſpectat. Cum comicis autem & argumentis hilarioribus nõ admodum gaudet habere cõmercium. Proinde ſi quis de coniugio quopiam loquatur, aut de ſacrificio, aut de deductione, indiligenter & oſcitanter audit curioſus, aitq; ſibi pleraque iam antè audita eſſe, iubétque narrantem conferre ſermonem in pauca, aut prætercurrere. Quòd ſi quis *Hiſtoriarum copia commendatur.*

C aſsidens referre cœperit uitiatam uirginem, aut adulteratã uxorem, aut inſtitutam litem, aut diſsidium fratrum, hic neq; dormitat, neq; cauſatur deeſſe ocium,

Quin alias quærit uoces, atq; admouet aures.

Atq; illud, Heu ut magis in aures fertur mortalium malum, quàm felicitas: uerè dictum eſt de curioſis. Quemadmodũ enim cucurbitulæ, quod in carne deterrimum eſt ad ſe trahunt, ſic curioſorum aures deterrimos quoſq; ſermones attrahunt: &, ut melius dicam, ſicuti ciuitates habent portas quaſdam nefaſtas ſiniſtriq; ominis, per quas educunt ſupplicio capitis deſtinatos, ſordesq; ac purgamenta eijciunt, nihil autem purum aut ſacrum per eas uel ingreditur, uel egreditur: ita per curioſorum aures nihil probum aut uenuſtum tranſit, ſed ſermones de cædibus aditum inueniunt, atq; ibi uerſantur, ſceleſtas ac expiandas narrationes ſecum deferentes.

Semper canens in ædibus manet meis
Ploratus.

Hæc eſt curioſis muſa ac ſiren unica, neq; quicq; eſt iſtis audire iucundius. Siquidẽ curioſitas eſt libido audiendi ſecreta retruſaq;. Nullus autem occulit, ſi quid habet boni. Quandoquidẽ hîc ſimulanẽ adeſſe bona etiam quæ nõ adſunt. Proinde curioſus, qui appetit cognoſcere mala, obnoxius eſt morbo gaudendi de malis aliorum, liuoris & inuidiæ fratri. Nam inuidia dolor eſt de bonis alienis. Cæterũ epichærecacia, uoluptas eſt ex alienis malis concepta. Cæterùm utrunq; naſcitur ex affectu immani ferinoq; malitiæ. Adeò uerò moleſtum eſt unicuiq;, ſi quis ipſius mala retegat, ut multi moriantur citius, quàm ut medicis aliquid ſecretorum morborum uelint oſtendere. Agè ſi Herophilus aut Eraſiſtratus, aut Aeſculapius cùm eſſet homo, tenens remedia & inſtrumẽta iuxta domum adſtans, percontatus fuiſſet, num quis haberet fiſtulam iuxta poſticum, aut num uxor cancrum in membro pudendo: quanq; huius artis curioſitas ſalutifera eſt, attamẽ nemo, ni fallor, non abegiſſet percontatorẽ, qui non expectata neceſsitate, inuocatus ueniſſet ad aliena mala cognoſcenda. Atqui curioſi hæc eadem, atq; his etiam peiora diſquirũt, idq; non ut ſanent, ſed tantùm ut retegant: unde non iniuria habentur inuiſi. Nam & telonis indignamur grauiterq; ferimus, non cùm decerpunt aliquid ex his quæ palàm importantur, ſed quoties inquirentes quæ ſunt occulta, in alienis uaſis ac ſarcinis uerſantur: &

D tamen illis hoc permittit lex, & damno afficiuntur ni fecerint. Contrà curioſi perdunt ac proijciunt ſua ipſorum negocia, dum intenti ſunt alienis. Neq; frequenter eunt rus, eò quòd non ferant quietem ac ſilentiũ agrorum. Quòd ſi quando ſeſe poſt longum tempus eò cõtulerint, uicinorum uineas intuentur potius quàm ſuas, percontanturq; quot boues uicino perierint, aut quantum uini illi acuerit, citoq; recurrunt in urbem his expleti. Itaq; qui uerus eſt agricola, nec eum ſermonem libenter recipit, qui ſua ſponte uenit ex urbe. Dicit enim: Deinde mihi foſſor dicet, quibus conditionibus compoſitæ lites ſint. Nam nunc harum rerum curioſus obambulat ſceleroſus iſte. Cæterùm curioſi fugiunt ruſticationem, uti rem quampiã inanem, frigidam, neq; quicquam habentem tragœdiæ: ad tribunalia, fora & portus ſe recipiunt. Nihil' ne noui? Num manè non eras in foro? Quid igitur? num tribus horis exiſtimas immutatam eſſe ciuitatem? Et tamen ſi quis habeat tale quippiam quod narret, deſcendit ex equo, dataq; dextera, & exoſculatus hominẽ, cõſiſtit auſcultans. Quòd ſi quis fortè obuius dicat, nihil eſſe noui: tanquam offenſus, quid ais? inquit: Non fuiſti in foro? Non præteriſti prætoriũ, nec incidiſti in eos qui uenerunt ex Italia? Itaq; laudanda Locrenſium lex, quæ ſi quis peregrè reuerſus rogaſſet, nunquid noui, cum mulcta afficiebat. Quemadmodũ enim coqui optant uberem pecudum prouentum, piſcatores piſcium: ſic curioſi optant annonam malorum, ac negociorũ multitudinẽ, nouitatesq;, & rerum mutationes, quò ſemper habeant quod uenentur macteniq;. Quin & Thurienſium legibus rectè cautum eſt, quę uetant in comœdijs taxari ciues, pręterquàm adulteros & curioſos. Siquidem uidetur & adulteriũ eſſe curioſitas alienæ uoluptatis, inquiſitioq; ac perſcrutatio rerum, quæ ſic aſſeruantur, ut pleroſq; lateant. Ipſa uerò curioſitas, paralyſis eſt ac tabes, renudatioq; rerum non efferendarũ. Itaq; ferè fit, ut multa cognoſcendi ſtudium, comiteẽ garrulitatis uitium. Quapropter & Pythagoras ſolitus eſt iuuenibus indicere ſilentiũ quinquenne, quod ille uocabat echemythiã, à continendo ſermone. Cæterùm fieri nõ poteſt, ut curioſitatẽ non comitetur maledicentia. Etenim quę libenter audiunt, ea libenter effutiunt: & quæ ab alijs ſtudioſe colligũt, apud alios cum uoluptate efferunt. Itaq; morbus hic præter alia mala adfert & illud, quòd impedimento eſt, quo minus aſſequanẽ quod concupiſcunt. Etenim omnes illos obſeruant celantq;, neq; libenter aut faciunt quicquã uidente curioſo, neq; dicunt audiente: uerùm & conſilium differunt,

& ne

Curioſitas quid.

Curioſi meritò inuiſi.

Locrenſium lex in curioſos rerum nouarũ percontatores.

A & negociorum conſiderationes in aliud reijciunt tempus, donec è medio ſe tollat homo talis. Quòd ſi fortè ſubitò ſuperuenerit curioſus, dum quippiam arcani ſermonis habetur, aut rei ſeriæ geritur, non aliter quàm ſele prætercurrente ſolent opſoniū, ita tollunt è medio quod erat præ manibus & abſcondūt, adeò ut plerunq; quæ cæteris audire ſpectareq; licet, his ſolis nec audire nec ſpectare detur. Quamobrē prorſus omni fide caret homo curioſus: famulis enim & peregrinis citius credimus epiſtolas, aut literas, aut ſigilla, quàm amicis aut familiaribus curioſis. At Bellerophontes ille ne aduerſus ſeipſum quidem ſcriptas literas cùm portaret, reſignauit, ſed abſtinuit manum ab epiſtola regis, quemadmodum abſtinuerat ab eiuſdem uxore, nimirum eadem animi temperantia. Siquidem intemperantiæ eſt curioſum eſſe, non aliter quàm adulterū eſſe. Adiuncta eſt autem huic intemperantiæ grauis ſtultitia ac dementia. Nam præteritis quæ plurimæ ſunt communibus ac publicis mulieribus, ad concluſam ac ſumptuoſam ſerri, frequenter ut accidit, deſormem, inſignis cuiuſdam inſaniæ, dementiæq; eſt. Atqui idem faciunt curioſi, præteritis multis ac pulchris ſpectaculis, prælectionibus, ſtudijs, ac diſputationib. alienas perſodiunt epiſtolas, aures admouent uicinorum parietibus, ac ſuſurros miſcent cum ſamulis & uxorculis, nec id ferè citra periculum, certè ſemper cum infamia. Proinde cōducibile fuerit curioſis ad morbi depulſionem, ſi ꝗ maximè fieri poteſt, recordentur quæ antè compererunt. Etenim ſi, quemadmodum Simonides dixit, ſe quum ex interuallo temporis aperiret ſcrinia, alterum quidem quod mercedibus erat dicatum, inuenire plenum, alterum quod gratijs erat ſacrum, uacuū: ita ſi quis ex interuallo curioſitatis penum aperiat inſpiciatq;, multis inutilibus, ſuperuacaneis, & inamœnis rebus plenū, fortaſsis ipſum rei facies offendet, cùm apparuerit modis omnibus inamabilis ac nugatoria. Nunc agè, ſi quis aggreſſus ueterum libros, ex his peſsima quæq; decerpat, ac librum habeat hinc compoſitum, uelut ex Homericis uerſibus, qui acephali dicuntur, aut ex tragicis ſolœciſmis, aut ex his quæ Archilochus aduerſus mulieres indecenter & intemperanter dixit, ſeipſum interim traducens, an non is uideatur tragicis dignus imprecationibus,

Male pereas, mortalium excerpens mala?

Quin & abſq; tragicis imprecationibus indecora eſt & inutilis collectio, repoſitioq; peccatorum alienorū. B Qualis erat illa ciuitas, quam Philippus ex peſsimis quibuſq; ac deploratiſsimis conditam, ex re uocauit πονηρόπολιν. Itaque curioſi dum undiq; colligunt congeruntq;, non uerſuum aut poëmatum, ſed alienæ uitæ lapſus, errata, ac ſolœciſmos, inuenuſtiſsimum & iniucundiſsimū malorum grammatophylacion circunſerunt, ſuam ipſorum memoriam. Quemadmodū igitur Romæ quidam picturas ac ſtatuas, ac per Iouem etiam puerorum uenalium ac mulierum ſormas, pro nihilo ducentes, obuerſantur circa forum, in quo uenundantur portenta, inſpicientes perquirentesq; mutilos tibijs, ſelium inſtar habentes cubitos, aut quibus ſunt tres oculi, aut qui capitis forma ſtruthiocamelū repræſentant, aut ſi qua alia ſpecies cōmixta, aut ſi quod portentum abortiuū: cæterùm ſi quis aſsiduè perducat illos ad huiuſmodi ſpectacula, citò res ipſa ſatietatem ac nauſeam pariet: ita qui curioſi ſunt circa lapſus alienæ uitæ, circa probra generis, circa turbas ac peccata, quæ inciderunt in ædibus alienis, ea quæ prius compererunt in memoriam reuocent, meminerintq; quòd ex alienorū malorum obſeruatione nullam neq; gratiam, neq; utilitatem retulerint. Igitur ad huiuſmodi morbi depulſionē plurimum profuerit, ſi cōſueſcamus exercere noſmetipſos, initio è longinquo facto, atq; hoc pacto diſcamus in hoc affectu temperare nobis: nam & ex aſſuetudine natum eſt incrementū morbi, paulatim in peius proficientis. Quo uerò modo id fieri poſsit uidebimus, de exercitatione ſimul dicturi. Proinde ſumamus initium ab his quæ & celerrimè fieri poſſunt, & maximè uulgaria ſunt. Quantulum enim negocij eſt, per uias, ſepulchrorū inſcriptiones non legere? Aut quid haber difficultatis, inter deambulandū literas parietibus inſcriptas oculis præterire, tacitè nos ipſos cōmonentes, in illis nihil eſſe ſcriptum, quod utilitatem aut oblectationē adſerat: ſed meminit ille illius in bonum, & amicorum optimus hic eſt quiſpiam, multaq; his ſimilia illic uiſuntur, plena nugamentorum? Quæ uidentur quidem nihil officere, quum leguntur, lædunt tamen clanculū, eò quòd gignunt in nobis ſtudium diſquirendi, quæ nihil attinent. Et quemadmodum uenatores nō ſinunt canes aberrare, & quemlibet odorem perſequi, ſed loris retrahunt reuocantq;, olfactum illorum ſeruantes purum & integrum officio peculiari, ut acrius inhæreat ueſtigijs,

Naribus inquirens ueſtigia ſumma ferarum:

ſic oportet & curioſitatem, ad quiduis ſpectandum audiendúmue excurrentem atque

Curioſitatis morbus quomodo expellendus.

C oberrantem,cohibere ac retrahere, quò ſeruetur ad utilia. Etenim ſicuti leones & aquilæ
dum ambulant,ungues uertunt introrſum,ne aciem illorum & cuſpidem deterant: ſic exi
ſtimantes curioſitatem ad multarum cognitionem aciem quandam & acumen habere,ne
conſumamus illud,neque hebetemus in rebus deterrimis. Secundo uerò loco conſueſca-
mus,ſi quando præterimus fores alienas,nõ introſpicere,neq; in ea quæ ſunt intus oculis
irrumpamus,curioſitate manus utentes uice: ſed illud Xenocratis in promptu ſit, qui ne-
gauit quicquã referre, utrum pedes an oculos inferas in ædes alienas. Neq; enim iuſtum,
neq; honeſtum,ac ne iucundum quidem ſpectaculum eſt,

Hoſpes uidere,turpe ſi quid intus eſt.

Nam ea quæ uidentur in ædibus,fermè ſunt huiuſmodi: uaſcula humi iacentia,aut ancil-
læ ſedentes,nihil uerò ſerium,nihil iucundum. Cæterùm turpe eſt ad hæc obiter diuerte-
re mentis oculos,huc intendere aciem ingenij,hisq; aſſueſcere malum eſt. Diogenes qui-
dem quum ſpectaret Dioxippum Olympionicen curru inuehi, nec ualentẽ interim ocu-
los auertere à formoſa muliercula,quæ ſpectabat pompam,ſed reſpectantẽ,ac circuntor-
quentem ad illam oculos: Videte,inquit, athletam à puellula collo obtorto uinci. Curio-
ſos autem uideas pariter ad quoduis ſpectaculum flectere ceruicẽ ac circumagi , poſtea-
quàm eos ceperit aſſuetudo curaq́; oculos per omnia circunducendi. Oportet autem, ut
arbitror,ſenſum nequaquam foris deuagari, ueluti famulam nõ probè inſtitutam, uerùm
quum ab animo dimittitur ad negocia,in illis uerſari, celeriterq́; renunciare quod manda
tum eſt: deinde rurſus decenter intus apud rationem uerſari,illicq; attendere. Nunc autem
accidit illud quod ait Sophocles:

Deinde uerò uiri non tenentis habenas
Liberi equi ui rapiunt.

Ita ſenſus deſtituti recto, quemadmodum diximus, ductu atq; exercitatione,ultrò excur-
runt, ac plerunq; ſecum unà trahunt animum ad quæ non oportuit, tandemq́; dant illum
præcipitem. Vnde illud quidem falſo iactatũ eſt de Democrito, quòd ſponte ſibi ademe-
rit oculos,admouens eos ſpeculis igni candentibus, & ab his repercuſſu accepto, ne quid
D obturbarent menti,ſubinde uocantes ad res externas,ſed ſinerent illam intus ſeruare do-
mum,uerſariq; in rebus intelligibilibus,uelut obturatis quę in uiam ſpectant feneſtris. Il-
lud tamen uerìſsimũ eſt,quòd rarò mouent ſenſum, qui plerunq; mentis agitatione utun-
tur. Siquidem & muſæa ꝙ maximè procul ab urbibus collocabant, & noctem uelut ami-
cam intelligentiæ,uocabant euphronen,uidelicet arbitrantes quietem & aſsiduitatem il-
lam,nullis interpellantibus aliarum rerum curis,multum habere momenti ad inuentionẽ
eorum quæ inquirunť. Ac ne illud quidẽ arduum eſt ac difficile,quoties homines in foro
ſeſe uiciſsim conuicijs ac maledictis impetunt,nõ adire: aut ſi quando multorũ concurſus
fuerit,manere ſedentẽ: quòd ſi tibi non temperas,ſurgere atq; abire. Nam ſi teipſum curio
ſis admiſcueris,nullius bonæ rei fructũ inde capies. Plurimam uerò capies utilitatẽ, ſi cu-
rioſitatẽ auertas,uiq; coërceas,ut cõſueſcat obtemperare rationi. Ab hoc initio proficiens
ad acriorem exercitationẽ,rectè feceris ſi theatrũ, in quo quid iucundi recitať, prætereas,
ſicq; amicos ad ſaltationis aut comœdię ſpectaculũ ſecum abducere conantes repellas,aut
ſi clamore in ſtadio circóue exorto nõ aduertas oculos. Quemadmodũ enim Socrates mo

Quis cibus ac potus uitandus ſecundum Socratem.

nebat,cauendos eſſe cibos qui nõ eſurientes inuitarent ad edendum: ſimiliter & potum,
qui non ſitientes ad bibendum: itidem oportet & nos,omnia ſpectacula,omnesq́; recita-
tiones cauere fugereq́;,quæ nos ad ſe cogunt allectantq́;, quum illis nihil ſit opus. At Cy-
rus nolebat aſpicere Pantheam: uerùm cùm Araſpus diceret,mulieris formã dignam eſſe
quam contemplaretur: Ob hoc ipſum igitur,inquit,magis abſtinendum eſt ab ea. Etenim
ſi tuum ſequutus conſilium illam adiero,fortaſsis ipſa rurſus mihi perſuaſerit, ut ad ipſam
cõmeem,etiam cùm nõ uacabit,ſpectemq́; & aſsideam,neglectis interim multis ſerijs ne-
gocijs. Eundem ad modum nec Alexander uenit in conſpectum uxoris Darij,cùm prædi
caretur eſſe decentiſsima ſpecie: ſed huius matrem conueniens anum, puellam ac formo-
ſam uidere non ſuſtinuit. Nos dum in uxorum cubicula clàm immittimus oculos etiam à
feneſtris penſiles,nihil flagitij nobis uidemur admittere, qui curioſitatem noſtram patia-
mur illabi influereq́; per omnia. Eſt igitur & ad iuſtitiam exercendam utile, nonnunꝙ &
quod iuſtum eſt prætermittere, quò conſueſcas procul abeſſe à factis iniuſtis. Similiter &
ad pudicitiam conducit nonnunꝙ à proprijs uxoribus abſtinere,ne quando cõmouearis
in alienas. Hanc deniq; conſuetudinẽ adducens curioſitati, tenta nonnunquã & eorum
quæ ad te pertinent nõnulla diſsimulare,nec in aures admittere: & ſi quis uoluerit aliquid
earum

A earum rerum quę domi tuæ geſtæ ſunt renunciare, differas, uerbaq́ꝫ quæ de te dicta uiden
tur, repellas ab auribus. Siquidē Oedipodem curioſitas maximis inuoluit malis. Etenim
cùm de ſeipſo perquireret, quaſi non eſſet Corinthius, ſed hoſpes, obuium habuit Laium,
quo perempto, propriaq́ꝫ matre in matrimoniū ducta, dotisq́ꝫ nomine regnum adeptus,
cùm iam uideretur beatus, rurſum inquiſiuit de ſeipſo, idq́ꝫ cùm non permitteret uxor, ue
hementius etiam redarguebat ſenem conſcium, nihil non admouens, quo cogi poſſet ad
prodendum arcanū. Tandem cùm rei ſuſpicio iam illum torqueret, & ſenex exclamaſſet:

Heu me eloquendi iam premit neceſsitas,

nihilo ſecius tamen curioſitatis affectu accenſus ac diſcruciatus, reſpondit:

Ac me audiendi, audire oportet attamen.

Vſqueadeo dulcis quædam eſt amaritudo, nec cohiberi poteſt curioſitatis titillatio, uelut
ulcus ſemetipſum cruentans dum lancinatur. Cæterùm qui ſit hoc morbo liberatus, natu
raq́ꝫ placidus, neq́ꝫ gnarus ullius mali, dicturus eſt:

O diua quàm ſapis malorum obliuio.

Quapropter & aduerſus hæc eſt conſuetudo ducenda, ne redditam epiſtolam mox ac pro
tinus ſoluamus, quemadmodū faciunt pleriq́ꝫ, qui ſi manus ſint tardiores, dentibus epiſto
læ uincula dilacerant. Tum ſicunde ueniat nuncius, ne accurramus, neq́ꝫ ſurgamus loco.
Si quis amicus dixerit, habeo nonnihil nouæ rei quod tibi dicam: imò potius ſi quid ha-
bes, quod utilitatem ac fructum adferat. Cùm ego quondam Romæ diſſererem, Ruſticus
ille quem pòſt occidit Domitianus, gloriæ illius inuidens, me loquentem audiebat, atq́ꝫ
interim ſatelles accedens, Cæſaris epiſtolam illi reddidit: atque orto ſilentio, meq́ꝫ ſermo-
nem interrumpente, quò poſſet epiſtolam legere, noluit, nec prius reſignauit, quàm ego
finiſſem orationem, ac dimiſiſſem auditoriū. Qua quidem in re omnes uiri grauitatē admi
rati ſunt. Verùm ubi iam quis quibuſcūq́ꝫ poteſt modis alens curioſitatis morbū ualidum
ac uiolentū reddiderit, non iam facilè eſt eam cohibere, propterea quòd ob aſſuetudinem
fertur rapiturq́ꝫ ad ea quæ uetita ſunt. Verùm hi reſignāt epiſtolas, ſecretis amicorū conci
lijs ſemet ingerunt, ſacrorum ſpectatores fiunt, quæ uidere fas non eſt, loca inacceſſa cal-
cant, facta dictaq́ꝫ regum ſcrutantur: & tamen tyrannos, quos neceſſe eſt omnia cognoſce
B re, inuiſiſsimos reddit hominum genus, quos aures ac delatores appellant. Primus itaque
Darius minor, quoſdā habebat auſcultatores, quos ὠτακουστὰς uocant, ſibiipſi diffidens, nul
losq́ꝫ non ſuſpectos habens ac metuens. Dionyſij uerò delatores huiuſmodi Syracuſanis
admiſcuerunt: unde nouatis rebus hos primū apprehenſos Syracuſani occiderūt. Etenim
delatorū genus ex curioſorū gente familiaq́ꝫ eſt. Ac ſycophantæ quidā inquirunt, ſi quid
quis mali uel decreuit uel fecit. Curioſi uerò etiam calamitates uicinorum quæ præter ani
mi decretum accidunt, exquirunt, atque in uulgus efferunt. Dicitur autem & Aliterij co- *Aliterij.*
gnomen ex curioſitatis uitio primùm eſſe natum. Quum enim, ut eſt ueriſimile, ualida fa-
mes eſſet apud Athenienſes, nec hi quibus erat frumentum proferrent in medium, ſed
clàm noctuq́ꝫ domi molerent, iſti obambulantes obſeruabant molarum ſtrepitum, unde
cognomen inditum Aliterijs. Simili de cauſa narrant Sycophantarū cognomen ortum. *Sycophantæ.*
Quum enim lege uetitum eſſet, ne quis exportaret ficos, qui prodebant ac deferebant ex-
portantes, Sycophantæ dicti ſunt. Proinde nec illud fuerit inutile curioſis, quò pudeat ip
ſos ſui, ſi cogitent ſeſe ſimili cognatoq́ꝫ ſtudio teneri, quo tenentur hi, qui maximè ſunt in-
uiſi moleſtiq́ꝫ cunctis.

FINIS.

ARGVMENTVM SEQVENTIS DIALOGI.

Recitauerat magno ſtudioſorū aſſenſu plauſuq́ꝫ uenationis encomium quidam, in quo cùm de ui, uirtuteq́ꝫ
animalium cōmemorata quædā fuiſſent, poſtea ubi ad cœnam uentum eſt, orta eadem de re acri, ut fit, diſputa
tione, atq́ꝫ alijs alij animantium generi ſagacitatis ingenijq́ꝫ palmam tribuentibus, prout uel iudicio, uel erga
uenatum animo affecto quiſq́ꝫ fuit, uini partim, partim contentionis calore iuuenili, in duas iam factiones con
uiuium totum ſciſſum, diſputando gliſcebat: ac quia diffiniri tum quidem nec tempus feræ iam noctis, nec po-
tatio, cui plus ſatis iuuenes indulſerant, quicquam permiſit, certamen poſtridie ut inſtauraretur, & coram arbi-
tris lis hæc utlitigaretur, pactum ſtipulatumq́ꝫ fuit. Arbitri Autobulus, Soclarus, Optatus, ijdem & philoſophi,
& naturæ animantum callentiſsimi delecti. Poſtridie igitur ubi primùm illuxit conuenere iuuenes, magno fa-
ctionis quiſq́ꝫ ſuæ ſtudio. Terreſtrium cauſam Ariſtotimus, marinorum Phædimus tuetur. Ante congreſſum
ſeorſim ipſi inter ſe arbitri, ſolida ut uidetur diſputatione rationem animalibus ineſſe conuincunt: hanc dein-
de iuuenum contentio ſuperueniens, immenſa exemplorum copia, quanquam aliò tendente, confirmat. Sen-
tentia porrò non in iuuenes, ſed in eos ſtringitur, qui rationem animalibus, tam certa argumentorum exem-
plorumq́ꝫ ui comprobatam, negare ſint auſi.

Sit'ne rationis aliqua in beſtiis uis, tum utra
C animantiũ plus huius habeant, terreſtriá
ne an aquatica, Plutarchi libellus.

SIMONE GRYNAEO INTERPRETE.

AVTOBVLVS.

TYRTAEVM rogatus Leonidas qualem putaret uatem, inquit, ornandis iuuenum animis optimum, quoniam carminibus ille ſuis quandam non ſine mentis ardore, æſtuq́; gloriæ, iuuenibus uim inderet, omnis in bello periculi contemptricẽ. Vereor equidẽ, ne & uenatus encomium heri dictum, cupidos nobis uenandi iuuenes uehementer nimis impulerit, ne'ue cętera ſuperuacua ac nihil eſſe cùm ducant, ad hunc unum ſolumq́; modis omnibus delabant̃: quandoquidẽ ipſe quoq; mihi uideor, uelut recuperata iuuenta, pręter ætatem concitatior nunc eſſe, ac quod Euripidis Phędra,

Maculoſis inſtans hinnulis,
Inhortari rabiem canum

geſtire, adeò me crebris ac plauſibilibus argumentis uſa oratio commouit. SOCLARVS: Vera tu quidem Autobule dicis: nam & mihi uiſa eſt dicendi uim haud obiter intendiſſe, cùm ita iuuenibus præberet ſeſe, ut ijs eſſet æquè florida & picturata: maximè uerò iucunda fuit ubi monomachiam appoſuit. Quam quidem ob rem uenatio haud minima laude digna uideri poſsit, quòd cùm, ſeu natura ſeu diſciplina ſic comparante, dimicationem hominum inter ſe, eamq́; ferro maximè, ſpectare homines aueamus, id illa ſtudium huc auertens, ſpectaculum nullo ſcelere contaminatum exhibeat, arte ac confidentia ratione prædita, cum inſana feraq́; ui & robote animalium in harenam deſcendente, ac illud Euripidis gloriante,

Anguſta eſt uis uiri quidem,
D Sed pectoris aſtutia
Genus omne domat æquoris
Terræq́;, animis tam diſcolor.

AVTOB. Atqui hinc inuaſiſſe Soclare in hominum genus immanitatẽ feritatemq́; dicunt, guſtata cæde, uulnera & ſanguinem animalium, uenando prædamq́; agendo haud ægrè ſpectare, ſed his mactandis necandiſq́; gaudere ſuetam. Deinde, quemadmodum Athenis triginta tyranni ſycophantã primum, merito, ut fertur, ſupplicio, ſecundũ item, & ſimiliter tertium affecerunt, hinc paulatim progreſsi etiam in bonos inuaſerunt, poſtremum ne à ſummis quidem abſtinuerunt ciuibus: ſic qui lupum urſum'ue primus ſuſtulit, fortiter feciſſe putatus eſt. Bos etiam & ſus, quia guſtaſſe fortè propoſita ſacra inſimularentur, digni morte uiſi ſunt. Hinc iam cerui, lépores, damæq́; uorati, ad ouium canumq́;, ſępe etiam equorũ lanienam inuitarunt. Anſerem uerò cicurem, columbam domeſticam, & illum ſapientem domeſticũ famulum, non quo modo feles aut muſtelæ, cibi inediæ'ue cauſa, ſed luxus & cupedinandi gratia, qui diſcerpſere concidereq́; primi, quicquid inditum natura ſanguinarium ferumq́; homini fuit, ut confirmarunt, & ad omnem miſericordiæ ſenſum inflexibilem reddiderunt, ſic obliterauere naturæ hominum, omni ferè ex parte manſuetudinem: quemadmodum contrà illam in abſtinenda ferarum cæde clementiam, Pythagorici humanitatis & ad miſericordiã propenſionis exercitium fecere. Vehemens enim res conſuetudo, inita quantumuis leuibus cum affectibus ſocietate, longius prouehere homines poteſt. Sed iſthuc haud uideo, quónam pacto orationem ingreſsi, non cohærere aduerterimus, neq; cum heſterna, neq; cum habenda hodie diſputatione. Heri ſiquidem, ut noſti, animalia omnia mente ratioineq́; qualitercunq; prædita eſſe, nec à Muſis abhorrentem, nec iniucundam de marinarum terreſtriumq́; ferarum intelligentia, iuuenibus iſtis uelitationem exhibuimus, hodie, ni fallor, dirimendam, ſi modò prouocationibus iſtis, promiſsiſq́; Phædimus & Ariſtotimus ſtant, quorum hic quidem terrę, ceu longè ſuperiora prouidentia animalia gignentis, cauſam ſocijs hortantibus defendendã ſuſcepit, ille uerò maris. SOCLARVS: Stant Autobule, ac præſtò ſunt ut unquam antea: inſtructos ſub auroram uidi. Verùm ſi lubet, ante congreſſum quæcunq; generis cum diſputatione heſterna eiuſdem, heri dicta oportuit, ſed quod uel tempus non ferret,

uel ut

A uel ut in uino & inter pocula non ſatis excuſſa fuere, repetamus. Nam iſtuc è porticu, ni fal
lor, nõ abſq; forenſi calore reſonabat, immortali mortale, immarceſsibili marceſsibile, in-
corporeo corporeum, ex aduerſo natura poſitum: cuius generis rationale quoq; cùm ſit,
ei identidem ex aduerſo irrationale collocatum eſſe, & exiſtere, nec inter iugationes tot
hanc unam mutilam imperfectamq; relinqui. AVTOBVLVS: Quis iſthuc uerò amice
Soclare concedi ſibi poſtulet, ratione quidem præditum in rebus eſſe, ſed eadem uacans
non eſſe, ut ſtatuat? Eſt equidem, adeóq; in omnibus animæ expertibus multum & copio
ſum: nec opus eſt alio quod quidem rationali opponatur: quoniam omne protinus inani
me, nempe ratione menteq; carens & exanime, ei quod animam & perinde mentem ac ra
tionem habet, ex aduerſo poſitum eſt. Si quis autem non mancam eſſe naturam uolens, ni
hilominus quod ſit imbutum anima, in ratione pollens, ratione uacans diuidat, erit alius
qui illam ipſam imbutam anima naturam, aut in phantaſticum phantaſia carens, aut in
præditum ſenſu, ſenſu deſtitutum partiatur, quò uelut æquilibres circa genus idem, obie-
ctasq; ſibi cùm facultates tum orbitates natura habeat, æqualiter hinc inde propendẽtes.
Si uerò abſurdè facit, qui quod ſit imbutum anima, uel in præditum ſenſu, ſenſus expers,
uel in phantaſia præditum expers phantaſiæ diuidit, ceu non omne imbutum anima, pro
tinus aut ſenſum aut phantaſiam habere natum ſir: quanto iſthuc iniquius poſtuletur, ut
quicquid imbutum anima eſt, in ratione pollens, ratione deſtitutum tribuatur, apud eos
præſertim homines, qui nihil habere ſenſum putant, quod non idem intelligentiam ha-
beat, nec animal eſſe ullum, cui non opinio quædam & ratiocinatio, ſic, ut ſenſus, ut im-
petus congenitæ natura ſient. Natura enim, quam temerè nihil, aliquò omnia inſtituiſſe
haud falſo dicunt, non qui nihil quàm ſenſu afficeretur, ſenſibus inſtruxit animal, ſed cùm
amica ipſi dediſſet multa, multa abhorrentia, ſupereſſe uerò ne momentum quidem ani-
mans poſſet, ni cauere hæc, illa ſeligere didiciſſet, utriuſq; rei cognitionem quidem cuiq;
animalium ſuppeditat ſenſus: illa uerò quæ iam ſenſus ipſos conſequuntur, occupare per-
ſequi utilia & amica, nocentia pernicioſa fugere repellere, fruſtra prorſus exigas ab his,
quæ nec ratiocinari, nec meminiſſe, nec iudicare, nec animum ad aliquam rem cogitan-
B dam intendere queant. A quibuſcunq; enim in uniuerſum uel expectationem, uel memo
riam, uel uoluntatem, uel ad rem aliquam ſe comparandi uim & propoſitum, uel ſpem,
uel metum, uel cupiditatem, uel deſiderium detrahas, in ijs nec oculorum, ſi habeant, uſus
eſt quiſquam, nec aurium: ac omni omnino ſenſu phantaſiaq;, utilitatem ſcilicet nullam
habente, carere præſtaret, quàm affici, dolere, laborare, quum quo hæc incommoda pel-
las ſit nihil. Tametſi Stratonis phyſici liber eſt, in quo uir ille monſtrat, ne ipſum quidem
omnino ſentire, citra mentem fieri. Nam & ſcripta perſæpe quanquam oculis pererra-
mus, & uoces quanquam auribus inſonuerunt, fallunt, præterlabunturq;, aliò mentem
auerſos: quæ mox ubi redit, præteruecta ſingula relegens inſequitur, ueſtigatq;. Quare
& dictum eſt,

Vna mens audit, mens uidet,
Sunt cæca ſurda cætera:

tanquam totum quod oculis auribusq; fit, niſi præſtò mens eſt huc intenta, ſenſus efficien
di uim nullam habeat. Itaq; Cleomenes rex cùm in conuiuio lepida quædã narratiuncula
collaudaretur, rogatus ecquid elegantem putaret, Vos uideritis, inquit, nam mihi animus
nunc quidẽ in Peloponneſo eſt. Neceſſe igitur, omnibus quibus ſit ſenſus, etiam mentem
obtingere, ſiquidem nulla re quàm mente ſentimus. Eſto uerò ſenſum ad ſuum quidem
opus, id eſt, ſentiendũ mente nil indigere: quid autem ſi qui animali nocẽtis amiciq; diſcri
men indicat quiſquis eſt ſenſus, abierit, quid ſupereſſe dicemus? quod meminerit, metuat
ue infeſta, aut cõmoda deligat, aut quæ præſtò non ſunt, quomodo in poteſtatẽ ueniant,
machinetur: quod item propugnacula, laribula, iuſtrumenta comparet: denique quod ca-
ptis uiam inſidias elabendi muniat, quæ cùm ineſſe animalibus ipſi quoq; fateantur, nun-
quam deſinunt inſuper, ſuis nobis in libris harũ rerum etiam diffinitiones obtrudere. Pro
poſitum, inquiunt, annotatio quicquam perfungẽdi eſt: aggreſsio uerò, conatus ante co-
natum: apparatus, negocium ante negocium: memoria, pronunciati comprehenſio præ-
teriti, cuius præſens ſit ſenſu conceptũ. quorum cùm nihil non rationis opus ſit, in omnib.
inſuper animalibus omnia uiſuntur. Qualia ſunt etiam quæ de intelligentijs & cogitatio-
nibus afferunt, quarum illas, reſides intus ſtatasq;, has uerò mobiles notitias ipſi uocant.
Affectus autem cuiuſque generis, cùm in uniuerſum omnes, praua ut plurimum iudicia,
prauas opiniones eſſe fateantur, mirum quî adeò ferarum ſtudia cõmotionesq; nõ agno-

C ſcant, in quarũ pleriſq; cupiditas, pleriſq; metus, ac profectò inuidia etiã & zelotypia per-
crebrò reperitur. Ipſi uerò ſeu canis deliquit, ſeu equus errauit, caſtigant nõ fruſtra, ſed ad
frugem, dolore ſcilicet triſtitiam eam quam pœnitentiã uocant, incutientes. Iam cùm uo-
luptatis, eius quidem quæ auribus accipitur, delinitio nomẽ ſit: ſed quæ oculis, præſtigiũ,
ad feras utroq; uulgò utuntur. Nam & cerui & equi tibijs ac fiſtulis mulcentur: paguri fa-
cula cauernulis uel inuiti euocantur: aloſam cantibus cieri, & ad plauſus emergere progre
diq; certum eſt: aſio coram ſaltantum præſtigijs ludificata capitur, dum ipſa quoq; rhyth-
mi ſuauitatem effingere inſidiarum tuta, pari humerorum iactatione geſtit. Qui uerò his
de rebus ſtupidius iudicãt, & nec deliniri, nec iraſci, nec metuere, nec apparari luſciniam,
uerbi gratia, nec apem meminiſſe, ſed uelut iraſci leonem, uelut metuere ceruum dicunt,
non uideo quid facturi ſint, ſi quis non uidere etiam, non audire animalia, ſed tanquam ui
dere, tanq; audire, nec uocem ædere, ſed uelut ædere, ac iam prorſus nec uiuere, ſed tanq;
uiuere contendat. Non magis enim hęc quàm illa, ſecus longè q; res ipſa clamat dicantur,
ut ego quidem ſum perſuaſus. SOCL. Ac me quoq; perſuaſum Autobule puta. Sed-
enim humanis moribus ritibuſq; & negocijs tum etiam inſtitutis, animaliũ ſtudia iuxtà
collocare, cùm uehemẽter à dignitate generis hominũ totius abhorreat, tum uirtutis, quô
deſtinata ratio eſt, argumentũ nullum, nullos progreſſus, nullam deniq; affectionẽ in his
ipſis animalib. obtinear, dubito quî contulerit eius natura principiũ, ad cuius hæc perue-
nire finem nõ poſſunt. AVTOBVL. Atqui iſtuc Soclare, ne illis ipſis quidẽ abſurdum
uiris uidetur. Cùm Φιλοστοργίαν igitur, id eſt, amorẽ ex ſe procreatorũ complexũ ſocietatis
iuſtitiæq; humanæ fontem eſſe ſentiant, & eam in animalibus plurimam uehementemq;
cernant, cum iuſtitia tamen, nec fatentur, nec iudicant animalibus cõmercij quicq; interce
dere. Mulis autẽ num ſuſcitandæ prolis inſtrumentũ ullum deſit? certè genitale habent,
habent uuluam, tum ijs cum illecebra utuntur, atqui prolificationis finem interim non aſ-
ſequuntur tamen. Vide pręterea an non ridiculum eſt, Socrates, Platonas, nec leuioribus
cum uitijs conflictari, nec minus inſuper aut ſtultos, aut intemperantes, aut improbos, q;
quodlibet uulgò mancipiorũ eſſe fatentur: feris autem, quia non accurata, non conſum-
mata prorſus ad uirtutem ratione ſunt, uirtutem prorſus negant, ueluti non defectum ra-
D tionis, uitiumq;, rationale fateri neceſſe ſit, quo brutorũ quidq; laboret, cùm timiditatem
multis, multis intemperantiã & iniuſtitiam ineſſe uideamus. Qui uerò expromptã perfe-
ctamq; ab ijs, quæ eam conſequi idonea natura nõ ſunt, rationẽ requirit, primũ perinde fa
cit, ut qui uel turpitudinẽ ſimiæ, uel tarditatẽ teſtudinis improbat, quod neq; illa formam
feliciorem, nec hæc maiorem celeritatem indipiſci natura quiuit: deinde differentiã, quæ
huic quidem diſceptationi faceſsit negocium, non animaduertit. Nam ipſa quidem ratio
natura datur: liberalior uerò abſolutiorq; ratio, cura & doctrina animalibus parte rationa
li conquiritur. Perfectã uerò quam requirunt rationem, ne hominem quidem qui habeat,
proferre quenq; poſſunt. Quod uiſus uiſu, uolatus uolatu differt (haud enim ſimiliter mil
uus & cicada uident, nec aquilę ſimiliter & perdices uolanr) hoc animal ratione præditũ.
Non ęquè enim quidq;, illud quàm latè patet, rationis acuminiſq; ſummũ contingit: quo
niam multa diuerſaq; probitatis, fortitudinis, & illius in re augenda, domóue curanda cir
cunſpectionis exempla graduſq; ſunt, ut cõtrà fraudis, timiditatis, ſtoliditatis multa. Res
eſſe teſtimonio poteſt, quæ illam nunc inter iuuenes contentionẽ ſuſcitauit. Velut enim
differentia quædam ſit, hi terreſtria, illi marina ad uirtutem propius accedere contendũt:
quod quidem, aut ciconijs hippopotamos, quorum illæ patres alunt, hi conficiunt, idq;
tantùm ineundi matres poteſtas ut ſit, aut columbas perdicibus conferenti patet. Nam il-
læ & oua protuunt, & fœminas perdunt, quia ab incubatu non admittantur: hi in curam
ex parte ſuccedunt etiam, oua fouentes, pullis cibum ultrò cõminuentes, tum ubi è paſtu
ſerius uxor redit, alis pulſatam ad oua pulloſq; compellentes. Aſinis autem & ouibus An
tipater cùm ſordes obijcit, miror quî linces hirundineſq; pręterire potuerit, quorum hi ſe-
ceſſu etiã facto urinam cõdunt, interuertuntq;: hirundines uerò extra nidum podice auer
ſo, mittere excrementa pullos docent. Tametſi cur non plantam planta rudiorẽ, ut ouem
cane, aut herbam herba timidiorem, ut leone ceruum dicimus? Nempe quemadmodum
quæ uel moueri loco, uel uocem ædere nullo pacto poſſunt, eorum alterũ altero celerius,
aut uocalius eſſe dicit nemo: ita quibus rationis ſapientiæq; uis natura nulla prorſus ineſt,
eſſe alterum altero perſpicacius, ignauius, intemperantius, nullo modo poteſt. Cùm ineſt
aũt nunc magis, nunc minus, ea diuerſitate qua uidemus alijs aliter ſeſe impertit. SOCL.
Atqui dici uix poteſt tamen Autobule, facilitate ſagacitate iuſtitia ſocietateq; uitæ, homo
cæteris

A cæteris animalibus quantum præſtet. AVTOB. Nempe illorum etiam pleraq; Soclare, partim mole, partim celeritate, partim oculorum acie & auditus claritate, longè poſt ſe homines omnes relinquunt: nec idcirco tamen aut cæcus, aut mancus, aut ſurdus homo eſt: ac quanq; nec manibus nec oculis, nec ui aut magnitudine certa membrorū nos natura fraudauit, tamē nihil hæc ad elephantū, ad camelum nihil. Eodem igitur pacto nec bruta dicemus, quia ſapiunt minus, tardius cogitant, cogitare ſapere omnino nihil, nihil rationis habere, ſed imbecillam habere & turbidam, qualis fortè ſit oculus luſcioſus & ſtrabo. Equidem ni multa protinus doctrinæ literarūq; ſtudioſos iuuenes illum è mari, hunc è terra cōgeſturos ſperem, mille tibi docilitatis, mille ingenuitatis brutorū exempla ingererem, quorū ex imperatorijs ſpectaculis reti ſcaphaq; hauriendi copiā, inclyta nobis Roma maximam ſuppeditauit. Hanc illis igitur nouam intactamq; oſtentandæ doctrinę materiam relinquamus: tecum interea paululum adhuc quiddam, dum ocium eſt, diſpicere liber. Sic enim ſtatuo, in unaquaq; animalis parte ac facultate, deprauationē & mutilationem, ac ueluti morbum peculiarem quendam eſſe, qualis oculi quidem cæcitas, tibiæ clauditas, balbuties linguæ, ſingularum ſingula, alterius uerò nullius ſunt. Neq; uerò uel cæcitas eius eſt quod uidere natum non ſit, uel clauditas quod non ingredi, ut nec elinguium mutorum'ue natura prorſus dici balbuties, aut blæſitas poteſt. Vnde fit, ut nec errare, nec deſipere, nec inſanire quicquam poſsit, quod non ſit ſapere ratiocinari cogitare natura factum. Neq; enim ægritudinem ullam recipit in ſe quicquā, niſi facultate præditum, cuius hæc priuatio quædam ac uelut orbitas ſit. Dic mihi igitur, ecquid in canem rabidum incidiſti? SOC. Ego uerò & in equos. AVTOB. Ac ſunt qui boues etiam & uulpes in rabiem uerti dicant: ſed canum exemplum ſufficit incontrouerſum planè, quo perſpicuum fit, rationem & mentem habere haud contemptibile animal, qua confuſa turbataq;, illa quam λύσσαν uocant rabies ſuccedat: certè illæſis immutatisq; cæteris oculorum & aurium ſenſibus fit. Ac quemadmodum qui hominem atra bili uexatum delirumq;, aliud quàm mente motum, & ea parte qua ſapimus colligimus memoramus turbatum dicit, ineptus eſt: nam ita loquendi conſuetudo tenet, ut qui deſipiant, apud ſe non eſſe, ratione
B menteq; excidiſſe dicamus: ſi qui canes rabidos aliud paſſos, quàm hac parte qua ſapere ratiocinari meminiſſe natura ſolebant, turbatione quadam oppreſſos labefactatosq;, chariſsimos ignorare, cibum ſolitum refugere, & quod ob oculos poſitum ſit nō cernere, credit, is factum ex ſeſe non ſatis æſtimans, ſuſcepiſſe cum ipſa ueritate contentionē uidetur. SOC. Rectè tu quidem hæc mihi ſuſpicari uidere, quandoquidē Stoici Peripateticiq; ꝙ uehementer in diuerſum ratione tendant, ſcimus, quòd ortum alium iuſtitia nullū habeat, ſed euertatur neceſſariò, nec conſiſtat diutius, ſi quidem animalibus ratio tribuatur: alterutrum enim, aut is iniuriari neceſſe eſt, inquiunt, ſi non parcimus, aut in ſumma difficultate uitam uerſari, ſi non utimur: & quodam modo ferarum uitam uiuemus, ſi uſu quem præſtant animalia, deſtituimur. Mitto enim Nomadum & Troglodytarum innumerabiles myriadas, qui uictum præter carnes nullum norunt: nobis qui uiuere hominum uitam placideq; uidemur, quod opus aut terra, aut mari, quæ in montibus ars, quis in uictu cultus ſuperſtes erit, ſi quemadmodū decet, ratione præditis & generis eiuſdem animalibus omnibus innocuè ac citra ipſorum detrimentum congredi pergamus? Nullum'ne igitur remedium, nullum pharmacum huius, aut iuſtitiam aut uitam hominum euertentis difficultatis ſubmouendæ tenemus, ni uetus ille rerum terminus & lex Heſiodi ſtat, qua ſic naturæ diuiduntur, ac ſeorſim generum utrunque degit, ut

Piſcibus atque feris liceat gentiq; uolucrum
Graſſari in ſeſe, ratio queis abdita iuſti:
Aſt homini fas ſit leges & iura uereri:

ac quibus nullum nobiſcum iuſtitię cōmercium eſt, cum ijſdem nulla neq; iniuriæ ratio intercedat: quod dogma qui reijciat, eum nec uſum, nec aditum iuſtitiæ ullum ne anguſtiſsimum quidem relinquere? AVTOB. Hæc tu prorſus è pectore hominum illorum exprompſiſti. Verùm haud permittendum, ut quemadmodū parturientes mulieres, ſic philoſophi partus accelerandi medicinam appendant, quò lenius minoriq; moleſtia iuſtum illud in lucem nobis enitant, præſertim cùm nec ipſi, ſummis de rebus diſputanti Epicuro, tam paruam rem, ac tenuem, atomum ſcilicet unum, uno tantùm momento declinantem, locumq; ſyderibus, animalibus, fortunæ cedentem, tum illa noſtra omnia ab interitu uindicantem, permittant, ſed & monſtrare quod ſit obſcurum, & quod ſit notum tantùm ſumere cogant. Illud igitur de animalibus iſti de iuſtitia diſputationi fundamentum

C ueluti certum exploratumq́; ſubijcere tantiſper non decet, quandiu non eſt conſentaneũ,
aut alioqui è conſentaneis effectum. Nam ipſa quidem iuſtitia uiam habet aliam, nec lu-
bricam, nec pręcipitẽ adeò, aut in manifeſta incõmoda ducentem, ſed quam Platone prę-
eunte, meus quidem Soclare filius, tuus autem familiaris, ſequi diſcereq́; uolentibus, haud
uerò contentioſis, pandit. Equidem hominem, ſi iſto quidem pacto animalia tractentur,
à ſcelere defendi nõ poſſe, Empedocles etiam & Heraclitus tanquam uerum receperunt,
ut qui ſubinde querantur calumnienturq́;, bellum ac diram neceſsitatem naturam eſſe,
impromiſcuum ac ſyncerum nihil habere, ſed aſsiduis grauibusq́; rerum cladibus inſtau-
rari & conſiſtere. quo loco, ipſius ortum etiam ex iniuria profluxiſſe dicunt: quippe in
idem mortali immortaliq́; coëunte, quod inde genitum ſit, membris eius quod genuerit
diſcerpendis latiendiſq́; neceſſariò gaudere. Verùm nimis hæc uehementia ac acerba ui-
dentur: aliud mitius remedium eſt, ut rationẽ animalibus non negans, ſic iuſtitiam, ſi quis
ipſis ut decet utatur, tuil prorſus lædens etiam. Eam rationem cùm ſapientes iſti ueteres in
duxiſſent, ingluuies poſtea conſpiratione cum uoluptate facta, eiecit, ſuſtulitq́; rurſus: ite-
rum poſtea reſtautauit Pythagoras, cõmodum ex animalibus accipi citra iniuriam poſſe
docens. Neq; enim iniurium eſt, ſi quis ſocietatis neſcia uehementerq́; nocentia caſtiget
tollatq́;, manſueta & amica homini, familiaria ſibi reddat, laborum ad quos quidq; ido-
neum uideat̃ ſocia adiungat, equos aſinos ad initum, tauros ad implendũ armenta, quos
Aeſchyli Prometheus dare ſe nobis mancipiorũ loco dicit, laborem ex parte in ſe recipien
tia, canibus autem ad ouium caprarumq́; tutelam utentes, lac ipſi lanamq́; percipiamus.
Neq; enim uiui idcirco nõ poteſt, aut uictus perit homini, niſi lances piſcibus plenas, ni-
ſi anſerum iecinora ponunt: niſi boues, niſi hœdos in conuiuia crapulamq́; concîdunt: ni-
ſi ſpectandis in theatro animalium cædibus fatigantur: niſi in illorum exitio ludunt: dum
alia ad præliandum adigunt inuita, alia belligerari neſcia perdunt ultrò. Nam qui ludere
inſtituit, eum colludentibus hilaribus uti par eſt: nec, quod Bion dicebat, pueros ranas
quoties colludunt lapidibus petere, at illas iam non ioco, ſed feriò perire: ſic nos uenari pi
ſcariq́; decet, ut ex alterorũ dolore & morte, ex alterorũ uerò miſerabili per catulos ac mo
loſſos ductu, uoluptatẽ ipſi nobis ſtruamus. Non enim qui utuntur animalibus, iniuſtè fa
D ciunt, ſed qui pernicioſe, cõtemptim utuntur, & crudeliter. SOC. Inhibe curſum Auto
bule, ac in portũ ab iſta cõtentione deflecte. Nam qui huc accedunt, quũ multi, tum uena
tores ſunt omnes, quos nec mutare facilè, nec perturbare neceſſe arbitror. AVTOB. Re
ctè mones. ac Eubiotum quidẽ, & patruelem meum Ariſtonem, tum illos Dionyſij nepo
tes Aeacidem & Ariſtotimũ, Nicandrũ inſuper Euthydemi filium, ſylueſtris illius, ut Ho
merus uocat, uenatiotis artifices eſſe, & ob hoc ab Ariſtotimo futuros ſat ſcio. Inſulares
autem iſtos contrà & maritimos, Heracleonem Megarenſem, Philoſtratum Euboium,

Ac quibus æquora curæ,
circum ſe Phædimus habens ingreditur.
Tyrides dubium eſt utris ſe iunxerit,
ille noſter æqualis Optatus, qui ſæpe æquoreæ, ſæpe montanæ
Capturæ exuuijs,
Sylueſtrem colit æquè Dictynnamq́; Dianam.

Sed quia ad nos accedit, à neutris ſtare certum eſt. Num nam rectè amicule Optate conij-
cimus, cõmunem mediumq́; quendam iuuenili certamini te arbitrum ac moderatorẽ fu-
turum? OPT. Rectè prorſus conijcis Autobule. Defeciſſe iandudum Solonis legem ui
deo, quæ ſe neutri ſeditionis partium adiungentẽ punit. AVTOB. Sed agè huc aſside,
ut ſi teſte ſit opus, non Ariſtotelicis cõmentarijs. ſed tibi negocium faceſſamus, quò homi
nis expertiſsimi fidem ſecutis, ferre ſententiam citra errorem liceat. OPTAT. Eſto.
SOCL. Agite iuuenes, cui priores debeantur: ecquid inter uos conuenit? PHAED.
Conuenit Soclare, ſed poſt rixam longam. Sors enim fortunæ, ut inquit Euripides, filia,
iſti ſuccenturiata terreſtrium iura prætulit. SOCL. Nunc igitur Ariſtotime tu quidem
ut dicas, nos ut auſcultemus, tempus eſt. ARIST. Dicam, atq; hoc forum litiganti-
Pro terreſtribus. bus eſto. Illa igitur quæ defendenda hic putat, ſub ipſum enixum facto in fœtas impetu
Orditur à confu prolem perdunt. Capitonum uerò genus quod tranſlittoranũ uocant, etiam mucore ui-
tatione, ſed per- uunt ſuo. Polypus autem ſub brumam ſeipſum uotans corrodenſq́;,
quàm abrupta. Deſidet ignauo uitam pertæſus in antro,
adeò uel piger, uel ſtupidus, uel certè uentre tam rabido, aut his forſan obnoxius omni-
bus. Vnde iterum iterumq́; Plato legibus edicit, imò magis adeò uotis flagitat, uenatus
maritimi

A maritimi ſtudium, iuuenum animos ne unquã inceſſeret, in quo uirium exercitatio nulla,
nullum ſapientiæ ſtudium, nec eorum quę uel roboris uel pernicitatis uel agilitatis paran
dæ gratia tolerant homines, in iſto cum lupis, congris, ſcaris congreſſu quicq; reperiatur:
cùm hîc longè ſecus, ferocia quidem, adeundi periculi ſtudium & uoluntatẽ certamen ini
turis: aſtuta, circumſpectionẽ & calliditatẽ inſidias ſtructuris: uelocia, uim & ſedulitatem
quicquam nobis perſecuturis, exemplo ſuo mirè cõmendent inculcentq;: quæ quidem, il
lam uenationi gloriam peperere. Piſcatus uerò nullam omnino ob rem celebratur: neque
deorum quiſquam Phædime aut congricida, quemadmodũ lupicida Phœbus: aut mulli-
peta, quemadmodũ ceruipeta Diana, uocari paſſus eſt unquã. Quod quidem nihil eſt mi
rum, quandò & homini aprum ſolum aut ceruũ aut damam aut lèporem capere, q; emere
honeſtius eſt: thynnũ contrà carabum'ue aut amiam opſonari liberalius, quàm uenari pu
tetur. Etenim ignobilitas, & inertia, & omnino ſecordia ipſorũ, omnis aſtutiæ exors, tur-
pem, inglorium & illiberalem uenatũ hunc totum fecit. In uniuerſum uerò, quoniam qui
bus rebus ineſſe philoſophi rationem animanribus cõuincunt, propoſitum & apparatus,
memoria & affectus ſunt, tum illa è nobis procreatorum cura, & erga hos qui fecerunt be
ne, beneuolentia, qui male, maleuolentia reminiſcentiaq; malorũ, ad hæc rerum neceſſa-
riarum excogitatio, & uirtutis deniq;, ut fortitudinis, iuſtitiæ, temperantiæ, magnanimita
tis ſignificatio nõ obſcura: uideamus ecquid maritima, horum quidẽ aut nullum, aut per-
obſcurum certè & uix conijciendũ ueſtigium relinquant, terreſtria uerò lucidum & ſoli-
dum uniuſcuiuſq; nobis præbeant exemplum ſpectandũ. Primùm igitur tauros ut corni-
bus dimicationẽ poſcunt uide, ut inſperſo puluere ad luctam procinguntur: apros ut den
tes acuunt. Elephantes autẽ materia, quam fodiendo ruendoq; depaſcuntur, dentem he-
betante obterenteq;, ad hos uſus altero utunĩ, alterius mucroni ad auertenda pericula par
cunt. Leo inuolutis ſemper pedibus ambulat, tanquã uagina condiris intus unguibus, ne
att itis acies retundatur, tum ut ne anſa ueſtiganti præbeatur. Haud enim unguis leonini
nota temerè inuenitur, ſed exiguis & cęcis ueſtigijs occurrentibus, falluntur ueſtigatores
& deuiant. Ichneumon uerò, ſæpe audiuiſtis quàm nihil milite ad pugnam ſeſe armante
diſtet, adeò diligenter amicitur limo, corpusq; tot corijs loricatum obglutinat, in dimica-
B tionem cum crocodilo uenturus. Hirundinũ uerò priuſquàm incubationi ſe dant appara
tum, nónne uidemus, quàm pulchrè feſtucis ſolidioribus primùm ceu fundamento iactis,
molliores inſuper adfigunt: luti uerò, quo cæmento ad ædificandũ utuntur, & uelut gluti
no nidum relinunt, cùm penuria eſt, ad lacum ſinúmue proximũ aduolantes, ſummis alis
ſic ſtringunt aquas, ut humeſcant liquore tantũ, nihil grauentur autem, mox cõcepto his
puluere, illinunt aſpera, hianria glutinant, figuram operi nec anguloſam, nec multifidam,
ſed æquabilem, & quantũ id fieri poteſt, ſphæricam maximè inducentes. Hæc enim om-
nium eſt cùm firmiſsima tum capaciſsima, atque adeo una quæ animantium inſidias egre
giè defendit, anſam apprehendendi non ualdè exhibens. Iam aranearum opus, cõmunem
& matronarũ telis, & piſcatorũ ſagenis archetypum, quot nominibus mirari neceſſe eſt?
Nam & ipſa fili conſummatio ſubtilitasq;, & nodi telæ nec diſparati nec ſtaminoſi, ſed in-
ſtar membranæ leuis continui, & ceu uiſco adhibito glutinoſi: tum ipſa coloris tinctura,
quiddam aërosum caliginoſumq;, quo magis fallat, præ ſe ferens: deniq; illæ cumprimis
operis habenæ & gubernatio, protinus ut captiuus incidit ipſa ſentire, & periti aucupis
inſtar rete momento trahere ac proſilire docta, ni quotidie ſpectemus oculis, fide careãt,
ac fabulæ uideantur. tam ſanè quàm iſtud quod ego in Africa coruos nuper aquæ penu-
ria laborantes uidi, iniectis ſitulam lapidibus explere, & eô aquam adducere, dum cõtin-
gi poſſet. ac in naui poſtea cùm nautis abſentibus canis in amphoram oleo nõ plenam ſi-
lices inijceret, obſtupui, quî in mentem ueniſſet, ac unde ſubijſſet cani, grauibus ſubſiden
tibus leuiora tolli elidiq;. Quale eſt etiam quod apes Cretenſes, anſeres Cilices conſueue
re. hæ ſi quam oram procelloſiorem circuire neceſſe ſit, quo minus iactentur, lapillis par-
uis ceu ponduſculo ſtabiliũt ſeſe: iſti in traiectu Tauri montis aquilas ueriti, calculo quiſ-
que bene magno in os indito, garrulitatẽ ac illud natura ſtreperum tantiſper compeſcũt,
dum hoſtem clàm pręteruecti fallant. Eſt & gruũ illud in uolatu celebre non minus. Nam
ubi uentus exortus eſt maiori cum ui, & ſæuit cœlum, nõ quo modo cùm eſt tranquillum
frontatim ac lunato globi ſinu uolant, ſed in cuneũ momento ſe traducunt, ac ipſo mucro
ne uentum diuidunt, circum latera fruſtra luctantem, ſic ut nihil acies turbetur. Eædem
ad terram delatæ, quibus eſt excubandum noctu, crurum alterutri corpore innituntur, al-
tero adducto prehenſum lapillũ tenent. Igitur illa in retinendo iugitas obrepere diutius

C ſomnum nõ ſinit,ſed ſtatim ut remiſere, decidens calculus excitat, arguitꝗ negligentem.
Itaꝗ non eſt cur iſtuc Herculis adeò quiſquam miretur,

Quòd alæ ſubdens arcum hærentem brachio,&
Dextra clauam regens manu,quieſceret:

ut nec illum qui clauſum oſtreum quomodo aperiendum eſſet animaduertit primus,cùm
iſtuc antea percepiſſet ab ardeolis. Deglutit enim teſtam clauſam ardea, intusꝗ retentam
diu agitat, mox ubi calore laſſam languentemꝗ ſenſit, ibi tum reddit iterum, hiantẽ iam
& auulſam,ac quod eſui eſt extrahit. Formicarũ uerò diſciplinam induſtriamꝗ domeſti-
cam,ut uerbis referre dignè ſaltem impoſsibile eſt, ſic in uniuerſum præterire minimè de-
cet. Nullum natura maximarũ pulcherrimarumꝗ rerum tam anguſtum ſpeculum habet:
quoniam hîc ceu pura quadã in guttula,uirtutis totius ſignificatio clariſsimè relucet. ami
ciriæ imago eſt,illa inter ipſas cõmunicatio.fortitudinis ſimulacrum,illa in ferendis labo-
ribus alacritas.multa temperantiæ,prouidentiæ multa,multa iuſtitiæ ſemina & argumen
ta ſunt. Cleanthes igitur quanquam prædita eſſe ratione animalia minimè ſentiret,huiuſ-
modi tamen ſe ſpectaculo interueniſſe fatetur. formicas quaſdam ad myrmeciam adijſſe,
mortuam formicam ferentes:ex ea egreſſas quaſdam ijs ueniſſe obuiam:ibi tum uelut col
locutas intrò rurſus redijſſe,hoc factum iterum iterumꝗ. poſtremò uermem has redimen
di,ut uidebatur,mortui precium deſuper extuliſſe:eum illas tradito mortuo leuaſſe ac diſ-
ceſsiſſe. Iam uerò nota ſunt omnibus , illa primùm in occurſu beneuolentia, dum uacuæ
onuſtis cedunt uia, ac tranſitum præbent: dum quæ uel geſtatu uel importatu difficiliora
ſunt,arroſa partiuntur prius,ac geſtabile pondus in plurimos diſtributum reddunt: dum
ſemina exponunt ſiccantꝗ ſub dio, quam rem pluuiæ ſignum Aratus fecit,

Oua penetrali quando omnia progerit antro,
Formica.

Quanquã ſunt qui non oua,ſed fructus conditos,quoties æruginẽ præ-
ſentiſcunt,ac ob id corruptionẽ putrefactionemꝗ uerentur, exponere ſcribant. Omnem
uerò intelligentię cogitationẽ ſuperat,illa ne rurſus in frugem exeant ſemina procuratio:
neꝗ enim ſicca incorruptáue in antrum congeſta ſemina maneant, ſed mox humiditate
D loci perfuſa lacteum quiddam cõtrahant molleſcantꝗ,ac uerti in herbam pergant. Vt ne
igitur pullulent ac in frugem corrumpantur,alimentiꝗ uim amittãt,durent autem & eſui
ſint,umbilicum grani quà mitti germen ſolet,erodũt multò antè caſtrantꝗ.Eos uerò qui
myrmecias,propterea quòd perdidicerunt,ac ut medici hominum corpora,ſic ipſi has pe
nitus perreptarunt,ſuas faciunt,haud recipio. Narrant autem,proximum ab ingreſſu de-
ſcenſum nec rectum,nec cuiquam cæterorũ animantiũ permeabilem, ſed flexibus & am-
bagibus, anfractus quoſdam & obliquas ſemitas habentibus , in tres cauernas deſinere,
quarum una ſit ubi cœtus celebrantur comitium, altera eorum quæ in annum ſeruanť pe
num,tertia elatorũ & uita functorũ cœmeterium. Videor porrò non abſurdè facere ſi for-
micis elephantos ſubiungam, quò mentis uim maximis æquè ac minimis in corporibus
intelligamus,nec tam minutis illis articulorum momentis euanuiſſe, nec his cõſumptam
molibus. Elephantum igitur cæteri quidem hoc potiſsimũ mirantur, quòd diſcendo do-
ctoribusꝗ ſe præbendo, in hominum cœtibus eas in geſtu figuras & uarietates effingat,
quarum elegantiam ac copiam uix ipſa hominum induſtria exprimere aut memoria com
plecti facilè poſsit. Ego uerò hiſce magis ex affectibus motibusꝗ, quos ſuapte ſponte ci-
traꝗ doctrinam tenet, uelut ſimplicibus & impermixtis ac inconfuſis, æſtimandã beſtiæ
intelligentiam putarim. Nam Romæ certum eſt cùm haud ita pridem ad geſtus quoſdam
miros indipiſcendos,& motus euolutu difficillimos ingeminandos antea quidẽ inſtituti
fuiſſent, unum tardioris ingenij, quia ægrius hæc aſſequebať, ubilibet peſsimè audientẽ,
& uerberibus ſæpe caſtigatũ, deprehenſum noctu eadem illa ex ſeſe ad lunam meditantẽ
molientemꝗ. In Syria uerò prius elephantũ ſcribit Agnon, cùm in ædibus cuiuſdam ale-
retur,ac ſeruus qui additus curator erat,de demenſo quotidie ſubtraheret, dimidioꝗ bel-
luam fraudaret, ſed enim hero iam aliquando præſente conſideranteꝗ demenſum totum
ſolueret,toruè tuentem ac promuſcida contrahentẽ, hordei partem additam repuliſſe, ac
ꝗ exactiſsimè ſeparauiſſe, ſerui iniuriam hoc nimirum pacto ad herum deferentẽ. Alium
uerò cùm lapides & terram magiſter ad explendam menſurã pabulo miſcuiſſet,ipſum ex
foco correptũ cinerem in ollam magiſtri elixis iam carnibus inieciſſe. Quid is,qui Romæ
à puerulis promuſcidem ferro pungentibus laceſsitus,arreptum alteꝗ ſublatum puerum
contecturus uidebatur,orto circunſtantũ ingenti clamore,lentè in terram puerum appli-
cuit rurſum, ac præterijt:pœnam ſatis magnã ſcilicet iudicans, tantillo puerulo terrorem
incuſsiſſe.

A incurſiſſe. De ſylueſtribus uerò & more ſuo uiuentibus cùm multa alia, tum illud præſer-
tim in tranandis fluminibus elegans narratur. traijcit prior, cæteris hoc ſeſe dans, natu ſi-
mul & mole minimus: cæteri interea ad ripam adſtant, quantumq; flumen ille magnitudi
ne ſuperet, ſpeculantur: quæ res exercitui reliquo nõ dubiam ad traijciendum ſpem facit.
Huc loci cùm oratione uentum ſit, uulpem haud puto uel ob ſimilitudinẽ ingenij præte-
reundam. Poëtę igitur columbam Deucalioni ſcribũt arca emiſſam quantiſper remearet,
& eôdem cõtinuò ſe reciperet, tempeſtatis, poſtquàm auolaſſet, ſerenitatis argumentum
dediſſe. Atqui Thraces etiamnũ flumen glaciatum tranſituri, non aliunde quàm à uulpe
documentũ capiunt prius. Leniter hæc ſuper glaciem incedens, auriculam admouet, ac ſi
ſtrepitum propè ſubterlabentis aquæ captando conſequi poteſt, nõ ſatis altè, ſed tenuiter
& inualide fixam colligens, ſiſtit gradum, ac niſi quid uehementer urget, nuſquã promo-
uet pedem: ſtrepitum uerò poſtquã audire nullum poteſt, ſumptis animis traijcit. Quam
rem non eſt cur quis ſenſus, qui quidem rationis expers ſit, conſummationi adſcribat: ſen
ſum quippe inſecuta hæc ratiocinatio eſt, qua colligit, quod ſtrepat moueri, quod moue-
tur non eſſe fixum, quod non ſit fixum liqueſcere diffluereq;, quod liquidum ſit reniti non
poſſe, ſed impelli & cedere. Dialectici uerò canem quoties ad iſta uenit uiarum diuerticu
la multifida, eo quod ipſi è pluribus diſiunctũ uocant argumentationis genere uti, & hoc
pacto apud ſe cõſtituere dicunt: Aut hâc fera abijt aut hâc, atqui neq; hâc neq; hâc, hâc igi
tur ut abierit reliquum eſt: eamq; ad rem nil ſenſum quàm apprehenſionẽ nudam confer-
re, rationem uerò & ſumpta, & è ſumptis ipſam mox concluſionẽ efficere. Atqui iſto qui-
dem Dialecticorum teſtimonio, falſo nimirum & adulterino, canis non eget. Nam ſenſus
ipſe, quâ elapſa fera ſit, ex ipſius ueſtigijs & curſu deprehendit, ualere longum tam diſiun
ctis quàm coniunctis iſtis Dialecticorũ dicens. Ad hæc ſtudia ſunt officiaq; & opera innu
merabilia, quæ uiſu nullo, ſed nec olfactu, ratione uerò ſola, ſola mente cùm fieri tum de-
prehendi certum eſt, è quibus æſtimare naturã canis licet, cuius quidẽ illam inter uenan-
dum continentiã, obedientiam, ſagacitatẽ, ridiculus ſim ſi recenſere pergã, apud uos præ-
ſertim, qui iſta quotidie cernitis, tractatis. Romani certè illius ciuili bello perempti caput
reſcindere iuſſus prius potuit nemo, quàm canem qui aſſeruabat defendebatq; herum, cir
B cunſtantes cõfodiſſent. Pyrrhus uerò rex, cùm iter exercitu faciens incidiſſet in canem oc-
ciſi hominis corpus ſeruantẽ, intelligeretq; tertium iſtic diem per inediam durauiſſe, nec
reliquiſſe corpus, ipſum quidẽ cadauer ſepeliri, canem uerò unà duci & curari iuſsit. pau-
cis pòſt diebus, cùm luſtratio exercitus fieret, ac milites ordine rege ſedente tranſirẽt, ade
rat canis ipſe quoq; tacitus interim & triſtis: uerùm ubi cæſores heri accedere conſpicatus
eſt, uociferatu horribili procurrit in ipſos intonuitq;, ad Pyrrhum ſubinde conuerſus, ut
non regi modò, ſed omnibus qui aderant in ſuſpicionem homines maximã uenirent. Sta
tim igitur comprehenſi rogatiq;, cùm leues quædã coniecturę concurriſſent, confeſſa cæ-
de pœnas dedere. Idem Heſiodi ſapientis illius canem feciſſe fama eſt, quum Ganyctoris
Naucletij filios, quorum manibus peremptus uates erat, prodidiſſet. Iſtuc uerò quod ma-
iores noſtri Athenis iam tum agentes ſe uidiſſe narrare ſoliti ſunt, his quæ diximus longè
conſpicuũ eſt magis. Aeſculapij templum homo quidã clàm ſubiens, magni ponderis au
ri argentiq; donaria ſurripuit, ac latêre putans tacitè ſeſe ſubduxit. Canis autẽ qui tum cu-
ſtos erat templi, Capparus nomine, quoniam latratus æedituorũ nemo curabat, ſacrilegũ
fugientẽ inſecutus eſt ipſe: ac primò quidem ſaxis petitus non deſtitit: mox exorta iam lu
ce, propè quidem nõ acceſsit, ſed oculis diligenter hominẽ ſeruans ſequebatur: cibum ue
rò obiectum ne cõtingebat quidem. iam ubicunq; quieuiſſet ille, excubabat hic iuxtà: rur
ſus cùm procederet, ſurgens inſequebatẽ item. uiatoribus etiam quicunq; ſe obuiam tum
fortè tuliſſent, adulabatur, cùm hunc infeſtè ſemper allatraret, impeteretq;. Hæc cùm qui
furem perſequebantẽ ex obuijs colorem ſimul & magnitudinẽ canis narrantibus ſciſcitan
do comperiſſent, auidius iam urgentes, prehenſum hominem à Crommyone uſq; reduxe
runt. Canis autem in reditu exultans geſtiensq; præuolabat, ueluti ſuam prædam captu-
ramq; ſacrilegum illum faceret. Ei ut alimentum publicè daretur, tum ut ſacerdotibus cu-
ra huius perpetua incumberet, Athenienſes ſciuerunt: uetus arbitror humanitatis in mu-
lum maiorum ſuorum exemplum ſecuti. Nam cùm ædem quæ in arce ſacra Mineruæ eſt
Pericles moliretur, & ſaxa plauſtris, ut fit, multis quotidie conueherentur, ex ijs mulis
qui hactenus quidem ſtrenuè laborarant, ſed ob ſenectam manumiſsi iam fuerant, unus
in Ceramicum quotidie deſcendere, plauſtris quæ ſaxa ſubuehebant obuiare, ſemper u-
nà redire, unà uelut hortator currere ſolebat. Hoc animalis ſtudium miratus populus,

C ali publicè ſic, quemadmodum annis defectum pugilem iuſsit. Eos igitur qui nullum no-
bis cum brutis iuſtitiæ cõmercium intercedere dicunt, rectè ſentire putandum eſt, ſi qui-
dem marina & quæ in profundo degunt reſpiciamus, quandò in his nullus omnino gra-
tiæ ſenſus eſt, amor nullus, nulla ingenij ſuauitas: rectéq; Homerus,

Glaucum te genuit mare,

de immanſueto & omnis ſocietatis experte dixit, quòd beneuolũ mitéue nil mare gignat.
De terreſtribus autem ſi quis idem ſtatuat, illum ipſum immitẽ ac ferum eſſe neceſſe eſt.
Aut dicat ille nobis, quæ Lyſimacho iuſtitiæ cum Hyrcano cane neceſsitudo fuit, quòd
illi extincto ſolus adhæſit, & capite huius in rogum tandẽ illato, ipſus ſeſe in ignem ultrò
præcipitauit? Quæ eadem, eodemq; modo feciſſe, quem Pyrrhus nõ rex ille, ſed priuatus
homo educarat, fama eſt, circum exanime heri corpus continuò hærentem, capulo quum
efferretur aſſultantem, poſtremò in pyram ſeſe abijcientem ac comburentem. Quid Poro
regi in illa aduerſus Alexandrum pugna ſaucio, nónne multa elephas ſpicula leniter ac ci-
tra dolorẽ promuſcide uulneribus extraxit? & cùm eſſet grauiter uulneratus ipſe quoq;,
non antè abiecit ſe tamen, quàm exanguem & nutabundum regem intelligeret: hic enim
ut ne durius ille caderet, ſenſim ſe humi prior demiſit, exhibens illi declinationẽ inoffen-
ſam. Bucephalus autem quantiſper nudus erat, conſcendendum ſe etiam equiſoni dabat:
ornatus uerò regijs iam aulæis collaribusq;, neminem admittebat, Alexandro tantũ ex-
cepto: cæteris periculũ facturis, aut alioqui propius accedentibus, ingenti hinnitu occur-
rere inſultareq;, ac niſi cederent fugáq; ſibi conſulerẽt, proterere ſolitus. Nec ignoro hanc
uobis exemplorum turbam uideri promiſcuam & confuſam: atqui ſic animantũ ſolertio-
rum opera ſunt, ut in uno unius tantum uirtutis ſignificationẽ comperire haud facilè poſ-
ſis. Verùm elucet ex prolis amore, ipſorũ etiam liberalitas: & ex generoſitate, ipſa ani-
mi ſapientia reſplendet: nec uſquam uafrities & circunſpectio, uel audacia uel fortitudi-
ne caret. Ac ut diuidere cupias ſingula, ſecerneréq;, clementis & excelſi ſimul ingenij ſi-
gnificationem canes præbent, ſtatim ut ſe demiſit is quem petunt, ardorem remittentes.
Notum illud eſt,

D Hi magno clangore ruunt, ſed cautus Vlyſſes
Humi decubuit, manibusq; abijcere ſceptrum.

Neq; enim qui humi ſe deijcit, ac egeni ſpeciem præfert, amplius inuadũt. Eum certè qui
inter Indicos primas tenebat, quiq; aduerſus Alexandrũ depugnarat, in harenam produ-
ctum, quantiſper ceruus aut aper urſuſ ue emitteretur, contemptim immotum iacuiſſe fe-
runt. Sed enim ubi leo conſpectus eſt, excitatum momento pedibus harenam ſparſiſſe, ue-
lut hunc antagoniſtam dignum ſe iudicaret, cęteros omnes deſpicaretur. Venatici quoq;
lépotem cùm inſequuntur, ſi quidem necarunt ipſi, diſcerpere & ſanguinẽ auidè lambere
gaudent: ſin, quod perſæpe fit, curſu confectum, ac ſpiritibus quantũ ſupererat, extrema
contentione conſumptis, exanimem aſſequunt, prorſus non attingunt: aſtant autẽ cauda
tantũ geſticulantes, quaſi non pulpæ, ſed uirtutis ergò certaſſe uideri uelint. Aſtus autẽ
documenta mirabilia cùm ſint, miſsis graculorũ, uulpium, luporum, gruumq; technis, no-
tis nimium, teſte rei ſapientũ illorum ueterum uetuſtiſsimo & ſapientiſsimo Thalete ute-
mur, quem quòd aſtu feras ſuperaſſet, haud minimũ admirationis conſecutũ eſſe ferunt.
Mulus quidam eorum de numero, quibus aduehendi ſalis negocium dabatur, traijciens
flumen lapſus eſt non ſpontè: ſale uerò liquefacto exhauſtoq; ſurgens expeditior iam, ſen-
ſit notauitq; cauſam: poſtea quoties flumen tranſiret, ex induſtria ſubmiſit merſitq; uaſa,
deſidens leniter, ac utrunq; in latus quantum id fieri poſſet nutans. Hæc ubi Thales acce-
pit, pro ſale, lana ſpongijsq; compleri uaſa, clitellas imponi, & agi mulum rurſus iuſsit: il-
le cùm de more ſe mergens, onus aqua ſubeunte uehemẽter grauaſſet, parum cõmodum
ſibi hunc dolum ratus, ita deinceps cautè ſcienterq; traijcere ſolitus eſt, ut nec inuito qui-
dem cõtingerent onus aquæ. Non diſsimile perdicum cõmentum eſt, in quo quidem pa-
trium illum interim amorem etiam animaduertas. Pullos quantiſper fugitare per ætatem
non licet, aſſuefaciũt, ut quoties uenator inſtet, ſupini ſternant ſeſe, gleba fæce ue corpori
ueluti integumento ſuperingeſtis: ipſę uenatorẽ alia abducunt interim: circumagũt enim
ſe, ac impeditè uolant, tantumq; non deficere curſu ſimulant, captarũ hoc pacto ſpeciem
tantiſper præbentes, dum procul à pullis hominem auellant. Lépores in cubile ſe receptu-
ri, catulos alium aliò transferunt, ſæpicule iugeri etiam interuallo diſsitos, ut ſi uel homo
uel canis ſubeat, idem omnes in periculũ ne uocenẽ: ipſi deinde impreſsis diſcurſu multi-
plici prius ueſtigijs, ſaltu poſtremò ingenti inde abripiunt ſeſe, atq; ſic cubant. Vrſus autẽ

A ueterno quem uocant appetente, priuſquã planè torpet grauiſq; & ſtupidus iacet, lo cum
repurgat antea, ac ſubiturus ſpecum, per reliqua quidem greſſu quantum id fieri poteſt ſu
ſpenſo maximè & leni, ſummis tantùm nixus ueſtigijs incedit, poſtremò per terga uoluta
tus promouet corpus, agitq; in luſtrum. Elephantorũ fœminę proxime uias, quò carniuo
ras crudelesq; beſtias minimũ accedere ſciunt, fœtus cumprimis ædunt. Mares autẽ, quo-
ties abdomine & corpulentia impeditos eſſe ſe uident, ſeceſsione cõſulunt ſibi, ac latitan-
do tuentur, quaſi fugiendo non poſsint. Quid erinaceorum in defendendis tuendiſq; ſe
dexteritas, nónne prouerbio locum fecit?

Scit uulpes multa, unum ſed magnum erinaceus:
Nam hac urgente (ſic ferunt) calyx uelut
Nucis pineæ, corpus ſpinas circumrotans,
Tutus iacet, nulla arte uulnerabilis.

Admirabilior eſt illa pro catulis ſolicitudo ac prouidẽtia. Vites ſubit uindemiæ tempore,
pedibusq; botrorum acinos in terram decutit: hos, iſtic circumuolutatus, excipit confixos
ſpinis. ac memini cùm iamolim nobis qui tum aderamus omnibus ſpectantibus, botri re-
ptantis ingredientisq; ſpeciem præberet, adeò ſe cumulauerat atq; oppleuerat uuis: mox
ut ſubiuit antrum, partim nunc quidem ex ſe decerpendũ, partim cõdendum catulis præ
bet. Cubile uerò meatus duos fauciũ inſtar habet, ad Boream alterum, alterũ ad Notum
conuerſos. hos prout cœli mutationẽ præſentiuere, qualiter uela nauium ſolent, uicibus
alterum in aduerſum uentum ſpectantẽ obſtruũt, alterum aperiunt. Atq; hoc Cyzicenus
quidam cùm animaduertiſſet, nomen ſibi ea ex re peperit, quaſi uentos prædicere ſydera-
li quadam ſcientia poſſet. Iam ſocietatis & cõmercij uim non abſque intellectus ſenſu ele-
phantos oſtendere, Iuba autor eſt. foſſa ducta, eaq; fruticibus paruis & humo leui obtecta
uenatores inſidias his ſtruunt: huc igitur quoties decidit aliquis, cæteri quicunq; comitan
tur congeſtam undiq; ſyluam ſaxaq; inijciunt, dum cauo foſſę expleto egreſſus captiuo de
tur. Idem, ſupplices dijs immortalib. eſſe tradit: quippe qui ſuapte ingenio & mari luſtren
tur, & ſurgentẽ ſolem adorent proni, promuſcide uelut manu in cœlum ſublata: unde cha
riſsimum dijs animal eſſe conſtat uel Ptolemæi Philopatoris teſtimonio. Is enim cùm ui-
B cto Antiocho ſacra dijs facere magnifica cuperet, ac inter cætera multa collatæ uictoriæ
pręmia etiam elephantos quatuor immolaſſet, nocte proxima inſomniũ habuit, quo mul
tis iratum propter abſurdæ uictimæ genus numen minabatẽ. Igitur expiatione ſedula pla-
cauit numen, & elephantos quatuor æreos in iugulatorũ locum erexit. Haud minus eſt &
leo ſocium animal. Graues annis & confecti iam in cõmunem à iuniorib. uenatũ ducunẽ,
ac ubi curſu deſpondêre animũ, ſedent, euentumq; pręſtolanẽ: iuuenes interea rem agunt:
mox ut ſucceſsit, clamore in uitulini mugitus formã cõtemperato, ſignum dant, uocantq;
ſenes: illi ſtatim ut ſenſere accurrunt, ac in cõmune præda fruuntur. Sunt ferarum amores
etiam, idq; plurimarũ, feri alij & rabidi, alij ornatu non admodum ab hominibus alieno,
nec conſuetudine à Venere aliena: qualis Alexandriæ Grammatici Ariſtophanis corriua
lis elephas fuit. Coronariam eandem uterq; deperibant, cùm elephas quidem Grammati
co haud ſegnius amorem ſtudiumq; declararet: poma forum tanſiens amicę adferre, iuxtà
diu aſsiſtere, cunctariq;, promuſcidem intra ueſtium ſinus inſerere, ac mamillarum decus
blandè palpare, contrectareq; ſolebat. Draco uerò cum Aetolam uirginẽ amaret, ad eam
noctu cõmeare, corpus leniter ſubire, mox complecti, iuxtáq; cubare, tum nullo prorſus
dato incõmodo, appetente iam luce, placidè diſcedere. Id quia ſæpe fecerat, puellam co-
gnati aliò tranſtulerunt. Ille ubi amicam, quam paſsim oberrando quæſierat, conſuetudi-
ne diei unius & alterius tantùm fraudatus reperit, non placidè ut antea, ſed iracundè ador
tus, nexibus reliquis manus & corpus nodabat, extrema cauda crura flagellabat, amato-
riam quandã indulgentemq; magis ꝙ uindicem iram declarans. Anſerem uerò & arietem
Aegyptios, quorum ille puerũ, hic citharistriã Glauciam deperibant, quoniam exempla
celeberrima ſunt, & uos ſaturos propémodũ narrationibus eſſe uideo, nunc quidem præ-
teribo. Sturni uerò, coruiq; & pſittaci, quoniã loqui diſcunt, & uocis ſpiritum tam ſequa-
cem, tam æmulum, penſandum formandumq; docentibus præbent, ea ipſa docilitate ad-
eſſe patrocinariq; cæteris animalib. uidentur, & tantum non uoce teſtari, etiam cęteris om
nibus proferendi ſermonis, & uocis articulandæ uim natura conceſſam. An uerò non ue-
hementer ridiculũ ſit, locum hac quidem in re cum his contendendi marinis relictum ul-
lum putare, quibus ne ad muſsitandũ quidẽ ſuppetiunt natura uocem? cùm in horum nati
uo, & quem nullo doctore didicere cõcentu, quanta facultas, quanta gratia ſit, poëtarum

C eruditiſsimi ſuauiſsimiq́; teſtantur, cantiones & carmina, ut quæque dulciſsima ſunt, non
aliȷs quàm luſciniarũ cygnorumq́; modulis comparantes. Ac quoniam in uniuerſum do-
cere quàm diſcere, rationi confinius, & maioris cuiuſdã facultatis eſt, etiam hoc poſſe ani-
malia, doctiſsimo uiro Ariſtoteli affirmanti credamus, luſciniam quę ad canendũ pullum
inſtitueret obſeruatam. Aſtipulatur certè ipſi, quòd inconcinnius canunt, quæcunq; par-
uæ adhuc canere exorſæ, maternum conuictum effugerunt: docentur enim quęcunq; de-
gunt unà, diſcuntq́;, non quæſtus laudiſue ſtudio, ſed quia modulari uolupe eſt, tum quia
magis elegantiam quàm uſum uocis amauere. Cuius quidem rei commemorare uobis,
quod è multis Græci Romaniq́; nominis hominibus accepi, ȷsq́; qui interfuere, memo-
rabile exemplum poſſum. Tonſor quidam officinam Romæ habens ex aduerſo templi
quod Forum græcum uocant, picam prodigioſe ſtreperam & loquacem, humana uerba,
ferarum ſonos reddere, inſtrumentorum omnium garritus & ſtrepitus effingere, idq́; nul
lo cogente, ſed ſponte ſua aſſuefacientem ſeſe, ac nihil indictum inimitatumq́; relinque-
re geſtientem, habebat. Accidit aũt ut hâc diues quiſpiam ingenti tibicinum ſtrepitu effer
retur: hi quia nobilitati fama erant, & canere iuſsi fuerant, moram iſtic fortè, ut fit, diutius
hominum ſtudiȷs ſe dando canendoq́; traxerũt: pica poſtridie muta elinguiſq; fuit, adeò,
ut nec quam inter quotidianas neceſsitates uocem ſolita fuerat, mitteret. Præbuit his qui
norant antea, ſilentium ſubitum admirationẽ ingentem, tum illis ipſis qui adire hæc loca
conſueuerant, muta ac perturbata omnia cernentibus, triſtitiã incuſsit. Venenum alȷ per
eiuſdem opificȷ homines datum, pleriq; tubarum uoce auditũ obſtupefactum, unaq́; uo-
cem extinctam ſuſpicabant̃. Sed neutrum fuit: apparabat quippe, omniq́; ingenȷ ſtudio
intrò reuocato, uocem ſic quemadmodũ organum aptabat inſtruebatq́;. Subitò enim re-
diȷt illuxitq́; ſpectatoribus ſuis, non conſueta illa ueteraq́; imitamenta, ſed tubarum can-
tum iȷſdem prorſus periodis ſonans, mutationes omnes inſuper, omnes numeros eodem
planè pacto ſeruans. Coniunctius itaq; quod dixi rationi, ſpontè quàm facilè diſcere, eſt.
quanquã unum hoc diſciplinæ docilitatiſq́; exemplum quod ipſe Romæ uidi, uereor ut
præterire queam. Canis mimo cuidam perſonã non unam repræſentanti, inter agendum
adhærẽs, cùm alios multos argumenti dramatiſq́; illius geſtus proprios ſcitè effinxit, tum
D pharmaci (quod ſoporiferũ fingebatur, ſed eſſe letale debuerat) experimentũ cùm in ip-
ſo caperetur, panem in quo mixtum ſcilicet erat pharmacum accepit, uoranſq́; paulò poſt
trementi nutabantiq́; & iam uix caput attollenti ſimilis, poſtremum porrectus uelut exani
mis iacebat, trahendũ auferendumq́; ſe ſic ut drama poſtulabat præbens. Vbi uerò ex his
quæ dicebantur fiebantq́; tempus eſſe animaduertit, primùm pauliſper cõmouit ſe, uelut
profundiſsimo ſomno expergefactus, deinde caput leuans ſuſpexit, poſtremùm miranti-
bus omnibus ſurgens ibat ad quem debebat, quemq́; requirebat drama lætus & geſtiens.
Ingenium igitur mortales omnes & Cæſar ipſe (aderat enim Veſpaſianus ſenior in Mar-
celli theatro tum) uehementer obſtupuere. Atqui ridiculi fortaſſe ſumus, qui animalia do
cilitatis ergò uehimus, quorũ nos ſummis in rebus Democritus eſſe diſcipulos oſtendit:
aranearum texendo ſarciendoq́;: hirundinum ædificando: ſuauium uerò illorum cygni lu
ſciniæq́;, modulando carmine & uoce fingẽda. Quid quòd ex unoquoq; trium medicinæ
generũ particulam hæc ſibi magnam quandã & præclaram uendicant? Non ſolùm enim
medicamentis utuntur, teſtudines origano: muſtela cùm ſerpentem glutiuit ruta inſuper
uorata: canes herba, choleram infeſtam trahente: draco illito marathro obductã caligan-
tibus oculis pelliculã tenuante perſcalpenteq́;: urſus poſt incubatũ diutinũ luſtrũ exiens,
ſylueſtri aro aluum conſtrictam hactenus acrimonia ſua ciente: idem cùm cœpit nauſea
myrmeciam adiens, aſsidenſq́; linguam humore dulci fluentẽ exertam leuiter tandiu te-
net, dum ſcatêre formicis uideat, eas deglutit poſtea, uehementerq́; iuuatur. Sublutionem
alui uerò qua ibis utitur, ſalſuginem ſcilicet adhibens, aduertiſſe & imitati poſtea Aegy-
ptȷ dicuntur. Sacerdotes certè nulla iſtic aqua luſtrant̃, quàm unde hauſerit ibis: quia me
dicatam aut alioqui inſalubrem hæc auis non attingat. Hoc inquam medendi genere ani
malia nõ ſolo utuntur, quando quidẽ & cibi ſe moderatu pleraq; curant. Leones, lupi, car
nibus farti nimium, abſtinẽt, cubandoq́; tantiſper ſe fouent dum percoquant. Tigrim igi-
tur narrant quo tempore diætam certam pręſtituerat, obiecto hœdo biduum totum abſti
nuiſſe: tertio die eſurientem poſtulauiſſe aliud, felemq́; datum diſcerpſiſſe, cùm hœdo ceu
domeſtico iam & familiari parceret. Iam chirurgicen elephantos callere certò tradit̃: quip
pe ſpicula haſtaſq́; & tela uulneratorũ corporibus adſtantes extrahunt, idq́; citra conuul-
ſionem & damnum. Creticæ uerò capræ paſtu dictami telis eiectis, nónne grauidis eȷ-
ciendi

A ciendi partus oſtendêre uiam? Huc properare uulneratas ſolùm uideas, dictamum quæ-
rere, dictamum ſequi. Minus iſta miranda uideantur, ſint licet miranda maximè, ſi tribu-
tam animantum generi ratiocinandi uim, numeriq́; notitiam inditam cogitemus, quales
iſti Suſis ſunt boues. Hortos hi regios uerſatili machina, & modiolis hauſtorijs numero
certis rigant: centenos modiolos in dies ſingulos ſinguli boum ducunt. plus non auferes,
ne ſi adigere quidē aggrediare. ac ſæpe cùm experimenti gratia imperatū fuiſſet amplius,
ſubſiſtere, ac ſoluto penſo non progredi, compertum eſſe Gnidius Cteſias ſcriptum reli-
quit. Afri uerò Aegyptios ob hoc quidem rident, quòd Origem, quo die momentoq́; ſy-
dus quod ipſi Soten, nos Sirium ſeu Canem uocamus, oritur, uocem ædere fabulentur.
ipſorum quippe capras, quoties cum ſole, eodē planè loco ſtella hæc oritur, in ortum om-
nes conuerſas eô reſpicere: atq; hoc ſyderis eius reuolutionū argumentū certiſsimū eſſe,
cumq́; decretis aſtronomicis prorſus cōgruere. Vt porrò ſibi imponat finem iam aliquan
do oratio, deſinatq́;, agè ad iſtuc ſacræ anchoræ præſidiū ſummū uenientes, de diuinatio-
ne uatidicaq́; animantū ui pauca dicamus. Neq; enim parua ignobiliſue, ſed ingēs ac per-
uetuſta diuinandi pars auguriū eſt. Illa quippe naturæ uolucrū celeritas, & ingenij prom-
ptitudo, tum repentina cōuerſio ad incidentē quamlibet phantaſiā expedita, utendam ſe
dijs uelut organum, & in motus, uoces, ſonos, habitus quoſcunq; flectendā præbens, ſeu
remorari ſeu promouere quicq; opus eſt, negocia & conatus hominū, ſicut uentus naui-
gia, nunc quidem interpellat, nunc accelerat, & ad finem perducit. Itaq; in uniuerſum om
nes quidem aues deorum caduceatores Euripides, cygnorum uerò priuatum conſeruū ſe
Socrates uocabat, quemadmodū & reges etiam, Pyrrhus quidē aquila, Antiochus autem
accipiter appellari gaudebat. Piſces uerò, ſtupidos & indoctos homines conuicio ſcōma-
teq́; uocare ſolemus. Cumq́; decem millia myriadum ſint, quæ per animalia & uolucres di
uinitus homini nunciantur, ne unum quidē eſt quod exhibere patronus ille maris poſsit.
muta ſunt omnia, & prouidentiæ totius cæca, in impium & titanicum locum uelut ſacrile
gorum conciliabulū abiecta & damnata, in quo omnis animi ratio & cogitandi uis extin
cta, ſenſus tantùm uix parua quædā ſcintilla mixta fluctuat, palpitantibusq́; quàm uiuen-
tibus ſimiliora uidemus. HERACL. Erige ſuperciliū Phædime, & ad pugnam te no- *Pro aquaticis.*
B bis inſularibus maritimisq; compararo: nihil hic ludicrum eſt, ſed certamen ualidum con-
tentioq́;, ſubſellijs adhuc & tribunali ni fallor dirimenda. PHAED. Patent equidem
inſidiæ Heracleon, ſimul & dolus. heſternum adhuc ructantes, merſosq́; potu, ſobrius ut
uides, egregius ille ex inſidijs nos adoritur. ac tergiuerſari quidem animus nō eſt: non pa-
tiar enim admirator Pindari qui fui ſemper, ut iſtuc in me uatis eius meritò quadret:

Oblato qui moram nectit certamine,
Profundas deijcit uirtutem in tenebras.

Ocij ſiquidem abundè nobis eſt, ceſſantibus non horis, ſed canibus, equis, retibus, & om-
ni uerriculi genere, tum inducijs hodie uniuerſæ terreſtrium marinorumq́; animaliū genti
per hoſce ſermones cōceſsis. Animo uerò ſecuro uos eſſe iubeo: utar enim ocio modeſtè,
non philoſophorū opiniones, non Aegyptiorū fabulas, non incertas Indorum Afrorū ue
hiſtorias, ſed quæ ipſos qui mare colunt, teſtes habent, quæq́; conſpecta, fidem ipſis ubiq;
faciunt oculis, ex infinitis paucula producturus. Tamerſi quæ terreſtriū animaliū exem-
pla ſunt, obſcurū nihil habent, ut quæ ipſis ſenſibus, aperiantur modò, ſpontè ſe ingerant:
aquatica uerò paucula cerni, atq; id ægrè permittit mare. fœtus autem & educationes, bel
la & pacem, quibus utuntur inuicem, plerorunq; prorſus abdit etiam. Vnde cùm in obſcu
ro poſita permulta intelligentiæ memoriæq́; & humanitatis piſcium argumenta ſint, faci-
lè uidere eſt his noſtris partibus quantū incōmodetur. Deinde terreſtria illa, quia cum ho
mine ueluti tribus gentisq; eiuſdem degunt, moribus humanis prorſus concolorant̄, ac
non ſolùm educationis & diſciplinę, ſed imitationis etiā beneficiū ſentiunt, quo quicquid
auſterum & tetricum eſt, ſic quemadmodū aquę fluuiatilis cōmercio mare, miteſcit: quic-
quid incōpoſitū & ignauū, dexteritate hominū excuſſum ſuſcitat̄. Marinorū uerò uita im
menſo interuallo hominū cōſortio excluſa, peregrinumq́; nihil, nihil adulterinū habens,
ſua quædā & germana ac ueluti indigena & impromiſcua eſt, idq; adeò loci magis quàm
naturæ ratione. Nam ipſa quidem natura quantū ex ſeſe conſequi diſcendo poteſt, totum
colligens cohibensq́;, ſæpe quidem anguillas (ſacras uocant) cicures ædit, quales Arethu
ſam habere conſtat: ſæpe uerò piſces cæteros, idq; multis in locis, indito nomine, dicto
audientes: qualem & Craſsi murænam fuiſſe ſcribunt, cuius ille mortem luxiſſe fertur: &
cùm obijceret Domitius, an tu murænā luxiſti? retorſiſſe, an tu uxores tres cùm extuleris,

C unquam lachrymaſti? Crocodili uerò ſacerdotũ ſe clamantũ nõ ſolum uocem agnoſcunt, contrectariq́ſ ſuſtinent, ſed aperto rictu purgandos manibus dentes & linteolo detergendos præbent. Et Philinus optimus uir Aegypto ubi peregrinatus eſt reuerſus nuper, apud nos narrabat, in urbe Antæi anum uidiſſe ſe in eodem cum crocodilo grabato molliſsimo cubantem, cùm huic ſe eleganter ille applicaret. Tradunt etiam, Ptolemęo iam olim regi, cùm crocodilum ſacrum fruſtra diu, ſacerdotibus nequicq̃ ſcilicet clamantibus hortantibusq́ uocaſſet, obitum, qui haud ita multò pòſt inſecutus eſt, portendi uiſum. Vnde precioſæ illius diuinationis expers immunéue genus aquaticum non eſſe, ſatis liquet. Quandoquidẽ & iuxta Suram uillam Lyciæ, inter Phellum & Myros ſitam, ſic è piſcibus auguria arte quadam captari uideo, quemadmodũ ex auibus alibi, dum linguæ uoces, dum fugas, dum bella eorum ſpeculantur & obſeruant. Ac eſſe quidem non aliena à nobis aquatica, aut nihil ſortem noſtram prorſus miſerantia, ſatis hæc arbitror declarant. Induſtrię uerò genuinæ illius meræq́ & impermixtę argumentũ ingens eſt, quod uulgò mortales omnes uſu compertum tenemus. Neq; enim natatilium quicquã, ſolis quæ affixa petris hærent exceptis, aut manu prehendi, aut ſine negocio circũueniri ſuſtinet, quo modo lupis aſini, meropibus apes, hirundinibus cicadæ, ſerpentes ceruis perſæpe capiuntur. Hinc enim ἐλάφους græcè nomen eſt, haud à celeritate, quod putant quidam, ſed ſerpentis tractione ſorptioneq́ ductum. Ouis etiam pedis grauiore ſonitu lupum ſtulta uocat. Ad pardum pleraq; uel ſponte adcurrere, odore allecta, ſimiam cum primis, narrant. At enim marinorum in uniuerſum omnium, nullum, propter ingenij ſagacitatem & ſuſpicacem circumſpectamq́ aduerſus inſidias pręſenſionẽ, capi uulgari negligentiue uenandi opera poſſe, ſed inſtrumentis omnigenis, & in his ipſis dolo uafricieq́ certa opus eſſe, declarant quæ quotidie uidemus. Nam & piſcatoriam harundinem craſſam eſſe non patiuntur, tametſi forti contra captorum reſultus opus eſt: ſed tenuem magis probant, ne iactæ umbræ latitudine animal alioqui ſuſpicax abſterreatur. Et funiculum ipſum nodorum uinculis nec multiplicibus nec aſperis faciunt, quandò & hinc dolum coniectãt. Setis deniq; ad hamum appoſitis, albicantibusq; maximè, & maris aquam colore proximè ſimulantibus, hocq; magis fallentibus, ex induſtria utuntur. Id uerò quod poëta dicit,

D Hæc ſeſe plumbo ſimilis demerſit in altum,
Quale per agreſtis tranſmiſſum cornua tauri,
Piſcibus exitium portat clademq́ futuram,

haud rectè intelligunt quidã, ſetis bubulis ueteres ad hami funiculos uſos eſſe putantes: κέρας enim, quod Gręcis cornu eſt, etiã ſetam ſignificare, atq; κάρσαι & κουρὰν tondere & tonſionem, & apud Archilochũ κεροπλάστην cõcinnandæ comæ ſtudioſum, & quaſi fictorẽ inſtitoremq́ formæ dictum. Eſt aũt nõ uerum: equinis enim ſetis utebant̃, atq; ijs maſculorũ tantùm: nam ſuas equæ lotio ſemper irriguas, exiles nimis & imbecilles reddunt. Ariſtoteles etiam nihil hîc nouũ exquiſitúmue poëtam ſignificaſſe dicit, ſed ita ſolitos, cornu proxime hamum funiculũ circundare, ne ſorpto hamo dentibus piſcium præcideretur. Curuis autem hamis ad mugiles amiasq́ utuntur ideo, quoniam os illis anguſtius eſt, tum quia rectos uitant. Quanquã curuos etiam perſępe mugil ſuſpectos habens circumnatat diu, cauda ab omni prius parte percellens eſcam, ac tantùm quod reuulſit glutiens: quod quidem niſi ſucceſsit, ore in anguſtum collecto contractoq́, ſummis tantùm labris ac uellicatim ſtringit eſcam. Labrax uerò animoſius etiam quàm elephas ipſe, quoties incurrit hamum, nõ alteri, quod ille, ſed ipſus ſibi telum extrahit: huc enim illucq́ iactando caput, uulnus primùm patefacit, deinde laniatus dolorem ſuſtinet tantiſper, dum conuellat hamum. Vulpes autem ad hamum quidem temerè haud accedit, callida uitans dolum: capta uerò euertitur ſubitò. poteſt enim ob natiuam corporis agilitatem mollitiemq́ mutare & inuertere ſeſe. ergo poſtquam interna extra uerſa ſunt, hamus ultrò decidit. Hæc liquidè piſcium cùm prouidentiã inſignem, tum eiuſdem, quoties oblata gerendæ rei occaſio eſt, uſum callidum & exquiſitum docent. Sunt alia, in quibus coniunctum iſti perſpicaciæ ſocietatis ſtudium uidere eſt, cuiuſmodi anthiæ ſunt & ſcari. Scarus ubi glutiuit hamum, cæteri qui tum adſunt approperant, funiculum abrodunt. Iidem ſi quis in naſſam aberrauit fortè, caudam intrò porrigũt, & hunc mordicus inhærentẽ foras extrahunt, atq; ad ſe reducunt. Violentius anthiæ ſuccurrunt contribuli, reiectum in tergum funiculũ ſurrectis aculeis reſecare, ſpinæq́ aſperitate cõſcindere ſoliti. Atqui quod periclitanti alteri ſuccurrere adeſſéue ſuſtineat, terreſtre ſcimus nullum, non urſum, non aprum, non leænam, non pardum. In unum quidem quæ generis eiuſdem ſunt, in theatris coëunt, & inter ſe diſcur-

A ſe diſcurrunt, alterum uerò alteri opitulari nec nouit nec cogitat, fugiunt reſiliuntq́; & ab
eo quod uulneratũ concidit moriturue, quam longiſsimè diſcedunt. Nam illa de elephan
tis bone uir hiſtoria in foſſam congerentibus, ac delapſum aceruato ſyluæ tumulo eruenti
bus, abſurda prorſus & aliena eſt, quaſi edicto quodam regio librorum Iubæ credi ſibi
poſtulans. Quæ tamen ut uera ſit, marinorũ certè pleraq; docent, nec perſpicacia nec ſo
cietatis fide terreſtrium omnium ſapientiſsimo quicquam ſe cedere. Ac de ſocietate qui
dem mox locus erit ſuus. Piſcatores uerò poſtquam harundinem hamiq; iactum, piſcium
uelut ſtratagematis crebrò ludificari uidiſſent, ad inferendam uim conuerſi, ſagenis, ſicut
in capiendis Græcis Medi, cœperunt uti, quaſi fugam nulla nec ratio nec induſtria irreti
tis ſemel expedire poſſet. Equidem uerriculis & plagulis mugiles iuliæq; capiuntur, tum
mormuræ & ſargi, gobij item & lupi. lactarij uerò, quos uocant, miluus, chryſus, ſcorpio,
cùm ſagenis tum reticulo trahuntur illaqueati. Retium porrò genus uniuerſum πανάγρην,
hoc eſt, tutum nihil relinquens, ſed omnia circumueniens capienſq;, rectè Homerus uo
cat. Verumenimuero etiam hæc contra aſtus galeis lupiſq; inuenti. Lupus rete iam tra
hi ſentiens, ſolum interea magna ui ruendo diuidendoq́; cauat, ac ubi latibulum aduerſus
inſultus cõmuniuit, inijcit abditq; ſe, & hîc tantiſper hæret, dum rete præteruehatur. Del
phinus autem comprehenſus, ac intra plagas eſſe uidens, æquo animo fert, nec ſe contur
bat quicquam, quinetiam gaudet, in iſta larga piſcium copia magnificè ſcilicet ſine nego
cio conuiuaturus. ubi ad littus porrò iam uentum eſt, eroſo perruptoq́; reti auolat. quòd
ſi fuga quidem euadere primùm capto non datur, periculi tamen nihil eſt: iunco quippe
circa collum tranſmiſſo ſignant, dimittuntq́; rurſus: deprehenſum poſtea uerberibus futu
ræ cicatricibus agnitum caſtigant: quod quidem perrarò accidit. Nam uenia data, uitaq́;
ſemel reſtituta, pleriq; omnes in poſterũ continent ſe, ac ab iniuria faceſſunt. Cùm ſint au
tem id genus cautionũ, circumſpectionũ, euaſionumq́; exempla mille, hoc unum ſepiæ
præterire nullo pacto poſſum: ueſiculam hæc (ſic nominatur) collo dependentẽ habet a
tro liquore (atramentum uocant) plenam: hunc capta mittit, obſcuratis circùm maribus,
& tenebris inlatitare fugereq́; uenantis aciem ſtruens: Homericos planè deos imitata, qui
bus atra ſubinde nubecula hi, quos ſeruatos uolunt, belli diſcrimini ſubducunt ſuffuran
B turq́;. Sed iſta ſatis. Prædandi uerò inſidiaſq́; ſtruẽdi uis quanta cõceſſa marinis ſit, æſtima
re calliditate plerorunq; licet. Stella, quoniam quæcunq; tetigit ſolui liquefieriq; omnia
certum eſt, accedentibus propinquantibuſq́; ultrò ſe contrectandam tuta præbet. Torpe
do uerò quam uim habeat, nemo neſcit: nempe qua non ſolùm tangentes alligat, ſed per
ipſum etiam rete, obtorpefacientẽ grauedinem piſcatorũ manibus inducit. ac narrant qui
dam periclitati ſępe, ſi quis cùm uiua elabitur supernè interea manibus agitet aquam, uim
ad manus accurrentẽ, & tactũ obſtupefacientẽ penetrare, aqua prius omni, ut uidetur, mu
tata infectaq;. Hanc igitur uim ſuam quoniã exploratã habet, certamen quidem apertum
cum nullo ſuſcipit, nec periculũ adit: id uerò quod ipſa uenari cupit circumiens, & tanquã
ſpicula uim iſtam ſuam tacitè interim mittens, primũ aquas, mox ipſum per aquas animal
inficit, ſic ut iam nec tueri ſe nec fugere poſsit, ceu uinculis conſtrictũ, alligatumq́;. Is uerò
quem ex re nomine facto Piſcatorẽ uocant, notus multis eſt: hunc eodem cum ſepia com
mento uti ſolere, ſcriptum Ariſtoteles quoq; reliquit. Cirrum à collo dependentẽ habet,
extendi quoties remiſit, & in ſe rurſum concurrere cùm recepit, momento ſolitum. hunc
inſtar hami promittit, & piſciculis minutioribus ubi circumuolitant uellicandũ præbet:
paulatim deinde & leniter reuocat ad ſe, tantiſper adducens, dum ore iam conſequi piſci
culos poſsit. Iam quòd polypi tam uariè ſe pingunt, etiam Pindarus celebrat:

A equorei aduerte ante omnia mentem
Pelliculæ polypi, ſic urbes omnes adi,

Et Theognis ſimiliter:

Diuerſam (inquit) polypus multicolor obtine mentem,
Et petram ſimili quanq; colore refer.

Chamæleon enim non qui quicquam ſtruere latitareúe inſtituat, ſed metu colorem mu
tat, meticuloſum natura animal & trepidum: accedit etiam ſpiritus copia, uelut Theophra
ſtus ſcribit: quoniam parum abſit quin corpus totum pulmo expleat: unde & ſpiritus in
ipſo copiam, ideoq́; mutationibus perquàm obnoxium eſſe conijcit. Iſthæc uerò polypi
mutatio, non affectionis uis eſt: ex induſtria nempe ſeſe transformat, hac ſutela infeſta
fallere, prædam in poteſtatem redigere ſolitus: hoc enim pacto & non cauentibus obre
pit, & dolum ſtruentibus fucum facit, Ipſum brachia ſua rodere falſum: à murænis autem

C & congro metuere,uerum: quippe qui ab his infeſtetur,quas ipſe tamen non poſsit,lubri
citate ſua continuò elabentes. Carabus contrà, eaſdem intra brachiorũ complexũ nactus
conficit quidem,nil læuore aduerſus aſperitatem proficiente: ipſe uerò intra polypi aceta
bula compulſus,perit. Hunc ſeſe perſequendi fugiendiq́ circuitũ ac uices, marinimæ ſaga
citatis ac ſolertiæ meditationẽ & exercitamentum piſcibus natura dedit. Sed erinacei ter-
reſtris uentorũ præſenſionẽ neſcio quam iactat Ariſtotimus, ac gruũ uolatus in cuneum
diſpoſitos miratur. Ego uerò erinaceum Cizycenũ Byſantinu'mue nullum, ſed marinos
exhibebo ſimul omnes. Hi quoties æſtum procellasq́ præſenſere,ſaburra grauant ſeſe,ne
propter leuitatem iactentur, neúe tempeſtate iam ingruente auferantur, ſed petris firmè
inhæreant. Illa uerò gruũ ad uentum aciei cõmutatio,non unius, ſed uniuerſi marini mi ge
neris eſt: ſiquidem & æſtum fluctusq́ cõtra natando niti, & eadem de cauſa aquaticis om
nibus mos eſt: cauent quippe ne uentus à tergo incumbens,ſquamas ſurrigat cieatq́,atq;
ita nudatũ & exaſperatũ corpus uulneret: unde in uentum,obnixiq́ fluctibus,curſum di-
rigunt: ſic enim à uertice ſciſsi fluctus, & branchias cohibent, & per ſumma delati minus
infeſtant, & horrorẽ non incutiunt. Hoc igitur, quemadmodũ dixi, cõmune piſcium om-
nium eſt,accipenſere tantùm excepto: ſecundùm uentos & fluctus meat hic,ſquamæ uul-
ſionem nihil ueritus, ut quarũ cõmiſſuras ad os uerſas habet. Quid quod thynnus æqui-
noctia ſentit & ſolſtitia, hominemq́ docet, aſtrologicis obſeruationibus nihil opus eſſe?
Nam ubicunq; hybernũ occupauit ſolſtitium,iſthic hæret intrepidus,ad æquinoctiũ uſq;
eodem in loco durans. Verumenimuero hoc callidum illud eſt, quòd lapillum grus tenet,
cuius lapſu expergiſcatur: at quantò eſt obſecro delphini callidum hoc magis,cui quia ſta
re,aut nunquam ab agitatione feriato eſſe fas non eſt(perennis quippe mobilitas ineſt,ac
uitæ motusq́ finis idem)ubi ſomno opus habet,in ſummas aquas ſubleuatum corpus,ſu-
pinum per profunda altitudinis eius demittit,æſtu quodam delatus,tantiſper dum in ua-
dum impingat, ſolũq́ ſentiat: hîc excuſſo ſomno, ronchoq́ ædito ad ſummũ rurſus meat,
rurſusq́ demittitur, ac pronus fertur, motu quodã mirabiliter cõpoſito quietem captans.
Idem facere thynnus, ac eadem etiam de cauſa fertur. Ac quia mathematicam conuerſio-
num ſolis præſcientiam peregimus, cui ipſus etiam Ariſtoteles ſuffragatur, arithmeticen
D nunc, imò uerò hercle ipſam prius opticen uideamus, quam nec Aeſchylum piſcibus ne-
gaſſe putem. Sic enim inquit:

Huc læuum oculum thynni ritu admoue.

altero ſiquidem obtuſe cernunt. Hinc eſt, quòd cum Pontũ dextrorſus ſubeant, ſiniſtror-
ſus egrediantur: ſcitè & proſpicienter admodum ſalutem ſuam oculo perſpicaciori cre-
dentes. Arithmeticen porrò, quia ad mutuam ſociamq́ maximè, ut uidetur, dilectionẽ &
congreſſum numeris opus eſt, ijdem ad ſummũ excolunt, adeò, ut quoniam conuiuere &
gregatim ire geſtiunt, phalangẽ totam figura cubica diſponant, ſolidum ex omnibus ſex
lateribus circundantes,ac ita quadrato quidẽ agmine, ſed ancipiti fronte progredientes.
Explorator ergo latus unum ſi numeret probè, de uniuerſa multitudine iudicare momen
to poſsit: quoniã profunditatẽ agminis longitudini latitudiniq́ pari ſerie reſpondere con
ſtat. Hamijs ipſa nomen congregatio dedit, quemadmodũ & pelamidibus, ut uidetur. Cę
terorum generũ quæcunq; in cõmune gregatimq́ inter ſe uiuunt, numerũ recenſere haud
facilè ſit: igiť ad conuictus & conſortia quorundã ſeorſim ſaltẽ ueniamus. Quo quidẽ de
numero cũprimis eſt is, quo deſcribendo atramenti plurimũ Chryſippus cõſumpſit, pin-
notheras, primas in omnibus huius & phyſicis & moralibus libris habens. Nam ſpongio
theram nõ nouit, alioqui haud taciturus. Pinnotheras igiť cancrorũ de genere eſt, pinnæ
ſemper adhærens, ac ad conchã huius atrienſis inſtar excubans. hiare quippe pandiq́ tan
tiſper ſinit, dum piſciculi quos capi poſſe ſperet, irrepſerint: ibi pinnæ carnẽ uellicatu leni
ſtringit, ac intra fauces ipſius proripit ſeſe: illa mox conchã cõprimit, prędam poſtea intra
clauſtra captiuã in cõmune partiunť & uorant. Spongiã uerò nõ cancer, ſed araneę ſimile
animalculum identidẽ moderať. Neq; enim inanimis eſt, ſenſúue aut ſanguine caret ſpon
gia, ſed petris ſic ut alia multa adfixa, motum quo nunc exporrigitur, nunc contrahitur, pe
culiarem quendã habet, ductu tantùm admonitúq́ egens alieno. Igitur cùm ſit ſpiſſa mi-
nus, mollis uerò & alioqui per ignauiã & hebetudinẽ laxamentis dedita, quoties edibile
aliquid per inania ſubiuit, illo ſignificante contrahit ſe, & quod eſt ingreſſum capit: cum-
primis uulſore propinquante tangentéue, à ſpongiothere monita ac perſtricta uelut in-
horreſcit, tum corpus figẽs ſtipansq́ adeò coartat, ut longè uulſu ſit difficillima. Purpuræ
uerò publicitus congregatæ fauum ſic ut apes conſtruunt, in quo etiã párere dicunť. cibo,

A qui alga & muſcus eſt, quantũcunq; coëgerunt, concha deprompto excipiunt ſeſe, ac con
uiuia uelut per circulũ agitant, altera alterã foris ſic depaſcente. Quanq; harũ ſocietatẽ &
in amicitia fidem quis miretur, poſtq; ab omni maximè cõmercio abhorrens, marinorũ flu
uiatilium lacuſtriumq́; omnium maximè ferus crocodilus, ultrò ſe tam miranda cum gra-
tia trochili cõgreſsibus præbet? Auicula trochilus eſt circum paludibus & fluuijs uicinos
locos agitans, crocodili ſatelles paraſitusq;, non domi, ſed reliquijs huius uictitare ſueta.
Hęc ubi ſtertenti crocodilo ab Ichneumone luto in hoc ſe pugilis inſtar armante, parari in
ſidias animaduertit, aduolat, ſomnũ diſcutit, uoce partim, partim uellicatu roſtri. Hoc ille
officio ſic demulceť: patefacto deinde rictu intra fauces admittit, titillari & inter ſepta den
tium carnes roſtro leniter excerpi mirificè gaudens: cuius uoluptatis cùm ſatur eſt, ac os
colligere iam & rictum claudere parat, inclinata paulũ ſuperiore mandibula præmonet,
totam uerò non antè demittit, q; euolare trochilo quoq; collubitũ uideatur. Is uerò quem
gubernatorem uocant, magnitudine formaq́; gobij piſciculus, foris quidem auium, cùm
horruere, propter aſperitatem ſquamæ ſimilis, grandiorũ balenarum cuipiam ſemper hæ-
ret, præitq́; curſum dirigens, ne uel in breuia cœnumue impingat, uel in anguſtias ſeſe pe-
netret, unde exitus non detur. Hunc balena ueluti temonem nauis ſequitur, duciq́; ſe fert
haud inuita: ac cæterorũ quidem quicquid intra barathrũ belluæ uenit, ſeu ſcapha, ſeu ſa-
xum, peſſum it ſtatim, peritq́;, in alui profunda merſum: hunc autẽ agnitum, ore uelut an-
choram recipit, dormit unà, quieſcente quieſcit, progrediente progreditur, haud uſquam
diu noctúue deſtituens: hoc niſi facit, errare impingereq́; certum eſt. periere multæ, dum
uelut gubernatore carens nauigiũ, delatæ ad terram ſunt, quod ipſi quoq; circa Anticyrã
uidimus. ac prius etiã multò, haud ita procul à Bunis balena eiecta & putreſcente, peſtem
inuaſiſſe narrant. Huic tam arctæ marinorũ inter ſe coniunctioni ac conuictui quid obſe-
ro cõparemus? Serpenti cum uulpe conuenire Ariſtoteles etiam tradit, ſcio: ſed idcirco,
quia cõmunis aquila hoſtis ſit. equo ſimiliter & aſioni, nempe hæc illius ſtercus aduolans
aſsiduè uertit. Ego uerò nec apibus nec formicis ipſis intercedere tantum inter ſe ſtudij
dico: rempublicã cuncti cunctæq; curant quidem, ſed alter pro altero ſolicitus nemo eſt,
de ſalute alterius inquirit nemo: quod quidem diſcrimen rectius perſpicietur, ſi antiquiſ-
B ſima maximaq́; ſocietatis & cõmercij munia, ortum & procreationẽ dico, perpendamus.
Primùm omnium, quicunq; uel lacubus attigua, uel fluuios excipienna colunt maria pi-
ſces, ubi fœturæ tempus appetit, flumina ſecuti, manſuetiſsimas, minimũq; ſalſuginis ha-
bentes aquas ex induſtria petunt: ſeu quòd iſta tranquillitas commoda partubus eſt, ſeu
quòd minus ſunt lacus & flumina belluis infeſta, rectiusq́; curanť fœtus. Igitur pleraq; in
Euxino præcipuè pariunt: nam & balenas non nutrit, ſed aut uitulos graciles, aut delphi
nos perexiguos, & fluminum maximorũ, hunc ſubeuntium admixtio, clemens grauidis,
utileq; maximè aquarum temperamentũ præbet. Cumprimis uerò mirandus anthias eſt,
quem ſacrum piſcem Homerus uocat: tametſi magnum quidam ſacrum intelligunt, quo-
modo os ſacrum magnum, & comitialem morbum magnum ſcilicet, ſacrum uocant. qui-
dam uerò communi ratione, quòd liber ſit, & ab omnibus dimittatur, dictum ſacrum pu-
tant. Eratoſtenes auratam uidetur,

Pernicemq́;, ſupercilioq; flauente, ſacrumq́;,

dicere. multi acipenſerem: nam & hic ratus eſt, & ægrè capitur, conſpicitur autem circa
Pamphyliã ſæpe. Anthiam igitur ſi quando piſcatores deprehenderint, lætantur quidem
ipſi, coronant autẽ nauiculas, & cum plauſu ac ſtrepitu illos applicantes excipiunt ac co-
lunt. Pleriq; uerò ſacrum anthiam eſſe diciq́; idcirco uolunt, quia quo loci eſt, bellua nulla
cõpareat, tutoq́; ſpongiatores urinentur, ac piſces ipſi tuti pariant, hanc immunitatis ceu
fideiuſsionem nacti. Cauſam difficile colligere eſt: ſeu horrẽt anthiam belluæ, qualiter ele
phantes ſuem, gallum leones: ſeu loca nõ infeſta prudens & memoria præditum animal-
culum agnita notat, aditq́; tantùm. Quanq; matribus omnibus cõmunis fortaſſe ex ſe ge-
nitorum cura eſt: mares autẽ, non (quod hîc impingit) prolem ipſi perdunt ſuam, ſed cum
fœtibus conuerſanť etiam, & oua, quod Ariſtoteles quoq; docet, aſſeruãt. Sunt uerò qui
& conſectanť fœminas, & oua genitali ſemine conſpergunt: quandò aliter uix quicquam
naſcatur eximium, ſed quod natum ſit, inabſolutũ maneat, incrementũq́; ſolitum non at-
tingat. Peculiariter phycæ alga uelut nido conſtructa fœtum circundant, ac contra tempe
ſtates tuentur. At galei paterna quadã indulgentia nulli animaliũ uel ſuauitatis, uel boni-
tatis ſummę palma cedunt: oua primùm, mox animal, non foris, ut cætera, ſed in ſeipſis æ-
dunt, tum educant geſtantq; ceu partu ſecũdo quodã: ac ubi iam adoleuere, foris emittũt:

C ludere & natare circum ſe docent: mox in ſe rurſum per os recipiunt: inhabitandum, inco
lendumq́; corpus præbent: locum, cibum, refugium, tantiſper dum ipſis ex ſeſe pręſidium
certum ſit, ſuppeditantes. Miranda uerò & teſtudinis eſt in educandis tuendisq́; liberis
cura: parit egreſſa mari haud procul: incubare uerò & in continenti degere quia diutius
non eſt, ſabulo primùm deponit oua, mox harena tenuiſsima molliſsimaq́; obruit, ac ubi
iam contumulauit probè, pedibus, ut alĳ putant, inſculpit ſignatq́; locum, cognobilē ſibi
reddens: ut alĳ, ab ipſo reſupinata marito fœmina, teſtę proprię charactērē ſphragidemq́;
inſcribit. iam quod longè mirabilius eſt, præſtituto die quadrageſimo (nam hoc interual-
lum ad maturitatē oua perducendi iuſtum eſt) redit, ac ſuum quæq; theſaurum agnitum,
longè quàm illos auri argentíue loculos homines, alacrius lætiusq́; recludit. Crocodilorū
autem cætera quidē finitima ſunt: locum uerò quem excubatui deſignat, quibuſnam con
ĳciat modis, ratiocinio humano nullo deprehendi poteſt: unde nec humanæ, ſed fatidicæ
cuiuſdam facultatis illam beſtiæ prænotionē eſſe putant. Nec altius enim nec inferius, ſed
eo pręſertim loco ponit oua, quo ſummo Nilus auctu, eo quidem anno terram abluturus
cōditurusq́; peruadet. Itaq; qui ruſticus prior incidit, locum notat, ac ſummū cæteris nun
ciat fluminis incrementum. Adeò uerò locum cōmetitur, ut eo aquis operto, non opertùs
ipſe incubet. Excluſis autē pulliculis, quiſquis emergit protinus, nihil autē arripit eorum
quæ fortè occurrerūt, ac neq; uel muſcam, uel culicem, aut ſeriphon, uel terræ inteſtinum,
uel feſtucā uel herbulam populatur, ore laniens, eum morſu mater repentè necat: feroces
contrà ac ſtrenuos amat colitq́;, iudicio, quod mortalium ſapientiſsimi cōſueuerunt, non
amans affectu. Phocæ etiam in ſicco pariunt. paululum deinde prouectis catulis guſtan-
dum mare præbent, mox reducunt. id ita crebrò faciunt, dum addita fiducia fluctibus cre
dere gaudereq́; uideant. Ranæ uerò ololyſmo quē uocant, uelut amatorio epithalamioq́;
carmine ad hoc cōpoſito, fœminas ad Venerem irritant: ac ubi iam allexere, noctem eam
in cōmune expectant. coire quippe in aquis quidē non poſſunt, interdiu uerò ob metum
nolunt: igitur nocte iam oborta in terram egreſſi cōplexibus indulgent liberè. per cætera
uocis illa claritas impendente pluuia cumprimis uſurpatur, eſtq́; id huius euidentiſsimū
ſignum. Sed quod mihi (prò marine Iupiter) propémodū malum, quàm abſurdum & ridi
D culum accidiſſet, circa phocas & ranas ut hærens, ſapientiſsimi diuiniſsimiq́; marinorum
omniū animalis obliuiſcerer. Quas enim luſcinias ſuauitati, quas hirundines indulgentię
erga ſobolem, quas columbas humanitati, quas apes ſummę halcyonū induſtriæ conſera
mus? aut cuius natales, partusq́; & dolores partus, deorum quiſquā adeò reueritus eſt? La
tonæ puerperio quā uolebat inſulam, ſed unicā conceſſam ſcimus. halcyoni uerò, mare cir
ca ſolſtitia totum tranquillū placidumq́; parienti ſternitur. unde nullum eſt animal quod
quidem colunt homines, cuius beneficio ſeptem perpetuos dies, ac noctes totidē, media
hyeme liberè nauigetur, omni tum per maria profectione longè quàm per continentē tu-
tiore. Quòd ſi de ſingulis etiam uirtutum quas habet paucis dicere conuenit, coniugis a-
mans eſt adeò, ut non uno quodam, ſed quolibet anni tempore cohæreat, congreſſusq́;
huius admittat: haud quî procacula ſit adeò, quippe quæ alteri nulli prorſus miſcetur, ſed
beneuolentiæ, qualiter nuptam decet, & amicitiæ ſtudio. Eundem grauem iam annis &
ægrè ſequentē, ſuſcepta cura fert fouetq́; ſenem, nuſquam deſtituens, nuſquam poſt ſe re-
linquens. Nam & humeris impoſitū circumfert ubilibet curatq́;, & adeſt in mortem uſq;.
Iam uerò naturali quodam amore curaq́; prolis, ubi ſe grauidam eſſe primùm ſenſit, ædifi
care protinus aggreſſa, non lutum qualis hirundinū mos eſt ſubigit, parietibus laqueari-
bus'ue adglutinandum: nec membris ſimul omnibus incumbit, qualiter apes fauum cor-
pore toto ſubeuntes, in formam cellas hexangulam, pedum totidem, hoc eſt ſenum, ope-
ra diſtinguunt: ſed organū unum ſimplexq́;, inſtrumentū unum, roſtrum ſcilicet, aliud ue
rò ſedulitatis illius & erga liberos ſtudĳ ſui præſidium nullum coniunctū habens, qualia
dĳ boni ſtruit, qualia molitur? difficilè creditu eſt, niſi quis oculis perſpexit. fingit enim,
imò uerò nauis inſtar fabricat, nouo figuræ genere opus, ſolum euerti mergiq́; fluctib. ne-
ſcium. componit quippe deuincitq́; conſerens inuicem acus piſciculi ſpinas, ac rectis alĳs
ceu ſtamini, tranſuerſas alias ueluti ſubtegmen implicat, mox conſertū recuruat, & in or-
bem reducit, ac ſic coaptat deniq;, ut opus nauigĳ ſpecie turbinatū, ac qualo propémodū
piſcatorio oblongiuſculo ſimile euadat. perfectū littori quo fluctus extremi pertingūt ap
plicat: hîc unda molliter feriens, nondū firma ſatis hiantiaq́; procellarū uerbere deprehen
ſa, ſarcire docet: ſolida uerò & iam cohærentia conſtringit figitq́; adeò, ut nec ſaxo nec fer
ro diſſolui diffringiue facilè queant. Qua quidem in re magna cumprimis admiratione

A dignum oſtiolum eſt, ſic modificatū figuratúq;, ut hanc unam ſubeuntē recipiat, cæcum
cæteris & abditum, ac aliud prorſus nihil admittens, ne undarum quidem. Equidem arbi
tror nidum huius neminem non uidiſſe: mihi certè quoties uidi tetigiue (uidi autem per-
ſæpe) iſtuc in animum ſubit dicere canereq́;:

Talem quondam oculis Phœbea uidimus arce Deli,

corneam illam aram, inter ſeptem, quæ uocant mundi miracula celebratam, quæ quidem
citra glutinum omne uinculumq́;, dextris tantùm cornibus coaptata ac cōmiſſa fuit. Atq;
utinam muſicum me quadantenus & inſularē, muſicus & inſularis deus Apollo, pelagicę
ſyrenis laudes candidè celebrantē, benignè placideq́; ferat: iſtorum uerò quæſtiones qui-
bus hîc nos traducunt, cur non aut congricida Phœbus, aut mullicida Diana uocetur, irri
deat: non ignorantū Venerem etiam ſacra ritusq́; ſuos mari inſtituiſſe, ac nullo hinc nomi
ne gaudere. Lepti uerò Neptuni templo præfectos, marinum prorſus nullum attingere,
mullum Eleuſinæ ſacerdotes etiam pro ſacro colere, eodemq́; Iunonis apud Argiuos anti
ſtitem ob animalis reuerentiā prorſus abſtinere, notum eſt omnibus. Marinum quippe lé
porem exitialem homini, mulli necant, cumprimisq́; infeſtant: unde ſtudio quodam ho-
minis duci, hominis curam gerere crediti, iſtam uiciſsim immunitatē obtinuere. Atqui &
Dictynnæ Dianæ & Delphinij Apollinis aræ templaq́; per Græciam multa paſsim ſunt.
Enimuero quem locum ipſe ſibi deus peculiarem elegit, eum Cretenſium poſteri delphi-
no duce tenuerunt. Neq; enim quod fabulantur quidam, ſumpta delphini ſpecie deus ip-
ſe, ſed ab illo delphinus miſſus, perq́; mare curſum dirigens, claſſem perduxit Cirrham.
Iis etiam quibus à Ptolemæo Sotere Sinopi relictis, Serapidis & Dionyſij reuehendi ne-
gocium datum fuerat, uentorum ui, præter animi ſententiam, ſupra Maleam abreptis, &
iam à dextera Peloponneſum habentibus, ac ob id perturbatis triſtibusq́;, delphinum an-
tè proram conſpectum narrant, ueluti uocantem, ac ducem ſe in ſtationem quandam leni
curſu præbentem: illos uerò de uia iam nihil ſolicitos tantiſper prænatantē uiamq́; mon-
ſtrantem ſecutos, dum conſtituerent Cirrhæ: ibi factis pro reditu ſacris, intellexiſſe è duo-
bus ſimulacris alterū, Plutónis quod erat, tolli auferriq́;: alterū Proſerpinæ, effictū expreſ-
ſumq́;, relinqui oportere. Eſt autē ueriſimile, etiam quia muſicen delphinus amat, charum
B eſſe deo. Qua quidē in re huic ſe Pindarus cōferens, Non delphinū, inquit, abditū elici,

Quem placido ponti de pelago,
Exciuit amabile tibiæ melos.

Imò uerò magis adeò ipſa animalis humanitas grata dijs eſſe uidetur. Solus enim delphi-
nus hominem hoc quidem ſolùm nomine diligit, quia ſit homo: cæterorū quæ per conti-
nentem degunt, uel nullum, uel quæ mā ſuetiora ſunt tantùm, canis, equus, elephas, nutri
catores modò & familiares colunt ſuos. Hirundines dum umbra & opportunitate neceſ-
ſaria potiantur, cōmigrant cohabitantq́; nobis, per cętera hominē uelut beſtiam fugere &
auerſari ſolent. Delphinis autem longè quàm cæteris ſecus, illa ſummis philoſophorū tan
topere deſiderata, ſordibus omnibus, omni fraude carens amicitia, ſolis cum homine natu
ra intercedit. Nam qui haud ullius ulla in re mortalis opus habent opera, benigni omni-
bus, omnibus amici, etiam opem tulere multis. Arionis exemplum qui ignoret nemo eſt,
perquàm ſcilicet nobilitatum. Heſiodi uerò tu quidem in ipſo nos admonuiſti tempore,

At non tibi fabula finem.

oportebat enim, ſiquidē iſthuc de cane credi tibi poſtules, delphinos non præterire. Cæ-
ca fuit illa canis ſignificatio, latratu tantū & clamore cæſoribus inſultantis. Circa Nemæū
uerò quendam cùm fluctibus exanimis iactaretur, delphini excepere, mox alter alteri ala
critate mira tradentes expoſuere Rhium, ut iugulatū oſtenderēt. Enalum uerò Aeolium
cùm Phinei filiam quā amauerat, Amphitrites oraculo monitæ præficæ in mare mortuā
abiecíſſent, eodem loci deſilijſſe, & hinc à delphinis Leſbum incolumem deportatū, Leſ-
bius Myrtilus autor eſt. Quid illam erga Iaſſenſem puerum beneuolentiā & fidem memo
rem, flagrantiſsimi cuiuſdam amoris argumentum? ludere natare unà quotidie, ac contre
ctari manibus pati, ad hæc conſcendentem non refugere, ſed uectare lætus, ac quocunq;
dirigeretur curſum flectere, cùm omnes ad mare Iaſſenſes undiq; iam ſæpe ſpectaculo ſtu
pidi concurrerent. Sed enim oborta iam aliquando tempeſtate, nymboq́; & grandine ua-
lidis incumbentibus, delapſus puer ſub undis extinctus eſt. delphinus re animaduerſa, &
cadauer quocunq; iactaretur ſecutus, in continentē impete ſe tandem unà eiecit, nec antè
diuulſus eſt quàm in ſicco expiraſſet: æquum haud dubiè iudicans, qui uitæ fuiſſet, mortis
etiam cuius autor ex parte fuerat, ſocius ut eſſet. Monumentū calamitatis eius Iaſſenſium

C moneta etiamnũ inſculptum, puer delphinũ inequitans eſt. Hinc Cerani quoq; fabella fidem habere cœpit. Parius hic genere, Conſtantinopoli iam aliquãdo iactum piſcium, in eoq; delphinos captiuos plurimos iamiã mactandos emerat, ac mox dimiſerat, pecunia redemptos ſua donatosq; uita: paulò deinde pòſt quinqueremi, qua & ipſe & piratæ quidã uehebanť, inter Naxũ Parumq; freto medio euerſa, pereuntib. cæteris omnibus, ipſe ſubeunte ſubleuanteq; delpbino, ſolus iuxta Zacynthi ſpecum applicans ſaluus euaſit. Ceraneum ſpecum etiamnum uocant. Qua quidem de re iſthuc eſſe Archilochi putatur:

Quinquaginta uiris ſupereſſe dedit Ceranum
Neptunus pater.

Poſtea cùm ſupremum Ceranus diem obiret, ac corpus igni affines iuxta mare traderent, delphinos circa littus innumeros comparuiſſe, ac ita ſeſe palàm oſtentauiſſe narrant, quaſi intereſſe funeri ſignificarent: quippe qui non antè diſcederent, quàm iuſtis planè peractis. Vlyſsis autem parma quòd inſigne delpbinũ habuerit, etiam Steſichorus docet. qua uerò maximè de cauſa, Zacynthij memorant, quemadmodũ Critheus teſtatur. Puerulus adhuc Telemachus cùm fortè in mare, quod iuxtà uorticoſum erat, per lubrica decidiſſet, excipientibus delphinis ab imoq; reuehentibus euaſit: hinc ſculpturam annulo, & umboni ſignum pater delphinum inſcripſit, gratia ſic animali relata. Sed quoniam fabulis abſtinere iam à principio pactus, interea neſcio quomodo dum intentus delphinis ſum, extra metam fidei prouectus longius, in ipſum Ceranum & Vlyſſem impegi, mulctam mihiip ſi ſtatuo, dicereq; faceſſo. ARIST. Vobis igitur, uiri iudices, ferre nunc ſententiam licet. SOCL. Atqui iandudum Sophoclis illud nobis uidetur:

Coïbit pulchrè ſermo etiam nunc diſcrepans,
Ac in commune utriſq; erit.

Siquidem enim quæ diſſeruimus inuicem in unum uterq; componitis, aduerſus eos qui rationem & prouidentiam negant animalibus, coniunctis uiribus optimè conſiſtetis.

D

Plutarchi liber de eo quòd docenda ſit uirtus.

OTTOMARO LVSCINIO INTERPRETE.

DE uirtute conſultamus & ambigimus, num docendus ſit quiſpiam ut rectè ſapiat, iuſtè agat, ac bene uiuat. Miramur deinde ſi rhetoribus id detur negocij, aut magiſtratui, ædificatoribus, uel agricolis, milleq; id genus alijs, quòd uiri boni nomen duntaxat obtinent Hippocentauri, Gigantes & Cyclopes, in quibus tamẽ nihil inculpatũ aut innocuũ, ſi res geſtas excutias, quod ad uirtutem attineat, neq; mores à prauis affectibus liberos & incorruptos inuenias. Atq; ut donemus naturã ſua ſponte in illis honeſti quippiam decoriq; producere, id tamẽ rebus longè diſsimillimis & alienis, ceu fructus quidam ſyluæ incultæ agreſtiq; implicitus, flocceſcit nimirum, planeq; obſcuratur. Canere proinde diſcunt homines, ſaltare, literas, agriculturã, equo inſidere, calceari, ueſtiri, pocula miniſtrare, & coquere. At quæ (malùm) demẽtia eſt, ô mortales, cùm hæc omnia præter diſciplinam non liceat cõmodè agere, ut uos probè homines uitam inſtituiſſe, nulla diſciplina, nulla adhibita ratione aut arte, ſed fortuitò putetis contingere? Adde quòd uirtutem cùm diſcendam negamus, prorſus tollimus, quandò diſciplina generatio quędam eſt, qua fœtus in animo diſcentis à doctore producitur. Itaq; ſi à diſcendo mortales cohibeas, & doctrinam omnem ſuſtuleris, uideberis haud dubiè cuncta extinxiſſe, rebusq; ipſis perpetuũ inuexiſſe interitũ. Cæterũ ut autor eſt Plato, ob pedis ad lyrã imparilitatẽ, dum male cõgruit cum modulatione ſaltatio, neq; frater unq; cum fratre pugnam capeſsit, aut amicus diſsidet amico, urbes'ue inter ſe hoſtiliter decertãt, ut extrema quęq; & facere & pati cogant. De accentus itẽ ratione nemo dicere poterit, aliquãdo in ciuitate ortã ſeditionẽ, num uidelicet Telchinas penanflexè aut aliter ſit legẽdũ. Ad hæc in ædib. fortè priuatis inter maritũ & uxorẽ nulla adhuc nata diſſenſio eſt ſuper telis, ſtamen ne an trama ſubtegmen ipſum uocet. Et hæc quidẽ cùm ita ſe habeant, nemo tamen libro protinus, aut telæ lyræ'ue manũ admouet, niſi peritus, etiãſi nõ ſit periculũ, ne quid inde

accidat

A accidat incõmodi: at neminem nõ pudet haberi ludibrio, cunctiſq; ridiculum fieri, adeò
ut Heraclitus inſcitiam nõ abſurdè, celari magis quàm turpiter prodi uoluerit. Atq; idem
ille uxorem, domum, rempub. aut principatum rectè tractari ab alio quàm perito arbitra-
bitur? Diogenes igitur puero quodam opſoniũ comedente, pædagogo illius manum im
pegit, ſcitè admodum ei qui non doceret, non illi qui nihil diſceret, peccatum imputans.
Deniq; cõmunis ille catini uſus & calicis, haudquaquam ulli decorè contingit ſi à puero
non fuerit aptè aſſuetus, ut ne dicam turdos etiam edere, opſonari, ac pedes ſimul contine
re: & nos rem familiarẽ adminiſtrare gnauiter, rempublicã, coniugium, alimoniã, & prin
cipatum, mutuiſq; pro dignitate rei cuiuſq; reſpondere officijs, rudibus citra erratum pu-
tabimus ac fortuitò accidere? Ariſtippus à quodã interrogatus, an eſſet ubiq;, ſubridens,
ait: Naulum igitur mihi, ſi nuſquam non ſum, indubiè non perierit. Ad eum ſanè modum
ſi non fiunt mortales diſciplina meliores, perijſſe impendia dixeris quæ fiunt in pædago-
gos, à lacte ipſo primùm pueros in diſciplinam accipientes. Nam ut nutrices manibus cor
pus effigiant, ita illi mores cõponendo, in primum uirtutis ueſtigium collocant. Et Spar-
tanus ille rogatus, quid cõmodi afferret præceptorum opera: Honeſta, inquit, pueris illi *Præceptores ad quid conducant.*
faciunt iucunda. Docent proinde, quo pacto incedentes proni incumbant itineri: digito
ſalſamentum uno contingant, piſcem geminis: cibum aliter diſcindant, aliter carnes: pal-
lium corripientes corpori quomodo aptent. Igitur quòd dicat aliquis aduerſus impetigi-
nem & reduuiam paratam eſſe medicinã, laterum autem dolori, febri & inſaniæ nihil eſſe
quod medeatur: hoc perinde eſt ac ſi contendas, minutulis rebus & puerilibus inſtituta
quædam, ac proditas eſſe rationes, certáq; rei gerendę conſilia, cæterùm arduis illis atque
perfectis nullam eſſe moderationem, adeóq; uanam in ijs tractandis exercitationẽ, tum
nihil præter miſeriam uideri. Deniq; ut ridiculus habetur qui dicit, Oportet remũ impel-
lere eum qui didicit: ita & is quoq; qui alijs artibus permittit diſciplinam, & ea ſpoliat uir
tutem, diuerſum ſanè nõnihil agens à Scythis: illi enim, ut teſtis eſt Herodotus, ſeruis exi
munt oculos, nempe mancipijs: uerùm hic noſter ſeruilibus & ancillantibus diſciplinis
rationem ceu oculum imponens, uirtuti eam uidetur adimere. Iphicrates dux ad Calliam
Gabrij filium ſciſcitantem, quiſnam eſ? num ſagittarius, ſcutifer, eques, aut armiger? Ni-
B hil horum, inquit, ſed omnibus hiſce imperans. Fallor igitur ſi non deſipit, qui iaculari, ar
ma geſtare, fundam impellere, & equitem agere, iudicabit ad doctrinam pertinere: impe
rium autem adminiſtrare, & ductitare exercitum, ita ut fortè cuiquam illa obuenerũt, ad-
eſſe. Adde quòd maiori laborat uecordia, qui prudentia hæc poſteriora geri diffinierit, ni
hilq; tribuit doctrinæ, ſine qua tamen perſpicuũ eſt, nullum aliarum artium eſſe incremen
tum, nullum operæprecium. Poſtremò obſcurum nõ eſſe arbitror, ducem hanc eſſe rerum
omnium, certamq; rationem & ornamentũ, quæ ad bonam frugem ſui ſtudioſos ſolet per
ducere, uel hoc potiſsimum argumento, quòd niſi quis maiore affectu miniſtrorũ quàm
artis præſcriptiq; cuiuſdam & legis conuiualis teneat, non deeſt ne cœnæ quidem ſua gra
tia, ſi pueros habet pocillatores, ad aſſandum, partiendũ opſonia, reliquáq; id genus gna-
uiter obeunda munia exercitatos, arteq; inſtructos.

Plutarchi commentarius, in quo quærit, num improbitas ſufficiat ad infelicitatem.

OTTOMARO LVSCINIO INTERPRETE.

MANENT corpus hoc noſtrum (ut autor eſt Euripides, & planè com-
probauit rei euentus) ceu dotis nomine, certa quædam acceſsio, mo
mentanea minimeq; ſtabilita bona. Quæ illi inſtar opum Tantali, non
multos cineres, ſed mare & rogum quendam regium penetranti, am-
buſto, anhelo, pauido, marinoq; ſudore madenti propoſita ſunt, ita ta-
men ut ijs præ negocio frui non poſsit. Rectè igitur Sicyonius ille e-
quorum altor ſapere uiſus eſt, quòd Achiuorum regi ex equis curſori-
bus fœminam dono dederit, ne ad celſa Troiæ mœnia illum ſequeretur: quin magis do-
mi ſuę manendo ſeſe oblectaret, dum opibus inexhauſtis, dulciq; ocio totus incumberet.

De Proteſilao loquitur, qui in primo cõflictu Troiani belli occubuit.

C At noſtra hac tempeſtate, qui ſtrenui ac indolentes habentur, diuerſo quodam ſtudio, ne
uocati quidem, ipſi ſeſe urgent, & aulæ principis inſinuant, militiæ illius ac cuſtodiæ æru-
mnis ſcatenti colla ſubmittentes, quò equum aliquẽ bullam'ue, aut aliud huiuſmodi quip
piam felicitatis aſſequantur. Illius etiam uxor in luctu iamolim relicta erat, Paria phyla-
ce, domoq́; ſemiperfecta, ſimul poſt ſe deſertis, dũ ipſe attritus ac probris affectus, in per-
niciem adduceretur ab ijs in quos ſpem omnẽ collocauerat. Atq; ut maximè aliquis aſſe-
quatur ea quæ expetit, agitatus tamen & defatigatus fortunæ ludibrio, ad fugam tandem
adornaſ, illosq́; uerè beatos prædicat, qui ignobiles in tuto uitam agunt. Ruſus illi hunc
ſuſpiciunt, felicem æſtimantes, quòd ſibi uideant prælatum. Itaque quis neſciat mortales
omnes ita improbitate ac malitia inuolutos, ut ſi deſint inſtrumenta & operarij, abundè
magnus artifex infelicitatis ſit peruerſitas? Iam alij tyranni dum efferato animo ſtudent
quos cruciarint infelices reddere, carnifices in id alunt negocij & tortores, cauteria atque
alia id genus tormenta fabricãt. Atqui improbitas nullis machinis, nulloq́; apparatu, ſed
ſola pręſentia, animum atqueadeo totum hominem labefactat ac deijcit, deniq; mœrore,
luctu, angore, & pœnitudine prorſus implet. Hoc nimirũ argumento, quòd uideas com-
plures dum magno cruciatu conſcinduntur, ſilere tamen: alios toleraſſe flagella, pleroſq;
à tyrannis aut heris tortos uocem nõ emiſiſſe, eò quòd anima ratione occluſa, ſonitũ non
aliter quàm manu quadam compreſſerit ac detinuerit. Cæterùm animo quanquam impe
res quietem, aut in luctu iubeas conticere, non tamen hunc à metu miſeriæ ullis perſuaſio
nibus retrahes, aut certè lenias, ut anxius ex pœnitudine nõ uociferet, capillos corripiat,
ac pulſet membra. Ita eſt improbitas ferro aut igni quocunq; uiolentior. Vrbibus præte-
rea ſicubi decretũ eſt impendia facere in templa aut coloſſos, artificum certamen de ſum-
ptu & opera audiunt: tum curatis ex præſcripto rationibus, & rei extruendæ figuris, eum
deligunt opificem qui minore impenſa melius abſoluit atq; celerius. Agè igitur liceat no
bis quoq; ad eum modum impendia in hominem uitamq́; infelicem proponere. Et ut di-
uerſi accedant artifices, fortuna & improbitas, prior ille apparatu uario machinisq́; ſum-
ptuoſis inſtructus, ad uitam infelicem & miſerabilem fabricandam, latrocinia quędam &
bella, cruentas tyrannorũ cædes, marinas tempeſtates, quid dicã? & fulmen è cœlo quo-
D que detrahat: ad hæc, uenena cõmiſceat, gladium porrigat, ſycophantas, alienorum mili-
tum fęcem uniuerſam conuehat, febrium incendia ſuſcitet, pulſet natos, & extruat carce-
res. Quanquam bona pars ex hiſce rebus ad improbitatẽ magis, quàm ad fortunam perti
nere uideatur. Sed eſto ſanè, cuncta ſibi uendicet fortuna: at ex aduerſo conſiſtens impro
bitas, nuda prorſus nulliusq́; rei, earum quæ extraria ſunt homini, indiga, fortunam inter-
roget: Qua ratione hominem tu reddes deiectum & miſerum? Inopiam minaris? Atqui
irridet te Metrocles, qui dum in dolijs hyemaret, & in delubrorum ueſtibulis æſtates age
ret, Perſarum regem qui in Babylone hybernis menſibus tum erat, & prope Mediam me-
tebat, in certamen ob felicitatẽ uocabat. Seruitutem affers, & uincula, tum uenditionem?
Deſpicit te Diogenes, qui à latronibus uenundatus exclamauit, Num quis uellet emere
dominum. Poculis cicutam cõmiſces? At nunquid Socrati illam prægustaſti? qui comis,
placidus ac intrepidus, colore ac ueſtitu nihil mutatus, mirum quàm facilè uenenũ hauſit.
At ignem nondum oblatũ, tibi Decius Romani dux exercitus iamolim præripuit, quan-
do in conflictu bellico, legionibus imperans, Saturno ſeſe pro imperio litauit ex uoto. A-
pud Indos præterea mulieres caſtæ & maritorũ amantiſsimæ, circa rogum uita defuncti
contendunt, & inter ſe pugnã ineunt: ex his quæ ſuperat, ſimul cum marito igni traditur,
reliquæ conflagrantẽ beatam canunt. Proinde ſapientum illic nemo eximius longeq́; fe-
liciſsimus habetur, qui non uiuus, corporis uiribus animiq́; etiamnum ſanus & integer, in
igne à corpore animã deponat, purusq́; decedat è carne mortali, flamma repurgatus. Sed
à re familiari præclara, domoq́; ac menſa ſumptus non mediocris, ad lacernas, peram, &
mendicitatem diurni uictus adiges? Atqui fuerunt hæc felicitatis auſpicia Diogeni, liber
tatis & glorię Crateti. Tolles autẽ in crucem, aut palo transfiges? Verùm quæ cura Theo
dorum ſolicitat, ut ſubter humum conditus putreſcere malit, quàm ad auram? Apud Scy-
thas ea felicitatis eſt portio, ut ſepulchrum contingat. Cæterùm Hyrcanorũ canes, & Ba-
ctrianorũ uolucres, ex legum quodã præſcripto mortuos uorant, quò finem beatum ſor-
tiant. Sunt igitur quos prædicta hæc infelices reddũt, fatemur, ſed ignauos iſtos, effœmi-
natos, improuidos, & nullo rerum uſu exercitatos: quippe qui nullis ad ueram gloriã ſti-
mulis agunt, ſed ſtultã illam mordicus ſuã, atqueadeo prorſus uanã retinent. Vnde perſua
ſum habeamus oportet, fortunã non niſi improbitatis pręſidio infelicitatis eſſe effectricẽ.

Perinde

A Perinde enim atq; trama cinere & aceto madentia oſſa ſecant, & ebur zytho liqueſcens, & ad omnem ductum ſequax, flectitur ac formas diuerſas ſuſcipit, alioqui contumax: ita fortuna in molliculum & indulgentiorem ex improbitate effectum fortè incidens, excauat planè hominem ac uulnerat. Et quemadmodum externus alieno cœtui ſe immiſcens, etiamſi innoxius ſit, & nemini iniurius, tamen uulneratus quamprimum perit: nimirum quia ſuo in eam calamitatē tractus fuit affectu: ita cuius animo perniciem fortuna uidetur allatura, ſubtercutaneũ in ſeſe ulcus ac peculiare malum circunferat neceſſe eſt, ut aduentitia extrorſum, miſeriam & dolorem efficiant. Poſtremò finge malignitatē in parienda infelicitate, fortunæ adminiculis maximopere egere: unde fit obſecro, ut aſperum pelagus tempeſtatibus ſæuiens ac fluctibus, non dirimit in montiũ decliuis ſolitudines, ubi itinera latronum patent inſidijs? *Fortuna improbis propria.* Aut qua ratione nimbi grandine uaſtant agros ac ſegetes, quum nulla fortuna Meletum, Anytum & Callixenum, imò & calumniæ autorem aliquando deijciat opibus, aut arceat magiſtratu, quò illos reddat infelices? Verùm quid ego de infelicitate loquor? quandò propenſior eſt illa etiam in iſtorum uota, quòd affatim accumulet opibus, ita ut affluant quoq;, & terris hæreditates adeant, dum hæc maria penetrarit, ac præſtò ijs fuerit præſenti ope, modò blanda leniendis affectib. mox animo inflãmans, iam concutiens ſuperſtitionibus, poſtremò etiam ex oculis ipſos ſubducens.

Plutarchi problema, num philoſophari conueniat inter pocula, ex primo Sympoſiacôn eiuſdem.

OTTOMARO LVSCINIO INTERPRETE.

QVOD uulgò dici ſolet, Odi memorem compotorē, ô Soſſie Senecion, quidam in præmoleſtos & nimium pertinaces compotationum magiſtros rectè aiunt competere: quòd Dores in Sicilia conuiuiorũ ac B menſurarum præpoſitũ compellando, haud ita multum abſurdè Mnamona, id eſt, memorem, uocitarint. Neq; deſunt rurſus quibus de hoc adagio alia inſedit opinio. Præſcribi enim eo legem quandã putant conuiuijs, ne ulla dictorũ ibi factorumq; poſthac habeatur memoria, quando obliuionem & ferulam patrio inſtituto maiores Baccho conſecrarunt, ceu uel parum conueniat, erratorum inter pocula deinceps comminiſci: aut ſi qua in parte peccatum ſit, puerilis ac leuis reprehenſio ſufficiat. Nam & tibi iam planè perſpicuum eſt, uerè ſapientem eſſe, ex Euripidis ſententia, ineptiarũ obliuionem. Cæterùm ſi quis à uino & potationibus prorſus exulare uelit rerum geſtarũ memoriam, hic nõ modò Philopœo negocium faceſſere uidebitur, qui ad menſam egiſſe pugilem dicitur, ſed & prȩſtantiſsimum quenq; philoſophorum, ac eloquentiſsimũ contra ſe teſtem admittat oportet, nempe Platonem, Xenophontē, Ariſtotelem, Speuſippum, Epicurum, Prytanem, Hieronymũ & Dionem illum ex Academia, quorum idem ſtudium fuit omnium: quandoquidem operæprecium id quoq; uidebatur, inter pocula iactatos ſermones literarum monimentis commendare. Deniq; haud mediocriter nobis iudicant profuturum, ſi paſsim nõ tam ea quæ inter nos, quàm quæ alibi per Græciam eruditè ſuper cœnam dicuntur, ſtylo excipiamus, cùm omnia, tum illa in primis quæ bonam frugem ſint allatura. Proinde in hoc ego totus incumbens, tres ad te libros cum ſingulis decē dedi propoſitionibus, mox daturus & reliquos, modò ſint tempeſtiui, & à Muſis Bacchoq; nihil abhorreant. Prima autem earũ propoſitionũ de philoſophando eſt inter pocula, meminitq; illius apud Athenienſes ortȩ poſt cœnam quæſtionis, Num utendum ſit in combibonũ conſeſſu philoſophicis rationibus, uel quomodo aut quatenus. Sanè Ariſton fortè tum præſens, Deum immortalē, inquit, inuenias nonnullos qui philoſopbis nihil cum uino & potationibus conuenire contendant, quiq; ita illos relegent à cõuiuio, ut ne loco quidem ullo dignentur. Atqui ego, amice, inquam, quos refers adſertores, nulli ſunt. Etiamſi non ſim neſcius, quàm appoſitè quidam nobis obturbent, qui pbiloſophiam decere haudquaq; exiſtimãt, ut inter pocula ſermones miſceat, non minus equidē, quàm uerendas ac boneſtiores matronas. Perſas item ut conſultò facere ſolitos ferunt, quòd ad ebrietatē & tripudia inuitant ſcorta & pellices,

C cæterùm coniuges miſſas faciant, ne honore uxorio abuti uideant̃: ita rectè facturos prædicant, qui muſicam & ioculatoriam adhibeant conuiuio, à philoſophia autem ueluti ſupercilioſa, & iocorum ignara, penitus temperent, ac eam ne digito quidem contingant. Quotus enim quiſq; noſtrûm eſt, qui inter conuiuandũ aut uelit ſapere, aut certè poſsit? Iſocrates itaq; ſophiſta, uino & potationi indulgens, auſcultantibus & crebrò ad dicendum inuitantibus amicis, tantillum iſthuc reſpondit: Quę mearum ſunt uirium, neq; huic loco conueniunt, neq; tempori: quæ congruunt, in ijs ego parum ualeo. At ubi hæc refero, reclamat Craton, & agè, inquit, per Bacchum te obteſtor, ſi non ueſanus abiurarit omnem prorſus rationem, quiſquis hoc nixus argumento omnem è conuiuio gratiam ſuſtulerit. Etſi non me clàm eſt, quanto diſcrimine quis eliminer è compotatione rhetoricũ ſermonem, & philoſophicum. Nam quod propriè ad philoſophiam attinct, quæ ratio quædam eſt & diſciplina uiuendi, ſi nihil habet quod delectet aut doceat, meritò exploditur: ſin modum rebus imponit, & opportunitatẽ agendorum conſectatur, quis eam non admittat? Alioqui ne modeſtiã quidem, quod planè crediderim, admiſſurus, neq; iuſtitiam: æquè enim & in illis quoq; dimouendis honeſtum cauſabitur. Porrò ſi comeſſationibus ac ſympoſijs indulgendũ eſt ad eum modum quo in ſacris epulis Oreſtis illius inſani conuiuis, eſt quo nos in rudi & indomita turba non infeliciter philoſophia ſolemur. Deinde ſi Bacchum eundem eſſe conſtat, & Liberum & Lydium, id eſt, eum ſimul qui ad ingenuè agendum inſtruit, & mores cuiuſuis ut boni ſunt maliue, diligenter explorat, atq; iſthuc cùm nunquam non facit, tum uerò potiſsimum linguæ laxatis habenis, abſurdum eſſe puto, ut ne dicam etiam ſtultum, quòd intempeſtiuis clamoribus affatim per ſummam licentiam locus conceditur, & uerbis à ratione profectis nil uſpiam patère debet, dolendumq; apprimè, ſi ijs deſtitui patiamur conuiuia. Quaſi uerò in potatorum cõuentu de ijs ſolùm inquirere liceat, quæ ad ſeſe ingurgitandũ ſint accõmodata: quantum uidelicet exhaurire queat compotor, & quo præſcripto uino utaris, reiecta interim prorſus philoſophia, haud aliter quàm ſi ea quæ ratione poteſt plurimum, in rerum uſu nihil ualere uideatur. Quandò igitur tu Cratoni primas in hoc certamine tribuis, illiq; reluctari nefas ducis, etiã ſi finem ille ac formulam ad pocula philoſophandi neglexerit, id quod per luſum quen-
D dam non illepidè apud contentioſos & ſophiſtas, ad quos ea res potiſsimum attinet, tractaretur, Quòd uideas iam in cœnam nos uenire, quò Martem ſimul adducamus comitem. Itaq; quum ad dicendum me ille inuitaret, ita exorſus: Primùm ſedulò, inquam, conuiuij cuiuſq; ratio mihi habenda uidetur, an uidelicet præſentes habeat complures ad bene dicendum appoſitos. Quemadmodum in Agathonis conuiuio Socrates, Phædros, Pauſanias, Erimachos, & quod pulchrius eſt, Charmides, Antiſthenes, Ergogones, & alios qui ad hoſce propius ſimilitudine quadam accedunt, ut uidelicet tum permittamus eos iucundis fabellis philoſophari, Bacchum non tam Nymphis quàm Muſis coniungentes. Sic enim felicius gratiæ omnis largitor utriſque comitatus accedet. Quarum illæ corpus uoluptate quadam eximia capiunt, eæ autem & animum. Nec obeſt quòd in tali doctiorum hominum cœtu pauciores quidam indocti conſident: nam ex ea conſuetudine illi nonnihil accipient eruditionis. Et ſicut mutæ literæ ex commiſtione uocalium in concinna & rectè articulata erumpunt uerba: ita rudes iſti ex ſapientum conuictu & ipſi quoq; tum demum ſapere incipient. E diuerſo ſi in multitudinem indomitam incidamus, quæ omnem citra delectum alitem, fiſtulam, aut chordam quàm philoſophum audire malit, ſanum illud in primis tyranni Piſiſtrati conſilium nobis captandum exiſtimo, qui orto inter ſe & filios diſsidio, quum inimicos ex hoc uehementer lætari animaduerteret, concionem cogit, atq; nihil tum ſe cupere ait ex animo, quàm ut dicto audientes habeat liberos. Verùm quia id perquàm difficile factũ ſentirer, in contrariam mutatam eſſe ſententiam: quippe qui iam parendum ſibi cenſeret filijs, illorumq; ſequi uellet decreta. Ita philoſophus ſicubi conuiuas ſe nactum ſenſerit nihil attentos, ſi quà citra dedecus fieri poterit, leuiter & quaſi per tranſcurſum diligere conabitur, & amplecti illorum mores: quippe non admodum neſcius, rhetorum quidem id eſſe muneris, ut oratione & dicendi copia profeſsioni ſuæ reſpondeant, cęterùm philoſophos quoq; haberi eos qui taceant ac colludant, ſimulq; dum ſales uiciſsim inter alios & iactitant & accipiunt. Deniq; ſicut extrema eſt peruerſitas, ut ait Plato, quum prorſus iuſtitia uaces, ad id tamen eniti, ut uir bonus eſſe uidearis: ita prima eſt ſapientia ut philoſophum agas, neq; tamen illud ex profeſſo, ſed quaſi per luſum atq; iocum agas quæ ſunt hominum doctiſsimorum. Nam ſicut Mænades apud Euripidem, inermes quidem illæ & ſine ullo ferro, minutulis quibuſdam

thyrſis

A thyrſis ferientes, eos quos adoriuntur uulnerant: ita uerorum philoſophorũ urbani morſus, quos ridentes quoq; torquent in eos qui non ita prorſus ſunt inuulnerabiles, nonnihil cõmouent illos ut ſui diſsimiles reddantur. Cæterùm ut ego quidem uenari coniecturis ualeo, ex uarijs ſermonũ generibus nonnulli conuiuales dicunť, atq; illi nimirum quos exhibet hiſtoria, quosq́; in promptu eſt è medio rerum humanarũ uſu accipere. Quod genus ſunt ad philoſophiã exempla, & pleraq; ad pietatem, ac fortium & magnanimorũ uirorum egregia facinora. Proximi deinde qui in humanitatis & beneuolentiæ affectum uí ſua rapiunt auditores: atq; ijs ſi quis obiter, & fermè ita ut nemo deprehendat utatur, probè nimirum edocuerit potatores, dictu'q; haud facilè, quantis incõmodis excmerit ebrietatem. Huc accedit, quòd alij bugloſſam admiſcẽt uino, & rebus conuiualibus plurimum Ariſtonis, pauimento capillũ Veneris aſpergũt, quòd herbis huiuſmodi conſentaneũ ſit lætitiã inter conuiuas ac beneuolentiã coaleſcere. Idq́; non ſine Homericæ illius Helenæ exemplo, quæ mero medicamenti nõnihil adhibuit. Quanquã nondum mihi perſpicere illi uidentur, quòd ea fabula ab Aegypto itinere longo circumlata, uerbis benignis ac placidis decorè admodum finierit. Siquidem Helena in Homeri Odyſſea conuiuis narrat,

Quid toleraſſe uelit, fortis quid fecerit aut uir,
Vt feriat patiens immiti uerbere corpus.

Et hoc planè erat Nepenthes pharmacum, & nihil planè aliud quàm indolentia: ſermo utiq; tempeſtiuus, & rebus præſentibus gnauiter gerendis aut ferendis ex æquo accõmodatus. Proinde qui ciuiliores habentur, etiamſi pro tempore non ineptè referant philoſophos, nihil tamen uidentur uiolentis urgere demonſtrationibus, ſed uerißimilia magis leni ſuadela ſectantur. Itaq; Platonem uideas in conuiuio, ubi rem perpetuis agit dialogis, de ſummo bono diſſerit, & prorſus partes ſuſtinet theologi, non tamen intendere neruos demõſtrationis, neq; ut alibi aſſolet, cauſam fulcire coloribus, ac robur tale addere, quod euincere nequeas: quin magis quibuſdam molliuſculis lemmatis, exemplis, & lepidis fabellis, homines quò mauult adigit. In conuiuio igitur agitari conuenit queſtiones mitiores, problemata familiaria, interrogationes iucundas, non captioſas ac lubricas, quibus rudiores illaqueentur, aut quas auerſati ſuffugiant ac declinent. Quemadmodum autem in

Nepenthes pharmacum quo uſa eſt Helena.

B conuiuio per choreas & tripudia moneri combibones legibus eſt permiſſum, at armis in ſeſe mutuis concitari, aut ad iacula urgeri, nõ modò inamœnum efficit conuiuium, ſed & noxium eſt atq; peſtiferum: ita animos faciles haud dubiæ quæſtiones & iucundæ, non ſine fructu demulcent & delinimentis agitant: amarulentæ ac nimium intricatæ iuxta Democritum, quandò difficultatem ingerunt imperitis, triſtes auditores reddunt & anxios. Id enim apprimè expedit in conuiuijs, ut ſermonis eadem ſit quæ eſt uini cõmunio, quod omnes citra delectum bibunt, nulla dignitatis habita ratione. Cæterùm qui perplexas quæſtiones inter conuiuas ſuſcitant, quantum ad communionem & mutua beneuolentiæ officia attinet, non ſunt grue illa Aeſopica uulpecula'ue multò æquiores. Fabella ſic habet: Vulpes uafra in lato lapide fabas elixas grui conuiuæ appoſuit, uerùm ſine ullo eius emolumento: quippe oris acumini quoties lubricæ admouebantur fabæ, mox elapſę ridiculam omnibus gruem fecere. At rurſus alibi grus uulpi in lagena cœnam apparat, ſibi quidem ſatis idoneam, quòd ob colli longitudinem & exilitatem, demittere in decliue roſtrum per lagenæ anguſtias facilè poſſet, & illinc cibum ſumere: atqui uulpecula tali opportunitate deſtituta, inediam perpeti cogebatur. Ad eum ſanè modum philoſophi quidam intempeſtiuas argutias & dialectica problemata cantillantes, obturbãt alios qui concinere buic cantilenæ parum callent. E regione alios uidere eſt, longè diuerſo intentos carmini, nempe nugacibus deliramentis, dum uerbis ſellularijs & forenſibus obſtrepunt: quibus utrinq; diſsidijs id in conuiuio perit quod in primis ſpectabatur, & cuius ſolius ratio erat habenda, dulcis uidelicet & iucunda amicorum cõſuetudo, atq; ita fit ut Bacchus uergat in contumeliam. Vt autem Phrynichi & Aeſchyli tragœdiã in medium afferentes, quò affectus moueant, protinus audiunt, Quomodo hæc ad Bacchum? Ita mihi nõ ſemel cordi fuit, dum potatorũ coronæ permiſtus eſſem, in qua de principibus & republica uerba fiebant, ut hominem ſatrapam compellarẽ: Heus tu uir bone, num hæc ad Bacchum? Nam ut donemus calice in medio poſito, ſertisq́; inter cõuiuas uiritim diſtributis, quę uindex ille noſter Bacchus uereq́; liberator nobis imponit, canere quempiam ea quæ uocantur Scolia, non tamen pulchrum id quidem eſt, neq; conuiuio accõmodum. Quanquam iſtuc nõ ea ratione, quòd ex obſcurorum cautionũ genere illa eſſe perhibeantur: ſed quia primò omnes pari cõcentu pæana Deo canebant, deinde alterũ carmen cœptũ, quo myr-

Sermonis eadem ſit quæ uini communio.

C tum ex ordine uiciſsim modulaturi accipiebant : id quod uocabant Aſarcon, ab eo quòd à cantu ceſſans alium ſufficeret, ut credibilem, appellatum : cùm nõ ita multò póſt circunlata lyra, argutè pulſarent artis periti, omiſsis illis qui à muſica erant alieni. Scolium planè hoc uocatum, quod neq; cõmune eſſet omnibus, neq; admodum facile. Etiamſi non ſum neſcius pleroſq; alia teneri ſententia, qui myrtum eo quo prædiximus ordine circunferri negant, ſed de lecto potius in lectum tranſmitti : primumq; canentem primario ſecundi hanc miſsitare ſolitum, & illum mox tertij lecti primario, poſt hæc ſecundum ſecundo: adeò ut ex illa uarietate & præter ordinem facta miſsitatione, cantilena nomen inuenerit.

Plutarchi libellus, de Fortuna.

OTTOMARO LVSCINIO INTERPRETE.

Auſpicatur ab abſurdo, rationẽ temerè negantiũ

FORTVNA primas tenet in rebus mortalium, cunctáq; illius ductu magis quàm conſilio ullo reguntur. Atq; hoc ſi ita habet, mox incidit quęſtio, Num iuſtitiam aliquo loco inter hominũ negocia dignemur, aut æquabilitatem, moderationẽ, ſiue decorem & uenuſtatem. Niſi enim hoc cõceſſerimus, Ariſtides ille fortunæ adactus imperio, per illam toleraſſe inopiam credendus eſt, cùm magnam pecuniarũ uim habere potuerit. Et Scipio capta Carthagine fato quodam nõ modò non attigit prædam, uerum ne aſpexit quidẽ. Sic Philocrates pecunia à Philippo rege miſſa non uſus, ſcorta & piſces ceu res ſuperuacaneas coëmit. Et Laſthenes ſimul cum Euthycrate Olynthum urbem perdiderunt, felicitatem uentre & rebus turpiſsimis dimetientes. Item Magnus ille Alexãder fortunæ impulſu à captis mulieribus præſtanti forma ſibi temperauit: idemq; alibi de conuiciatoribus pœnas ſumpſit. Paris quoq; Troianus malo genio adactus, & infelici fato, alienæ cõmiſtus eſt uxori, domumq; illam ducens, patriæ immenſam

D cladem attulit. Atq; hæc omnia ſi quis cõtendat nullo conſilio, ſed fortuna cogente facta, cur non uidemus itidem alia animantia, in quibus nullum uiget conſilium, fortuna quapiam ad inſolita rapi, ut uidelicet feles & ſimiæ non liguriant nec uorent edulia, & prorſus à laſciuia temperent? Porrò ſi ulla eſt temperantia, ſi iuſtitia & fortitudo, cur non ęquè prudentia? ſi illa, quare nõ ratio, ſanumq; conſilium? quandò temperantiæ multùm cum prudentia conuenit, ut aiunt, & iuſtitia plurima eget prudentia, aut certè illam planè refert. Itaq; prudentiam & conſilium, quibus boni uiri à uoluptate ſibi temperant, continentiam appellamus & moderationem. Circa labores & pericula fortitudine opus eſt, & patientia. In hominum uerò ſocietate & reipublicæ adminiſtratione, leges colamus oportet, & iuſtitiam. Vnde ſi res ſano conſilio geſtas fortunæ tribuamus, eſto ſanè cõcedamus illi & ea quæ propria ſunt iuſtitiæ, & prudentię, ut iam furari item pertineat ad fortunam, & crumenas abſcindere, atq; per omnia libidinum genera diffluere, quod nil iam eſt aliud, quàm dimiſsis proprijs, atque adeo domeſticis uiuendi rationibus, fortunæ non aliter atque uento ſeſe tradere, quæ uiles ceu puluerem concitet & diſpergat. Si igitur conſilio locus non eſt in rebus mortalium, profectò exulabit item uoluntas, & tota illa ratio conſiderandi ac inquirendi quod deceat, & ex re noſtra fore uidebitur. Iamq; mendacij arguamus Sophoclem, qui adſtruit nihil tam eſſe humana cognitione remotum & abſtruſum, quod non quærendo inueſtigari poſsit. Deinde partitur quod propoſuit. Diſco enim, inquit, ea quæ alij docuerũt, inuenta illorum diſquiro, & alia à ſuperis optanda precibus obtinere contendo. Quid igitur inuentum eſſe in uita poterit honeſti & cõmodi, ſi omnia agit & perficit fortuna? Cur nõ diruimus per urbes, prętoria ſenatorũ, & principum aulas, procerum uenerandas concilijs, quandò omnia poteſt fortuna illa cæca? Sic enim illã per contumeliam inceſsimus, dum cæciores ipſi in eam impingimus, cõſilia ſana nobis eruentes quaſi oculos, cæcumq; hunc ducem uitæ pædagogum ſtatuentes. Cæterùm dicat nũc quiſpiam ex nobis, fortunam in rebus mortalium dominari ipſis uidentibus, neq; oculos afferre lucis miniſtras (ut ait Plato) & aſpectus. Eandẽ pręterea fortunã audientibus item præſidere, quanquam uim eam non habeat, uerberatũ aërem per aures in cerebrum tranſmittendi. Rectè enim habet, quòd in ſenſus non fatemur dominari fortunam : quia uiſum : auditum, guſtum, odoratum, & reliquas corporis uires, natura conſilio ſubdidit & prudentiæ. Nam mens planè ipſa eſt quæ uidet auditq;, reliqua ſurdeſcunt & cæcutiunt.

Ne beſtiæ quidem fortuna reguntur.

Continentia.
Fortitudo.
Iuſtitia.

Rationem hominis nõnihil poſſe

Fortuna quomodo cæca.

Naturæ operatio fortuna non eget.

Et

A Et quemadmodũ ſi careamus ſole, per reliqua aſtra perpetuã egerimus noctem, ut ait He
raclitus: ita quod ad ſenſuum uirtutem attinet, niſi mens hominibus adſit & ratio, nihil in
hac uita à brutis differamus oportet. Neq; iam à fortuna aut uoluntate conſtamus nobis,
aut præſtamus cęteris animantibus, ſed Prometheus furtim è cœlo nobis afferens ignem,
id eſt, rationem, omnia iſta ſuppeditat: & ut Aeſchyli utamur uerbis, Equorũ & aſinorum
ille admiſſarius, taurorumq́; fœtum reddens uiciſſim, omniq́; leuans labore. Proinde quũ
ualidiſsimum quodq; animantium natura ſua probè nouerit uti, alijs cornua armorum ui
ce accipientibus, alijs ſtimulos, dentes alijs, & ut ſcriptum reliquit Empedocles, Echinus
acutis telis, horrendoq; dorſo plurimum eſt formidabilis. Vt addam inſuper, alia ueſtiri
ſquamis, alia uillis, multaq́; armari ungulis aſperrimis: Solus homo, ut meminit Plato, nu
dus, inermis, neq; calceatus, neq; penulatus à natura relinquitur, contenta tamen unum il
li dediſſe quod omnia molliat, nempe rationem, curam & prudentiã. Iam diſpiciamus q̃
tenue ſit robur humanũ, & tamen induſtria, plurima conficiuntur, terra mariq;, & ſummis
montium iugis, quæ miranda prorſus uidentur. Equorum leuitas inſignis, miraq́; perni-
Rationis mira uis.
citas, nunquid hominis ingenio paret ſuo curſu? Et canum iracundia in pugnã procliuis,
num defendit hominem? Sic piſcis, & plurimi pulpamenti ſus, non modò cibant, ſed & de
licias præſtant ad luxum. Proinde quid maius habet natura elephanto, aut quid terribi-
lius? atqui ludis hominum iandudum paruit ille in ſpectaculis: diſcit enim ſaltare, tripu-
diat in choreis, & honorẽ exhibet geniculatione. Et hęc quidem recenſere exiſtimauimus
operæprecium, quò perſpicuũ fiat, quatenus hominẽ euehat prudentia, quatenus præſta
re etiam faciat cæteris, ac potenter dominari. Non enim pugiles & palæſtritæ ſumus atq;
curſores omnium optimi, ſed animantibus alijs longè inferiores, planè uincimur in ijs re-
bus. Porrò experientia, uſuq́; longo, memoria, ſapientia, & bonis artibus, Anaxagora te-
ſte, bona illorum nobis uſurpamus. Mel colligimus, & lac mulgemus, conferimus ac tra-
ducimus omnia in uſum noſtrum, ita ut nullæ hîc ſint fortunæ partes, ſed totum agit conſi
Ars laborat contra fortunæ opem.
lium & induſtria. Cæterùm inter res mortalium habentur item fabrorum opera, eorumq́;
qui ex ęre fundunt ſtatuas, domos extruunt, & monumenta uirorum illuſtrium, quę dum
uiſuntur, nihil profectò præ ſe ferunt caſu quopiam aut fortuna ſic elaboratum. Siqui-
B dem ut condonemus ſapienti artifici in ſtatua ærea aut domo abſoluenda, fortunam bo-
nam aut aduerſam incidiſſe, atq; illam ſanè admodum tenuem, quod reliquum eſt longè
maius atque præſtantius arte nimirum perficitur, ueluti teſtatum reliquit ille, qui artifices
compellans ait:

Armis adeſte ueſtris, artibus bonis,
Inſtructe grex, diuam uocate Palladem:

Mineruæ enim tutela gaudent artes, doctæq; illius deæ ſentiunt opem, fortunæ haudqua
quam. Aiunt tamen pictorem quendam equũ expreſsiſſe, cæterà & forma & coloribus in
ſignem, uerùm ſpumam circa habenas conciſam, & ex anheli ore ſenſim labentem dum
reddere nequiret, ac crebrò quod effinxerat deleret, irato tandem caſu incidiſſe ſpongiam
Caſus mirabilis.
uarijs coloribus imbutam, in tabulam quam pingebat, mireq́; abſoluiſſe ac decẽter quod
anxiè deſideraſſet. Eſtq́; hoc unicum monumentũ fortuiti caſus, ſine artificio apti atq; de-
centis. Nulla præterea regio eſt quæ non libra, numeris, menſura & regulis utatur, ne in re
bus gerendis locum habeat temerè & ſine conſilio contingens caſus. Quanq; interea non
Ratio caſum e-
abhorret à uero, quòd aiunt artes quaſdam eſſe prudentias & rationes: aut quod ueriſimi-
pitè excludit.
lius, ſemina quædam rectitudinis in cõmunem uitæ utilitatem inſperſa, quemadmodum
fabella de Promethei igne alio atq; alio uiritim omnibus diuiſo, ſub inuolucro indicat par
tes prudentiæ in orbem particulis exiguis eſſe diſperſas, deinde ſe recepiſſe in ordinẽ. Mi-
nimè autem mireris, quòd artes fortunæ auxilio ad hoc ut rectè operentͮ non egeant. Nul
la enim ars inter alias pręcipuè eminet, adeò ut caput dici poſsit humanarũ inuentionum,
laudis, & rectitudinis. Sed in chordarum intenſione & remiſsione conſilium quoddam
eſt proprium & domeſticum, quod uocant muſicam. Item circa opſoniorũ diſpoſitionem
alia quæ dicitur coquinaria, in ueſtibus uerò comandis fullonariam appellant. At liberos
noſtros docemus quo præſcripto ſe ueſtiant & præcingant, deinde ut panem ſiniſtra te-
neant, dextra accipiant cibos. Decet enim ut hęc nõ fortuito accidant caſu, ſed peritè fiant
& cum attentione. Porrò ſi in his leuioribus egemus induſtria, cur adhuc dubitamus in re
bus ſummis, quibus bona pars humanæ felicitatis cõſtat, prudentiã rationi coniunctã ad-
hibendam eſſe? Terrã proinde limoſam nemo fortunæ relinquit, ut ex illa lateres cõficiat:
Ars non expectat fortunam.
neq; coriũ poſsidens aut lanã, ocioſus ſedet, fortunã precibus fatigans, ut ex hac materia

C togam & calceos paret. Sic qui aurũ congerit & argentũ, mancipiorũ gregem, multifores domos, lecticas, & menſas affabrè elaboratas ſibi cõquirit, nemini hæc omnia refert accepta niſi rationi & induſtriæ, unde ea cõtingat felicitas, ut uitã uiuas beatã & nullius rei indigã. Cęterũ perinde atq; dux Iphicrates reſpondit ad reprehenſionẽ ſibi indicatã, ꝙ non eſſet armiger, nõ ſagittarius, aut ſcutifer: Noui, inquit, omnibus ijs imperare, & illorũ uti opera: ſic ratio atq; prudentia nõ eſt aurũ uel argentũ, nõ gloria, aut opũ ingens uis, neq; item ſanitas, robur, aut formæ præſtantia. Quid eſt igitur? Nimirũ ipſa, quæ ijs omnib. rectè ac decenter uti poteſt, & cuius beneficio quodlibet horum plurimũ ſuaue reddit, ac iucundũ, nec minus utile & honorificũ. Quòd ſi in rebus omnib. hac ſola careas, acerba, infrugifera, moleſtaq́; fiant protinus reliqua neceſſe eſt, ita ut dominũ rerum ſuarũ etiam pudeat. Huius rei gratia pulchrè apud Heſiodũ Prometheus fratri Epimetheo præcipit, ne dona Iouis celſo ab olympo miſſa accipiat, ſed remittat fortuita illa quæ foris ſunt, minimeq́; ad nos pertinẽt. Nõ aliter ac ſi iuberet muſicæ imperito, ne lyrã attingeret: indocto, ne rem haberet cũ literis: & equitãdi neſcio, ne cõſcenderet equũ. Atq; ad eũ modũ inhiberet ſtulto reip. gubernacula capeſſere, ſordido ac tenaci opes affectare, muliebriq́; ſuccũbenti amori, uxorẽ ducere. Felicitas eñ in rebus agendis, ſi Demoſtheni credimus, ſtultũ cõplexa uirũ, prorſus inſanire facit. Atq; eadẽ inſano, turpia perpetrandi certiſſima occaſio eſt.

Opes arte parantur.

Ratio eſt cumulata bonis omnibus.

Fortuna abeſt ratione nõ utentib.

Plutarchi de uirtute & uitio lib.

OTTOMARO LVSCINIO INTERPRETE.

Homioſis uenuſta.

VESTES confouere quidem uidentᷣ hominẽ, at nihil habent in ſe caloris, neq; illum poſſunt corpori miniſtrare, quandò ſuapte natura gratiſſima quæq; ueſtis mirè friget, ueluti experientia docet febri æſtuantes, dum ſubinde mutatis ueſtib. quęrunt refrigeria. Verũ qua ratione ab amictu calefiamus, paucis accipe. Calor ipſe ex humano corpore effuſus, à ueſte ſuperiniecta excipitᷣ, ac retinetur: mox in omnes diuiſus partes, inq; D corpus quodãmodo adactus, diſpergi & perire nõ ſinitur. Hæc cùm ita ſe habeant in rebus humanis, falluntᷣ longè qui magnas & ſumptuoſas ſibi circundant domos, mancipiorũ turbã, opeſq; inexhauſtas cõgregant, hac ſola ſpe freti ut uiuant iucundius, quãdò dulcedo uitæ atq; hilaritas haudquaq; in rebus externis ſita eſt, ſed potius ex domeſticis & ſuis, id eſt, ex propria animi uirtute, homo ueluti ex fonte, uoluptatẽ ſibi cõparat & gratiã, dicente poëta: Eſt honorata domus magis hæc ubi flamma relucet.

Felicitas non fortuitò, ſed ex ſeſe contingit.

Opes enim plus habẽt uoluptatis, gloria multò eſt illuſtrior, & potentia item, ſi in animo ſolidum poſsideas gaudiũ, unde inopiam, exilium, & ſenectã quoq; ipſam leniter & placidè ad patientiã morumq́; lenitatẽ traducere poſsis. Et quemadmodũ aromata tritas etiã lacernas ſuaui replent odore, Anchiſæ ueſtimento contrà tabo fluente, ut ait poeta, & tetram ſaniẽ ſtillante purpura: ſic cum uirtute uictus omnis, totaq́; uiuendi ratio amœna eſt & periucunda. Vitium uerò etiã quæ ſplendida apparent & precioſa, multumq́; honeſta, cõtaminat, moleſta illa reddẽs, horrida & abiecta ſuis poſſeſſorib. adeò ut rectè dictũ ſit:

Peruerſitas morum omnem fortunã inamœnam facit.

Quem uulgus in foro beatum prædicat, Domum petens eſt omniũ miſerrimus.

Vxor enim ibi imperat omnibus, leges imponit, ſæuoq́; cuncta Marte conturbat. Atqui muliere improba facilè careat quiſpiã, & in libertatẽ ſeſe uendicet, modò uir ſiet, & nõ uile mancipiũ. Porrò aduerſus ſua ipſius mala nemo ſcribit repudij libellũ. Neq; enim fieri poteſt, ut dimittas atq; ſedes ea mala quæ occuparũt uiſcera, & intimas medullas, iamq; ſimul à teneris coaluerũt & noctes & dies: inflãmant eñ miſerũ occultis uiribus, effœtæq; tradũt ſenectuti: Moleſti planè hi tui ſunt comites, ob nimiã arrogantiã: Sumptuoſi conuiuæ, atq; æris prodigi, crapulæ gratia, ſimul tecũ cubantia ſummo cum dolore, ob ſolicitudinẽ & curas ac zelotypiã, quibus dulcẽ excutiunt ſomnũ, prorſuſq; profligãt. Somnus enim incidens dormientib. corpori quidẽ miniſtrat quietẽ, ſed animo peruerſo ſomnia affert, metum, & perturbationes ſuperſtitionũ gratia, dum aiunt, En dormiturienti mihi & quaſi conniuenti obrepit anxietas, nullus iam ſum, planeq; perij inſomnis. Eſtq; in cauſa aut liuor, aut metus iráue, ſeu totũ hoc agit uitæ intemperannia. Itaq; interdiu peruerſitas animi prædicta, foras proſpicit, & alludit cõparibus, interea noxios leniens ac celans affectus. Non enim totũ ſe prodit etiã acrius cõcitata, ſed in diuerſum nititur plerunq; & repugnat. Cęterũ inſomnis, ubi longè exulant honeſtas & legũ ſeueritas, maximiſq; interuallis

Somnia peruerſorum turbata.

A uallis abſunt metus & pudor, tum omnẽ appetentiam cõmouet, ac excitat morum prauita-
tem incõ ceſſamq́ꝫ libidinẽ, adeò ut matri etiã ſe uideat quiſpiam impias manus inijcere, ue-
luti meminit Plato, illiq́ꝫ turpiſsimè cõmiſceri, & ueſci inſuper uetitis à lege cibis, à nullaq́ꝫ
turpitudine manũ cohibere, in eo fructũ omnẽ uoluptatũ conſtituens, ſi leges tranſgrediaẽ
uel ſolis ſpectris & nocturnis illis uiſionibus, dum nõ liceat animũ ueris cupidinibus exple
re, ſed mouere duntaxat affectus & irritare animi morbos. Iamq́ꝫ ea eſt peruerſitatis ſumma
felicitas, ſi nihil tutum ſit, nihil ſatis, nihil quietũ, ſed cõfuſa atq́ꝫ turbata omnia. Et corporis
quidẽ uoluptatẽ ex eo metimur, ſi rectè ualeat, bonaq́ꝫ ſit ac temperata illius habitudo. Ve-
rùm ut hilaris ſis, & gaudeas animo, cautio certa eſt adhibenda, ne ſedẽ ibi tranquillã ſtruat *Rationis eſt ſe-*
inconſulta nulliusq́ꝫ rei metuens temeritas, ſed arridente ſpe quapiã & uoluptate, ratio ſuo *dare noxios affe*
clamore omnia cõtineat in officio: nõ aliter ac ſi turbo uentorũ diei ſerenæ incidat. Iam abi *ctus.*
& corrade aurũ, cõporta argentũ, ambulacra cõſtruito, ſeruis domũ, & urbẽ debitoribus im
pleto, ſi nõ ſedaueris in animo turbatos affectus, & immodicũ habẽdi amorẽ, teq́ꝫ metu ina
ni curiſq́ꝫ exemeris, ita habeto, te febri laborantẽ uino ſouere, bilioſo adhibere mel, cibos &
opſonia pręparare inteſtinorũ difficultatẽ, aut alui fluxũ patientibus, nõ modò nihil gratifi
cans morbo affectis, aut ſanitati cõſulens, ſed inſuper etiam præſentẽ afferens perniciẽ. Vi-
deas aũt languentes odiſſe cibos etiã ſelectos & precioſos dum offerunẽ ipſis, atq́ꝫ etiã ad ſu
mendũ eoſdem urgenẽ: reſpuunt enim eos cõſtanter & auerſanẽ. Porrò ubi primũ reddita
fuerit temperata habitudo, cõcitatus ſpiritus & anhelus ſedaẽ, ſanguis acidũ mutat ſaporẽ,
& calor naturalis ſuo conſiſtit loco, tum ſurgunt è lecto, & panẽ etiam cibariũ ſimul cum ca
ſeo & naſturtio edentes, ſummopere exhilaranẽ. Talem profectò concinnitatẽ efficit in ani
mo ipſa ratio, ubi didiceris quid uerè ſit bonũ, quidue honeſtũ: mirũ enim ꝙ facilè euaſeris
frugalis, tuaq́ꝫ cõtentus ſorte. Iam ſallor ſi paupertatẽ nõ ſis habiturus in delicijs, ibiq́ꝫ regnũ
tuũ cõſtituas, uitã illã popularẽ, nullius opib. inuidentẽ, minusq́ꝫ curioſam, pluris etiã faciẽs
principũ imperijs. Itaq́ꝫ ſapientię incũbens ſtudio, uitã uiues omniũ dulciſſimã, etiã atq́ꝫ etiã *Rationis offi-*
teipſo indies euadẽs melior atq́ꝫ hilarior. Nunc dulcedine ſua te capiẽt opes, quò in multos *cium, omnia iu-*
poſſis eſſe beneficus: modò paupertas erit iucunda, uitã tribuẽs curis ſolutã, planeq́ꝫ liberã. *cunda reddere.*
Eſt quãdo gloria titillabit animũ, ut perſpectũ habeas uirtuti ſua nõ deeſſe pręmia. Quòd ſi
B honor meritus (ueluti ferè fit in tanta rerũ cõfuſione) non cõtingat, maximo carebis malo,
(quippe inuidia.

Plutarchi περὶ πολυφιλίας, id eſt, de amicitia in multos diffuſa, libellus.

OTTOMARO LVSCINIO INTERPRETE.

MENNONEM quendã Theſſalum, rhetorẽ planè nõ inexercitatũ, ſed in ꝗ
illud Empedocleũ agnoſcas licebit, Sapientia ad ſummũ euecta ueluti
immodica effluit, Socrates interrogabat, quid eſſet uirtus. At ille impu-
dens ꝗd in buccã uenerat mox reſpondit: Virtus eſt quæ cadit in puerũ,
ſenem, uirũ, fœminã, principem, popularẽ, dominũ & ſeruũ. Rurſus So
crates: Agè uir bone, de una uirtute interrogatus, ingens uirtutũ examẽ
nobis cõcitaſti: recto nimirũ in hoc uſus cõſilio, quia unã ignorans, mul
tas nobis memoraueris. Sic nos itidẽ ueremur ne fiamus ridiculi, multorũ affectantes ami-
citiã, dum ne unũ quidẽ cõſtanter poſſideamus amicũ. Eſtq́ꝫ nõ alius hic metus, atq́ꝫ ſi mem
bris mutilus aut cæcus, timeat ne Briareus fiat, cui centũ erant manus, aut Argus, qui totidẽ
oculos habebat. At nos cõtrà impendiò celebramus iuuenis illius apud Menandrũ inſigne
elogiũ: Præclarũ, ait, æſtimes optimũ quenq́ꝫ uirũ, cui amici cõtigit etiã umbra. Cauſæ autẽ
cùm plures impediãt uerã amicitiã, tum uerò potiſsimũ pluriũ amicorũ appetentia, quę nõ
aliter atq́ꝫ parũ honeſtis cõtingit mulieribus, crebrò atq́ꝫ multorũ cõplexui patentibus, pri-
mi amorẽ dum retinere nõ poteſt, facilè cõtemnit & abijcit. Et ueluti puella in uiridi prato
cõſidens, dum aliũ inſuper atq́ꝫ alium florẽ decerpit, ſemper nouis arridẽtibus, & in ſui amo
rem trahentibus, primos faſtidit ac negligit: ſic nouitatis ſtudiũ & animi incõſtantia, incon *Inconſtantia fa-*
ſultò aliud alio cõmutans, nos ſemper ad recentiora pertrahit, ut noua ſubinde meditemur *ſtidit amicos.*
initia, eaq́ꝫ relinquamus imperfecta: nouã familiaritatẽ & gratiã nunc cũ illo ineamus, mox
cum alio, ob prætéritos amicos atq́ꝫ neglectos, nullo amore penitus nobiſcũ perdurãte. Pri
mùm igiẽ à Veſta deorũ matre incipiendo, famã per tot ſecula ad nos deductã ſequamur, de
amicis cõſtantibus, uetus nimirũ & efficax rationis, certiq́ꝫ exẽpli documentũ. In ꝗ amicorũ
quædã paria numeranẽ, Theſeus & Perithous, Achilles & Patroclus, Oreſtes & Pylades,

C Phintias & Damon, Epaminondas & Pelopidas. Eſt enim amicitia animal minimè gregarium, aut graculatim uolitãs, dum amicũ alterũ ſeipſum eſſe putat, mutuo colloquio ſeſe cõpellãs: q̃d nihil planè eſt aliud, q̃ preſcribi illius modũ duali numero, eò q̧ exiguo ære nulli

Quibus rebus comparentur amici.

cõtingat multos poſsidere ſeruos, aut amicos: ſitq̧ numiſma ad amicos cõparãdos idoneũ, uel ſola beneuolẽtia, propenſusq́ in alterũ amor, uirtuti cõiunctus. Quibus profectò rebus natura nihil poſsidet rarius: ut rectè hinc conſequat̃, ardentius amare, amariq́, haudquaq̃ inueniri poſſe in turba. Verũ quemadmodũ fluuij in multos diducti riuos lentiorẽ habent curſum, ita uehemens amor in multos diſperſus haud dubiè marceſcit. Ea certè eſt ratio, q̧ natura quibus animantib. unicũ tribuit fœtũ, eis amorẽ indiderit uehementiorẽ. Hinc Homerus dilectũ filium unicũ & hunc telygetũ, id eſt, in ſenecta matris æditũ uocat, quaſi quẽ ſolũ genuerit, poſthac fœtũ nullũ habitura. Nos igit̃ amicũ ſolum fore, indignũ quidẽ ducimus, ſed inter plures unum eſſe placet, qui ſit telygetus, id eſt, poſtremò æditus, & item ultimus, ſequuti nimirũ in hoc uulgatũ numerũ eorũ, quos, ut diximus, tradit antiquitas, modũ

Amici nomen ſanctum.

rei infinitæ ſtatuentes. Non em̃ illorũ accedere lubet ſentẽtiæ, qui amicos eſſe uolunt, nomine q̧ iſto dignant̃ cõbibones, pila taliſq́ ſimul ludentes, & ut inſuper addam negociationũ ſocios, palæſtræ, & cõmunis hoſpitij. In ædibus item principũ & hominũ ditiorũ cernere liceat turbã illam ſalutantũ, chaosq́ immẽſum eorũ qui dextras exhibẽt, & in ſatellitio comitantur. Vnde quidã felices prædicãt, quibus agmẽ tam immenſum cõtigit amicorũ: ſed longè fallunt̃ opinione: quippe ſi popinas illorũ multis cupedijs inſtructas intrent, uidebũt itẽ multa muſcarũ examina, nidore illuc attracta: & quẽadmodũ illo ceſſante mox omnes auolauerint, ita ſi iſtis ſpes deſit quæſtus, diſpeream ſi nõ protinus aulæ frequentia in ipſiſsimã uertat̃ ſolitudinẽ. Non igit̃ æſtimes illos amicos, qui ſolũ ſpectãt lucrũ, quãdò omniũ iſtuc

Amicitia tribus rebus conflatur.

eſt poſtremũ, uera atq̧ abſoluta amicitia tria potiſsimũ requirente: uirtutẽ ueluti rem honeſtam, familiaritatẽ uitæq́ dulcẽ conſuetudinẽ, ceu uoluptatẽ, & utilitatẽ tanq̃ rem apprimè neceſſariã. Primũ enim ad diligendũ amicos iudicio eſt opus, deinde uoluptate in cõuerſando ſimul, & poſtremò, ut uſui ſint, ſi illorũ egeamus opera. Quę omnia cùm ex diametro pugnent cum ea amicitia quæ diſperſa eſt in multos, tum uerò maximè exactũ in probando iudiciũ. Experientia em̃ uel breuiuſculi temporis nõ admodũ poſsibilis eſt erga muſicos, dum

D mutuò cõfabulant̃, & remiges importunè irruentes: ſic erga futuros diſpenſatores rei familiaris, & filiorũ pædagogos, quorũ amicorũ turba omnib. fortunæ dotibus nudata eſſe poterit & hero inutilis: quanq̃ interim quiſq̧ ſe frugi iactet, felici uenditet titulo, nihilq́ triſtetur ſi res aliter atq̧ uelimus cedãt. Atqui nauis in mare nõ uoluit̃ tot exponẽda tempeſtatibus, neq̧ agris ſepẽ prætendimus, aut pratis uallũ aggereſq́, multis obiectos incõmodis, niſi be-

Amici futuri explorandi.

ne exploratũ illorũ robur habeamus: noſq́ amicũ, quẽ nobis pollicemur futurũ uitæ huius aſylũ, & opem illius in periculis uniuerſis præſentẽ, nõ probatũ prius & fortuito caſu oblatum, admittemus? Profectò illũ nõ aliter atq̧ numũ adulterinũ, dum habemus, perditũ uolumus, amiſſum gaudemus. Cæterũ amittendi facultas atq̧ perdendi amicũ diſplicentẽ, nõ tam in procliui eſt, ut admittendi. Perinde em̃ atq̧ cibum noxiũ & peſtilentẽ retinere nõ audes, ueritus ne te corrumpat, neq̧ eijcere potes ſine moleſtia, iam bili permiſtũ: ſic malũ amicum ſi habes, læderis: ſin reijcis per uim & amarulentiã, nõ aliter atq̧ cholerã ſummo dolore euomis. Decet igit̃, ut nõ facilè amicos quoſcunq̧ obuios cõplectamur, neq̧ eos mox in amicitiã recipiamus qui nos ſtudio proſequunt̃, ſed dignos amicitia ſummo magis ſtudio proſequamur. Non em̃ protinus eligendũ eſt quicquid ſe ſpontè offert: quandò rubum ſpinasq́ nos cõplectentes ac ſedulò proſequẽtes, diſcutimus, ut rectà ad uitẽ aut oleam cõtendamus. Atq̧ eum in modũ minimè eſt ex re noſtra, ut mox illis parcamus, qui facilè nos colunt & obſeruãt, ſed refert potius ut ita nos cõparemus, quo boni uiri ac frugi colũt atq̧ obſeruẽt. Itaq̧ ut Zeuxis pictor quærentib. cur tardius longoq́ tempore pingeret, reſpondit: Ego longo tempore haud dubiè pingo, id eſt, ęternitati. Sic perpetuã amicitiã cõflare nõ licet, niſi longa uitæ cõſuetudine, exactoq́ iudicio. Vnde cõſentaneũ eſt, de multis nulli certum cõtingere iudiciũ. Quanq̃ multis fortaſſe cõmorari facilè quis poſsit, ſed hoc item fore

Conſuetudo amici dulcis eſt.

haudquaq̃ poſsibile crediderim. Eſt proinde fructus amicitię pręcipuus, mutua uitæ cõſuetudo: multoq́ omniũ dulciſsimũ, cõmorari amico, & totos in illius contubernio dies agere.

Nanq̧ decet charis uiuos conſidere amicis   Concilio, ut ait Homerus.

Et in Odyſſea Menelaus: Secernet nemo ſocijs nos, dum mihi dulcis
Vita manet, clauditq́ oculos non longa caligo.

Atqui longè diuerſum eſt amicitiæ in plures diffuſæ officiũ, ſi quis cum uera illa inter paria conſtante conferat: quòd hæc dulci hilariq́ colloquio ueluti lac candidũ, ut eſt apud Empedoclẽ, coit, cõdenſatur, & cõcreſcit in coagulũ, nil aliud præ ſe ferens q̃ unionẽ animorũ, &

comple-

A complexionē: illa uerò dum alius aliò uocat, uni attentū auellit, diſgregat atq; auertit, non
ſinens coaleſcere beneuolentiā uno glutino amici cōtubernij. Et ut hoc inſuper addā, aſpe-
ritatē affert ſecū clamoris, tempeſtiuos ſermones, qui per uices ſubſeruire deberēt ſocietati,
excludentis: adeò ut quæ dulciſsima ſunt, longeq; utiliſsima inter amicos, fiant maximè ina
mœna & moleſta, ſi in turbā amicorū transferas, ubi alienos ſubinde mores ferre cogaris, &
peregrina hominū ingenia. Neq; eñ natura ita comparatū eſt, ut quilibet homo cuiq; cōue
niat, nec fortuna ſinit eadē quibuſuis eſſe paria: ſed uir frugi nō aliter atq; uentus, hunc pro-
uehit, illū remoratꝛ. Quòd ſi quis omniū ſimul cupiat eſſe amicus, ſufficere nō poteſt cunctis
debito officio, dum hic gerit magiſtratū, ille eundē ambit, alius ſuſcipit. Vt ne dicā, ꝗ ſit ab-
ſurdū, eodem tempore à diuerſis ad diuerſa uocatū, ſingulorū deſiderijs uelle reſpondere.
Alius eñ nauigans, peregrinationis cupit eſſe comitē: alius in ius uocatus, patronū: aduer-
ſarius, accuſatorē. Eſt qui adeſſe te uelit uenditioni, rurſus alter emptioni: unus nuptijs feſti-
uum intereſſe, cōtrà alius funebri pompæ lugentē optat. Amicitia ergo in multos diſſecta,
urbi ſimilis eſt diuerſis ſacrificijs refertæ, alijs ad iucundā celebritatē, alijs ad planctū appo-
ſitis. Impoſsibile aūt eſt omnes ꝓſequi officio: neminē, planè inurbanū. Vt hoc inſuper ad-
dam, ꝙ uni inſeruiens, multis alijs pręteritis, infenſos nimirū illos tibi feceris. Nemo eñ tui
amans ęquo tulerit animo, ſi uideat ſe abs te negligi. Quanq; in excuſanda deſidia huiuſmo
di & negligētia circa amicos, ꝗ minus nobis ſuccenſeāt, præſtiterit ſimpliciter dixiſſe: Exci-
derat animo, obliuio me huius rei ceperat: ꝗ ſi dicas, In ius uocato tibi aduocatus nō fui, al-
terius amici cauſę tum patrocinatus. Item, nō acceperā te laborare febri, amicos fouēs alios,
& circa illorū incōmoda occupatus. Cauſam eñ negligētiæ prætexens, in alios diligentiā,
querimoniā nō lenieris, ſed potius reddideris aſperiorē. Porrò cōplures inuenias, qui ami-
citias ineunt, id ſolū ſpectātes ꝙ poſsint accipere, nō etiā ꝙ cogantꝛ ex æquo præſtare. Neq;
meminerūt ꝙ multorū adiuti cōmodis, uiciſsim iiſdē multis inſeruire debeāt opera eadem
egentibus. Vt eñ Briareus centū manib. quinquaginta alens uentres, nobis nō fuit felicior
qui geminis curamus unum: ſic ex amicis multa referētes cōmoda, rurſus labores ſuſcipia-
mus oportet in illis tutandis, uariasq; occupationes in fouendis. Neq; audiendus hîc mihi
Euripides uidetꝛ, qui in iuuando amicos modū ſtatuit, uelaq; cōtrahi iubet, ne ex intima ani

Moleſta eſt in multos diffuſa amicitia.

Viciſsitudo beneficiorum in amicitia neceſſaria.

B mi medulla afficiamur amicis: ita enim facilius per occaſionē ſolui poſſe cœptas amicitias,
potiſsimū ſi ad illas curſum dirigēs, ꝓpoſito in animo quęſtu, quē inde ſperes, nō aliter atq;
nauigio uectus, modò ꝓgredi uelis claui miniſterio, mox aliò nauim auertere. At nobis te
cōpellare iam libeat ô Euripides, cur nō magis hæc uerba in eos torques qui hoſtiles gerūt
animos, iubes modū ponere diſsidijs, ne ad intimā animi medullā penetrent, ꝗ facilius ſol-
uantꝛ odia, iræ, rixę, ſuſpiciones, & reliqua id genus incōmoda: nobiſq; præcipis illud Pytha
goricū, Ne cuiuis inijcias dexterā, id eſt, ne multos tibi cōpares amicos, ne amicitiā comple
ctaris omnib. in cōmuni patentē, prorſuſq; popularē? Porrò affectū in amicos retineas inge
nuū, & ad quæuis officia propenſum: quādò generoſi animi eſt, amici angores, luctus, labo
res & pericula ſua facere. Nō minus igitꝛ uerè ꝗ eleganter Chilon ad quendā, nullū ſe inimi
cum habere iactantē, ait: Videris mihi ne ullū quidē amicū poſſidere. Maleuolentia eñ ad-
uerſariorū mox conſequitꝛ initā amicitiā. Quis eñ uſpiā gentiū amicū habet nulla lęſum in-
iniuria, nulla ignominia, & cui nemo ſit infenſus? Atqui inimicorū hoc eſt propriū, mox de-
ſpexiſſe eum qui in amicitiā inimici ſe inſinuauerit, perpetuoq; odiſſe. Contrà uerò amici, er
ga alios in amicitia receptos, liuore quopiā aut zelotypia fortaſſe extimulantꝛ. Quēadmodū
aūt Timeſiæ datū oraculū de futura quadā colonia ait: Alueus hic iam pulcher apum, mox
tempore ueſpas Accipiet: ſic quicunq; amicorū tota quærūt examina, de ueſpis hoſtiū
in quos incidēt, parum interim ſunt curioſi, nec intelligūt quanto diſtent interuallo inimici
ad nocendū maleuolentia, & amici ad iuuandū amor. Nam ſi æqua lance rem tecū penſites,
acrior plerunq; in nocendo eſt malignitas, ꝗ in iuuādo amicorū dilectio. Atq; iſtuc uel præ
ſenti diſcas licebit exemplo Alexādri, qui ſæuijt in Parmenionis amicos & domeſticos: ſic
Dionyſius in familiares Dionis, Nero in Plynti neceſſarios, Tiberius in eos qui Serani par
tibus fauebāt: omnes eñ iſti amicorū gratia torti ſunt immaniter à principib. uitaq; priuati.
Et quemadmodū Creonti nihil profuit filiæ aurū immēſæq; opes, igne ſubitò accurrentē &
colligēdi auidū corripiente, ita ut ſimul periret incēdio: ſic quidā nullū capientes fructū ex
amicorū felicitate, ſimul cum miſeris pereunt. Id ꝗd fermè accidit ſapientiæ ſtudio & huma
nitatis incumbentib. ueluti Theſeo, qui ſuo Perithoo ad pœnas rapto, & cōpedibus uincto,
proprios pedes uinculis liberos adiunxit. In peſtilente uerò morbo, ut autor eſt Thucyd. uir
tus animi ſummaq; beneuolētia plerunq; in cauſa eſt, ut eodē fato implicentꝛ, ſimulq; pereāt
amici, dū nihil penſi habent, & parū prudēter inuiſunt languidos. Vnde in eū modū uirtuti

Odia ſoluenda non amicitiæ.

Boni uiri amicorum cauſa torti.

C haud parcere ſuæ, nõ admodũ decens mihi uideť, dum liberã illã, ſimul implicare & uincire
libet amicorũ incõmodis: quin magis præſtat mutuã illam cõmunionẽ uitæ ſeruare dignis,
hoc eſt, ijs qui uiciſsim amare, contuberniọq; dulci exhilarare poſſunt. Eſt præterea hoc uel
Feræ promiſcuos concubitus auerſantur. maximè aduerſum in amicitia erga multos, quũ uerã pariat ſimilitudo, ꝙ hic omnia uideanť
diuerſa, quę ne beluis quidẽ aliqua ex parte iucũda putanť. Nam ſi neceſſitas urgeat ad con
cubitũ illegitimũ alterius generis, collapſæ præ mœrore diffugiũt, cognatis uerò permiſtæ
& ſuis, gaudẽt, benignoq; animo ac facili illis cõmoranť. Quæ igiť, malũ, ratio eſt, illic plan-
tare amicitiã, ubi morũ inſignis eſt imparitas, & affectuũ nõ minor: ut ne dicã ubi illegitima
ſunt omnia, & planè coacta, longeq; aliud atq; aliud illi & alteri propoſitũ. Cęterùm muſice
Amicitia animorum paritas. in cantu & organis argutè quidẽ concors eſt ex acutis, medijs & grauib. modis, quanq̃ ſint
diſsimiles. Porrò amicitia nihil recipit, niſi exiſtat ſimile. Eadẽ ẽm uelle, eadẽ ſentire ac fate
ri, eiſdẽq; affici, ea res demũ firma amicitia eſt, nõ aliter atq; una anima in multis corporib.
æquabili ratione cõſiſtens. Quis igiť eſt ille tam uariabilis homo, nunq̃ ſibi cõſtans, qui mu
tetur in horas, & quẽlibet referat morib. cuilibet ſeſe aptet, ſimiliſq; reddaťr & nõ magis ri-
diculũ ſe præbeat uel Theognidis cenſura, qui ſic ait: Vt polypus petræ faciẽ mentiť inhæ
rens, Sic mentẽ uariat ſubdolus arte noua. Polypi aũt ſubita cõmutatio nõ pertingit ad
corporis penetralia, ſed cõtenta eſt ſola ſuperficie, accedentiũ duntaxat oculis imponens, ꝙ
facilius poſsit elabi. At longè aliam deſiderat amicitia, in qua eoſdẽ exprimas mores, pares
affectus & ſermones, ſimilia ſtudia, eadẽq; fugias & ſequaris, oportet. Protei uerò illius fa-
buloſi alia erat: multifariã ẽm uertebať pręſtigijs, cùm nullã formã certã haberet ac propriã.
Talis nimirũ fies, ſi libeat cum literarũ ſtudioſo libros euoluere, cum palæſtricis colluctari,
cum uenandi cupidis feras perſequi, cum potatorib. inebriari, & cum ambitioſis magiſtratũ
ambire. Poſtremò ſicut maximè informẽ Phyſici nudamq; ſubſtantiã eſſe prædicãt materiã
primã, in omnes formas mutari ſolitã, adeò ut modò ardeat, mox in aquæ liquorẽ ſe uertat:
Amicitia in multos diſſecta, obeſt moribus. iam euaneſcat in aurã, & protinus cõcreſcat in ſolidũ corpus: ita in multos diffuſa amicitia,
animũ ſubijcit uarijs affectib. uerſipellẽ facit hominẽ, ſubdolũ & uariũ, maleq; moratũ. At-
qui amicitia mores expoſcit minimè lubricos, ſed firmos, & perpetuo tenore ſibi cõſtantes,
D eundẽ amat locũ, & eandẽ uitæ ſocietatẽ: quæ cauſa multò omniũ potiſsima eſt, cur tam ra-
ra auis ſit, inuentuq; difficilis, conſtans amicus.

Plutarchi, quatenus, aut quo fructu liceat iuueni audire poeticam, libellus.

OTTOMARO LVSCINIO INTERPRETE.

QVOD ex carniũ numero, ut autor eſt Philoxenus poëta, ô Marce Seda-
pe, dulciores illæ habeanť, quæ carnes nõ ſunt, & ex piſcibus hi qui nõ
ſunt piſces, in manu nobis eſt ut ꝓtinus doceamus, potiſsimũ apud eos,
de quib. Cato ait, ꝙ ſenſu polleãt acutiore palati, q̃ cordis. Quandò per
ſpicuũ eſt nobis, iuniores ex ijs quæ in philoſophia dicunť, impenſius
gaudere, alienis à uirtute ac ſapientiæ ſtudio, illiſq; auditores ſeſe exhi-
bere, & diſcipulos nõ admodũ probè moratos: ita ut nõ modò Aeſopi-
cas fabellas & poëtica argumenta, ſed Abarin quoq; illum Heraclidis, & Lyconẽ Ariſtonis
percurrẽtes, quæ illic cõmiſta ſunt ad animi rationẽ cõducibilia pręcepta, ipſi cum uolupta
te quadã, nugacibus fabulamentis applicãt: adeò ut nõ ſolùm oporteat in ijs uoluptatibus,
Auditus à turpitudine cohibendus. quę circa cibum ſunt ac potũ, turpitudinẽ fugere, uerumetiã legendo & audiendo aſſueſce-
re, ut nõ aliter atq; in opſonio quodã manducando, modeſtè eo quod delectat utamur, non
minus interea ſequentes quod ſalutare eſt & cõmodum: non enim obſeratæ urbem quam
piam ſeruant portæ, ne præda fiat hoſtibus, ſi alibi pateat aditus: neq; iuuenẽ ſatis munit ab
alijs oblectamentis tenaci propoſito indicta cõtinentia, dummodo auditu capi ſeſe permit
tat. Itaq; quo magis ille ſenſus rationi & humanis cogitationibus atq; conſilijs uidetur eſſe
cõiunctus, eo maiori nocumento lædit ac corrumpit mortales, qui clauſtris illum cohibere
neglexerint. Cæterùm quando haudquaquã fieri poteſt, ut à poëtica prorſus arceatur iuue-
nis, neq; iſtuc admodum expedit, in ea potiſsimũ ætate qua meus eſt Soclarus, & tuus item
Cleandrus, omnis in hoc cura adhibenda eſt, ne cuſtodia deſit: quòd in lectionib. magis q̃
in itinere uideantur ducibus ac pædagogis indigere. At mihi quidẽ in mentem uenit, ope-
ræpreciũ fore, ut quæ iampridẽ de poëtica diſſerueram, cõſcripta à nobis, & ad te protinus
miſſa perueniãt: tuq; illa ſi nõ appareant inferiora uirtute ijs lapillis qui uocanť Amethyſti,
uim quandã attrahendi dum labore fatigati accendunť, nacti, Cleandro tuo exhibeas ue-
lim:

A lim: explorato tamen in primis illius ingenio, in nulla equidē re ignauo, ſed ad omnia ue-
hementer acri & perſpicace: ꝗ duce ad hæc noſtra facilè ſibi parauerit aditū. Polypodis ca
put partim eſt bonū, ut plurimū itē noxiū: nam ſi comedas, nihil eſt dulcius: porrò ſomnū
perdifficilē uiſionib. horrendis & portentoſis, ut perhibent, facit. Ad eum modū poëtice *In poëtica, bona*
non parū multa cōtinet, quæ dulcedine ſua iuuenile uegetent ingeniū: at nō minus ibi li- *triſtib. ſunt per-*
ceat inuenire ꝗd conturbet, & à ueri ratione diſtrahat, potiſsimū ſi recta deſit in ea re inſti *miſta.*
tutio. Quod nō tam uerè de Aegypto dicere poſsis ꝙ de poëtica, ꝗniā in promptu habeat

Et bona permiſta, & ſua triſtia pharmaca multa.
Hinc amor, additus & uerbis dolus, inde uoluptas,
Docta quibus mentem ſapientibus abſtulit omnem.

Non enim adorit̃ bardos fallax hoc genus cōmenti ſtupidosq́;, ꝙ parū ſint idonei ad hāc
rem, quę captū illorū excedat: adeò ut interrogatus Simonides poëta, qua ratione fraudē
poëſi ſua nō ſtrueret Theſſalis, dementiores ait eſſe illos, ꝙ ut à ſe queant decipi. Gorgias
proinde Tragœdiā definiuit eſſe dolū, quo inſtructi autores, illū uſurpantes, meliores ſint
ꝙ ij qui ab eodē abſtineāt, & decepti ſapientiores nō deceptis. Vtrum igit̃ ex his duobus
amplectamur, incertū. Num uidelicet adoleſcentib. ſociorū Vlyſsis exemplo, aures cera
obturemus, atq; cogamus illos arrepto auxiliari nauigio, poëticā fugere ac præternauiga
re: ſeu recta magis ratione perdurātes, & ab illa ſententiā rogantes retineamus, ac ita red
damus inſtructos, ut per uoluptatē in nulla prorſus incōmoda labant̃. Neq; enim Dryan-
tis ille filius, inſignis Lycurgus, uiſus mihi eſt ſapere, quia ob multorū uinolentiā & ebrie
tatem, uites circūambulans illas amputauerit, cùm licuiſſet illi propius admouere fontes,
& inſatientē deum Bacchū, id quod ait Plato, altero deo ſobrio cōpeſcere, & ad modera-
tionē perducere. Auſert enim à uino aquæ cōmiſtio id ꝗd eſt noxiū, nō perimens interim
quod eſt utile. Itaq; poëtica Muſarū quædā portio, haudquaq; excidēda nobis eſt & pror *Poëtice non*
ſus reijcienda, ſed fabuloſum hoc & theatrale ꝗd habet, ſicubi deprehenderimus intempe *reijcienda.*
rie quadā uoluptatis temerè in expugnanda ueri opinione omnia audere, ac prorſus inſa-
nire, cohibendū utiq; eſt illud & protinus reprimendū. Porrò ubi muſam cōiungit gratię,
amœnitas illa ſermonis ductu ſuo nō modò nō inanis, ſed etiā plurimū frugifera eſt: atq;
B tum maximè locus poſtulat, ut illic philoſophiā inueſtigemus ac introducamus. Vt enim *Philoſophia ad-*
mandragora prope uites naſcens uirtutē miniſtrās uino, leniorē efficit illius in potatores *mouēda poëticæ*
uim inebriandi: ita poëtica ex philoſophia certas accipiens rationes, & fabuloſæ narratio
ni cōmiſcens, faciliorem nimirū effecerit & amabiliorē illius cognitionē. Proinde nec fu-
gienda quidē eſt poëſis ei qui philoſophiæ ſtudijs fuerit deſtinatus, ſed magis in poëtica
pręludijs quibuſdā philoſophandū eſt, adeò ut in eo ꝗd oblectat, aſſueſcant id demū quæ
rere ꝗd eſt utile, atq; inuentū amare impenſius, modò nō repugnent ſibi hęc duo ac peni-
tus diſsideāt: nam initiū eſt profectò omnis diſciplinæ poëtica: & hæc, ꝗd ait Sophocles, *Poëtice omnis*

Initia ſi bona cuiq; das negocio, Talem rei ſperes licebit exitum. *diſciplinæ ini-*

Primùm igitur afferamus in mediū ꝗd paſsim eſt obuiū, & in poëticen ingenioſe excogi- *tium.*
tatū, quoniā multa mentiunt̃ poëtæ: & ex illis ſua ſponte quædā, nōnulla uerò neceſsita-
te coacti. Spontè, quia nō admodū ſuauē auditu pleriq; arbitrant̃ ueritatē: quæ ratio poë-
tas urget, ut maiori ſtudio uoluptatē & gratiā in nugis ſectent̃. Nam res geſta ſi finem ha-
beat inamœnū, nihil cōmouet animos. Cæterū afflictio in uerbis, mirū dictu ꝙ facilè à re-
bus triſtiorib. ad hilaritatē auditores cōmouerit, atq; ui ſua traduxerit: ꝙ neq; uerſus ipſe,
neq; figura, neq; acumē dicendi, aut tempeſtiua metaphora, cōcinnitas aut ſtructura, tan-
tum afferat ſecū illecebrarū, quātū ineſt fabulę ſuis affectib. rectè ſibi cōſtanti. Et quem- *Fabulæ uis.*
admodū in picturis uehemētius mouet color ꝙ linea, ad hoc ut humana effigies reddatur
conſpicua, & fallant̃ ſpectatores: ſic in carminib. ueri ſimilitudo admiſta nugis, attonitos
quodāmodo reddit ac decipit eos qui audiunt, magis ꝙ diligens ille apparatus uerſib. ac
dictionis elegantiæ adhibitus. Vnde & Socrates quibuſdā ſomnijs poëtarū aliquando ta
ctus, ueritatē quoad uixit impugnās, nō inelegans, ꝗd ad perſuaſionē attinet, nugarū arti
fex erat: atq; idē fabellas Aeſopicas uerba eſſe cēſuit, nec ad poëticē accedere, quę fictionē
adeſſe poëmati uelit. Proinde ſacra quidē inuenire licet ſine choro & tibijs, at poëticē eſſe
neſcimus quę fabulis careat ſuoq; mendacio. Carmina autē illa Empedoclis, Parmenidis,
Theriaca Nicandri, & Theognidis morales ſentētię, orationes ſunt quę à poetica mutuā-
tur ceu uehiculi uice uerſum & dicēdi acumē, ꝗ effugiāt humile genus eloquij. Igit̃ ſi abſur
dum aliquid & moleſtū in poëtica dictū fuerit de ſuperis ac heroib. aut uirtute, à uiro elo-
quente & celebri, quicunq; rem ita accipit, ac ſi uerè ita ſe habeat, mox fert̃ in pręceps, cor

(rupta recti opinione,

C Porrò qui meminit præſtigiorum mendacij, quæ nunquam non palàm apparent in poëtica, quiq; in promptu ſemper habet quò illam compellet, ac dicat, O machina mutabilior ſingultu, quid ludens ſupercilia ducis, aut quid effingis dolo quod doceas? nihil ille audiet moleſtum, aut turpe credet, uerùm tunc capietur, quum metus ac terror illum agent ſolicitum, ne terrã corrumpat Neptunus, illaq; ablata, manes tecto ſuo nudentur. Capietur item Apolline in principem Græcorũ ſæuiente, quando ipſe Deum euehit hymnis, illius adhæret ſententiæ, ſimulq; dicit, is planè eſt qui Graios occîdit. Proinde à lachrymis quoq; facilè temperabit, Achille & Agamẽnone languidas manus ac ſupplices ad tartara immenſo uitæ deſiderio tendentibus. Porrò ſi uiribus aliquando diffiſus, cedere uidebitur, affectibus ceu ueneno quopiam infectus, non grauabitur huiuſmodi uerbis ſeſe cõpellare:

Quin tu lucernam poſcis tibi protinus euge?

Atq; haud dubiè noris hæc omnia à tergo tibi imminere, ſi mulier fueris. Nam in gratiam fœminarũ hæc funebria ſcripſit Homerus, ueluti fabulam uerè anilem & muliebrem. Et hæc quidem ſunt quæ ſpontè confingunt poëtæ. Atqui bona pars non fingitur, ſed ab illis certa perſuaſione credentibus ceu unguento nobis delinitur mendacium: quale illud de Ioue, quod narrat Homerus:

At duo fata ſimul mortis crudelia firmat,
Caſura in caput Hectoris olim & Achillis.
Diſtrahe de medio, ſubducito penſa dierum
Hectori, adit Stygios, hunc liquit clarus Apollo.

Aeſchylus tragœdiam totam fabulæ inuoluit, quã inſcripſit Pſychoſtaſiam, utriſq; lancibus trutinæ Iouis admouens deas pro filiorum pugnantium ſalute ſupplices, hinc Thetidem, hinc Matutam: atq; hoc quidem minimè eſt obſcurũ, eam poëſim fabuloſam, & affictionem, ad uoluptatẽ, & quò concitatum redderet auditorẽ, eſſe compoſitã. Porrò illud:

Excubias agit in bello Saturnius ipſe.

& quod dicitur: Cauſam deus inſerit mortalibus,
Totam domum affligere dum uult quampiam.

hæc iam ex opinione dicta ſunt & fide autorum, qua proprium circa deos errorem atque
D inſcitiam nobis exhibent ac ingerunt. Rurſus portentoſæ narrationes de Manibus, & affectus horrendis nominib. phantaſmata cordibus humanis inſerentes, ſimulachra fluminum ardentium, locorum agreſtium, & ſuppliciorum immanium, non admodum multos fallunt, quòd pleriq; ſciant fictionem & nugas ijs rebus ceu toxicum epulis eſſe permiſtũ. Proinde neq; Homerus quidem, aut Pindarus, uel Sophocles, quaſi illa habuerint certa & perſuaſa conſcripſerunt, quæ paſsim leguntur: Hinc languida flumina eructant obſcuræ noctis immenſam caliginẽ. Et rurſus: Ibant ad fluenta oceani, albicantẽ petram, & refluas undas, anguſtis faucib. ac porrò profundi orci. Deniq; ſunt qui mortẽ quaſi miſerã deflẽt, & illos item qui iacent inhumati, infelices æſtimãt, quando trepiduli has uoces emittunt:

Cura ne planctus deſit poſt fata, ſepulchro
Neu caream uagus errans. Et alibi:
Spiritus infernum uolitans è carne petiuit,
Sortem pertæſus miſeram, quia linquere robur
Viſus erat iuuenum, tum fortia corda uirorum.

Item: Ne me perdas morte immatura, iucundũ eſt enim uidere ſolis lumen. Et: Ne me cogas ſedes uidere ſubterraneas. Verùm hæc omnia affectibus laborantiũ, & errore ac gloria captorũ ſunt uerba: unde accidit ut magis ijs tangamur & loco cedamus, dum eorum imbecillitas & triſtis affectus nobis inſidet animo, à quibus hæc dicuntur. Ad hæc itaque rurſus tramitem ſtruamus oportet, qui recta eô ducit, quòd poëticæ nihil fermè conuenit cum ueritate: quippe difficilè hanc aſſequêris & comprehendes, ſi aliud agens, circa ueri ſtudium & cognitionem non totis uiribus occuperis: id quod in confeſſo quoq; poſitum uideri poteſt Empedoclis teſtimonio. Nam illud nobis eſt in promptu:

Poëtica expers ueritatis.

Quæ non uiſa uiris, quæ mens non hauſit & auris.

Et Xenophanis item:

Vir mihi nullus erit, fuit aut, qui norit apertè
Dicere, quæ mens eſt de cunctis ordine diuis.

Quodq; apud Platonem Socrates ſanctè abiurat poëſeos cognitionem, quaſi poëtæ uulgò parum ſint attenti illis in rebus, quas uident philoſophis uertiginẽ concitare. Deinde & hoc inſuper adijciamus, quòd poëticam deſcribentes, cùm illam ad poëſim conferunt, hiſtrio-

A hiſtrionicam artem aiunt eſſe, & uirtutem quandam picturæ ſimilem: adeò ut non ſolùm
uulgatum illud receptum eſſe uideri debeat, quòd uidelicet poëtica loquens ſit pictura, *Pictura.*
atq; hæc muta poëtica: ſed id quoq; aſtruendũ, quòd pictam alicubi lacertam, ſimiam, aut
Therſitæ faciẽ intuentes uoluptare capimur & admiratione, non quia appareant hæc eſſe *Ars imitanda et*
pulchra, ſed quia rectè expreſſa, & ſimilia: nam ita res habet, ut nõ poſsit uideri ſpecioſum *decorũ, non res.*
quod natura eſt fœdum: quanquam non minus interea imitatio laudatur, quæ rei ſimili-
tudinem artificioſe aſſequitur, ſiue illa ſit pulchra, ſiue deformis: ac contrà nihil præſtitiſſe
uidetur, qui corpori inepto & turpi, imaginem formoſam dederit, quòd hoc ſit aberrare à
decoro & lineamentis. Scribunt autẽ nonnulli res abſurdas, ut Timonachus Medeæ cæ-
dem qua ſuſtulir liberos: Theon Oreſtis paricidiũ in matrem: Parrhaſius ſimulatã Vlyſ-
ſis inſaniam: & Chærephanes intemperiem uerborum, qua mulierculæ adoriuntur mari-
tos: in quibus potiſsimũ rebus docendus eſt iuuenis, ut aſſueſcat ſecum expendere, quòd
minimè rem ipſam laudamus cuius facta eſt imitatio, ſed potius artem, quę decorè conſe-
quitur ſubiectæ rei argumentum. Itaq; quando poëtica crebrò facta triſtia, & affectus ac
mores peſtilentes per imitationẽ prædicat, amplexari iuuenem par eſt admiranda illa &
egregiè dicta, atq; probare, non quaſi uera & honeſta, ſed laudare ſolùm quia conçinna
ſunt, & perſonæ congruunt, ac materiæ ſunt maximè propria. Nam ut porci clamorẽ, ro-
tæ ſonitum, uentorum ſuſurrum, & maris fremitum audientes turbamur & indignè feri-
mus, porrò ſi quis feſtiuè hęc æmuletur, quemadmodum Parmenon ſuem, & Theodorus
rotas, uoluptate afficimur: ſic implicitum morbo hominem, taboq; fluentem, ceu ſpecta-
culum minimè iucundum, auerſamur: at Ariſtophontis Philoctetem, & Silamonis Ioca-
ſtem, pari modo corrumpi ac trucidari ab hiſtrionibus qui illas agunt, uidemus, & læta-
mur. Ita iuuenis legens quæ ridiculus Therſites, aut Siſyphus latro, uel Batrachus leno di
xerit aut geſſerit, artem illam & uirtutẽ imitatricem ſtudeat probare, cæterùm affectus &
res geſtas execrari & reijcere: quòd in ijs rebus nihil ſit boni quod imiteris, quandò pul-
chrum in eo duntaxat eſt ſitum, quod rei aptè cõgruit, & prorſus eſt cognatum. Atqui co-
gnata ſunt & maximè conueniunt turpia turpibus. Vnde claudus ille Demonides, cùm *Decorum, dum*
amiſiſſet crepidas, optauit ut furis, qui eas ſurripuerat, pedibus aptè conuenirent: prauæ *turpia turpibus*
B enim erant, & ideo claudo magis idoneæ. Proinde uulgatum illud: *conueniunt.*

— Peccare ſi liceat modò,
Pulcherrimum eſt regni peccare gratia. Tum iſthuc:
Viri boni æſtimationem acceperas,
Felicis at rem omnem tunc lucraberis.

Item: Talentum ſi dos non capiat, tum uitam deſpicienti mihi talentum eſt, ut accingar in
occurſum ſomno, neq; præbebo quanquam inferorum urgeat pœna, cen impius in talen
tum argenteum. Peruerſi planè ſunt hi ſermones & meræ nugæ, Eteocli, Ixioni, & Toco-
glypho ſeni non parum apti. Porrò ſi cõmonefecerimus iuuenes, quo pacto hæc non eue
hant præconijs ſcriptores, neq; probent, ſed abſurda magis ac turpia, fœdis & incõcinnis
moribus ac perſonis tribuant, ſic fiet ut opinio poëtarũ illos minimè fallat, dum ſuſpicio
in perſonam incidens, opus illius ſimul cum ſermone proſcindat neceſſe eſt, ueluti res fœ
da à nebulone dicta factaq;. Quale eſt illud Paridis è bello in lectum fugientis, quum ne-
mo alius à poëta deſcribatur interdiu mulieri concumbere, præter hunc laſciuum & adul-
terum, ita ut minimè obſcurum ſit uitio dari, ac turpitudini coniunctã hanc intemperan-
tiam uideri. Proinde in huiuſmodi uerbis diligenter animaduertendum, ſi poeta quibuſ- *Poëtæ damnant*
dam indicijs prodat ſe rebus peruerſis offendi: id quod egit Menander in prologo Thai- *turpia quæ re-*
dis, ijs quidem uerbis: Muſa mihi memora talem audaciam, formã ſimul & ſuadelam ſub- *cenſent.*
dolam, quæ excludat amatores, immenſum petat, nullum amet, quanquam ſe affectam ſi
mulet. Optimè autem Homerus hoc genere dicendi utitur, qui primò accuſat improbita
tem, præferens interim quæ ſunt utilia. Præfert autem ad hunc modum:

Protinus hic uafra eſt & mellea uerba loquutus. Item:
Aſtitit, & placidis dictis fera pectora mulcet.

Et in damnando primum tantùm hoc agit poëta, ut apertè dicat & teſtetur, ſeſe intempe-
ſtiuis huiuſmodi dictis & pernicioſis neq; uti uelle unquam, neq; animum intendere. Ve-
luti quum narraturus eſſet, quo pacto Agamemnon ſacerdotẽ uerborum intemperie pro
fanaret, ait primò:

At non Atridæ placuit ſententia Graiûm,
Quin malè ſacrificum dimittit.

C hoc eſt, inciuiliter & animo feroci, id quod parum decebat. Achilli item poëta uerba hæc amarulenta, & temeraria tribuens:

O temulente, gerens faciem canis & leporis cor.

Idem ſuum tacitè ſubindicat iudicium, dum ait:

Compellat ſæuis rurſus Agamemnona uerbis,

Pelidesq́ ferox triſti male temperat iræ.

Ita enim fieri par eſt, ut nihil ex ira in quempiam acerbè dictum, pulchrum, aut decens uideri poſsit. Idem illi conſilium eſt in uelanda turpi re geſta, dum ait:

Non decet ut Hector pronus incumbere lectis

Ille uelit clarus, fixusq́ inſidere plumis.

Rectè enim uerbis obiter interiectis non aliter atq; calculis ſuffragiorum utitur, dum ex propria indicat ſententia, quid dici aut fieri omnino deceat. Cùm enim de adulterio Martis deos induceret loquentes, re uidelicet mala atq; ingrata, lentus mox inuenit celeritatē. Sic de Hectoris ſuperbia & immodica arrogantia uerba faciens, ita ait:

Ille quidem iactat ſua, non tamen omnia Iuno

Diua probat.

Eòdem pertinet quod de Pandari faſtu loquitur:

Dixerat, at ſtulto paruit mox docta Minerua.

Cæterùm ſententiæ & pondera uerborū inſpicienda ſunt cuiuis diligenti, alias enim ſubinde rerum geſtarū documenta ſeſe ingerunt. Veluti Euripides fertur dixiſſe ad eos qui Ixionem laceſſebant maledictis ceu impium & profanum: E ſcena equidem illum facilius eiecerim, quàm rotæ affixero. Porrò apud Homerum tacitè latet genus hoc doctrinæ, habetq́ ſpeculationem quandam non inutilem, in fabulis potiſsimum narrationi paſsim in-

Allegoria in poëſi. iectis, quas ueterū annotationibus, & (ut nunc uocant) allegorijs quidam torquent atq; inuertunt, dicentes Veneris cum Marte adulterium ſignificare, quòd in Solis & Veneris ſtellæ congreſſu, Mars adulterinas perficiat generationes: & ſi Sol inferatur ac utrunque comprehendat, minimè latere adulteria. Iunonis autem ornatū apud Iouem & incantationem ceſti, uolunt defecationem eſſe aëris, quando poëta igneam uim applicat, nec ta-

D men ullam ſolutionem Veneream dijs illis tribuit. Nam in Venereis cōmiſtionibus planè docet attentos, quod poëma turpe, & orationes argumenta parum honeſta recipientes, & mores contaminent, & cupidos deliciarum homines, molles, effœminatos, prorſusq́ enerues efficiant.

Balnea calda Venus ſequitur, dum ueſte renudat.

Itaq; Vlyſſem citharœdo præcipientem inducit poëta his uerbis:

Quin tu hæc miſſa facis, canis & mihi cultus equorum?

Rectè ſubindicans, quo pacto muſici, & poëticæ ſtudioſi, argumenta à ſapientibus & cordatis uiris recipere debeant. In illis autem quæ de Iunone referunt, egregiè oſtendit conſuetudinem uirorum & gratiam ex muliebribus ueneficijs incantationibusq́ conciliatā, non ſolùm momentaneam, fragilem, breuiq́ perituram eſſe, ſed etiam mox ubi uoluptas deferbuerit, in iram & inimicitias ſeſe cōmutare. Hæc enim ſunt quæ Iupiter ipſe Iunoni comminatur, ijs eam compellans:

Quò uideas quid proſit amor tibi, concubitusq́.

Quodq́ mihi ſtruis arte dolos, à limine diuûm

Progreſſa. Res igitur ſi gerantur noxiæ, illarumq́ imitatio idonea, modò ſequens è ueſtigio ſecum afferant nocumentum, & quòd autores turpitudinis pudefiant, proderit nimirum auditoribus, tantum abeſt ut officiat. Philoſophi autem in admonendo & ad bonos mores cohortando, ſubiectis utuntur exemplis, id quod poëtæ effingunt fabulis, re ante oculos dum geri uidetur, quodāmodo poſita. Melanthius proinde quidam dicebat, ſiue luderet, ſiue res tractaret ſerias, Athenienſium urbem ſe à rhetorum turbulentis ſeditionibus liberare: non enim omnes in unum impingerent parietem, ſed eſſet quoddam lenimentum eius quod offenderet, in diuerſis factionibus rempublicā adminiſtrantibus.

Controuerſia et diſceptatio ad quid utilis. Ad eum modum poëtarum inter ſe diſceptationes, fidem attenuant dictorum, nec ſinunt auditores acrius offendi. Vbi ergo ſcripta illis inſigne quoddam pariunt diſsidium, ei adhæreas oportet qui eſt melior, quemadmodum in ijs quæ ſequuntur:

O nate lædimur multum à cœlitibus.

Dixti deos quam facilè ut in crimen uoces. Et rurſus:

Impleris auro hoc, te gaudere non licet.

Stultum

A Stultum eſt opes colere, aliud quum neſcias.
Et quid iuuant hæc, num eſſet melius emori?
Rectè deos coles præter negocium.

Quæ enim ad hanc claſſem pertinent, in promptu habent uiam, qua nodum dirimas, modò ad rectum & indubitatũ iuuenes, ut diximus, prouehantur iudicium. Porrò quæcunque abſurdè dicta ſunt, non protinus ſolui poterunt, ſed per diuerſam ſententiam alibi prolatam ea perimas, neceſſe eſt. Neque poëtæ interim infenſus uideare, ſed magis affectib. illis puerilibus, ex quorum præſcripto hæc dicta ſunt, ſuccenſeas. Iam, ſi lubeat, ad deorum tela, quibus uiciſsim ſeſe offendunt, & ut autor eſt Homerus, ab hominibus uulnerant, mutuaque illa diſsidia & ſimultates rectà contendamus.

Abſurdè dicta per diuerſam ſententiã eliduntur

Noſti num aliud melius, quod noſcere dignum?

Et planè non te præterit, per Iouem, quandò alibi meliora recenſes, qualia ſunt:

Facilem dij uitam uictitant,
Deliciasque ſimul capiunt in ſecla beati dij ſuperi. Et:
Quàm dij mala ferre ſinunt mortalia corda,
Ipſi perpetuò ducentes ocia luxu.

Hæ nimirum ſanè de dijs, ueræque ſunt opiniones, at ſuperiores illæ confictæ, ad homines metu perecellendos. Proinde quum Euripides ait: Multis modis fraudum lædunt nos ſuperi, ſicubi à ſe degenerant: id in meliorem utique partem ita eſt accipiendum, ut dij ſi turpitudinis ſint autores, iam in deorum numero eos haudquaquã habendos. Et Pindari item illud nimis acerbè atque ex amarulentia quadam dictum apparet:

Dij turpitudinis nõ ſunt autores.

Hoſtem decet, inimici perdere omnia.

Atqui tu rurſus ita dices licebit, quòd is præter ius ac fas dulci iræ hac crudelitate medeatur. Et quod ait Sophocles, Lucrum dulce eſt, etiamſi ex fraude naſcatur, ita refellendum: Ex te audiuimus, ſubdolas rationes parum eſſe frugiferas. Atque ad ea quæ de opibus referuntur: Moleſtũ uidelicet Plutum ad peruia ſimul ac inuia ſerpere, unde ne gregarius quidem pauper è triuio queat aliquid ex his rebus, quarũ deſiderio impendiò crucietur, aſſequi. Item quòd ait, Deformem corpore ac obſcurum fama, modò accedant opes, mox ſa-
B pientem lingua, formoſumque uideri: contra hæc omnia rurſus alia Sophoclis opponenda ſunt, ueluti: Etiam ſuus egenti rerum ſit honos,
Et ſi ſapiat pauper, ſit nullo inferior.

Ad eum quoque modum alia. Multorum ſanè bonorum quæ eſt gratia, ſi maleuola ſolicitudo fouet felices fortunas? Menander præterea ingeſsit nobis uoluptatis ſtudium, & amatoribus iſtis iandudum inflammatis folles admouit, quum ait:

Quicunque ſunt, ſolis uidentes lampada,
Communibus deſeruiunt amoribus.

Rurſus uerò retrahit nos & impellit ad honeſtum, nec ſinit laſciuire, omnem eius mali reſcindens materiam, his quidem uerbis:

Probrum moleſtum eſt, quanquam uiuas dulcius.

Hæc quidem in autoribus diuerſitas melior eſt & planè utilior. Ex duabus igitur rebus alterum efficiet hæc rerum ſecum pugnantium compoſitio, & conſideratio: aut enim aditum parabit ad id quod eſt melius, aut illi quod eſt peius fidem abrogabit. Cæterùm ſi nõ præbeant abſurditatis diſſolutionem, cõmodum fuerit ex alio quopiam aptè & pro dignitate prolatam ſententiam, peruerſæ illi quam habemus in manibus, obijcere, & perinde atque ad trutinam appendere id quod eſt melius. Veluti ſi illud Alexidis aliquos moueat, quo ait, Sapientem decere ut uoluptates congerat: proinde tres eſſe quę haud dubiè in uita utilem uim quandã pariant habenti: bibere uidelicet, edere, & Veneris uſum: alias uerò omnes meritò uocari adiectitias. Meminiſſe utique oportet, Socratem in contraria eſſe ſententia, dum ait: Malè moratos ideo uiuere, ut edant bibantque: ſed bonos uiros cibum ſumere ac potum, quò poſsint uiuere. Ad quendam autem qui ſcripſit, quàm idonea ſint ad expugnandam improbitatẽ arma, ſi mores honeſtos cum illa componas, rectè quadrabit illud Diogenis dictũ, qui interrogatus, quánam ratione quiſpiam de inimicis pœnas queat ſumere, reſpondit: Si quis uirum bonum & inculpatũ ſe exhibeat. Conueniet item Diogenis uerbum contra Sophoclem torquere, qui ſcribens de ſacris, infinitam multitudinem his uerbis dehoneſtauit: Quàm ſunt ter beati mortales, qui ijs ſacris operati, honorem aſſequentur tum demũ ubi uita fuerint defuncti, quando ſolis licebit uiuere illis, at alij omnibus prementur malis. Itaque Diogenes aliquid aliquando huiuſmodi audiens,

De inimicis pœna honeſtè ſumenda.

C Quid ais? inquit: manent furem Patetionē feliciora fata, quia initiatus eſt ſacris, q; Epami nondam cum uirtute morientē? Timotheo proinde muſico canente in theatro Dianam bacchantem eſſe, inſanam, uecordem ac furentē, Cinoſias protinus reclamauit, Talis tibi opto filia contingat. Feſtiuum planè & illud, quo Bion compeſcuit Theognin dicentē:

Quiſquis erit pauper uinctus nil dicere, factis
Nec præſtare poteſt, omnia lingua timet:

Cur igitur tu pauper, ait Bion, tanta nugaris, nobiſq; loquacitate tua imponis? Oportet autem nullam penitus ex his uerbis quæ adiecta ſunt, uel in orationem uenerunt, occaſionem prætermittere, quo minus ad rectitudinem perducamur. Sed quemadmodum medici cantharidis uſu, quæ exitiale uenenum eſt, pedes curant & alas, ui nocendi ſublata: ſic in poëmatis, ſi nomen aliquod aut uerbum in contextu infirmius eſt quàm ut poſsit ad peius parare aditum, accipiendum ſanè eſt illud, & uires illius aperiendæ: quemadmodum in ſequentibus aliqui faciunt,

Loci autorũ ita exponẽdi, ut honeſtas patitur.

Quæ maneant miſeros mortales præmia diſce,
Tonſa coma & lachrymis quæ turpia multa ſuperſunt,
Et quàm dij mala ferre ſinunt mortalia corda?

Non enim in uniuerſum ait, omnes deorum opera uitæ præſentis calamitatibus inuolui, ſed dementes, & ſtupidos, qui per improbitatem miſeri redditi, à poëta ærumnoſi ſuo more appellanť. Alius itaq; modus eſt, quo ſuſpectas de prauitate ſententias in poeſi, ad bonum licebit traducere, dum in nominibus, quorum ſignificatio ſolita recepta eſt, nouam quandam inducimus, & ueterē loquendi ritum negligimus. Quod genus eſt illud, in ore omnium, & non prorſus inamœnum:

Scire licet quàm ſit mors execrabilis atra.

Quo in uerſu λοίγιον, quod nobis ſonat terrificū, Macedonibus mortem ſignificat. Sic κεμμωτίω Aeoles eam uocant uictoriam, quæ ex ſedulitate pugnæ & perpetua cōſtantia obuenit. Dryopes rurſus dæmonas appellant popos. Adeò ut prorſus neceſſarium ſit, plurimumq; conducibile (modò ex poetarum carminibus fructum aliquem aſſequi uelimus minimeq; offendi) ut ſciamus quibus uocabulis deos poetæ appellent, quibuſq; bonos

D aut malos: quid'ue intelligi uelint, quando animæ aut fati fecerint mentionē, utrum ſimpliciter id ſignificent quod ſonant uerba, an uerò id quod plerunq; apud illos eorum nomine accipis, quemadmodum in alijs quoq; rebus compluribus uſu uenit. Domum equidem modò uocāt ædes: ut, Inq; domum celſam. Modò uictum, & ſubſtantiā omnem: ut, Domus eſt mihi tota uorata. Proinde uita illis aliquando hoc ipſum eſt quo uiuimus: ut,

Cæruleus illi ferrum Neptunus ademit,
Vitæ tum Megaris.

Nonnunquam opes hoc uerbo indicantur: ut,

Pergunt alij mihi rodere uitam.

Sic ἀλύειν aliquando pro morderi & indigere uſurpatur: ut,

Dixerat & mœrens abijt, dolor omnia uerſat.

Aliquando pro ſuperbire & gaudere: ut,

Erronem diuum quia uiceris, inde ſuperbis.

θοάζειν item moueri ſignificat, quemadmodum ait Euripides:

Cetus ex Atlantico mari mouit ſeſe.

Et nonnunq; ſedere, ut Sophocles inquit: Sedes mihi quaſdam ponite, ramis uirentibus coronati. Gratum non minus eſt & illud quod Grāmatici docent, ut uocabulorū uſus rebus ſubiectis inſeruiat, illiſq; rectè copuleť, dum alia uis ad res ſubinde alias uſurpať: ut,

Exiguam laudare, at magnæ imponere naui
Pondera.

Quo in loco laudare non ſignificat celebrare, ut plerunq; accipimus, ac laudibus uehere: ſed ponitur pro non recuſare, ſiue magis expoſcere. Quemadmodū uſus permittit ut dicamus, rectè habere, & iubemus alios ualere, quādo in eo negocio neq; petimus aliquid, neq; accipimus. Ita & laudem Proſerpinæ quidā aiunt quaſi deprecationē dici. Cæterùm hanc ſeparationem & diſcrimen illud uocabulorum obſeruantes in ſententijs grauioribus, illiſq; quæ alicuius ſunt momenti, iuuenes à dijs ipſis quid ſequanť, docere aggrediamur. Vſurpant equidē poëtæ deorū nomina aliquando ita ut ſententiæ prorſus congruant: deinde non raro ut uis quædam cuius largitores exiſtimantur dij, quorúmue autoritate & ductu obueniat ea, pari nomine ſignificari uolūt. Atq; huius rei in promptu eſt exemplum apud Archilochum poëtam, qui cùm precatus ita eſt: Audi me, ô rex Vulcane,

Deorum nomina à poëtis uariè uſurpata.

A Vulcane, mihiq; oranti propitius fer opem, ac gratificare ad eum modũ quo aſſoles: haud
dubiè deum inuocauit. Porrò cùm maritum ſororis qui in mari perierit, nec ſepulchrũ legi
timum aſſequi poſsit, modeſtius ferre calamitatem poſſe ait, ſi Vulcanus caput illius pul-
chraq; membra puris induat ueſtibus, ignem non deum uidetur ſignificare. Sic Euripides
conceptis iurans uerbis: Per aſtra, inquit, Iouem ac funeſtum Martem, deos nimirum in-
telligit. At cùm Sophocles ait, Cæcus eſt Mars ô fœminæ, nihilq; uidet, omnia ſuo aſpe- *Mars.*
ctu concitans mala: bellum ex ijs uerbis intelligas neceſſe eſt. Quemadmodũ & Homerus
aheneum uocat, eos deſcribens, quorum nigrum cruorem in Scamandrũ defluentẽ Mars
pernicioſus diſperſerit. Ex his igitur quæ prædiximus, noſſe decet atq; meminiſſe, quòd
Iouis nomine iam deum ipſum indicant poëtæ, modò fortunã, ac mox item fatum. Quan- *Iupiter pro fato*
do enim aiunt: O Iupiter ex Ida regnans: &, O Iupiter, quis iactare queat ſeſe tibi pręſtare *& fortuna.*
ſapientia? deum profectò ipſum compellant. Verùm dum rerum geſtarum primas cauſas
cõmemorant, Ioui ea accepta referentes, quale eſt illud Homericũ: Multas pręclaras ani
mas præmiſit ad orcũ. &: Iouis eſſe peracta Conſilia: nemo ambigit fati illic fieri mentio-
nem, quandò nulla ratione poëtæ ducuntur, ut diuino cõſilio hominibus mala immitti ar
bitrentur, ſed magis neceſsitatẽ quandam rerum ſeſe conſequentiũ his uerbis explicant.
Quando alijs urbibus, exercitibus, & ducibus fato quodam accidit ut ſapiant, hoſtes ſupe
rent, multaq; identidem felicitate fruanẽ: alijs, ut in affectus erroneas incidant, agitentur
mutuis diſsidijs & ſeditionibus, turpitudinẽ ſectentur, & uarijs perturbationibus in peius
agantur præcipites: ex fato nimirum praui conſilij, unde pernicioſi ad mortales ipſos re-
deunt fructus. Heſiodus quoq; inducens Prometheũ in poëmate, qui Epimethea fratrem
adhortatur, ne dona ab Ioue olympio miſſa accipiat, ſed remittat potius, in fortunę uiribus
cõmemorandis Saturnij nomen uſurpat. Appellat enim fortuita illa bona quę uocantur,
qualia ſunt opes, matrimonia, imperia, & prorſus ea quæ extra animũ noſtrum ſunt, Iouis *Iouis dona.*
dona: quanquam illorum poſſeſsio planè inutilis ſit ijs qui rectè uti neſciunt. Itaque Epi-
metheum qui erat improbus, ac parum cordatus, apprimè decere exiſtimauit, ut fortunæ
proſperitatem ſuſpectam haberet, ac etiam ceu peſtiferam & exitioſam formidaret. Rur-
ſus quum ait:

B Obijcere haud tentes inopi ſucceſſus iniquos:
Diuorum dona hæc nam ſunt, mihi crede potentum.

deorum donum eſſe prodit, quod largitur fortuna: adeò ut minimè ſint accuſandi quos
fortuna pauperes reddidit, ſed magis qui ex ocio, negligentia, animi mollitie ſumptuq; im
modico rem familiarẽ decoxerint, hoc meritò fœdum & probro dignum dixeris. Sicubi
enim fortunæ uerbũ in dicendo incidit, dum ratione percipimus uim illius cauſæ occultę,
quæ rebus ipſis neceſsitatem imponit, nullo fine, nulliſq; legibus humanis circumſcribi
ac comprehendi poſſe, poëtæ deorum nominibus illam haud abſurdè explicarunt, quem-
admodum & nos ſolemus res, mores, ſermones, homineſq; ipſos plerunq; diuinos appel
lare. Ad hunc ſanè modum multa prauè dicta de dijs ad rectitudinem ſunt reducenda.
Veluti in illo Homerico:

Dolia bina iacent Iouis alto in limine fatis b
Plena, bonis illud, ſcatet hoc turba inde malorum.

Item in ſequenti:

Iuppiter icta prius male tum ſua fœdera ſeruat,
Conſiliumq; capit, premat ut uirtute Pelaſgos,
Troiugenaſq; ſimul, prima hæc incommoda belli
Cæca ruunt, quia ſtat ſententia fixa tonantis.

Obtinet autem quod de fortuna iam diximus & de fato, in quibus nihil certi habemus: *Fatum.*
ſuffugiunt enim nos harum rerum cauſæ, adeò ut nihil ad nos negociũ agitur honeſtum,
ac decens, tum Iouem meritò propriè nominandum cenſemus, ut ibi:

Infeſtat pugna hinc alios, Telamonius Aiax
Vitatur ſolus, Iouis hæc quia certa uoluntas.

Hæc enim ſunt quæ ex rebus mortaliũ curat Iupiter, præteritis ijs quæ leuis ſunt momen-
ti, & aliorum deorum ſolicitudini relictis. Plurimum autem congruit, ut alia quoq; nomi-
na reſpiciamus, quæ ad res plurimas à poëtis adhibentur ut transferuntur. Quod genus *Virtus.*
eſt illud de uirtute: nam hoc uocabuli non ſolùm in negocijs & orationibus prudentes
complectitur, & uiros bonos laudatoſq;, uerumetiam quicquid eſt excellens, atque adeo
omnem uim ingenitam abundè ſibi uendicat. Et hoc ordine agunt, quum omne quod

C eſt in precio, uirtutem, & uim quandam uocant: ceu oleam ab olea, fagum à fago, id eſt nominis ſimilitudine, fructum & utilitatem ab eo unde illa proueniunt appellando. Iuuenis igitur noſter, dum canunt poëtæ,

Sudorem ſuperi uirtuti præpoſuere. Et:

Virtute en Graij iſtorum fudere phalanges. Item:

Si fas eſt fato concedere, nunc puto pulchrum

Vitam in uirtutem demergere: mox æſtimabit quod res eſt, de optima illa atq; diuina habitudine, quam inditam nobis poſsidemus, dicta: quam rectitudinem quandam eſſe intelligimus, arcemq; rationalis naturæ, atq; ut in confeſſo eſt animi bonum effectum. Rurſus dum legit illud:

Extenuat uirtutem, auget quoq; Iuppiter idem. Item:

Gloria diuitias ſequitur uirtus quoq; clara: non obſtupeſcat mox inſolita admiratione, ac diuites eò loci prouehat, ut uirtutē quaſi argento uenalem habeant. Nec arbitretur ingenium ita fortunæ eſſe ſubiectū, ut ex illius nutu proficiat in melius, aut detrimenta quædam accipiat, ſed norit poëtam talem quem legit, ſub uirtutis nomine rem præclaram, felicitatem, aut uim quampiam animi occuluiſſe. Nam ad hunc modum mali nomine aliquando propriæ mentis improbitatem & uerſutiam ſignificant, ueluti Heſiodus:

Expedit in primis mala cuncta per omnia noſſe.

Nonnunquam fortunæ iniquitatem, aut infelicia tempora, ut apud Homerum:

Sæpe malis homines quamprimùm conſenuerunt.

Deinde poëtas haud aliter de felicitate loqui putabit, atq; ſi quis illam irrideat: quemadmodum & philoſophi habitudinē rerum perfectè, ſecundum cuiuſq; rei abſolutam naturam in hac uita ſectantes, explicant. Atq; inter hæc non raro abutuntur uocabulis, diuitem felicem & beatum uocando, ipſamq; uim inſitam ac præſtantiam, felicitatē. Homerus autem propriè utitur nominibus, cùm ait: Gaudeo iam multis cōgeſtis dum impero rebus. Sic Menander: Habeo magnam uim opum, diueſq; uocor ab omnibus, beatus autem à nullo. Porrò Euripides inſignem inducit rerum turbam & confuſionē, his uerbis: Ne mihi contingat triſtis uita quæ felix ſit. Item: Cur uenerairis tyrannidem iniquam, etiam ſi felix ſit? Niſi quis, ut iam dictum eſt, improprietatem ſermonis & abuſum nominum ſectetur.

D Sed de his fortaſſe plus ſatis. Illud etiam atq; etiam iuuenibus inculcandum, ac crebrò indicandum eſt, quòd poëtica hiſtrionicæ propémodū accedit in argumentis, decorum ſibi uſurpans, plurimaq; ornamenta, prout mores exigunt perſonarū, reiq; materia. Atqui ueriſimilitudinē ideo non deſerit, quandò in ea hiſtrionica perſuaſio, ceu regula quędam latet, ad cuius præſcriptū alia ſunt iudicanda. Vnde improbitatis ac uirtutis ſigna nonnulla rebus permiſta, hiſtrionica ueritatis non admodum negligens, egregiè effert: id quod Stoicis mirè arridet in multò plurimis locis apud Homerum, quippe qui uirtuti nihil turpitudinis ſinunt coire, nec uitium honeſto aliqua ex parte coniungi. Itaque quod ad hanc rem attinet, ſtultum ac imprudentē ſemper peccare, & ſapientem ciuilemq; rectè omnia adhibito decoro agere prædicant. Sunt quæ in ſcholis quidem audimus, at in rebus agendis, iuxta Euripidem, comperimus bonorum ac malorum ut plurimū cōfuſum quoddam agmen eſſe, minimeq; alterum diſcretum ab altero. Cæterùm citra ueritatem poëtica plerunq; uarietate utitur & morum plurima cōmutatione, eò quòd ex huiuſmodi affectuū diuerſitate, quæ ex inſperato improuiſoq; accidit, quando animus ad ea obſtupeſcit, gratia quædam conciliatur, quam fabularum illa cōmutatio ſecum affert. Atqui ſi oratio eſt ſimplex, & ab his figuris aliena, ea profectò & affectibus item careat, neceſſe eſt. Nam hac potiſsimum ratione non ſemper eoſdem poëtæ uictores inducunt, non ſemper eoſdem felicitate fortunæ florentes, aut in rebus per uirtutem gerendis, ſtrenuos: nec deos ſicubi in negocia humana inciderint, expertes proferunt affectuū, culpaq; omni uacantes, ne uide licet hoc quod concitat mentem, & facit obſtupeſcere, à poëſi prorſus exulet, dum ſedata eſt, nihilq; periculi aut motus præ ſe ferre uidetur. Atq; hæc cùm ita ſint, aditum illi ſtruamus iuueni ad poëticā oportet, qui tanti non faciat pulchra iſta pręclaraq; nomina, ſapientum uidelicet. & plurima integritate præſtantiū uirorum, regumq; ſummorum, ut illi ſint totius uirtutis canones, & certiſsima præſcripta uiuendi. Quandoquidem lædetur, ſi magna illa omnia probabit & admirabitur, iniquo non ferens animo, neq; audiens aut recipiens eum qui huiuſmodi facta dictaq; improbauerit:

Cōmutatio ſubita in poëtis affectus mouet.

Iuppiter alme pater, Phœbe, inſignisq; Minerua,

Troiugenûm nemo effugiat crudelia fata,

Nec

A Nec ſuperent Danai, cladesq; exerceat omnes,
Mœnia ſacra ruant extemplò. Et:
Heu miſeram uocem Priami natæ hauſimus omnes
Caſſandræ, dum cæde Clytemneſtræ perit: ingens
Certè dolus uerſat mentem, quo perfida turbet
Corda ſenis: iamq; obſequor, atq; peregi
Fœmina quæ iuſsit. Item:
O pater haud ullus toto orbe nocentior alter
Iuppiter eſt ſuperûm te.

Ex his uerſibus haudquaq; aſſueſcat aliquem laudare iuuenis, erratũ illius defendere, aut
in re honeſta quippiam fœditati huic ceu baſi ſuperſtruere: atq; in eo negocio idoneum ſe
gerat atq; callidum. Cæterùm illud potius æſtimabit, imitatricem quandam eſſe poëticen
morum, uitæ ac hominũ, quanquã non tam abſolutæ uirtutis, ac puritatis, ut nihil queas
reprehendere: eſſeq; eas res permiſtas plerunq; falſis opinionibus ac ſtultis, parumq; pro
batis affectibus, quæ omnia poëtis non citra operam & induſtriã crebrò in peiora trahun
tur. Atq; hæc quidem præparamenta, quibus iuuenilis imbutus fuerit animus, id præſta-
bunt, ut quæ rectè ſunt dicta factaq;, laudibus euehat, & ceu numine quodam afflatus ſit,
admiretur: contrà turpia ne admittat quidem, tantum abeſt ut ab illis offendatur: quæ ra-
tio innocuã planè efficiet poëticam lectionem. Porrò quiſquis admiratur omnia, illisq; ſe
exhibet familiarẽ, dum iudiciũ ſubijcit opinioni, heroicis iſtis ac præclaris nominibus in-
fectæ, ſimilis erit quibuſdã inſigniũ autorum diſcipulis, qui dum præclara referre nõ poſ- *Imitatio in turpibus.*
ſent, exprimebant turpia, ueluti Platonici quidam, præceptoris incuruos humeros, & Ari
ſtotelici balbutiem magiſtri ęmulabantur. Oportet autem, non ueluti meticuloſi ex ſuper
ſtitione in templo omnia exhorrent & reuerentur, ita in poëtis quoq; uerſari, ſed ſumpta
audacia conſueſcere de eo quod decet ac rectum eſt, liberè pronunciare. Perinde atq; hoc
quod de Achille proditum eſt, quando concionem exercitu peſtilentia laborante coëgit,
indignè ferens ocium ab armis, eratq; inter milites inſignis de illo omniũ opinio: quæ ra-
tio medicum eum reddiderat, adeò ut poſt diem nonum, quæ de morbo potiſsimum iudi
B care ſolet, cùm didiciſſet languorem non eſſe uulgarem, neq; ex communibus cauſis ac-
cidentem, ſurgens non congregat multitudinem, ſed cum rege Agamemnone commu-
nicat ſuper ea re conſilium:

Atride noſtras puto concedemus ad ædes
Protinus, hæc melior ſententia.

Rectè id quidẽ dictum eſt, modeſtè, & omnino pro dignitate. Porrò cùm uates diceret ſe
iram potentiſsimi Græcorũ formidare, nõ ſatis modeſtè ac conſultè iurauit, ſe uiuo mini-
mè fore, ut manũ præſagienti quiſpiam iniiciat, Ne Agamemnon quidem, inquit: cõtem
ptum his uerbis reddens principẽ ac floccipendẽs. Deinde nõ ita multò pòſt ira accenſus
ad mucronẽ fertur, etiam trucidare illum cogitans. Quis hoc rectè factũ, & pro dignitate,
aut conducibile arbitrabitur? Cæterũ quòd mox reſipiſcit, & in uaginã capulo tenus abdi-
dit enſem illum prægrandem, morigeris Mineruæ monitis, id rurſus aptè ſimul ac decorè
geſtum, quòd uidelicet iram quam prorſus præcidere non potuit, continuit tamen, ac ceſ-
ſit illi, donec immedicabilẽ, rationi parentem efficeret. Agamemnon rurſus in his quæ di-
xit, ac geſsit in cõcione, ſanè quàm ridiculus habetur: quę uerò in negocio Chryſeidis, ma
gis ſunt regia, tantoq; principe digna. Nam quum Achilles abducta Briſeide,

Illachrymat ſocios uitans, ſolusq; ſederet,

interea Agamemnon naui ingreſſa, mulierem ſocijs tradens remiſit, quam paulò antè ob
miram indolem Clytemneſtræ præferendam, & uxoris loco habiturum ſe dixerat: atq; in
ea re nihil peccauit, nec amatorios mores quoquo modo prę ſe tulit. Atqui Phœnix à pa-
rente ob pellicem damnatus maledictis, ait:

Protinus hunc ferro libuit demittere ad orcum,
Adſit ni quidam diuûm qui leniat iras,
Quiq; probris uulgi, fama quoq; liberet atra,
Ne patricida uocer, præſtanti nomine Graius.

Ariſtarchus autem metu quodam perculſus, ſuſtulit hæc carmina è poëta, quanquã non
uſque adeo ſunt intempeſtiua, ſi quis expendat Achillem Phœnice aliquando uſum fuiſ-
ſe præceptore, qui pari ſolitus ſit ira æſtuare. Perſpicuũ eſt enim, quàm exagitet homines
iſte feruor, quid ue doceat audere, dum omnis ſepulta eſt ratio, nullaq; admittitur admo-

C nitio.Et Meleagrum equidem inducit ira aduerſus ciues cõmotum,ſed mox ſedatis flucti
bus aptè affectus tetricos increpantem,laudatq; illum impendiò, quia illos non fuerit ſe-
cutus,ſed felici quodam Marte repugnans,in eo conflictu euaſerit ſuperior: atque iſthuc
quum ſit reſipiſcere poſt erratum,pulchrum id eſſe putat,& plurimum cõducibile. Nunc
differentia hæc ex prædictis ſatis liquet. Verùm in obſcuritate aliqua ſententiæ, iuuenis
illam definiat ad eum modum quo faciunt, qui rei incumbunt. Nam ſi Nauſicaa peregri-
num Vlyſſem conſpicata,in illius amorem incidat,par iam Calypſi, quod ad eum attinet
affectum,reddita,ceu laſciuiens & nuptiarum nacta tempus,ineptire uideatur apud puel
las huiuſmodi uerbis:

O mihi contingat talem uidiſſe maritum
Aedibus ex illis,donec mihi uita ſuperſit.

Culpanda nimirum eſt hæc petulantia muliebris,audaxq; procacitas, niſi conſideratis ui
ri uerbis ac uirtutibus, magnamq; in mutuo colloquio admirata prudentiã, optarit illius
potius frui contubernio,quàm municipis cuiuſpiam,qui nauiculatoria aut hiſtrionica ui-
ctum quærat: huiuſmodi prudentiam in fœmina nemo ſanè eſt qui nõ faciat plurimi. Rur
ſus dum Penelope cum procis miſcet ſermones, utiq; placidos & humanos, atq; cùm do-
no dant mulieri ueſtes aliumq; ornatum,lætatur Vlyſſes eius rei gratia, & donorũ ſpe re-
cipiendorum diu illos fruſtratur,animos eorum ludificãs. Atq; in donis huiuſmodi,ac re
familiari amplificanda,ſi tanto ſtudio ſeſe oblectat Vlyſſes, quod ad lenociniũ attinet lon
go interuallo ſuperabit ſubdola uafricie Poliagrum,de quo illa extant uerba: Felix Polia
grus fouet cœleſtem capram, quæ illi opes ſuppeditat. Cæterùm ſi ſpem concepit potius
Vlyſſes,fore ut ex procis habeat mancipia,quanquã nihil minus uereantur,rationem ha-
Odyſ.13. bet hoc gaudium, cui uir tantus innitatur. Ad eundem modum in dinumerandis opibus
quas Phæaces illi expoſuerunt, mox domum naui redeuntes, ſi uerè in deſerta huiuſmo-
di,ignota obſcuraq; regione,ueluti ipſe prædicat,uerſatus eſt,diuitiarũ cauſa metuens pe
riculum, ne quid ſuſtuliſſent ex naui, cõmiſeratione equidem dignus uideri poteſt, uel e-
tiam,per Iouem,ſi faſtidire potuit diuitiarũ amorem. Sin,ut quidam aiunt,de Ithaca addu
bitans,ſaluas opes indicium eſſe ſanctitatis morum qua præſtabant Phæaces,putauit,nõ
D ſine acceſsione quęſtus,illum in alienam uexerunt regionem,ut illic exponentes,ſimulq;
relinquentes cum ſuis opibus,intactis illis,ſpecimẽ probitatis de ſe præberent: dignumq;
eſt ut hanc laudibus uehamus hominum cautionẽ. Sunt proinde qui uitio uertunt Phæa-
cibus hanc opum è naui in littus expoſitionẽ dormiente Vlyſſe, ſi modò ſit uerax hiſto-
ria, aiuntq; Tyrrhenos rem geſtam aliter explicare: quòd uidelicet Vlyſſes homo fuerit
natura ſomnolentus,quæ ratio illum nõ permiſerit pleriſq; colloqui. Atqui ſomnus ſi nul
lus fuerit, & dimittere à ſe Phæacas ſine munuſculis familiariq; colloquio puduit Vlyſ-
ſem,nec latêre potuit domeſticos hoſtes,illis præſentibus,cõmento eius ambiguitatis,ſi-
milem illum à poëta dormienti deſcriptũ accipiunt. Itaq; dum hæc iuuenibus oſtẽdimus,
ne cõmittamus ut anſa ad morum corruptelam illis præbeatur,ſed zelum potius & appe-
tentiam ad meliora protinus arripiant,hæc extollentes laudibus, & illa carpentes. Cæte-
rùm cùm ubiq; hæc cautio frugifera eſt, tum uerò potiſsimum in tragœdijs, quòd ſermo-
nes habeant nõnihil uerìſimiles & callidos in negocijs parum honeſtis, & turpibus. Non
enim uerè admodum dixit Sophocles:

Non conuenit turpi rei bona cantio.

Solet enim ille moribus fœdis & abſurdis rebus, ſermones iucundos & humanos præbe
re, & qui in eadem ſcena illi coniunctus eſt, contrario modo. Vides nanq; quo pacto Phæ
dram accuſatam induxerit, ceu ob Hippolyti improbitatem ab illo fuerit adamata. Dein
de non abſimilem loquendi licentiam tribuit inter mulieres Troianas Helenæ aduerſus
Hecubam, dum putat hanc iuſtius pœnis plectendam quæ adulterũ Paridem peperit, q̃
ſe quæ fuerit comes. Nihil igitur ex his dictis decorũ iuuenis noſter æſtimare conſueſcat,
nec arrideat huiuſmodi nugis, quin magis execretur uerborum ac rerum geſtarum incon
ditam laſciuiam. Atq; ad hoc negocium plurimum afferet adiumenti, ſi exquiſitè cauſam
reddi cures ſingulorum, quemadmodũ Catonem factitaſſe referunt dum puer pædago-
go in diſciplinam eſſet traditus. Non enim recuſabat ille quęcunq; præcipiebantur, ſed ra
Poëtis quomodo credendum. tionem ſingulorum expoſcebat. Nam poëtis non aliter credendum puto, atq; pędagogis
ac legumlatoribus, tum uidelicet, ubi cauſam idoneam reddiderint: ſine illa uanum eſto
& inane quicquid geſſerint. Porrò complures inuenias nimium amarulentos cauſarum
inquiſitores, qui interrogant quomodo dictum ſit:

Potorum

A Potorum cyathum ſupra haud diſponimus unquam
Cratera. Item:
E rheda in currum qui uenit, ritè petatur
Haſta. Rebus autem maioribus, etiam ſi non feceris periculum, facilè creditur, Cuiuſmodi eſt illud:
Virum parentum culpæ conſcium, premit
Metus, ferocia etſi gerat ille pectora. Et,
Abiecto animo eſſe cogit infelicitas.

Hæc ad mores referuntur, uitamq; conturbant, dum iudicia praua ingerunt & opiniones impendiò ignobiles, niſi aſſueſcas ad ſingula in promptu habere quæ opponas. Veluti dum aiunt, animo eſſe demiſſo oportere eum qui aduerſa laboret fortuna, magis in ſortē illam iniquā omnis culpa eſt reijcienda, & uir ipſe nō modò non deprimendus, ſed etiam eleuandus eſt. Sic patre æditus improbo & parum cordato, dummodo ipſe ſim uir bonus & prudens, cur non debeo per meam uirtutem animo eſſe erecto, ſed obſtupeſcere, & indolem demittere ob patris inſcitiam? Qui igitur ad hunc modum obuius fertur ac reluctatur, nec ſe omnibus dictis ceu uento quolibet rapiendum exponit, ſed uerum eſſe arbitrabitur quod aiunt, Veſanus homo quolibet ſermone capitur: multa ille profectò falſò uaneq; dicta, à ſe dimouerit. Illa ſunt igitur quæ innocuā efficiunt poëticam lectionē. Quandò non aliter atq; in uitibus plerunq; ſub folijs & palmitibus pulchrè uirentibus occultatur fructus, latetq; in umbra, ita in poeſeos dictione & fabellis circūfuſis, multa ſuffugiunt iuuenem bona & cōmoda. Proinde ſedulò curandum ne id contingat, ut à rebus prorſus aberret, ſed incumbat magis ſententijs quæ uiam ſtruunt ad uirtutem, bonoſq; effingunt mores. Fieriq; poteſt, ut in hoc negocio ita uerſetur, ut breuibus typo quodā omnia complectatur: prolixam uerò ſeriem, & apparatū, turbamq; exemplorū miſſam faciat, illiſq; cōmittat qui ſcribūt diffuſius. Principio igit̄ quæ honeſta ſunt & turpia in morib. atq; perſonis cognoſcens iuuenis, tum intendat animū dictis & negocijs, quæ poëta utriſq; obſeruato decoro tribuit. Veluti cùm Achilles Agamemnona ira percitus his uerbis cōpellat:

Aequa ſatis nunquam ſpolijs mihi portio fiet
B Tecum, ſi Danai firmiſsima mœnia Troiæ
Eruerint. Therſites proinde his conuicijs eundem inſectatur:
Aeris plena tibi tentoria ſunt, mulieres
Suntq; tibi forma præſtantes, munera Graiûm,
Dum capiunt urbes. Sic rurſus deinde Achilles ait:
Si dederit nobis euertere mœnia Troiæ
Iuppiter ex alto. Et Therſites rurſus:
Quicquid ego uinctum porto, uel alter Achiuûm,
Tu rapis. Cæterùm dum Agamemnon inter conuerſandum uituperaret Diomedem, nihil illi contumelioſum reſpondit, principis maieſtatem reueritus. Stheneli autem parum conſultus extat ſermo ad Agamemnonem:
Non mentire, mihi quum dicere noris apertè:
Nanq; ſumus multò maioribus en meliores.

Hæc nimirū dicendi uarietas ſi obſeruetur, docet iuuenem æſtimare quàm egregia ac urbana res ſit alacritas iuncta mediocritati, contraq; quàm deteſtabilis arrogantia, ſuiq; immodica oſtentatio. Profuerit deinde & Agamemnonis illud, de quo diximus, factum deſpicere, eò quòd Sthenelum adijt, dum non eſſet alloquendus: & ne Vlyſſem quidē præterijt, uerbis illum laceſſens:
Ira quum ſciret candeſcere corda uiri, mox
Verba capit rurſus. Omnibus enim reſpondere ſeruile eſt, & libero homine indignum: deſpicere deinde cunctos, ſuperbi eſt & planè ſtulti. Porrò Diomedes in bello ſilet, rege etiā maledictis illum adoriente: peracto prçlio libertate dicendi mox uſus erga ipſum, his quidē uerbis: Vires exprobras Græcos inter mihi ſoli. Par item fuerat, uatemq; prudentem in primis decuiſſet, rationem habere comitiorum, dum Calchas in procerum conſeſſu, magnaq; hominum frequentia, neglecta alia maiore cōmoditate, non ueretur principem reprehendere, ceu peſtilentiæ graſſantis autorē. At Neſtor certamini inter Agamemnonem & Achillem medium admiſcens ſermonē, ad motus huiuſmodi ſedandos idoneum, ne regem uideretur ceu peccantem corripere coram multitudine, iam ira percitum, his eum alloquitur uerbis:

Omnibus reſpondere ſeruile, omnes deſpicere ſtultum.

C Admoueas epulis, ſacrum quoq; coge ſenatum,
Conſilia expendens horum, atq; ſalubria ſerua.

Peracta autem cœna emiſit ſenes ad obeunda negocia, atq; ita mederi curauit erratis. O aptam reprehenſionem & in tempore adhibitam.

Eſt quando in genere hominum plurimam uideas diuerſitatem: isq; tropus in eo notatur apud poëtam, quòd Troiani plurimũ ſibi fidentes, magnoq́; cum clamore incedunt: at Græci contrà cum ſilentio, metuq́; anteſignanorũ. Quoniam in re militari uereri duces, ſimul & fortitudinis, & imperio parentis militis, non leue eſt argumentũ. Vnde Plato ſolebat conuicia & turpitudinem magis timere, quàm labores & pericula. Et Cato dixit ſe erubeſcentiũ maiori amore teneri, quàm pallentium. In promiſsis item filum quoddam eſt proprium quod ſequaris. Vt quum Dolon promittit ſe mox in exercitum uenturum ubi redierit, per Agamemnonis ſalutem. Verùm Diomedes nihil promittit, aitq; ſe minus timere quando cum ſocio mittatur: ut perſpicuum iam ſit prudentiam Græcorum eſſe, & urbanitate quadam præditorum, at turpitudinem & temeritatẽ ad barbaros maximè pertinere. Itaq; odiſſe hæc oportet, illam autem pro uiribus imitari. Habet aũt & nonnihil bonæ frugis, ſi contempleris affectus ipſos qui Hectorem cõmouerunt atq; Troianos, cùm Aiax ſingulari certamine illi erat cõgreſſurus. Nam Aeſchylus in Iſthmijs, cæſo quopiã in faciem, & clamore eius rei gratia in uulgo exorto: Quale, inquit, hoc noſtrum eſt exercitiũ? ſpectatores clamitant, & qui plagas accepit ſilet. Poëtæ tum ſequuntur uerba: Aiacem clarum cum ſuis apparere armis, ex cuius aſpectu Græci plurimum ſint exhilarati, Troianis interim tremore conterritis, qui grauis admodum ſingulorum peruaſerat membra. Ipſi quoq; Hectori animus in pectore concutiebatur. Iam uerò quis non admiretur hanc rerum diuerſitatem? quandò in confeſſo eſt, eorum duntaxat ſalire corda, qui pericula ſubeunt, ueluti quum luctari aut in ſtadio currere aliquis cœperit. Porrò ſpectatorum concuti ac tremere corpus, ex beneuolentia erga principem metuq́;, cõſentaneum eſt. Deniq; ſpectandam puto & inter optima ſimul ac deterrima non inamœnam uarietatem, qualis eſt illa Therſitæ in Achillem, & potiſsimũ in Vlyſſem ſimultas acerrima: Aiacis inſuper in Achillem conſtans amor, ac perpetua cum illo amicitia. Allocutus eſt enim

D Hectorem, ita ut huius quoq; honorificè meminerit:

Iamq́; palam fiet quàm fortis pugnet utrinq;,
Dum ſolus Graiûm longè optimus atterit hoſtem,
Magnanimo quanquam ſit multò inuictus Achille
Inferior ille.

Vides quàm egregia hinc laus ad Achillem redeat. Eſtq; hæc oratio minimè arrogans, dum candidè de omnibus ſentit Græcis, plurimum referre indicans ad uires ſingulorum dignoſcendas, ſoli pugnent Græci an cum multis. Neq; interea præcipuum ſeſe oſtentat inter ſocios, ſed cum illis pares ſibi in prælio eſſe uires. Sed iam de differentia ſatis, niſi hoc quoq; adiungi libeat, quòd ex Troianis multi ſunt capti uiui, at Græcorum nullus: deinde multi item illorum ſupplicarunt hoſtibus, ceu Adraſtus, filij Antimachi, Lycaon, & Hectori precibus conceſſum eſt ſepulchrum ab Achille, cæterùm ex his nullum inuenies ſupplicem. Barbaricum eſt enim preces porrigere, & capi in certamine, quum Græcorum ſit proprium uel uiciſſe in pugna, uel occubuiſſe. Cæterùm perinde atq; in paſcuis florem ſequitur apis, capra fruticẽ, ſus radicem, reliquaq; animantia ſemen aut fructum: ita in poëtarum lectionibus ille flores legit hiſtoriæ, alius ornamentis inhæret & orationis mundo, quemadmodũ Ariſtophanes de Euripide dicit: Vtor oris ipſius rotunditate. Eſt proinde qui fructum captat ex his quæ moribus rectè formandis ſunt accommodata. Meminerint igitur illi ad quos hæc noſtra tendit oratio, ſecumq́; expendãt, num facilè inueniant fabellarum cupidum lectorem, cui incognitum ſit, multa apud poëtas, quod ad res geſtas attinet, uanè & per exceſſum ueritatis conſcripta. Sic uix reperias ſtudioſum rei oratoriæ, quem prætereat quæ illis uerborum inſignis caſtimonia, & ad perſuaſionem aptè ſunt uſurpata. Denique uirtutis & rerum honeſtarum amator, dum non luſus cuiuſdam puerilis, ſed abſolutæ eruditionis gratia attingit poëticen, fieri non poteſt ut oſcitanter audiat quæ de fortitudine, modeſtia, ac iuſtitia toties ſunt decantata: quod genus eſt illud:

Tydide quid paſſus ego ſum? capere uires
Iam decet, huc referas pedem, ut uideam ferus Hector
Si capiat naues armis.

In ſummo equidem rerum ac uitæ periculo, ſapientem magis decet turpitudinem uereri

aut

A aut probrum, quàm uel mortem etiam ipſam: id quod iuuenis ex hoc diſcens loco, ad uirtutem probè poſthac erit affectus. Sic alibi legis:

Iuncta bono felix homini ſis, docta Minerua.

Quibus uerbis ſubobſcurè indicatur, deam neq; diuitis uiri gaudere contubernio aut formoſi fortis'ue, ſed uirtuoſi, beneq; cordati. Rurſus quum dea ait ſe non commiſſuram ut Vlyſſem deſpiciat aut deſerat,

Quandoquidem ſapiens eſt, prudens, uerus & idem:

indicat ex omnibus quæ poſsident homines, uirtutem propius accedere ad diuinitatem, atq; ideo magis eſſe acceptam. Siquidem ita comparatum eſt, ut ſimilia magis gaudeant ſimilibus. Cæterùm quandò res quædam ardua uidetur, uereq; eſt, iram compeſcere, multò haud dubiè maior erit cuſtodia ipſa & prouidētia, quæ prohibet ne in iram incidas, aut illa capiaris: atq; iſthuc diligenter ſubindicare legentibus, iam eſt operæprecium. Videas enim quo pacto Achilles Priamum amarulentia minimè ferenda quietum eſſe iubet, ne ſe exaſperet, his quidem uerbis: *Iram compeſcere arduum.*

Irritare ſenex noli me, tempora noui
Hectora quîs ſoluam tibi, adeſt modò miſſus olympo
Nuncius, is iubet ut caſtris decedat uterq;.
Cum nato, ſenior ſupplex quoq;, fallere credar
Iuſſa Iouis?

Itaq; loto Hectoris corpore, ipſum Pelides componens, in rhedam collocat, ne pater uideat uulneratum, unde cor mœrore contabeſcat, Achilli quoq; idem accidat. Sed Iouis mandata peracta ſunt. Itaq; ſi quis ad iram natura propenſus eſt, & ingenium habet irritabile, nimiſq; aſperum, idq; nō ſine periculo, cùm hoc illum minimè lateat, obſeruetq; cauſas omnes quas habeat ſuſpectas, ratione prius diu præſumpta, ne inuitus in eum incidat affectū, nónne admirandæ cuiuſdam prudentiæ id præber argumentum? Sic decet ut ante ebrietatē uini cupidus ſeſe præmuniat, & ante amorem is qui libidini eſt obnoxius. Quemadmodū Ageſilaus oſculum offerentibus pulchris quibuſdam, ſubduxit ſeſe. Et Cyrus mulierem Panthiam uidere nō audebat, quòd inimici quidam materiam incentiuaq; libidinis illi hac occaſione miniſtrarent, & ad quæ potiſsimum ſcirent *Propenſi in uitia fugiant ab initio*

B affectus noxios inclinari, animum incautum impellerent. Vlyſſes item nō modò ſuam ipſius iram coërcuit, uerumetiam Telemachi filij, quum ex colloquio deprehendiſſet iuuenem animo eſſe turbulento, & iniquo animo iniurias ferentē. Mitigauit enim longè prius ferocitatem, & ad patientiam cohortatus, quietum hominem reddidit, his uerbis:

Leniter hoſtiles animos, noſtræ domus omne
Qui decus eripiunt mihi nunc patiare meum cor:
Aſpicis ut dulci mihi turbant corda parenti,
Aedibus in noſtris alienos deſpice greſſus,
Telaq; diſce pati iaculantum, culmina cernens
Eminus ipſe foris tua.

Nam quemadmodū equis in ipſo curſu nemo inijcit fræna, ſed longè antè: ita qui animo ſunt in iram præcipiti, & ad res moleſtas facilè irritabiles, rationibus quibuſdam diu antè præſumptis, in certamen ſunt producendi. Conducibile autem arbitror, non modò dictiones ipſas diligenter audire, ſed Cleanthis etiam doctrinam declinare, qui aliud fermè agens, enarrat illud:

Iuppiter alme pater, regnator ſummus ab Ida. Et illud item:
Eia pater Dodonæe,

ubi præcipit ſubunionem dictionum fieri, unde ſenſus ille eliciatur, Tellus exhalat de ſe aërem. Similiter Chryſippus crebrò lubricus eſt in rebus ſerijs: & quum diſertus eſt, nihil perſuadet, uiolenter urgens Iouem uocalem eſſe, quum in diſſerendo grauis eſſe prodatur, & in orationibus uiribus quibuſdā ſtipatus incedat. Melius autem eſt ut hæc grammaticis iure quodam ſuo torquenda permittamus, quibus aptum hoc uidetur, & applauſibile:

Non iubet hæc animus, didici quoniam bonus eſſe. Et:
—Quàm ſim feſtinus, noſcere cunctos Arbitror.

Oſtendit autem uiro dignam eam eſſe diſciplinam, qua amicè, & cum gratia quadam hominibus confabulamur: quòd ratio tradit, ad ſcientiam hanc rem pertinere. Itaq; primùm proponit, prorſus non decere hominem ſui neglectum: ſed potius ut honeſtarum rerum ſtudio teneatur, & ijs qui talia docent pareat: ſubindicans ſimul, quàm fœda ſit inſcitia. Sunt proinde his rebus multùm confinia, quæ de Ioue & Neptuno dicit:

C Eſt patria his eadem, genus unum prorſus utriſq;,
Iuppiter at natu eſt maior, tum plurima nouit.

Sapientia res diuina. Quibus uerſibus oſtendit ſapientiam rem eſſe inter cætera maximè diuinam, & principe dignam, in qua liceat ſummam Iouis excellentiam, qua alijs præſtet omnibus, potiſsimũ collocare. Proinde alias uirtutes inferiores putat, quàm ut cum ſapientia conferãtur. Sunt & hæc inſuper ſummo ſtudio indicanda iuueni, ut ea non oſcitanter audire conſueſcat:

Temperat à nugis ſapiens, quia dedecet illum
Mentiri. Et:
Antiloche haud quicquam feciſti prauius, antè
Prudens, nunc uires mihi dedecore afficis, idem
Lædis equos. Et:
Quàm mihi tu prudens dixiſti Glauce ſuperba.
O ſapiens, dixi nulli uirtute ſecundum
Molliculum te.

Ex his enim carminibus docetur, quàm minimè deceat cordatos uiros nugari, tergiuerſari in pugna, ac ſocios præter ius & fas calumniari. Meminit deinde Pandari, cùm ait perſuaſum eſſe, per amentiam illum ſoluiſſe fœdera: quòd perſpicuũ ſit, nullum qui rectè ſapiat, alteri eſſe iniurium. Huc pertinent ea quæ de continentia dici poſſunt, ut oſtendamus quo pacto poëta longè efferat talia, uerſibus ſequentibus:

Sapientia. Inſanit Prœti coniux, furtiuaq; tractat
Connubia, at illi non paret omnia noſcens
Bellerophon prudens bona, quæ perſuadet honeſtas. Sic alibi:
Abnuit extemplò mala Clytemneſtra petenti
Infanda, haud illi quia mens aberat bona diuæ.

In his planè uerbis tradit poëta ſapientiam continentiæ cauſam parentemq; uideri. Porrò in illis quę ad rem militarem pertinent, quando ad pugnam capeſſendã excitandi ſunt bellatores, ita fermè ſcribit:

O Lycij, fortes præſtate uiros, fuga prorſus
Exulet, hanc ſequitur pudor. Et:
D Obuerſet animis pudor, & maledicta uirorum
Latrantum, uis magna furit Martis modò campis.

Prudentia. Videtur autem prudentia hîc magnanimos homines efficere, dum illos pudet turpitudinis, ſimulq; gaudent uoluptates præterire, & ſubire pericula. Nam hæc res Timotheum olim etiam ſolicitum habuit, Græcos nimirum non ineptè in Perſia adhortantem: Vene- *Pudor.* ramini, inquit, pudorem, uirtuti bellicæ ſuppetias afferentem. Aeſchylus igitur illum in numero ſapientum habet, qui gloriæ alacer & indiuiduus eſt comes, quiq; laude uulgi impendiò capitur, dum ait:

Non optimus uideri hic eſſe, ſed cupit,
Sulcum profundum in animo qui facit ſuo,
Affectus unde gloriæ congerminent.

Iam perſuaſum eſſe puto, eum potiſsimum hominem ingenio pollere, qui ex affectu præclaro quo præditus eſt, ad optima ſemper feratur. Itaq; quum omnia ad prudentiam & induſtriam iam ſint congeſta, non abſurdè conſequitur omnem hinc uirtutem naſci, omnemq; eruditionem. Porrò quemadmodum apem uidemus naturæ quodam inſtinctu, ex amariſsimis floribus, aſperrimiſq; ſpinis, dulciſsimum mel atq; leniſsimum colligere: ita pueri probè inſtituti in poëtica, norunt ex uilibus abſurdiſq; argumentis, quæ ſuſpecta etiam aliquo modo uidentur, undecunq; dulce quippiam ac frugiferum eruere. Mox enim *Suſpicio.* ſuſpectus iam eſt Agamemnon, qui largitionibus corruptus, diuitem illum ab exercitu dimiſit liberũ, ob equam, cui nomen erat Aethe, dono datam, ne uidelicet militiam Græcorum ſequi cogeretur ad Troiam, ſed delicijs domeſticis indulgere potius ocioſo liceret: magnam enim illi Iupiter opum uim tribuerat. Quanquam Ariſtoteles principis factum non admodum improbet, quòd equam egregiam homini effœminato & inerti prætulerit, qui ne ad canem quidẽ aut aſinum, mehercle. uideatur conferendus. Quas enim uires, aut quod ingeniũ non corrumpunt opes? Rurſus fœdiſsimũ eſt quòd Thetis filium conſolatur in amiſſa uoluptate, meminiſſe etiã docens libidinis. Atqui in ea re perſpicere eſt operæprecium Achillis continentiam, qui cùm Briſeidem ad ſe uenientẽ deperiret, agnoſcens uitæ breuitatẽ, non feſtinauit ad uolupratis uſum, nec ut multitudinis mos eſt, luget amicum inertia atque officij intermiſsione, ſed à delicijs uitæ in luctu ita abſtinet, ut in re

militari

A militari nihilominus ſtrenuam interea nauet operam. Rurſus Archilochus non laudatur,
quia ſororis maritũ in mari periſſe queritur, ludum adhibens lamentis ac merum, quò illa
eliminet & expugnet. Atq; ea in re rationẽ mihi ſecutus uidet, dum ait: Nihil equidẽ profi
cio eiulans, nec luctui officio, oblectamentis ac gaudio intentus. Si igit̃ ille delicias & ani
mi tetrici laxamenta nõ exiſtimauit obeſſe luctui, quid eſt cur nos queramur hæc quæ tra
ctamus, incõmoda eſſe nobis philoſophantibus, aut rempublicam adminiſtrantibus, uel
dum prodimus in forum, agriculturam'ue exercemus? Correctiones proinde eorum quæ *Correctiones di-*
abſurdè ſunt dicta, nõ parum habent momenti: uelut eius quod dixit Antiſthenes in thea *ctorum proſunt*
tro: Quid turpe eſt, in cuius uſu tu non uides turpitudinẽ? Atheniẽſibus enim ob hoc uer-
bum tumultuantibus, mox adiecit: Turpe eſt turpe, ſiue tu uideas, ſiue non uideas. Sic
Cleanthes de opulentia ait: Qui amicis ſuũ impertit corpus, ita ut morbo corripiatur, ex-
penſæ pecunię id habeat uice. Hoc dictum alio quodam in hunc modum ſcripto emenda
uit: Qui ſcorto ſuum impertit corpus, ita ut morbo corripiatur, expenſam quaſi reputabit
pecuniam. Zenon item illud corrigens Sophoclis:

Ad principem magnum quiſquis contenderit,
Fit ſeruus eius, liber quanquam aduenerit.

ita quaſi poſtliminio rediens ſcribit:

Non ullius fit ſeruus liber qui uenit.
Quid principi collucet clare, libero.
Boni fruens magnanimi hinc contubernio.

Quid igitur prohibet, ne iuuenes noſtros ad id quod eſt melius huiuſcemodi ſucclama-
tionibus impellamus? dum ad ea quæ dicuntur, ueluti inſurgentes ex aduerſo, illa impu-
gnamus, hoc modo: Dum aiunt, q̃ eſt optabile mortalibus, ut telum feriat id quod animo
conceperis? Obijciamus nos contrà: Non, ſed optabile eſt ut telum feriat id quod eſt fru-
giferum. Quæ enim optare non decet, ſi illa accipias, & pro animi tui deſiderio fruaris eiſ-
dem, miſerum id planè eſt, & non minima infelicitatis portio. Nec Atreus filiũ Agamem
nona prorſus in omnibus erudiuit honeſtis. Nam dum ait: Oportet te & dolere & animũ
exhilarare. Nos cõtrà illius uerba impugnamus: Per Iouẽ cõtendimus, ut gaudere debeas
B & nõ dolere, modò in rebus inuenias legitimam menſuram & modum. Sic Atreus filium
Agamemnona non in omnibus prorſus erudiuit honeſtis:

Heu heu malum exitioſum nunc mortalibus,
Vt quis ſciat, tamen non uſurpet bonum.

Immedicabile utiq; hoc eſt, & malum rationi prorſus repugnans, ut ne etiam addam miſe
rum ſi hoc noſti quod eſt melius, & ad uitæ intemperantiã atq; mollitiem ſummi dedeco-
ris prolabare. Tropus quidam eſt, dum quis paret dictis, non oratio. Imò & tropus & ora *Tropus.*
tio, uel magis tropus ex oratione. Quemadmodũ equus per frẹnum, & nauis per clauum
circumagitur. Nihil enim eſt tam humanum, ac prorſus nullum tam cognatum uirtuti or- *Oratio.*
ganum, ut oratio.

Non fœdo amore maris, at dextro fœminæ
Capiaris, ut decorum utrinq; ſeruias.

Rectius hîc dixeris, ut modeſtiæ ubiq; ſeruias: ita enim æqualitas & decorum uerè obſer-
uatur. Cæterùm qui ſe ad uoluptatem aut formam transfert, utrobique ineptus eſt, pa-
rumq; ſtabiles habebit ſedes.

Diuos metu, prudentes adeunt ſupplices:

Non utiq; ita habendum eſt quod legitur, ſed

Fiducia deos, prudentes adeunt ſupplices.

quandò metus imprudẽtes, ingratos, ac prorſus dementes ſolicitat, quippe qui diuinam *Metus.*
illam uirtutẽ, unde bona nobis proueniunt, tanq; ab ſe læſam ſuſpiciunt ac uerentur. Ha
ctenus quę ad correctionẽ attinent explicauimus. Qua autem uia ea quę legimus in mul *Lecta in uſum*
tiplicem uſum traducamus, Chryſippus aptè oſtendit: Oportet enim, ait, quod eſt ex uſu, *traducenda.*
ex ijs quæ confinia ſunt, & ſimilem habent ſpeciem, colligere. Veluti dum ait Heſiodus:
Bos equidem non amittitur, niſi quis improbũ habeat uicinum: id ſanè de aſello, cane, &
omni eo quod ad hunc modum poteſt amitti, intelligas licebit. Sic quod ait Euripides:
Quis eſt ſeruus qui mori non reformidet? id quod de labore ac morbo haud abſurdè
item intelligi poteſt. Ergo quemadmodum idem pharmacum ad unum morbum fu-
gandum efficax, dum uim illius diſcunt medici, ad omnes finitimos illud transferunt
& accommodant: ſic ſententia communis, quæ uim ſuam in plura poteſt extendere,

C non eſt deſpicienda, ſed dum uni negocio propriè congruit, ad ſimilia nihilominus traducenda eſt, & proximè cognata. Eſtq; in hac occupatione exercenda iuuentus, ut conſueſcat pro ingenij ſui acrimonia id quod eſt cōmune ex proprio traducere, idq; compluribus experiri exemplis, ita ut in promptu illi fiat, celerrimè huius exercitij præſtare documenta. Vt cùm Menander ait:

Beatus eſt, opibus iungens induſtriam.

Hoc exiſtiment nō modò de diuitijs dictum, ſed etiam de honore, principatu, & eloquentia. Stupendam preterea admiratione Vlyſsis, qua tangebatur dum Achillem inter puellarum gregem in Scyro eſſet conſpicatus:

Tuq; ò generis extinguis clara lumina,
Dum penſa natus optimi patris trahis.

Licebit in prodigum quoq; retorquere, ſordida lucra captantē, deſidem & negligentem, diſciplinarum oſorem. Veluti ſi dicas: Bibis patris Græcorum natus optimi. Sic dicere queas, Ludis, cauponam exerces, ſcortaris, nihilq; ſapis egregium, quod generis tui nobilitatem deceat. Rurſus dum ait:

Ne dixeris, miror præclarum opum deum,
Quarum facilè uim magnam poſsidet malus.

Itaq; nec gloriam dices, formā corporis inſignem, ueſtem magnatū, aut ſacram etiam coronam, quod hæc omnia uideamus etiam uaniſsimis contingere nebulonibus. Et quod ait,

Fœdos metus de ſe producit filios:

per Iouem, ſic & petulantia, ſuperſtitio, inuidia, & reliquæ item omnes hominū id genus peſtes. Cæterùm quod optimè dixit Homerus, Diſpari forma præſtantiſsime: & pari modo, Hector forma inſignis: oſtendit reprehenſione dignum, & riſu, qui nullo bono fruitur quod forma decentius. Vnde in procliui eſt ad ſimilia hoc trahere, quo compeſcamus eos qui ſibi plus nimio placēt ſpecioſis titulis, cùm nihil illis ſit uanius atq; indignius. Docendi ſunt proinde iuuenes, quòd odioſe dicta huiuſmodi, contemptū ſecum afferunt. Veluti ſi dicas: Diuitijs optime, conuiuijs optime, liberis optime, iumentis optime, & per Iouem ſi dicas, de alijs eodem modo, optime. Ex pulchris itaq; & honeſtis præſtantiam ſecteris

D neceſſe eſt, ut uidelicet in præcipuis rebus præcipuus & anteſignanus habeare, primasq; teneas in rebus maximis, quādo uideas gloriolam hanc, quæ ex rebus minimis ac uilibus captatur, non eſſe gloriam, ſed planè ignominiam. Vnde hoc exemplo mox admonemur, ut penitius laudem aut dedecus introſpiciamus, cùm in alijs poëtis, tum apud Homerum potiſsimè, ubi planè indicatur, ea quę ad corpus aut fortunam referuntur, non admodum magno ſtudio digna debere æſtimari. Principiò enim, in mutuis cōgreſsibus dum ſe compellant, dextraſq; excipiunt homines, non dicunt, O formoſe, diues, aut uiribus pollens: ſed huiuſmodi fermè benignitate uerborum utuntur:

Nate Iouis Laërtiade, multiſcie Vlyſſes. Et:
O ſoboles Hector Priami, qui æquare tonantem
Conſilijs potis es. Et:
Pelides inſignis gloria Graiûm. Et:
Chare Menœtiades animo mihi grate.

Proinde dum uitio quippiam dant poëtæ, in ſcelera ipſa ſic inuehuntur, ut nihil earum rerum attingant quæ ſunt corporis: ut,

O temulente tenes oculos canis, & leporis cor. Et:
Aiacem uince qui plurimum polles maledicentia. Sic:
Idomenee dic prius aliquid arrogantius.
Nec te decet eſſe blacteronem. Et:
Aiacem loquacule tu bubulce.

Deniq; Therſites ab Vlyſſe reprehenſus, non claudus, caluus, aut gibboſus eſſe dicitur, ſed linguæ amarulentia inſignis. At Iuno Vulcanum amatam ſobolem his uerbis alloquitur: Surge mi fili claudo pede. Vides hic Homerum ridere loripedis uitium, nō aliter atq; alibi cæcitatem, quòd probro indignum putat, quicquid non à nobis, ſed à fortuna porrigitur. Duo autem præclara contingunt illis qui poëtas audire ſolent. Primum moderationi animi famulatur, docetq; nulli fortunam moleſtè ac ſtultè exprobrandā. Alterum uiam ſtruit ad magnanimitatem, qua ad omnes fortunæ caſus ita componas animum, ut non deijciaris aut conturberis, nihilq; cōmouearis ad ſcōmata etiam ridiculis maledictis permiſta. Qua in re Philemonis illud in promptu habendum exiſtimo: Suauius nihil eſt,

Poeticæ ad quæ utilis.

nil

A niſi denicꝗ concinnius, quàm ſi poſsis æquo animo ferre conuicia, potiſsimum ſi id uideantur errata alicuius expoſcere, & affectus incompoſiti requirant caſtigationem. Quemadmodũ tragicus ille Adraſtus Alcineone dicente, Mulieris homicidæ cognatus es: reſpondit, At tu manibus peremiſti matrem quæ te genuit. Quemadmodum ergo qui flagris cædunt ueſtes, corpus non attingunt: ſic qui infelicitatem aliquam fortunæ aut generis exprobrant homini, in ea feruntur quæ extra hominem ſunt, nimirum ſtultè, uanoꝗ conatu, quum præſtet animum correctione egentem, morſu impetere. Cæterùm quemadmodum ſuperius docuimus, poëmati parum honeſto, quod bonis officiat moribus, opponere ſententias ciuilium & celebrium uirorum, quæ fidem abrogent turpitudini: ita ſi offendamus in carmine urbani quippiam quod ſit frugiferum, fouere nimirum illud iam decet atꝗ amplificare philoſophicis demonſtrationibus & teſtimonijs, ita ut inuentio tota illis referatur accepta. Id nanꝗ in primis æquum eſt & non parum cõducibile, ut tum demum poëma dignitatem, robur, ac fidem obtineat, dum cantatur ad lyram, aut in ſcholis exercendi ſtudio tractatur: ſi cum Pythagoræ & Platonis conſentiat decretis, & in illa puerili lectione, ad Chilonis præcepta & Biantis, rectà proueharis. Indicandum præterea non oſcitanter iuuentuti carmen illud:

Philoſophia in poëticam introducenda.

Non tibi conceſſum miſcere prælia fili,
Sed ' ' eneris dotes cape, permiſſoſꝗ hymenæos.

Similiter illud:

Iuppiter ecce tibi ſuccenſet, uiribus impar
Quòd pugnas hoſti, quomodo nihil differant ab illo, Noſce teipſum, & quòd utrobiꝗ eadem ſit ſententia. Sic illud:

Ignorant ſtulti ut toto plus dimidium ſit. Et:
Conſilium prauum conſulto peſsima res eſt.

ex Platonis officina ſunt profecta. Sic enim ſcriptũ reliquit philoſophus ille in Gorgia, & libro de republica, dum docet, iniuriam accipere melius eſſe quàm facere: magiſꝗ offendi eum qui lædit, quàm qui lædatur. Adijciendum inſuper eſt Aeſchylo, dum ait: Vtili ſis animo, laboris immenſitas tempus non habet: apud Epicurum id eſſe uulgatum,
B ſuoſꝗ ſemper ibi habuiſſe admiratores, quòd uidelicet magni labores breui finiunt̃, temporarijꝗ non habent aliquid in ſe magnitudinis. Et Aeſchylus quidem haud dubiè hoc cecinit. Sed appendix quædam cohæret, uidelicet: Si enim magnus breuiſꝗ non manet labor, non eſt magnus qui perdurat in labore, neꝗ ad ferendum impos. Theſpidis autem illa, Vides huic deorum primas dare Iouem, nec uana ſunt neque arrogantia, ad hæc non tam ſtulta ut rideas, dum hoc ſolum non nouit quid delectet. Et quod ait Plato, quantum præſtet longè abeſſe à uoluptate & triſtitia, qua in re potiſsimum deorum natura confirmatur. Porrò illud, Dicamus quòd uirtus fidam & conſtantem habeat gloriam: at opes hominum, meticuloſis commorantur, à Bacchylide dictum eſt. Et propemodum confine illi eſt hoc Euripidis: Ego nihil antiquius puto prudentia, eò quòd bonorũ duntaxat comes ſit. Similiter & illud, Honoris uos teneat ſtudium, Virtutẽ opibus paret alius, quas quidam felices in bonorum habent numero. Cæterùm non habent hæ ſententiæ euidentiam, philoſophorum dictis conſentaneã, qui diuitias à bonorum ordine excludunt, putantꝗ inutilia eſſe, & nullius frugis, quæcunꝗ ſine uirtute poſsident̃. Ad hunc igitur modum poëticam uſurpare, præceptiſꝗ inſiſtere ſalubribus, uindicat illam à fabulamentis, & detrahit ei perſonã, additꝗ ſtudium illis rebus quæ magno cum fructu ibi dicuntur, aditum parans iuueni ad rationes philoſophicas, dum animum eô inclinat. Venit enim cum quibuſdam prægustamentis, non omnino rudis, ſed ceu candidatus quidam rerum philoſophicarum: quandò iam exoluerunt illa quæ audiuit perpetuò à matre, à nutrice, & per Iouem à patre, & pædagogo, diuites ſolos beatos prædicantibus, ſummoꝗ honore illos afficientibus. Exhorrentibus præterea mortem & laborem, uirtutemꝗ capeſſere operæprecium non exiſtimantibus, atque adeo nihil præter opes & honorem. His, inquam, opinionibus dum repugnare audiunt philoſophos, ſtupor quidam illos ab initio retinet ac metus pauorꝗ, ita ut progredi non liceat, nec ferre queant inſolita: non aliter atꝗ ij qui è magna caligine prodeuntes ſolem contueri nequeunt, niſi antea paulatim fuerint aſſueti. In poëtica igitur ceu in adulterino quodam lumine, ubi uera falſis ſunt permiſta, ſplendor eſt tenuis quem facilè feras, poteſꝗ citra moleſtiam reſpicere, tantum abeſt ut in fugam te agat præcipitem. Audierũt enim prius in poëtis & planè perſuaſa habent hæc ſequentia:

Philoſophiæ uis

Mortalibus flenda eſt cuiꝗ ſua calamitas,

C Et mortuus, cunctis liber laboribus,
Domo efferendus eſt multo præconio. Et:
Quandò duobus uita eget mortalium
Tantùm, cibo panis, aquæ dein potu,
Vale tyranni barbarorum amicitia,
Et hominum miſerorum felicitas.

Hæc enim, inquam, minima ſunt quæ grauia eſſe poſſunt, minusq́ conturbant & offendunt, ex his quæ manant à philoſophis, dum uidelicet audiunt, Mortem nihil ad nos pertinere, Naturæ opes circumſcriptas ſuo tempore. Quodq́ felicitatem & beatitudinē non liceat præſcribere opulentia, aut rerum maxima ubertate, imò neque principatu, aut magna potentia: ſed ſola indolentia, ac affectuum tumultuantium ſedatione, cupidine animi intra ſuos naturales terminos circumſepta. Harum igitur rerum gratia, & omnium ſimul quas prædiximus, iuuentus bona eget inſtitutione, & ductu, per uniuerſam lectionem, ut placidè magis primò inſtructa, quàm ut dixi, offenſa, in poëtica non aliter atque amicus & familiaris ad philoſophiam mittatur.

Plutarchi cōmentarius, docens quo pacto ſe quiſpiam circa uirtutem, candoremq́ morum ſentiat profeciſſe.

OTTOMARO LVSCINIO INTERPRETE.

Exordium ab abſurdo.

AVT certa quędam eſt ratio, ô Soſsie Senecion, qua ſenſu quiſpiam deprehendit, ſe euaſiſſe meliorem, aut profectò nihil immodeſtiæ decedit ad bonā frugem ſuis auctibus ſenſim promouentibus, ſed pari lance cunctis mortalibus obuia ſit morum peruerſitas oportet, quæ illos
D non aliter atque rete quoddam plumbi grauitate concludat. Atq́ iam

A ſimili.

grammatico in diſciplinā traditus, ſiue muſico, non intelliget quid inſcitiæ per exactam in arte percipienda diligentiā à ſe fuerit amolitus, ſed perpetua identidem ignorantia ſua torquebitur. Medicina item languenti nihil præſtabit tranquillitatis & laxamenti, ubi iam declinare cœperit morbus, neq́ diſcrimen ullum notare queas, niſi uerè reducta fuerit contraria corporis habitudo, ſanitate prorſus reddita. Proinde donemus iam, ad meliora nihil proficere eos, qui etiam mole quapiam exonerentur: & in trutina rerum facta collatione, nullam ponderis notari diuerſitatem. Ad eumq́ modum in philoſophia, & ijs quæ ibi præcipiuntur, neminem percipere ſenſu, num profecerit, quandiu puſillum inſcitiæ relinquatur in animo, à quo nō repurgeris, ſed ſimpliciter eodem ſemper malo torquere neceſſe eſt, donec ſummum illud bonum atque perfectum ſe inſinuauerit. Deniq́ uno momento ſapientē fateamur (ſi dijs placet) ab extrema malitia, in tam ſublimem uirtutis habitum promouere, ut incrementa nō poſsit accipere, ſubitoq́ effugere morum peruerſitatem, eamq́ tantam, ut longo etiam temporis interuallo nulla illi portio decedere potuerit. Verùm nō infitiabere eos, qui abſurda hæc aſtruunt, ipſos ſibi iam planè faceſſere negocium, dum quod in conſpicuo eſt, ignorantię tenebris inuoluunt. Quomodo enim ſuam uulgò tuebuntur exiſtimationem, qui ſapientes habentur, ſi puſillum illud uirtutis, quod tempore acceſsit, aut detractū eſt, in ſeſe non agnoſcant, aut pernegent? Quaſi uerò recta ad uirtutem ducens uia, latens ſit, omnesq́ eô contendentes cæcutire uideantur, ignari quô ſe recipiunt, aut quatenus promoueāt. Idq́ ſi obtinebit, ut tam repentina fiat rerum cōmutatio, dum is qui hodie prauiſsimus fuerat, ueſperi in egregium euadat uirum, & qui rudis literarum ſomno conceſſerat, experrectus longè ſit omnium ſapientiſsimus: compellare mihi iam liceat heſternā inſcitiam, nouasq́ præſtigias his poëtæ uerbis: Porrò mihi longū rogo ſomnia uana ualere. Atqui diſpeream ſi quis tam inſigne diſcrimen ſui, prudentiamq́ tanta ubertate in ſe diluxiſſe, non intelligat. Planeq́ auguror, ſi quis uoti cōpos, ueluti Cæneus, ſubitò nobis ex muliere mas prodierit, eum planè ignorare quid deceat talem mutationem. Neq́ enim ſapere poterit, prudenti eſſe animo atq́ maſculo, quum ſtultitia, metu, uitæq́ intemperantia iampridem laborauerit, & rerum omnium neſcius, ex ſtatu mere belluino in diuinum protinus fuerit translatus.

A tranſlatus. Cæterùm rectè dictum eſt, Lapidem cõponi debere ad regulam, minimè regũ
lam ad lapidẽ: cùm iſti contrà non aptent negocia philoſophię præceptis, ſed negocia in-
ſeruire cogant ſuis ipſorũ cõmentis. Et dum ſuo arbitratu omnia ſtatuere conant, mirum
quàm multis erroribus ac dubijs ſubinde impleant philoſophiã. Porrò conſtituto hoc uir
tutis faſtigio, de quo præſens eſt quæſtio, ſi omnes æquè ſunt infelices qui nondũ eô con-
tenderint: iam qui totus incumbit uirtuti, etiamſi nondum cõtigerit apicẽ, tam eſt miſer,
quàm is qui uitijs omnib. eſt immerſus. Atque adeo uidere eſt, quo pacto mirè ſecũ pugnent,
qui in ſcholis Ariſtidis flagitiũ cum illo Phalaridis æquant. Hinc meticuloſum animum
Braſidis cum eo quem refertur habuiſſe Dolon, Melitiq; ingratitudinem cum illa Plato-
nica, res utiq; longiſsimo interuallo diſtantes, conferunt. Quæ ratio ſatis nos monet, in ui
ta probè inſtituenda, uſuq; rerum, magiſtros illos parum elegantes, & duriuſculos, decli-
nare, ac procul fugere, alios uerò qui frugi ſunt, audire, & ſequi. Proinde nos prauitatem
omnem in ſuo genere, potiſsimũ infinitam illam & inexplicabilẽ, quæ reſidet in animo,
incrementis quibuſdam conſurgere, & defectu minui cernentes, iuxta quem modum &
differunt ipſi profectus & acceſsiones. Veluti ſi ratione paulatim reſplendente, animũq;
repurgante, umbra iniquitatis attenuetur, non abſurdè arbitramur ſenſu deprehendi poſ-
ſe huiuſmodi tranſmutationẽ, haud aliter atq; ſi liquoris nonnihil decedat è dolio. Renne
tur autem ratio eorum quæ primo conſpectu quiſpiam aſſequebatur, dum perinde ac na-
uigantes uaſtum primo pelagus aſpectu cõplexi, ſimul cum tempore ipſo, uentiq; poten-
tia curſum ſuũ dimetiuntur, quem poſsint utriuſq; habita ratione, peregiſſe, ita ipſe in phi
loſophia ex perpetuo illo motu rectà euntis, citra ullam ſtationem aut receſſum. Quippe
dum non impetu quodam, à quiete in opus fertur, ſed leniter & ſenſim promouet, con-
ſequetur haud dubiè, ſi priorem ſtatum cum eo qui peracto opere contingit, ritè confe-
rat, quis ſit ille, de quo iam quærimus, in uirtute profectus. Celebre enim illud poetæ,
quo aiunt:

In Stoicos pecca ta omnia paria eſſe ſtatuentes.

> Addideris paulum ſi paulo crebrius, illud
> Protinus aſſurgit, magnuſq; uidetur aceruus.

non equidẽ aptè de augendis opibus ſolùm dicitur, ſed cùm ad res omnes, tum uerò po-
B tiſsimum ad uirtutum incrementa, moreſq; abſolutæ integritatis, duce ratione quæſitos,
non abſurdè quadrabit, ſi eô conferas. Porrò eorum qui ſtudent philoſophię, turbulentus
primò & longè diſpar incepto animus, non ſolùm ſpatia quædam ſtatuit itineris, quo pro
fectum metiaris, ſed etiam leuat labore, dum animi peruerſitas ut ſimilibus incrementa ac
cipit, ita aduerſis deijcitur. Et planetas quidem Mathematici appellant ſtationarios, quan
do à progreſſu deſiſtunt: uerùm in philoſophia, uirtutiſq; itinere nulla eſt quies, nulla per
petui profectus intermiſsio. Natura ipſa, quemadmodũ in trutina fieri ſolet, iam propen-
ſa ad id quod eſt melius inclinari, modò labi in deterius. Itaq; non aliter atque Cirrhæis
datum eſt à ſuperis oraculum:

> Nocte dieq; tibi non deſint prælia poſthac;

Ad eum planè modum noueris perpetuam tibi cum uitijs imminere pugnam, cuius nul-
la ſit per diem, nulla etiam noctu relaxatio. Vix enim unquam ceſſant excubiæ, aut de-
ſunt uoluptates, quæ te infeſtent, & caduceatorũ more in aciem prouocent, quanquã ſtre
nuè hoſtes pręterire queas, atq; cõtemnere. In promouendo autem per certa interualla in
ſemita uirtutis, ſtabiliora ſunt ac diuturniora primis quæ ſunt ultima: hoc nimirum argu-
mento, quòd ſecordia iam exercitatione & labore irrequieto profligata eſt. Quanq; in ea
re ſedulò item curandum eſt, ne protinus intermiſsione aliqua facta, rurſus langueſcere
incipiat animi alacritas. Proinde quemadmodũ culmus impetu quodam ſurgit in altum,
longiſsima primùm emenſus ſpacia, ac mox ubi tenues accipit offenſiones, & uerbera,
ceu anhelo ſpiritu in acumine fatigatus, dum non ſuppetunt uires, denſis quibuſdã geni-
culis roboratur ad uenti plagas ſuſtinendas: ſic pro primò magno curſu cõtendunt ad phi
loſophiam, deinde accipiunt offendicula quibus auellantur, ita ut uirtutis non ſentiant bo
na, tandem fatigati labore deficiũt. Atqui alæ rurſus accipiendæ erant, ſublatis morę occa
ſionibus, & pergendum porrò ueluti auctis copijs, quæ robur ſuppeditent, animiq; prom
ptitudinem largiantur, ut cœpto operi poſsint ſufficere. Primum autem argumentũ quo
te ſentias in uirtutis ſtudio profeciſſe, eſt amoris immenſitas. Non enim ſi depereas mulie
rem, ex eo apparet, quòd præſentia illius te oblectat: quandoquidẽ cõmune id eſt omni-
bus, amatis gaudere: ſed ſi mordicus eam retineas, ægreq; diuelli te hinc patiare. Videas
equidem non paucos qui cupidi admodũ ferunt ad philoſophiæ ſtudia, uerũ mox ubi ad

Nullæ homini ſunt cum uitijs induciæ.

Primũ indicium profectus, amor uehemens.

C alia diuerterint negocia, effluit affectus prior, nulloq; dolore torquent̃ philoſophiæ deſiderio. Cæterùm ſi cui adſit uerus amoris ſtimulus, quanquam remiſſus tibi appareat, uulgariq; affectu, in ſodalitate eorum qui ſimul incumbunt ſapientię ſtudio, protinus tamen alium cernes, ſi inde ſegregatus fuerit atq; diuulſus: quippe ad res alias prorſus inſaniet, anxius erit, triſtis, querulus, ſummoq; dolore cruciabitur. Non dicam hîc nonnullos, quos non aliter atque dementes, etiam amicorum ceperat obliuio, ſummo ardore ad hæc ſtudia animum appuliſſe. Quandò non contenta eſt philoſophia, ut præſentia duntaxat nos amore ſui capiant, ueluti unguenta, quorũ abſentia nemo diſcruciatur, ſed inediam quandam, ſitimq́; oportebit concipere, ſicubi auellimur: taliq; argumento intelligere utique licebit nos uerè profeciſſe: perinde atq; à nuptijs, opibus, amicis, militiáue, ſi contingant, protinus diſtraharis. Iamq; eò magis dolendus eſt in uirtutis ſtudio neglectus, quo maiorem fructum confert illius acceſsio. Huic primo indicio profectus circa uirtutẽ, confine eſt uetuſtiſsimũ illud Heſiodi, uiam ad eam ſudoribus ſtruentis, documentũ, etiamſi iam nõ admodum ſit obuium aut celebre, nimirum quia omnis eô tendit cura, ut leni tramite, facili & compendioſo incedamus. Acciditq; ut priſco illo expuncto atq; deleto, lux omnis ac ſplendor in philoſophia planè conciderit, labore utiq; ſublato & exercitatione, poſteaquàm ex dubijs rebus, uago errore, ac pœnitudine animum exemeris, quæ omnia philoſophiam à limine ſalutantibus ab initio ſolent contingere, haud aliter atq; ijs qui terram in nauigatione ex oculis iam uiſam amittunt, alterã illam ad quam tendunt nondum aſſequuti. Dum enim cõmunia iſta ſolitaq; ferant, neceſſe eſt, priuſq; meliora intelligant, eiſq; fruantur, in medio interim fluctuent, & plerunq; retrò labantur. Id quod Sextio illi Romano iamolim uſu uenit, qui urbanos honores faſceſq;, quibus ſeſe ob philoſophiæ ſtudium abdicauerat, negociũ parum feliciter primò procedente, doloris impatientia rurſus affectauit, biremi exili optata, qua in priorẽ ſtatũ rediret. Huc pertinet Diogenis item Sinopei exemplum, memorię proditum, qui dum Athenis philoſophiæ ſtudium auſpicaretur, fuiſſe tum inſignem aiunt feſtiuitatẽ, ſumptuoſas cœnas & opiparas, ſpectacula, conuentus celebres ac congreſſus, conuiuiaq; in lucem uſq; protracta. Diogenem interea in quodam angulo fori porrectum, membris ita compoſitis ut ſomnum caperet, uerùm cogi-

Secundum, aſperam non horrere uiam.

Tertium, reclamare prauis animi ſuggeſtionibus.

D tatione plurima diſtractum, & animo irrequieto turbatum, quòd præter ullam neceſsitatem in tam monſtroſam laboriſq; plenam uitam deſcendiſſet philoſophiæ ſtudentium. Proinde dum ſolus ipſe ſibi incumberet, uniuerſis bonis mortaliũ, delicijſq; gratiſsimis ſeſe ſpoliaret: hæc, inquam, dum tacitus animo ſecum uolutaret, fama eſt murem circa micas de pane illius decidentes occupatũ à uiro aufugiſſe, qui mœſto atq; attonito animum reddiderit, his ſeipſum uerbis compellanti: Quid iſthuc rei eſt, ô Diogenes? Hunc murem delicatè paſcis, id quod tibi etiã ex neceſſario ſupereſt, tuq; uir tantus uicem doles tuam, quia cum iſtis epulonibus non inſides uirenti mollią; ſtragulo, ac ſimul inebriaris? Dum igitur huiuſmodi auocamenta, uirtutis uiam ingreſſo obſiſtunt, retroq; trahere moliuntur, & ratio hominis clàm repugnat, ad reſpondendum parata, conceptam facilè dirimens ægritudinem, ea uerò non leuis coniectura eſt felicis cuiuſdam circa uirtutem profectus.

Quartum, præſtare animũ placatũ, minimeq; irritabilem.

Cæterùm quandò non ſolùm ea quæ concitant & auertunt in diuerſum, philoſophantibus male ominantur, ſed etiam hoc ipſum quod eſt amabile, & philoſophica diligentia concinnatum, in quo item præſidium quærunt plerique, quales ſunt ioci pueriles, ſaleſq; ridiculi, dum in philoſophiæ tyrones iaciuntur, non raro offendunt illos atque deijciunt: ut ne dicam quoſdam à philoſophia rebus etiam laudatiſsimis abactos: non abſurdè promouiſſe quiſpiam hoc indicio ſe intelliget, ſi placido & tranquillo ſit animo, ita ut nihil cõmoueatur quibuſcunq; dicterijs, nihilq; reluctetur. Potiſsimũ autem conuicia, & ludicra huiuſmodi irritamenta, ab aulicis, in luxu & ocio uiuentibus excogitantur, uel in ſponſalibus, ſiue dum in forum deſcendunt ad magiſtratũ, cauſam'ue ibi aliquam ſibi ſumunt defendendam. Qui itaq; tali ſeptus eſt robore, eaq; pollet animi conſtantia, ut prorſus iſta queat negligere, is planè dignus habetur quem philoſophia ſuis condecoret dotibus. In confeſſo autem eſt, ita natura comparatũ eſſe, ut iſti quos nulla tangit admiratio uirtutis, ſedulò curent, quò ab alijs celebratam lacerent atq; inſectentur. Itaque licebit aliquando per ſpeciem ſtultitiæ & maleuolentiæ terga dare hominibus, & rurſus ſapienter ac rectè ea quæ ipſi tantopere eleuant & ſuſpiciunt, animo conſtanti contemnere. Conferentes enim uana illa atq; caduca noſtris, conditionẽ nimirum philoſophiæ protinus meliorem effecerimus. Exemplum in hac re abundè magnum & efficax nobis præſtitit Solon: At nos, inquit, cum iſtis non cõmutabimus uirtute diuitias: quandò hæc noſtra in tuto ſunt,

Quintũ, uirtutẽ agnoſcere ex collatione ad uitia.

fortuna

A fortuna uiciſsim ſuas opes modò concedit, modò diripit. Sic Diogenes, dum per occaſio
nem ſedes cõmutando è Corintho Thebas, & rurſus è Thebis Corinthum ſe reciperet,
profectiones huiuſmodi regijs digreſsionibus æquiparabat: quòd in Babylone hyeman
te rege, uer Suſis, æſtatem in Media ageret. Et Ageſilaus cùm de rege magno ſermo inci-
deret: Ecquid, ait, maior ille eſt nobis, niſi iuſtitia præſtet? Ariſtoteles item ad Antipatrũ
de Alexandro ſcribens: Nedum ſapiẽtia præſtare, inquit, par eſt eum qui antecedit impe
rio, ſed etiam religione & pietate. Huc accedit quod Zenon ait, dum Theophraſtũ uide-
ret auditorum multitudine cunctos in ſui admirationẽ trahere: Chorus quidem illi eſt ma
ior, at mihi concinnior. Ad hunc ſanè modum, ſi quis ea quæ ſunt uirtutis, cum ijs quæ ab
ea exulant, componat, profectò iam ſimul ſupereffuderit cædes, zelotypias, aliáq; philo-
ſophiam auſpicantibus obiecta, malis complurimis, ne animum ipſe ſuũ deſpondere co-
gatur prorſuſq; deijcere. Atq; haud dubiè ne hoc quidem in poſtremis eſt, hominis ſe pro
feciſſe intelligentis, documentũ. Eſt præterea non mediocris cõmutatio rerum, quæ in ſa
pientiæ ſtudio ſolet accidere, dum (ut ingenuè dicam) ſcita illa philoſophorũ atq; decre- *Sextum, cum iu-*
ta, quiſq; pro ſua accipit opinione, atq; etiam lucro. Alius perinde ac uolucres omnia ad *dicio omnia lege-*
ſplendorem rerum naturaliũ, & acumen ſubtilitatis gloriæq; appetentiã confert. Ille catel *re, & ad bonam*
lis non abſimilis, ut ait Plato, laniatu gaudet morſuq;, & ad rixas ac contentiones ſophiſti *frugẽ traducere.*
cas penitus flectit iter. Bona pars dialecticis artibus ſeſe inuoluunt, meros agentes ſophi-
ſtas, uictum quoq; inde parantes. Rurſus inuenias qui ſententias recitant illuſtrium, & hi
ſtorias apponunt, quemadmodũ Anacharſis dixit, uidere ſe Græcos numiſmate ad nihil
aliud uti quàm ad numerandum, eſſeq; ad hunc modum inutiles, qui in numerato ha-
beant uerba, neq; alium fructum in commune conferant. Accidit autem id quod olim ait
Antiphanes ferè per iocum, ut ex Platonis familiaribus quidam retulit, Vrbem uidelicet
eſſe, in qua uoces emiſſę, protinus quidem diuerberent animum, atq; utinam in ęſtate tan
dem auditorem afficiant, quæ hyeme ſint diſputata. Sic planè, inquit, quæ Plato iuueni-
bus diſſeruit, uix tandem percipiunt animo ubi conſenuerint. Et hæc quidem in philoſo-
phiæ ſtudio tantiſper feras oportet, dum certo iudicio firmum in animo habitum ac præ-
clarum conſtituas, ita ut iam conferre ſimul poſsis rationes, eaſq; conquirere, quæ iuxta
B Aeſopicum illud, Veſtigia te aduerſum, introq; ſpectare magis quàm foras uideantur. Vt
autem autore Sophocle, primò ueluti per luſum Aeſchyli grauitas in oratione expreſſa
eſt, deinde difficultas compoſitionis, & artificium, tertiò ornamentũ, id quod omnium eſt
optimum, & ad bonos mores maximè accõmodatum: ſic philoſophiæ ſtudio incumben-
tes, poſteaquàm ex artificio, & ea parte dictionis quæ eſt plauſibilis, ad moralem & affe-
ctuum motricem promouerint, iam & uerè incipent & alacriter proficere. Curandũ item,
ut non tam philoſophorũ libros perpetua lectione reuoluamus, illoſq; audiamus docen-
tes, quàm rerum copię uerborumq; intendamus animum. Néue potiſsimũ eô inſiliamus,
ubi maior eſt difficultas, & dictorum quædam imparilitas, prætermiſſa ea parte quæ eſt
ſucculenta, pinguis & frugifera. Sed & in poëtis atq; hiſtorijs cautio adhibenda eſt, ne in-
ter uerborum nitorem & elegantiam elabatur, quod ad morum correctionẽ attinet, affe-
ctuumq; noxiorum alleuiationẽ. Sicut enim floribus inſidens apicula flauum mel, ut ait
Simonides, ex ſucco conficit, cùm alij nihil præter colorem odoremq; in illis admirentur:
ita appellentibus alijs animum ad poëticam luſus cuiuſdam & uoluptatis gratia, nos con
trà intuentes id quod eſt operæprecium, amore ueri boni, conſuetudineq; domeſtica iun-
ctos, decet altius quiddam in ea re ſapere. Iamq; uidere eſt eos qui Platonem euoluunt &
Xenophontem ſolius eloquentiæ comparandæ gratia, in quibus uidelicet magis relucet
Attici ſermonis puritas, quo pacto illam colligant, ueluti ros aut puluerem, non admo-
dum diſsimiles ijs qui pharmaci odore capiuntur, & nitore, ſanandi uim & purgandi ne-
gligunt. Sunt præterea qui maiori fructu proficiunt, nedum ex doctrina & literis, uerùm *Septimum, quæ-*
etiam ex ſpectaculis, ac quibuſuis alijs negocijs norunt ad bonam frugem ſuis incremen- *cunque uideris*
tis proficere, dum opes ad eam rem idoneas undiq; conſarcinant: id quod ferè de Aeſchy *exempla uirtu-*
lo ferunt ſuiq; ſimilibus. Aeſchylus enim ſpectans Iſthmia, dum in pugilum certamine al *tum facere.*
ter cæſus eſſet, totumq; theatrum exclamaret, Iouem Chium ſudiſti: uide, inquit, quale ſit
hominum ſtudium: cæſus ſilet, ſpectatores uociferantur. Sic Braſidas dum murem inter
caricas corriperet, ac mox dimitteret accepto morſu: O Hercules, ait, quàm non eſt ul-
lum animal tam exiguum & infirmum, quod pro uita non dimicet, pœnas'que ab infe-
ſtatoribus ultrices ſumere non audeat. Diogenes item bibentem quendam è manu con-
ſpicatus, mox poculum è pera ceu ſuperuacaneum abiecit. In hunc equidem modum ſi

C quis attendat, & amplificet ſtudia, expertus nimirum atq; peritus rerum euadat oportet, dummodo congerat omnia ad germina uirtutum. Fiet autem hoc potiſsimũ, ſi literarum ſtudia ipſis negocijs cõmiſcuerimus, non ſolùm ut Thucydides docet, curas omnes ad periculorum euitationem cõferendo, uerumetiã ad lites, uoluptates, iudicia, concilia, & magiſtratum, ita ut in illis literarũ utilitatem oſtendamus, aut quod magis ex uſu, ut rectè literis uti alios efficiamus. Videas enim nonnullos etiamnum diſcentes, qui mox ad oſtentationem omnia conferunt, hoc ſolo reſpectu ex philoſophia quicquid licet decerpentes, ut mox in forum, uel iuuenum cœtum, aut certè ueluti circulatores in regium conuiuium apportent. Verùm ij plurimũ falluntur opinione, dum putant id eſſe philoſophari: perinde atq; ſi quis credat, uulgò cõmiſturas & pharmaca populo uendere, id eſſe mederi, dum longè aliud medici ſciamus eſſe officium. Deinde non admodum differt ſophiſta huiuſmodi ab Homerica illa uolucri, quę pullis implumibus id pabuli quod nacta eſt in os mittit, ſuo corpori nequicquam profuturũ. Ita enim accidit ei qui alijs, nõ ſibi philoſophatur.

Homeri bomioſis Iliad. 1.

Octauum, oſtentationem & rixas fugere.

Atque adeo neceſſaria eſt hæc cautio, ne philoſophemur ſine fructu. Nobis enim in primis confert philoſophia, maximoq; eſt uſui: erga alios autem, præter docere & diſcere, inanis quædam oſtentatio, & ambitio plerunq; ſe prodit. Idq; potiſsimum, quando altercandi materia & lites quæſtionibus ſubinde implicantũ, finisq; totus in eo conſtituitur, ut ſermones ueluti lora quędam pilæq; per manus uiciſsim tradantur. Eoq; magis iam intenditur animus, ut uocibus inconditis obſtrepamus, & omnia dirumpere magis uideamur, quàm docere quippiam aut diſcere. Proinde in hac re benignum ſe exhibere & placidum, ita ut in arenã minimè deſcendas, & per iracundiã non diſſoluas, quæ in cõmune ſunt prolata, neq; conuicijs inueharis in eum quẽ reprehendas, aut iniquè feras illatam contumeliam, euidens planè documentũ eſt, hominẽ in philoſophiæ ſtudio promouiſſe. Edocuit autem hoc mirè in quadam diſputatione Ariſtippus, dum ab audaculo alioqui inſanienti & indocto ſuperaretũ, ſciolusq; ille impendiò lætaretur & ſuperbiret, ait Ariſtippus: Ego ex hoc cõflictu diſcedens inferior, te uictore, dulciſsimè dormiens ſomniabo. Licebit præterea in dicendo noſtrimet facere periculum, ſicubi non coëat maior expectatione nos auditurus populus: ne uidelicet metu præoccupemur, & in uniuerſum ab orando abſterrea-

D mur. Non enim primò coram paucitate contriſtamur, ſi locus poſtulet oratorem, & deinde ad populum ſiue magiſtratũ audentius uerba fecerimus: potiſsimũ ſi concedatur cogitandi ſpacium, quo orationis habitum queas diſponere. Porrò de Alcibiade quędam referuntur & Demoſthene, quod huc propriè attinet, dum hic rerum intelligentia plurimum ualeret, in dicendo tamẽ meticuloſus admodũ erat, ſibijpſi quoq; in negocijs obturbans, adeò ut in media oratione crebrò hæſitando, uerba diu ſecum quærens, fuga ſe proripuerit è concione. Homerus itaq; conſultò operi ſuo, quod uerſibus conſtabat, non paſſus eſt inſeri uerba incondita, quæ numeros & menſuram refugerent: eadem prudentia iridem pro uiribus uſus in negocijs alijs. Ad hunc modum qui rectà ad uirtutem contendunt & honeſtum, eos decet per occaſionem uſu rerum exercitari potiſsimũ.

Nonum, non captare applauſum.

Deinde quod huic eſt proximũ, applauſum qui oratores manet, ſtrepitumq; theatricum non plurimi facere, uerborumq; in primis, ac negociorum agere reſpectum, ne in rebus eleuãdis laus ipſa appareat nimia, mireq; cum ueritate pugnet oratio. Porrò ſi amatores uoluptatis quam percipiunt ab ijs quas depereunt mulierculis, nullũ præter illas requirunt teſtem, quanto magis decet ſapientiæ ueriq; boni amantem, dum in rebus honeſtis uirtutis fruitur complexibus, ſeipſo contentum lætari, nihilq; laudantiũ & auditorum curare applauſus? Proinde, ſicut is qui domi uocat ancillam, clamore ipſo conteſtans bacchanalia ſe uidere deſijſſe, cùm maximè iam uideat: ita qui gratificatur reipublicæ, & mox ſe paſsim celebrat laudibus, iam prodit ambitionẽ, dum foras proſpicit, gloriolæ captandæ gratia. Virtutis autẽ ſpectator nõ eget publico applauſu, ſed in ſomnis, & ipſis rerum ſimulachris, interno fruitur rei feliciter geſtæ aſpectu. Tantum autem abeſt, ut aliquantiſper progreſſus in ſapientiæ ſtudio, non reticeat apud alios ſi quid largitus ſit amico, aut operis quippiam præclarè geſſerit, ut etiam iniqua ſuffragia per largitiones, aut potentis cuiuſpiam interceſsionem pro ſe, amoliri adnitatur, non reſpiciens ad munera, quanquam hinc fames, hinc ſitis premat. Quippe ſatius fuerat, ſolidam noctem cum inedia agere, quàm cum uirtute ueroq; bono pugnã inire. Ita planè Ageſilaus uitam inſtituit, dum tacitus bona ſua ſecum circumferret, abundè magnus buccinator ipſemet ſibi. Lætabatũ enim ex animo, quòd teſtis ſibi eſſet idoneus, ſpectatorq; bonorum, intus rationem certò ſibi commorari oſtendens,

iamq;

A iamq́ꝫ egiſſe radices, poſteaquã iuxta Democritũ adſueuerat ex ſeſe uoluptatẽ accipere. Vt autem agricolis periucundum eſt, uidere ſpicas inclinatas ad terram & nutantes, nam quæ ob leuitatem ſurſum tendunt, inanes eſſe creduntur, & ſuperbire tamen: ita philoſophaſtri quidam uani, nihil habentes ponderis aut grauitatis, elato ſunt animo, & in habitu, inceſſu, uultuq́ꝫ nihil præter merum faſtum, aliorumq́ꝫ præ ſe contemptũ produnt. Perſpicuum eſt igitur, eis qui fructum ex philoſophiæ ſtudio percipere moliuntur, illaq́ꝫ ſeſe farcire, deponendum eſſe protinus quicquid uanum eſt & arrogans. Et quemadmodũ è uaſis liquorem aliquem recipientibus aër inanis expellitur, ſic qui in philoſophiæ ſtudio ueris implentur bonis, faſtum exuunt, mitioremq́ꝫ de ſe concipiunt opinionẽ, parum iam barbam iactantes & pallium, dum omne ſtudium ad interna transfertur. Adde quòd ſibi ſeueriores tum fiunt magisq́ꝫ rigidi, alijs contrà benigni & placidi. Deniq́ꝫ non uſurpant ſolitam philoſophiæ gloriam inſigneq́ꝫ nomen, ſed in mutuis colloquijs dum ſuper ea re incidit ſermo, abundè ſatisfactum eſt, ſi quis bonæ indolis nouitius prædicetur. Atq́ꝫ hæc ſubridens excipit quiſpiã rubore perfuſus, modeſteq́ꝫ Homerico illo reſpondet carmine:

Quid ſuperis æquas hominem? quaſi numen ego ſim?

Decimum, Veneris neglectus.

Cæterùm puellæ flagrans oculus, ut autor eſt Aeſchylus, quę ſui aliquando copiam fecit, facilè nutibus deprehenditur. Atqui iuuenis profectus ſui in philoſophia hoc præbebit argumentum, ſi uenerea negligat, nihil attentus lubricis cantionibus, quarum ea eſt uis, ut quamprimũ fuerint ab amatore auditæ, non aliter atq́ꝫ ignis, linguã, corpusq́ꝫ tenerum protinus peruadunt, uultum placidum, & lumina alioqui ſedata & iucunda inflãmando.

Vndecimũ, præfractam deponere frontem.

Quemadmodum autem ſacris initiati primò omnia implent clamore atq́ꝫ tumultu, mox uerò ubi ad ſacra myſteria uentum eſt, iam ſilentes attendunt & trepidi: ſic philoſophia in ueſtibulo primùm non mediocrem oſtendit tumultũ, ſui fiduciam, ac uerborũ ſtrepitum, multis barbarè magnaq́ꝫ ui ad inanem gloriam contendentibus. Porrò ſi quis intra penetralia conſtiterit, iam luce magna perfuſus, eô loci ubi redduntur oracula, alium aſſumet habitum, tacitusq́ꝫ contremiſcet, rationem non aliter atq́ꝫ Deum ſubmiſſo animo, atq́ꝫ modeſtè compoſito, ſequens. Huc pertinet quod à Menedemo nõ minus uerè quàm eleganter dictum eſt, Complures uidelicet eſſe qui Athenas nauigent philoſophiæ gratia, pri-
B mùm ſapientes, deinde ſapientiæ amantes, ac mox rhetores, neq́ꝫ ita multò pòſt idiotas rerumq́ꝫ omnium ignaros ſeſe appellare. Quo enim magis cuiq́ꝫ ex philoſophia accedit rationis, eo plus decedit faſtus & arrogantiæ.

Duodecimum, ſi pecces, correctionem admittere.

Animaduertendũ præterea, quo pacto in morbis cõmunibus, ut in dentium aut digitorũ dolore, confeſtim medicus quæritur. Et febri laborantes accerſunt rogantq́ꝫ medendi peritum, ne detrectet opem ferre præſentẽ: cùm grauioribus malis implicitì, ueluti phrenetici, atra bili, inſaniaq́ꝫ affecti, ob morbi uehementiam, quã minimè ſentiunt, non recipiunt medicũ, ſed aut explodũt aut fugiunt. Atq́ꝫ in eum modum quicunq́ꝫ peccant, & monitoribus uitia corrigentibus ſunt aſperiores, ij profectò malo laborant nõ admittente curationẽ. Contraq́ꝫ omnes æquo ferentes animo reprehenſionem, potiſsimũ ſi ipſos etiam morbi animorũ gratia accedant reprehenſores, bonam ſpem exhibent melioris cuiuſdam habitudinis. Qui enim ſeſe ingenuè offert corripientibus, peccatum profert, malum fatetur, non paſſus latêre aut ignorari, proditq́ꝫ corrigenti, adiunctis etiam precibus, is demum ſpecimen præſtiterit non contemnendi in philoſophia progreſſus. Nam quiſquis ad bonam frugem ex corruptis moribus peruenire deſiderat, opus habet, autore Diogene, diligenti amico, uel acri feruidoq́ꝫ hoſte, ut peccatũ fugiat, aut correptus, aut certè humaniter ac blandè curatus. Quandiu autẽ non apparent in homine ſordes, trita lacerna, aut calcei perforati, ſatis habet foris ornamenti, ſibiq́ꝫ etiã atq́ꝫ etiam placet, florere ſe identidem prædicans, & auctibus quibuſdam proficere, ſiue longa illi ſtatura, breuis ue fuerit. Cæterùm internam fœditatem animi, & uitæ impuritatem, inuidiam, malignitatem morum, puſillanimitatẽ & uoluptatis amorem, ceu ulcera quædam circumuallat & abſcondit, ne quis attingat, aut inſpiciat, mox reprehenſurus. Atq́ꝫ illic nihil ſpei eſt reliquum alicuius circa uirtutem morumq́ꝫ integritatem profectus.

Decimumtertiũ, Peccati etiam leuem ſuſpicionem tollere.

Iam qui ita eſt affectus, ut in malis ſuis, doloribusq́ꝫ agnoſcendis cæcutiat, totum hunc uitæ ſtatum prorſus commutet neceſſe eſt, & tum correctione purgari ſi uelit poteſt, modò monitorum ductu uitia abſtergat & oderit. Oportet autem inter hæc etiam mali ſuſpicionem de nobis uel tenuiſsimam execrari & fugere. Qui enim uetum peccatum magis deteſtatur quàm ſiniſtram hominum de ſe opinionem, famam rem omnium præclariſsimam negligit, uitam etiam honeſtam infamia contaminans. Celebre deinde, & pergratum eſt in primis Diogenis uerbum ad iuuenẽ quendã in popina uiſum, introq́ꝫ fugientẽ,

C Ait enim, Quo interius fugeris, eo magis eris in popina. Sic peruerſi dum ſe nõ agnoſcũt & malitiam negant, tanto penitius abdunt ſe, & recludunt in turpitudinẽ. Proinde quem, admodum rerum penuria preſſi, dum per faſtum diuitibus ſe comparant, eo magis egent. Qui igitur uerè proficit in uirtute, Hippocratem imitari minimè dedignabitur, ignorantem capitis cõmiſſuræ certam rationem, id quod iamolim ingenuè ab illo eſt proditum, & in ſcripta redactum. Rectè autem ſecum animo reputauit uir ille celeberrimus, rem pernicioſi fore exempli, ſi autoritate ſua peccaret multitudo, ſua celans errata. Parumq́; uideri conſultum, alios ope medica ſeruare, & propriam fateri non audere inſcitiam. Proinde ſi

XIIII. hoſtes in gratiam reducere.

quis Bionis doctrinam & Pyrrhonis non ad profectus cuiuſdam indicium referat, ſed magis ad habitum animi auguſtiorem conſummatæq́; uirtutis, non maximopere refert. Hic enim contubernales tum profeciſſe putabat, quando æmulos à maledictis ad hæc Homerica uerba ſibi occinenda conuertiſſet:

Viue diuq́; uale, meritos deus addat honores.

XV. animum infractum gerere aduerſus fortunæ inſultus.

At alter ille Pyrrho in tempeſtate nauigans, hordeum fertur in ſummo periculo ſucculis quas ſecum habebat in naui aſperſiſſe: quo quum illæ hilares & lætæ ueſcerentur, Talem, inquit, indolentiam ſibi ex philoſophia & ratione præparare deberet, qui cõſtanti animo & infracto in uarijs fortunę caſibus cuperet perdurare. Aeſtimare iam liceat, quàm frugiferum ſit quod Zeno ſcriptum poſteritati reliquit, dum iubet ex ſomnijs deprehendere,

XVI. in ſomnis nihil flagitioſi uidere.

num profecerit quiſpiã ſtudio uirtutis. Si enim in ſomnis nulla capitur uoluptate erga turpitudinem, neq́; graui inhiat crimini, quo ſe cõtaminet, prorſusq́; nihil uidet cum uitio & fœditate coniunctum, conſentaneum eſt omnia in tuto eſſe poſita. Tum enim imaginaria hominis uirtus, ſimul cum ea quæ affectibus eſt obnoxia, rationi ſubiectę ac parentes, nõ aliter atq́; fundus ſynceri amnis & tranquilli, liquidò apparent. Id perſpectũ habens Plato, ſcitè admodũ delineauit naturam animi tyrannici, dum imaginariæ huiuſmodi & brutæ portioni attribuit ea quæ ille agit in ſomnis. Aut enim manus inijcit matri, ut eam inceſto concubitu polluat: aut ui ſua opiparæ irruit cœnæ, non aliter quàm prædæ, aliaq́; pudenda perpetrat deſideria, iam metu uacuus atq́; rubore, quibus die uigilans arcebatur. Quemadmodum igitur iugales equi ab auriga rectà currere inſtructi, nõ deſerunt uiam,
D illo etiam habenas remittente, ſed perpetuo curſu non aberrant à præſcripto: ſic quibus bruti affectus iam in totum ſunt domiti, & ſub iugum rationis miſsi, certi ſunt quòd neq́; in ſomnis, neq́; in morbo facilè recalcitrant, aut delinquunt: nihil enim agent præter ſolitum, attenti eodem tenore perdurantes. Si enim corpus ſola exercitatione aſſuefactum, in quibuſdam partibus ita domatur ut non pareat affectibus, ueluti dum oculi cohibentur à lachrymis, incidente caſu aliquo ærumnoſo, & cor item, ne protinus palpitet ad quemuis ſtrepitum, aliaq́; identidem, ne ad aſpectum formæ lubricum, mox irruant in libidinẽ, cur non potius animum aſsiduo uſu, ab affectibus pernicioſis liceat in diuerſum agere? adeò, ut imaginariam uirtutem, motusq́; intemperantes ad ſomnum uſq́; reprimamus, ueluti fama perhibet de Stilpone philoſopho. Is enim uidens in ſomnis apparere ſibi Neptunũ, iniquè ferentem, quòd non immolaſſet illi bouem ueteri ſacerdotum more, nihil animo cõſternatus, Quid ais, inquit, ô Neptune? uenis ad me puſioni ſimilis omnia replens querelis, quòd urbem totam, mutuò accipiens pecuniam, emptoq́; inde ſacrificio non refertam effecerim nidoribus? Num ſatis piè tibi ex his quæ mihi ſuppetebant opibus hactenus eſt litatum? Ad hæc uiſum fuit Stilponi, deum in riſum fuiſſe ſolutum, protenſaq́; manu dixiſſe: Ego Megarenſibus in tui gratiam largiorem olei prouentum concedam. Quibus igitur in hunc modum ſomnus contigit, ab omni dolore, metu, turpitudine, & prauitate uacuus, ijſdem aiunt ſimul inſigne documentum eſſe, certi in philoſophia profectus. Qui uerò œſtrum uidet in ſomnis, metum, fugam cum dedecore, ludicra puerilia, mœſtum ſe flere, miſerum eſſe & peregrinũ, aut procellæ illiſoq́; ſcopulo ſe eſſe ſimilem, haud dubiè intelliget animum citra decorum agere, effingere tamen gloriæ certos canones.

XVII. affectus noxios in ſe uidere ſedatiores.

Quumq́; ab his rebus longiſsimè abfuerit in ſomnis, rurſus abſoluitur à nocuis affectibus, planeq́; in libertatem aſſeritur. Hæc igitur tute identidem contemplare, ſi profectus ſint, an non magis habitus animi, quando firmius quoddam robur iam nactus es in uirtutis faſtigio, penitusq́; immotum atque inconcuſſum. Quandò igitur uera atque perfecta indolentia res eſt magnifica, prorſusq́; diuina, quam appellare nobis hîc licebit profectum, ſiue promotionem circa uirtutem, lenimento quodam & remiſsione conflatam affectuum, par eſt, ut diligenti indagine facta, certoq́; iudicio, primùm nos ad ipſos affectus, deinde illos inter ſe comparemus, quò uerius conſtent acceſsionum diſcrimina.

Illud

A Illud autem efficiemus, intelligendo malorũ deſideria in nobis iam eſſe remiſsiora, quàm
fuerint olim. Similiter metum & iram mox à rationis imperio ópprimi, impetumq́ ſimul
omnem flammamq́ amittere. Hoc uerò poſterius aſſequemur, ſi perſpiciamus, num ma-
gis pudore retrahamur à turpitudine, an metu. Vtro magis capiamur, ſtudio uitæ compo
nendæ ad exemplum boni uiri, an magis liuore & inuidentia, qua illum inſectemur. Sic
num magis ueram ambiamus gloriam, an opes concupiſcamus. Et ut ſummatim dicam,
utra cantione magis delectemur, Dorica, ſedata & pia: an Lydia, furore & tumultu omnia
turbante. Sunt enim in cantu quoque ſui exceſſus quibus peccatur. Aduertendum proin
de, num in uictus ratione rigidiores nobiſipſis, an licentia nimia ſimus laxiores: in rebus
gerendis maturitate utamur, an inconſulta temeritate: admiratione item hominum atq;
uirtutis potius tangamur, quàm contemptu. Itaq; ſicut morbis in alias corporis partes mi
grantibus, ſolitasq́ relinquentibus, ſpes de ſanitate concipitur: ita prauorum affectuum
commutatio in eos qui minori periculo uideantur ferendi, donec prorſus explodañ, pro
fectus nimirum eſt ad meliora non ineuidens argumentum. Phrynnin quendam non in- *XVIII. uirtu-*
celebrem muſicum duas chordas ad abſolutum ſeptem fidium numerum inſuper adden- *tem quã admira*
tem, Ephori qui Reipublicæ adminiſtrationi præerant Athenis, reſcindendã eam nouita *ris æmulari, &*
tem rati, interrogant magiſtrum utras mallet ex aliarum ordine abſciſſas chordas, graues *uitium illaudatũ*
illas infimas, an ſuperiores acutas. At nobis non eſt ex uſu, ut de profectu aliquid abſcin- *fugere.*
damus, ſiue intenſum ſupernè, ſiue in grauibus remiſſum, dum utraq; librantes, ad medio
critatem conamur cuncta reducere. Profectus autẽ primò exceſſus omnes, totamq́ illam
affectuum acerbitatem remittit eô, quô ſolent acerrimi helluones ſuam, ut apud Sopho-
clem, fœdam intemperiem. Cæterùm ſatis iam conſtat ex his quæ diximus, proprium id
eſſe profectus circa uirtutem officium, ut iudicium rebus gerendis, uerbisq́ adhibeat, ma
gisq́ circa prius quàm hoc poſterius uideatur occupatus. Argumentũ autem eius rei ido-
neum id erit, ſi mox imitari conemur, quod nobis eſt admirationi, ſeduloq́ probatur,
quodq́ execramur odiſſe libeat, & minimè gentiũ admittere. Exemplo eſſe poterit The-
miſtocles Athenienſis, qui ſolus inter omnes municipes (quandò illos quoque decuiſſet
Miltiadis res ſtrenuè per uirtutẽ geſtas, laudibus uehere) noctes agendo inſomnes, Mil-
B tiadis trophæa, inquit, me excitant, & quietem capere non ſinunt. Quibus uerbis iam pla
nè edocuit, ſe non tam præconem eſſe uirtutis & admiratorem, quàm præſentem ſectato-
rem, & uirtutis in bono æmulum. Liquet igitur iam profectum in uirtute, prorſus eſſe te-
nuem, dum uirtutis admiratione feriamur, & torpemus ocio, nullaq; ui animi in rectè fa-
cta rapimur, eorumq́ autores, quò illos liceat imitari. Neq; enim amor ille uenereus ue-
rus eſt, & alicuius momenti, ſine zelotypia. Atque adeo uirtutis ſtudium ſatis non eſt ue-
hemens, mireq́ friget, ſi careat incitamento & calcaribus, quæ loco inuidiæ, honeſti æmu
lationem & appetentiam animo inuehant. Vtq́ autor eſt Alcibiades, non decet philoſo-
phum ut animum ſolis intendat uerbis, etiam ita ut genas tingat lachrymis. Verùm ſi ue-
rè promouere geſtiat, operæpretium fuerit ſe boni & abſolutæ uirtutis uiri exemplo uitæ
accommodaſſe, conſcientia ſimul ſtimulante ad ea quibus ægrè carere ſe agnoſcit, dum
gaudet, ſpe concepta, impetum ad honeſta minimè deſertum iri: non aliter atque pullus
matri equæ, ut eſt apud Simonidem, indiuiduus curſu eſſe comes gliſcit, & perpetuò ad-
hærendi eſt cupidus. Vnde ueri profectus circa uirtutẽ illud eſt proprium, ut quorum res
geſtas probamus & æmulamur, eorum pariter amemus, mireq́ complectamur mores, be
neuolentia ſumma honorẽ debitum impendẽtes, ſimulq́ ut illorũ ſimillimi fiamus etiam
atq; etiam cupidi. Certamen aũt & contentio profecta ex inuidia erga uiros optimos, di-
uerſo quodam modo accidit. Nam æmulatio quidẽ nonnulla ob perſpectã ſuſcipitur uir-
tutem: atqui nullus in illam adeſt amor, nulla admiratio. Quis enim admiretur hoc quod
impendio auerſatur? Dum igitur uerum bonũ in hunc modũ diligere ordimur, ut non ſo-
lùm ex Platonis ſententia, beatum iam animo reputamus uirum illum egregiũ, ſed etiam
parem felicitatẽ tribuimus auditori, qui ſermonem ex ore eius prodeuntẽ excipit: imò ue
rò habitum hominis, inceſſum, aſpectum, riſumq́ cum admiratione diligimus, ita ut ad il-
lius exemplum totos noſipſos componere geſtiamus, eiq; perpetuò adhęrere: tunc planè
licebit fateri, nos haud dubiè in uirtutis tramite profeciſſe. Præterea inuenias nonnullos,
qui non tam bonis gaudent, felicibusq́ hominũ dotibus, quàm ipſis ineptijs, ueluti balbu *XIX. incom-*
tie & pallore, nimirũ amantium more. Nam Panthiæ mulieris lachrymæ ac luctus, imò ip *moda uirtuti cõ-*
ſa quoq; animi indignatio & malignitas, uirũ Araſpen attonitũ in amore reddiderũt. Ad *iuncta non for-*
hunc ſanè modũ in uirtutis admiratione nos haudquaq; horrebimus Ariſtidis exiliũ, non *midare.*

C Anaxagoræ carcerem, aut Socratis inopiam, Phocionis'ue condemnationem, ſed uirtu-
tem ijs quoq; rebus coniunctam, digniſsimã arbitramur omnium amore, eam ſimul com
plectentes cum præclaro hoc Euripidis elogio: Væ bonis uiris, ſi non omnia illorum ſint
honeſta. Perdurandum eſt igitur, etiam irruentibus huius uitæ incõmodis, nihilq́; nobis
eſt odiendum, ſed amore ipſiſsimæ uirtutis, admiratio ſimul cum honeſti æmulatione fer
ri debebit in diuinas hominum dotes, nihilq́; mouere nos debet alia multitudinis imperi-
tæ ſententia. Rectè autem agunt qui in rebus gerendis illuſtres ſibi proponũt duces, inq;
magiſtratus adminiſtratione, uariaq́; fortuna, diſquirũt ſecum optimos quoſq; uiros, qui
ætate ea ſunt, aut longè antè fuerunt, quid uidelicet in eodem caſu egerit Plato, quid dixe
rit Epaminondas, qualem ſe exhibuerit Lycurgus uel Ageſilaus, perinde atq; illi qui ſe-
ſe exornant ad ſpeculum, dicta factaq́; indecora ibi diſcendo, ut ea deuitent. Sunt proin-
de qui digitorũ quædam propria ediſcunt nomina, lentè recitantes ſingula, aduerſus ter-
rores. Verùm noſter candidatus, ipſius circa uirtutem profectus, qui illuſtrium uirorum
probè meminerit, nihil eſt cur affectus accuſet noxios, dum in promptu habet remediũ,
quo intrepidus poſsit conſiſtere: ſpectatum nimirum efficiens omnibus, ea in re ſuum in
XX. *apertum & conſtans* uirtutis ſtudio profectũ. Ad hæc boni quoq; uiri eſt, ſubitò omnibus proferre in medium
geſtare pectus. animi ſui puritatem, dum ad nullius expoſtulationem cõmouetur, non erubeſcit, nihil ce-
lat, nec quicquam uariat rerum ſuarum. Nam in tali ſtatu fortunæ, ſtabili & inconcuſſo du
rare animo, conſcientiæ ſolius eſt integræ, prorſusq́; illæſæ. Alexander autem ſuo more
dum uideret nuncium ſumma lætitia geſtientem, dexreráq; protenſa accurrere: Quid mi-
hi, inquit, uir bone nunciabis aliud, quàm Homerũ reuixiſſe? Nil uidelicet ſibi deeſſe ijs
uerbis conteſtatus, quàm famam inſignem apud poſteros. Atqui in uirtute proficienti iu-
ueni nullus amor pertinacius inſidet animo, quàm uirorum uirtute inſignium, quos iden
tidem celebret, in hoc incumbens totus, etiamſi omnibus ſe priuet bonis, domo nimirum
inſigni, menſa, uxore, liberis, ſtudio, lectione doctorum, ſcriptiſq; autoribus: adeò ut ſi-
cubi meminerit pij parentis, aut etiam præceptoris defuncti, cuius uita longè fuerit ſuo-
rum temporum moribus ſuperior, nihil habeat magis in uotis, quàm ut liceat illis redire
in uitam, quò rerum gerendarum præſentes habeat ſpectatores: dum alij contrà, qui mi-
D ro neglectu atq; ocio uitam agunt non ſine turpitudine, parentes è uiuis ſublatos, dum in
XXI. *Cauere peccata etiã minima.* ſomnis apparent, magna cum trepidatione exhorreant. Iam ſi libeat præter ea quæ recen
ſuimus indicia circa uirtutem profectus, & hoc item non parui momenti adiungas uelim,
ne quis peccatum aliquod reputet exiguum, ſed ſolicitè quoduis caueat atq; deuitet. Vt
enim qui ſe diuites fore deſperant, impendia exigua floccipendunt, nihil efficere illa cre-
dentes magni, ſi tenui aceruo acceſſerint: at ſpes diteſcendi nihil negligit quantumcunq;
exigui lucelli, eoq́; magis auget æris appetentiam, quo propius admotæ fuerint opes: ſic
haud dubiè uſu uenit in negocijs per uirtutem gerendis: non enim illic locum habet indul
gentia, ut dicas, hoc perpuſilli ad iſtud eſt momenti: iam enim talis eſt rei facies, quæ ſe-
cundò futura ſit melior, ita ut proficienti ad ſingula fuerit reſpiciendũ. Nam ſi in id quod
eſt minimum ſemel ingreſſa fuerit ſcelerum peruerſitas, licentia conceſſa patrandi ea ad
quę alioqui ſumus propenſi, corruere nimirum & contaminari ſimul reliqua animi bona
neceſſe eſt. Et ut ait Aeſchylus: Qui nihil æſtimat magnũ habetq́;, contemptor ſit rerum
puſillarum oportet. Cæterùm qui ſepem conſtruũt aut aggerem, nihil ſunt attenti, cuiuſ-
modi ſit lignũ aut lapis, accipiunt enim quicquid caſus obtulerit, & inter hæc columnam
aliquam è ſepulchro fortè collapſam: id quod ferè agit uulgus ſceleratorum, omne opus
in ſuum quæſtum utcunq; acciderit conglomerans & corradens. Porrò qui proficiunt in
ſtudio uirtutis, uitæ ſuæ non aliter atq; phano cuidam, aut regiæ, aureum ſubijciunt fun-
damentum, nihilq́; temerè admittunt in tale opus, ſed ad rationem ueluti amuſsim omnia
redigunt atq; componunt, dictum hoc ceu ab illuſtri quodam uiro profectum animo re-
putantes, Non eſſe uidelicet laborem magis contemptibilem, eo, qui ſordes
relinquat in unguibus: ita ut in opere præclaro decorum
ſerues, turpitudinem omnem pror-
ſus declines.

FINIS.

Plutarchi, de auditoris officio libellus ad Nicandrum.

A

OTTOMARO LVSCINIO INTERPRETE.

POSTEAQVAM abſoluere licuiſſet per ocium, quæ de audiendi officio à me ſunt conſcripta, protinus illa ad te miſi, ô Nicander, ut ſcias rectè ac ſalubriter monitis ritè obtemperare: quandò illis reniti, iugumq́ huiuſmodi auerſari, iam nil aliud eſt, quàm togam uirilem refugere. Sunt enim effrenes quidam iuuenes, qui nullius ſubiecti imperio, libertate ſe frui arbitrantur, parum interim attenti, in quanto ſæuiores incidant pædagogos & præceptores, nempe prauas cupidines, quæ non aliter irruunt in incautos, atque immanes belluæ è clauſtris ſuis emiſſæ. Et quemadmodum turpe uidetur mulierem ſuis nudari ueſtibus (ut eſt apud Herodotum) quòd ſimul cum illis omnem prorſus deponat pudorem: ita iuuentus plerunq; abiecto puerili amictu, non ſine dedecore omnem ſimul pudorem reijcit, ac metum: deinde quum refugit quod decet, mox peccandi licentia tota ruit in præceps. Cæterùm crebrò audiuiſti, quòd is demum ſequitur Deum, qui parêre norit rationi. Itaque ſic habeto, dum iuuenes relicta pueritia in uiros proficiunt, illis ſi rectè ſapiant, non reijciendum eſſe imperium, ſed duces duntaxat mutandos, dum in conductitij illius pædagogi uicem, diuinum, hoc eſt, ipſam rationem uitæ moderatricem ſuſcipiunt: cui quicunque parent, meritò liberi ſunt appellandi, eò quòd ſoli qui diſcunt quid uelle debeant, ita uiuunt ut uolunt. Quandò perſpicuum eſt, quàm uile prorſus ſit ac uanum quicquid præter rationem, ac diſciplinæ præſcriptum geritur: dum praua huiuſmodi ad temeraria quæque & inconſulta impellens uoluntas, plerunque nil poſt ſe relinquat præter pœnitudinem. Proinde quemadmodum noui hoſpites & peregrini in Rempublicam recepti quampiam & inſcripti, multa ægreferunt & incuſant, quæ indigenis & legum aſſuetis, non modò non ſunt moleſta, ſed etiam grata uidentur & iucunda: ſic ex re iuuentutis apprimè fuerit, ſi longo tempore circa philoſophiam educata, diſciplinæ illius rudimenta imbibere conſueſcat. Quandoquidem ex ipſis prægustamentis, quæ præceptionum philoſophicarum recipiunt permiſtionem, beneuola ac nota, deinde non aliter atque ciuis aliquis, ad philoſophiam accedet, cuius peculiare eſt officium, duce ratione uiros, eosq́ abſolutos efficere, atque ea in re uerum decus ætati iuuenili apponere. Neque uerò inamœnum arbitror, ſi de audiendi ſenſu quippiam præfatus fuero, quem Theophraſtus putat ex omnibus alijs ad effectus commouendos magis uideri idoneum. Quippe uidendi uirtute, guſtandi & tangendi nemo obſtupeſcit, quatitur, & à ſeſe quodammodo redditur alienus, ad eum modum quo à ſtridore, ſtrepitu, & uehementi quocunque ſonitu, animum per aures in ipſis penetralibus corripiente. Quanquam rationali hominis parti hic ſenſus magis inſuper coniunctus eſſe apparet quàm affectibus. Siquidem ad contaminandum malitia animum, ſceleribus per uaria diuerticula, membraq́ corporis patêre nouimus aditum, quandò ad bonam frugem, atque uirtutem perducendi iuuenes, unica relicta eſt uia, nempe aurium imbuendarum: modò puræ & alienæ ab aſſentatione, caſtæ'que ab omni turpitudine protinus ab incunabulis ſeruentur. Xenocrates igitur non ab re præcepit pueris, ut aures armari ac muniri thecis, quas uocant amphotides, magis quàm athletæ curarent: quòd plagæ his quidem poſsint aures offendere, atqui incautæ iuuentuti longè maiori periculo morum peruerſitas animo queat irrepere. Cæterùm non probabat in ea ætate, ut nihil prorſus audirent, aut toti obſurdeſcerent, ſed excubijs quibuſdam ſepiendas aures putabat, ne ſtationem ingenij, præceptis philoſophiæ, quibus ad præclaras uirtutes rectà pergerent, deſtinatam, fœdi ſermones & peſtiferi præoccuparent. Bias item ſenior ab Amaſide iuſſus carnes ad uictimam optimas mittere, linguam pecudi eximens, protinus ad Principem miſit: nimirum quia in dicendo aut commodi plurimum, aut tantundem damni audientibus allatura uideatur. Inuenias deinde qui pueros tenellos exoſculantur, aures illorum auribus adiungendo, docentq́ puellos eadem uiciſsim facere: quo planè ludo ceu inuolucro quodam & ænigmate docetur, inter amicos potiſsimum eos diligendos qui ſalutaribus monitis proſint auditori. Perſpicuũ eſt autem, ſi quis adoleſcens dicendi rationem prius quàm audiendi fuerit aggreſſus, eum non ſolùm prorſus nullius bonæ frugis hominem euaſurum, ac planè ſterilem, dum omni ſtudio caret plantandæ uirtutis: ſed etiam ad ſcelera haud mediocriter propenſum: quippe qui in ani-

Pudoris & metus in iuuentute quanta utilitas.

Rationi ſeruire, libertas.

Philoſophiæ præcepta à teneris imbibenda.

B

Lingua eadem & optima & peßima.

Audiendi ratio prior quàm dicendi.

A uidentia, qui rebus huiuſmodi fruuntur. Verùm qui male afficitur bono ſermone, à quo
reddi poterat melior, ipſe iam ſibi maleuolus eſt, boniſq; ſeſe multis deſtituit: quandò o-
Auditor improuidus nocet ipſe ſibi.
ratio perinde atque lumen aliquod non cõmodat niſi uolentibus accipere. Inuidiæ igitur
alijs in rebus ſeminariũ, ex prauis affectibus & diſciplina uacuis licebit deprehendere: at
Inuidiæ fomes in auditore eſt ambitio.
ea quæ ſe ingerit audienti, ex ambitione quadam intempeſtiua, & famæ ſtudio proficiſci-
tur, nec ſinit eum qui ſic eſt affectus, dictis attendere, ſed totam cogitationẽ ſimul ac men
tem concutit diſtrahitq;, dum in ſe deſcendens auditor, habitudinẽ ſuam cõtemplatur, ac
mox inferiorem ſe eſſe ſentit, eo qui uerba facit: ſimulq; alios cõtuetur, explorans num di
ctis afficiantur, aut illa admirentur: tum enim concitatur ad amarulentiã, & improbat eo-
rum factum qui oratorẽ beneuolentia proſequuntur. Ex ſermonibus ergo nihil retinent,
hoc malo inuidiæ afflati, non aliter ac ſi memoria illorum onerentur, & erga loquentes a-
criter cõmouentur & trepidant, ne uidelicet ex dictis meliores reddantur. Id uerò ſedulò
curant, ut orator finem faciat dicendi, dum pulcherrima diſſerit, ne fructus aliquis ſequa-
tur auditorem. Notant item ſubinde affectus uerbaq; præſentium in ea concione, ac ubi
compererint aliquos admiratores, qui præconijs extollant concionantẽ, proripiunt ſe fo
ras ceu inſani, rectaq; illos petunt qui orationem totam uituperent ac inuertant. Quòd ſi
nullos inueniant tales, conferunt eos qui dixerunt cum iunioribus, qui in eo argumento
fuſius dicant & melius, tantùm ut præclarè dicta uaſtent ac dilacerent, ne cõmoda ſint &
ſalutaria. Oportet igitur ſtudioſum auditorem, qui uanam gloriolam reiecerit, ad oratio-
Auditor ſit gratus.
nem nõ aliter accedere atq; ad ſacrum epulum, animo uidelicet placido & benigno, ut lau
det ea quę ſunt appoſita, ametq; beneuolentiã & officiũ eius qui aliquid affert in medium
ex ijs quæ nouit, & è quibus perſuaſum habet aliquid, ſi qua fieri poterit, ut auditores eiſ-
dem argumentis afficiantur, & pareant. Atq; in ea re conſiderandũ eſt, quòd abſoluta ora
Fructus abſolutæ orationis & caſtæ.
tionum opera, non fortuito quodam caſu, aut ſua ſponte, ſed cura, labore & diligentia ab
animo erudito conflantur, ut habeas quod imiteris, quodq; admirationi & exemplo eſſe
poſſit. At in erratis animaduertere decet, totiſq; ingenij uiribus inſiſtere cauſæ, unde ueri
Fructus ineptæ.
ſimiliter lapſus apparet eſſe ortus. Ita planè fiet ut quemadmodũ ait Xenophon, quòd rei
familiaris curæ intenti, & ab amicis & ab hoſtibus accipiant quò poſſint proficere. Sic ui-
B gilanti intentoq; auditori non tam proſint boni oratores, quàm praui & à recto aberran-
tes. Ad hæc ſententiæ ſimplicitas, dictionis languor, figurę detorſio, ac impetus intempe
ſtiuæ cuiuſdam lętitię feruntur quidam ad laudis aucupium, & ſi qua ſunt alia huiuſmodi,
magis perſpicua fient, dum audimus alios, quàm ipſis nobis uerba facientibus. Itaq; rectè
facturus eſt, qui tum ex alienis erratis in ſeſe conuerſus, ſi ibi delictũ æquale latens inuene
rit, audacter contra ſe ferat ſententiam. Facillimũ nanq; eſt aliorum uitijs ſuccenſere, illaq;
reprehendere: cæterùm nihil in ſe habet bonæ frugis ea res, niſi teipſum prius corrigas, &
ne ad ſimilia prolabaris adhibeas cautionem. Conueniet autem in primis ut Platonicum
illud aſſiduè nobis ſit in ore, ſicubi de peccantibus facta fuerit mentio: Nunquid ego quo
Collatio auditoris ad dicentem utilis.
que ſum talis? Nam perinde atq; in oculis aliorum noſipſos conſpicimus, ſic noſtra ex alio
rũ dictis ęſtimantes, facillimè uenabimur quid deceat: interea deſpiciemus alios, noſtraq;
maiori cura in dicendo elaborabimus. Afferet præterea non parum emolumenti ipſa col-
latio, quã ſermone peracto apud te facias licebit, dum expendis quid præter decorum di-
xerit orator, quid'ue minus quàm rei dignitas poſtularit, tuq; in id incumbas, ut eadem re
ctè dicas & integrè. Eſt proinde quod prorſus mutare queas, & ab ipſo exordio, ſeruato
argumenti perpetuo tenore, in aliam faciẽ cõuertere. Atq; ne præſens huic rei deſit exem-
plum, Platonis Lyſiam legito priorem, & apertam planè facilemq; dixeris orationẽ. At ſi
poſteriorẽ ſumas in manus, nihil apparet concinnius, nihil maiori ſtudio elaboratũ. Proin
de quemadmodũ Lacon quidam ait, dum Olynthũ urbem à Philippo ſubuerſam audiſ-
ſet: Delere quidem poteſt urbem talem, at nequaquã extruere: Ita ſi nos poſt mutatam o-
rationem quam audiuimus, aliter in eodem argumento explicando diſſerere conemur,
nec tamen ſuperare oratorem illum phraſi ipſa poterimus, multum ſuperbiæ nobis & con
temptus in alienis orationibus iudicandis decedet: ac mox intelligemus in ea collatione,
& reprehenſione, quàm temerè ex noſtri amore nimium præſumamus. Admiratio igitur
ſi cum contemptu illam conferas, natura equidem ſanior eſt, & humanior, atqui nõnulla
In auditores ſimplices, qui omnia admirantur.
eget moderatione, & fortaſſe paulò maiore quàm contemptus, temerariaq; præſumptio.
Nam ut hac peſte infecti nihil emolumenti percipiunt ex oratione, ita illa prędìti, quia bo
ni ſunt & ſimplices, facilius læduntur. Atque adeo Heracliti uerbo nihil eſt cur repugne-
mus, dum ait, Stupidi eſſe ingenij, ex quouis ſermone quærere quod diſcat. Oratoribus

C igitur ingenuè merita tribuenda gloria, & orationi cautè largienda fides, ita ut in certami
ne dicendi & eloquentiæ, benignum & incorruptũ te exhibeas ſpectatorẽ, at in ijs quę ad
ueritatem pertinent, & quæ uſui fore ſperes, exactum acerbumq; indagatorem. Sic enim
fiet ut auditores odio uacent, minimeq; à dicentibus offendantur, quãdò pleroſq; uideas
nimia beneuolentia fideq; quibus erga dicentes afficiuntur, longè opinione falli, falſaq;
& peſtifera pro ueris & frugiferis imbibere. Lacedæmonij cùm in ſenatu ſententiam egre
giam hominis turpiſsimæ uitæ approbare uellent, præcepit magiſtratus, ut uir quiſpiam
Mores boni approbant uerba. bonus eam diceret. Quo facto nimirum docuerũt, in conſultando Reipublicæ, mores ma
gis ſpectandos quàm uerba dicentis. Atq; in hunc modum, in æſtimandis philoſophiæ ra
tionibus, exiſtimatio dicentis non parum habet momenti, ſi quis exactiori indagine lo-
Inania in oratione. quentis uitam ad ſermonẽ æqua trutina appendat. Sunt autem in oratione non ſecus atq;
in bello multa inania, ueluti dicentis effictiones, candor, ſuperciliũ, copia, eadem alijs uer
bis repetentis, potiſsimũ autem clamor, ſtrepitus, & auditorum applauſus, quæ omnia flu
minis in modum rapere ſecum poſſunt auditorem iuuenem, & rerum imperitum. Habet
enim oratio fallaces quaſdam in ſe illecebras, dum rebus ſubiectis dulcedinem miſta gra-
uitate, & inſuper apparatu accedente, pondus attulerit. Et ſicut ad tibiam canentium mul
ta nos errata ſuffugiunt, ita impar ac inſolens oratio, ſplendore ſuo auditorem à manife-
ſtis ſæpe auocat. Atque eam ob cauſam Melanthius rogatus quid de Diogenis tragœdia
ſentiret, conſultò reſpondit, ſe illam haudquaquã deſpicere, quæ diuinis nominibus illu-
ſtraretur. At in multorum orationibus & exercitamentis rhetorum, non modò uelatas
nominibus huiuſmodi ſententias licebit deprehendere, uerumetiam in pronunciando
concinnitatem quandam & mollitiem, aliáque id genus lenocinia, quibus auditores fa-
Voluptas pro gloriola. ſcinant, & ceu dementes ſecum quô malunt circunductitant, uanam illis uoluptatem pro
uaniori gloria uenditantes. Aptè igitur in illos competit Dionyſij uerbum, qui dum in
theatro egregium quendam citharœdum pollicitationibus in ſpem eximiam magno-
rum munerum pertrahens, atque finito concentu nihil largiretur niſi uoluptatem, dice-
retq;: Quanta inter canendum te cepit oblectatio, tanta rurſus te perfudit ſpei lætitia. Ta-
le nimirum rhetores noſtros manet præmium, dum id quod unicè concupiſcunt, ac quo
D ſe apprimè oblectant, aſſequuntur, nempe ſui admirationẽ. Deinde ſimul atque auditori-
bus affluxerit orationis amœnitas, oratorum item gloria euanuit, adeò ut prorſus incaſ-
ſum illi perdiderint tempus, hi etiam uitam ipſam inſumpſerint. Vnde copiam ipſam im-
modicam ac uanitatem dicendi prætereas uelim, ac ſummo ſtudio fructum orationis ſe-
ctari coneris. Neque ea in re puellas imiteris, quæ ad ſerta concinnanda fragrantiſsimos
quoſque flores deligunt, opus ſanè iucundum, ac uolupe, quis neſciat? cæterùm nullius
frugis, ac duntaxat diurnum. Sed apum potius te moueat exemplum, qui plerunque in
prata uolant, uiolis, roſis & hyacintho conferta, atque illis tamen neglectis thymum ac-
cedunt, florem aſperrimum atque amariſsimum, illicq; inſidunt, flauum mel conficientes.
Inde ubi acceperint quæ uiſa fuerint cõmodà, auolantes, ad domeſtica negocia reuertun-
tur. Ad hunc ſanè modum, auditorem caſtum & ſtudioſum decet, delicata & florida or-
namenta uerborũ, rerumq; applauſibilẽ quandã uim, nil aliud quàm oratorũ herbam, un-
de nihil mellis conficiatur, putare, miſſamq; facere, atque ſua ipſius attentione, in mentem
ſermonis, & dicentis affectum irrepere, unde ad ſe trahat quod bonum ſit ac conducibile.
Proinde meminiſſe, quòd nõ in theatrum, neq; ad cantationẽ, ſed ad ſcholas uenerit, ut ex
Auditor ex ſuis ipſius affectibus probet aut damnet audita. ſermone uitam emendet. Neceſſaria autem eſt apprimè cautio, certumq; in hoc adhiben-
dum iudicium, quo ad ſeſe, ſuiq; ipſius affectum quiſq; probet aut damnet quod audierit,
dum uidelicet ad rationem uocat, exploratq;, num in affectibus magis redditus ſit effœmi
natus, aut leuari ſentiat ſe triſtitia, firmari certa fiducia, animiq; conſtantia, aut certè ad uir
tutem & honeſti amorem ceu numine quodam afflatũ incitari. Quis enim ferat te in ton-
ſtrina ſurgentẽ, mox aſsiſtere ſpeculo, & contactu capitis cæſariem contueri, num probè
ſis tonſus, & à ſcholis ubi ſermonẽ audiſti, non protinus teipſum cõtemplari, & ex animo
tuo diſcere, quid miſeriæ, implacabilitatis, aut immodeſtiæ deceſſerit, quantóue factus ſis
tranquillior atq; iucũdior? Quando nõ tam uerè quàm eleganter dixit Ariſton: Neq; bal
nei ullam eſſe utilitatem, neq; orationis, unde non prodeas purior. Gaudeat igitur iuuen-
tus, ſi ex ſermone reddita fuerit melior: uerùm in audiendi uoluptate haudquaquam con-
ſtituat finem, neq; arbitretur ſapientiæ ſtudioſum è ſcholis prodeuntem decere, ſi geſtiat,
ſecumq; ſubmuſsitet aliquam cantionem, aut fiſtula canat, ac ſi deſideret fomenta & ma-
lagmata, ſed tum habeat gratiam, ſi ueluti alueare acri fumo, ita ipſe mordaci ſermone
purgetur

A purgetur animo, plurima cæcitate & lippitudine laborante. Quemadmodum autem ora-
toris eſt, non prorſus ad ueneres orationis eſſe attentum, ſed potiſsimum ad perſuaden-
dum: ita iuuenem decet, ut neglecto priori, ad poſterius illud totus incumbat. Non ali-
ter atque potatores faciunt, qui ſedata primùm ſiti, tum demum pocula uerſant manu,
& ſculpturas contemplantur. Qui enim ſalubribus refertus eſt doctrinis, in reſpirando
dictionem conſideret, ſi uacat, num elegans ſit ac nitida. Porrò ſi quis mox ab exordio
orationis, nihil ad rerum dignitatem attentus, Atticam phraſim ac ſubtilitatem requirat,
ille nihil mihi diſtare uidetur ab eo qui antidotum bibere recuſat, niſi in uaſe ex Atticæ
Veneris figulina adducto præbeatur, nec hyeme ueſtem ſumere, quæ non ex ouium Atti-
carum uellere conſtet. Quin magis ſedendum puto adoleſcenti in tenui & humili oratio-
nis Lyſianicæ genere, non aliter atque in lacerna, ita ut quietus ſit & tranquillus. Videas
equidem minimè ferendam peſtem quæ mentes iuuenum bonas uaſtat & populatur, præ-
ſtigia uidelicet illa uerborum, & immodicā loquacitatē, in ſcholis undiq; ingenia oppri-
mentium, adeò ut in uita probè inſtituenda, curanda re publica aut priuata, nihil à philo-
ſopho diſcendum putent, ſolùm uerborum munditiē ac phaleras laudibus uehentes. Cæ-
terùm quid utile ſit in oratione aut incōmodum, neceſſariū aut uanum ſuperuacaneumq;,
ad hoc cęcutiunt, nec inueſtigare, aut inquirere de ea re quippiam uolunt. Sed de ijs ſatis,
reliquum eſt ut de quæſtionibus legem præſcribere ſtudioſis curemus. Conſentaneum
autem eſt, ut cōuiua in alienas ædes uocatus, illis quæ in menſam ueniunt benignè ueſca-
tur, nihil reprehendens, aliúdue requirens. Pariq; ratione cōuenit, ut ad ſermonis epulas
accedens, quietum ac tacitum ſe præſtet auditorem. Nam qui aliena à propoſito inijciunt
argumenta, ac quæſtiones afferunt in medium, moleſti ſunt & uiciſsitudinis minimè te-
naces auditores: præter hoc enim quòd & oratorem conturbant & orationem, nemini
proſunt. Quanquam non negem frugiferum uideri, ut interroges quippiam quod eô per-
tineat, & propémodum neceſſarium uideatur, modò qui diſſeruit ita fieri præcipiat. De-
nique quemadmodū Vlyſſes apud Homerum irridetur à procis, quia fruſtula panis pete-
bat, & non potius enſes atq; lebetes, puſillanimitatis enim id eſſe certum argumentū pu-
tabant, perinde atq; magnanimorū eſt grandia dare & expoſcere: ita fermè oratorem ſub-
B ſannat, quicūq; auditor quæſtionibus ſuis ad ſordida ac leuicula illum impulerit. Id quod
non raro uideas à iunioribus iſtis loquacibus, oſtentatione dialectices aut mathematicæ
tentari. Inijciunt enim uel optimo cuique orationis membro quæſtionem hanc: Quiſ-
nam ſit motus in diametrum, quis'ue in latus. Atqui in illos aptè competit Philotimi uer-
bum ad Empium tabe laborantem. Dum enim cōpellaretur pharmaci gratia contra redi-
uiam, Philotimus ex colore uultus ac ſpiritus difficultate mox deprehenſo hominis mor-
bo: Non eſt, inquit, uir bone cur tempora teras in diſputando de rediuia. Sic ad iuuenem
haud abſurdè dixeris: Nihil agis bone iuuenis in his quæſtionibus teipſum alioſq; occu-
pando, ſed magis ex re tua eſt, ut cures quo pacto uanis opinionibus, arrogantia, prauo
amore, ac nugandi ſtudio liberatus, uitam uiuendo ſanam ac moderatam, tibi ipſi reſti-
tuaris. Opportunum autem cumprimis eſt, habere rationem ingenij dicentis, eiuſq; pe-
ritiæ, qua ue in re plurimum ualeat, ut ſic in proponendis quæſtionibus nos illi attempe-
remus, ne uidelicet eum qui ad moralia philoſophiæ aptior eſt & propenſior, in dubijs
phyſicis & mathematicis uiolenter torqueamus. Quandò expectationi noſtræ magis re-
ſpondere poteſt aliquis anteſignanus rerum phyſicarum, qui certis decretis ſtatuere poſ-
ſit, quid in ancipiti poſitus fugias, aut ſequare. Proinde haud aliter atq; is qui tentat cla-
ue ſecare ligna, & ſecuri aperire oſtium, dum utriſq; nocet, neutrius uſum ac uim aſſequi-
tur: ſic qui ab oratore exigunt quæſtiunculas, quæ non attigit, & in quibus nullum fecit
periculum, non modò in hoc læduntur, quòd non accipiunt fructum quem exhibet, il-
lumq; decerpere negligunt, ſed odium inſuper & mali uiri exiſtimationē lucri uice repor-
tant. Obſeruandum præterea eſt & illud, an cōmodum ſit, eundem ſæpenumero eademq;
interrogare: eſt enim hic quoque modus quidam ingenij explicandi. Quanquam ſi alius
interea propoſuerit quippiam, candoris eſt & ſtudij, patienter audire, nihilq; obturbare
loquentibus, niſi negocium aliquod uehementer te premat, aut inſolentes urgeant affe-
ctus, quibus conſilium aut remedia quęras opportuna. Tum enim quò euadas eruditior,
inſcitia haudquaquam occultanda eſt, ut ait Heraclitus, ſed ingenuè proferenda in me-
dium, dum in promptu habeas quo illi queas mederi. Porrò ſi ira uehemens, ſuperſtitio,
diſsidium inter domeſticos, aut amoris ingens, & ad inſaniam impellens æſtus, chordas
pulſauerit animi, quas minimè cōueniebat, illiq; iam cœperit imperare, minimè rem tam

Quatenus interrogare debeat auditor.

Odyſſ. 17.

G acerbam in aliud tempus differendam arbitror, & ob reprehenſionẽ quam exhorreas, re infecta abeundum, ſed in illa concione, aut ea peracta, mox diſſertari de rebus tuis uelint, ubi accedens interrogaueris ac benignè audieris. Non enim in ea ſum ſententia qua bona pars mortaliũ, qui philoſopho in cõmuni docente applaudunt, dictiſq; illius mirè capiuntur: uerùm ubi de rebus priuatis tempeſtiuè & liberè quoſdã ſeorſum carpit & admonet, id iſti inſectantur, & ſuperuacaneũ eſſe putant. Audiendos enim philoſophos credunt in ſcholis, haud aliter ac tragœdos in theatris, nempe ad finem: & in his extrarijs negocijs nihil utroſq; inter ſe differre.

Sophiſtarum intemperies.

Atqui à ſophiſtis illa quę hîc incuſant, iure quódam ſuo perpeti coguntur. Quando enim non ſurgunt iſti è ſedibus, & amoto libro, inſtitutioneq́; obmiſſa, quæ ueras uitæ huius partes complectiẽ, perpuſillos ſeſe & contemptos faciunt in multitudine, dum quæ deceant philoſophũ minimè ſciunt. Habet planè horum ſupercilium, riſus, uerborum unda, ſtudium, & eruditio, potiſſimũ autem ad ſingulos illa ſeorſum facta cohortatio, nõnihil bonæ frugis, modò ſint qui idoneos & cõſtantes ſe exhibeant auditores.

Quatenus laudare debeat auditor dicentem.

Videtur hoc loco decorũ, quod circa laudem & applauſum auditorũ uerſatur, cautione quadam in mediocritate retinendum eſſe, ne in ea re nimium parci ſimus aut profuſi. Nam circa utrunq; plurimum peccatur: quòd uidere eſt quoſdam graues & odioſos auditores, qui flecti ſe & molliri nulla oratione permittunt, domeſticis negocijs ac ſermonibus inconditis ſcatentes, perinde atq; ipſi decentius aliquid habeant quod dicant: ne ſupercilio quidem annuunt, aut uoce teſtantur beneuolos ſe eſſe auditores, ſed ſilentio & grauitate, habituq́; corporis extrinſeco, famam aucupantur Socraticæ cuiuſdam pertinaciæ, inuictæq́; grauitatis, in gloria tribuenda eadẽ utentes parſimonia qua in largiendis pecunijs. Quaſi uerò in laudando quippiã decedat ex rebus noſtris, ſicut fit in ære erogando. Inuenias enim qui Pythagoricã hanc uocem, Ex philoſophia mihi contigit, ut nullius rei admiratione capiar, conſiderantes, prauè ac infeliciter uſurpent, dum rerum terrenarũ contemptui coniunctum eſſe putant, ut neminem laudes, nullumq; honore meritò proſequaris.

Contemptores & ambitioſi meritos ſua fraudant gloria.

Eaq; accepta occaſione, quicquid eſt uenerandum cõtemptu quodam inſectantur. Vera autem philoſophiæ ratio, tollit quidem tenuitatis & inſcitiæ miraculum ſtuporemq́;, dum certam affert cauſarum cognitionem: at non adimit interea ingenij dexteritatem, & hu-
D manitatis beneuolentiã. Quandoquidẽ compertum habemus, uiros uerè bonos & ſtrenuos maximi ducere, ſi dignum hominem pro meritis uenerari liceat: præcipuumq́; ornamentum ſibi acceſsiſſe arbitrantur, dum in meritos honorum largitione uideantur munifici. Porrò ſi qui in ea re erga alios ſordidi apparent, euidens argumentum habeto, illos proprię gloriæ penuria premi, atq; ex eadem ardorem ac ſitim ſuorum honorum naſci.

Nimij quidã in applauſu.

At contrà alium cernas in applaudendo uolucrem ac plus nimio facilem. Dum enim omni prorſus caret iudicio, clamore quodã incondito ad ſyllabas fermè ac uerba aſſurgit. Neq; ipſis rhetoribus, qui in arena ea uerſantur, hic mos admodum probatur. Nunquam enim non obturbat uniuerſæ concioni, qui præter opinionem ſurgit dicentis, alios ui quadam ſecum corripiens, quos pudet non uociferari cum acclamante, etiamſi nihil hac importunitate proficiant. Quandò in turba illa mente attonita, laudibus accumulans dicentem, ex tribus unum reportabit abiens: ut uidelicet cauillator eſſe ab omnibus iudicetur, aſſentator, aut certè impudens, parumq́; decens auditor. Proinde quanquam ęqui iudicis ſit, nihil in odium alicuius audire uel in gratiam, ſed ſyncerè ad ius reddendũ in cauſa, omnia expendere: in audiendis tamen ſermonibus nulla lex aut iuſiurandũ prohibet, ne dicentem beneuolentia complectaris.

Mercurij ſtatuæ apud Gratiarum ſimulachra.

Eamq́; potiſsimum ob cauſam ueteres Mercurij ſtatuam pone Gratiarũ ſimulachra collocare ſolebant, quòd gratiam & fauorem præcipuè deſideret ſermo. Neq; uerò tam abiectum putabant uſpiam eſſe oratorem, & à ſcopo dicendorum ita aberrantem, ut auditoris gratiam nõ ex aliqua ſaltem parte mereatur. Nam ut deſint alia, uel ipſum certè orationis argumentum, uel inuentio, aut phraſis, & affectus dictorum, fauorem conciliare queunt oratori, perinde atq; in uijs aſperis & ſalebroſis candidæ natæ uiolæ. Cęterùm quandò non deſunt qui uomitus encomiũ oratione celebrant, aut febris, ſiue etiam, mehercle, ollæ, habentq́; tales orationes fidem, cur non inueniat uir bonus ac laudatus philoſophus, de rebus arduis uerba faciens, tantillum fauoris & beneuolentiæ penes humanos ac benignos auditores ſuos, ut nacta occaſione & opportunitate, illũ gloriola aliqua dignentũ?

Amor cæcutit.

Adde quòd amor, autore Platone, laudat plerunq; ea quibus alij offenduntur: ueluti cùm aliqui albos quos depereunt, deorum appellant filios: nigros dicunt eſſe fortes & uirili animo: adunco naſo, regij uocantur: ſimi amabiles: pallidi per blanditias, mellis imitantes colorẽ. Atq; hęc qualiacunq; ſunt, exoſculantur amantes:

ad

A ad quid enim non impellit amor? nimirum ſua ſponte, non aliter atq; hedera, inuenit quo ſe alliget. Vnde culpa non uacant ſtudioſi literarũ, ac pręclari auditores, qui prorſus nihil habent in dicentis oratione quod præconio celebrẽt. Et Plato cùm in Lyſię oratione neq; probaret inuentionẽ, neq; rerum confuſionẽ improbaret, magnificam nihilominus pollicitationẽ laudibus uehit, ſimul celebrans dictionis euidentiã & acumen, ad amuſsim omnia elaborantis. At ſi quis reprehendat Archilochi argumenta, Parmenidis male compoſitos uerſus, Phocylidis inſolitam parſimoniã, Euripidis loquacitatem, & Sophoclis inæqualem phraſim, non uideo quo pacto mitiorem ſe prębeat cenſorem erga rhetores. Inter quos uidere eſt, hunc nihil ad mores bonos conducibile in medium afferre, illum mirè frigere in mouendis affectibus, alium omni gratia prorſus deſtitui. Quanquã pręter hæc incõmoda, cuilibet uirtus quędam ineſt peculiaris, qua capere poſsit auditores, quæq; abundè ſufficiat ad conciliandam beneuolentiã. Neq; res exigit ut acclamatione illam teſteris, dummodo oculis hilaritatem præ te feras, uultum ac frontem explices quadam feſtiuitate, affectusq; ſerenos ac benignos in conſpicuũ proferas. Addenda inſuper ſunt hæc iam paſsim uulgaria, è triuio petita, & omnibus auditoribus generatim obſeruanda: ut uidelicet alacris, & non procumbens in latus, ſed erecto corporis habitu conſideas, acie oculorum in dicentem ſemper intenta, ita ut minimè illum fallat quàm attento ſis animo. Vultus proinde tenor conſtans ſit ac purus, non modò à procacitate & duritie uacans, uerùm etiam ab omni alia ſolicitudine atq; negocijs. Videas autem in uniuerſo rerum uſu, ſi plura aptè in unum coëant, ueluti accidit in numeris, harmoniam & concinnitatẽ inde haud dubiè conflari. Contrà ex una re quapiam præter decorem abſente, aut fortè abundante, mox turpitudo generatur. Idq; tum alibi, tum uerò potiſsimũ in concione accidit, ubi non tam ſuperciliorũ grauitas, aſperitas oculorum, uacillantis intuitus, corporis diſtenſio, ac crurum indecens ſitus, quàm etiam nutus, ſuſurronũ colloquium, riſus, ſomnolentorum oſcitationes, mœſtitia, & ſi quid aliud eſt huiuſmodi, in culpam cadit, & non mediocri eget cautione. Sunt rurſus aliqui, quos cõſtans tenet opinio, in concione totum negociũ dicentis humeris incumbere, auditoris nihil: præmeditatũ enim ac præparatum accedere dignum putant oratorem, auditores ipſos nihil, aiunt, neceſſe eſt: ſed irruere licet impro-

In poëtis, oratoribus quędã reprehendenda, nihilominus laudanda aliqua.

Auditoris habitus in ſedendo.

Concio Muſicæ par, in qua nihil diſſonat.

B uidos in illa quæ ratione cõſtant, præter ullam rationem, ac aſsidere inertes, ueluti ad conuiuas in ſympoſio, ubi laborantibus alijs, nihil agant, quàm ut uoluptate fruantur. Quanquam in conuiuio accumbentis ſuæ etiam cuiuſq; ſunt partes, ſi uelit gratus haberi, nempe ut omnia æquo accipiat animo. Id quod potiſsimum benigni eſt auditoris, dum ex ſermone in cõmuni percipit fructum, quo iuuet etiam pro uirili oratorem, nec acerbè errata illius rimetur. Qui enim par eſt, ut acri cenſurę dicentis opus uerbaq; ſubijciat is, qui fœdè ſimul ac barbarè de oratione diſputans cuiuſq; iudicis ſententiã prorſus reformidat? Atqui inter dicentem & oratorem congruitas quædam eſt mutui officij, ſi quiſq; quod ſe decet præſtare conetur: perinde atq; inter eos qui ludunt pila, ſuſcipiens motu corporis aptè ſe componit erga eum qui illam eijcit. Indecorũ proinde eſt, in celebritate laudum fortuitis uti uocibus. Epicurus enim circa amicorum epiſtolia tumultuare applauſus, rem prorſus inamœnam eſſe diffiniuit. Sunt præterea qui circum pulpita dicentium peregrinas quaſdam uoces laudum uſurpant. Alij oraculorũ more, & tanquam numine quopiam afflati, de hominibus inacceſſas laudes prædicant, quaſi uerò minimè ſufficiant, quę ſapienter, uerè, & non ſine decoro dictæ uideantur. Taceo cæteros, qui ne laudum neglectus arguantur, præconia quædam proferunt, Platonicam referentia Academiam, aut Socraticam, uel Hyperidis. Atque adeo incertus ſum, num hæc præſtigia magis dehoneſtent oratores, illosq; accuſent ſuperbiæ, tanquam ſolitis præconijs nõ contenti, incondita inſuper affectent, & ſuperuacanea. Cæterùm inſuauiora ſunt illa quàm ut hîc cõmemorenſ, quæ iuriſiurandi religione fiunt, ad eum modum quo in iudicijs perhibentur teſtimonia. Nec minus aberrant à ſcopo, qui in laudibus efferendis qualitate uerborum licentius abutuntur: acclamant enim philoſopho, O quàm acutè: ſeni, O quàm uiuaci induſtria & floridè: atq; ea in re theatrales ludos ac populares non ſine dedecore in ſcholas philoſophicas & ad rhetorum declamationes traducentes, quid aliud agunt, quàm quòd modeſtę orationi & caſtæ, meretricias laudes tribuunt? atque iſthuc non minus eſt ineptum, quàm ſi quis athletæ ſertum imponat ex lilijs ac roſis compoſitũ, quem magis deceat laurea, & ex oleaſtro facta corona. Euripides igitur poëta, dicente illi quodam, Carmen edidiſti, ex harmonia tripudijs idoneum, ſubriſit alius. At poëta ait: Niſi ſtupidus eſſes, ac nullo tangereris affectu, non riſiſſes, quia res ſerias Lydijs modulis temperaui. Porrò philoſophum aut ci-

Auditoris ſicut conuiuæ quędã ſunt officia.

Contra ineptè laudantes.

C uili ſapientia prædituum uirum, pro concione delicatè ac exquiſitis lenocinijs celebratum ab auditore, quid aliud dicturum expectas, quàm, appares mihi præco parum cordatus, & ut hoc inſuper addam, contumelioſus? Nam cùm me docente, & cohortationibus quibuſdam de dijs, de republica, aut principatu diſſerente, nõ concinueris laſciuam aliquam cantilenam, motus'ue dederis incompoſitos, quæ dementia eſt, philoſopho tibia aut cithara canentes, tripudium'ue foris acclamantium adhibere, quibus minimè indiget, nullaq; ex parte laude huiuſmodi tangitur? Rurſus in admonendis auditoribus, erratisq; illorum corripiendis, obtinere debet hęc ratio, ut cum mœrore & patientia quadam huiuſmodi audiantur. Neq; paraſitorum more, qui riſu quodam excipiunt reprehenſionem ab ijs quorum menſas ſectantur, illosq; collaudant, auditorem in hac re cõueniet eſſe facilem aut negligentem: minimè enim uerum, ac parum honeſtum magnanimitatis argumentum eſt impudentia, qua procaces & perfrictæ frontis homines ſunt inſtructi. Morſu igitur omni uacante contumelia, per luſum & comitatem petere quempiam, dummodo id fiat hilari animo exporrectaq; fronte, feſtiuum ſanè eſt, argutum, & libero homine dignum. Vnde nõ conuenit auerſari monita ſalubria quæ incitant ad uirtutem, etiamſi ceu pharmacum aliquod, acria uideantur ac mordacia. Minimè præterea ferendi ſunt qui huiuſmodi uerbo tacti, mox oculis in gyrum rotatis, toti ſudant, æſtúque animi flagrant protinus pudefacti. Quanquam intolerabilius eſt, & ingenij penitus deplorati, ſi quis iuuenis ad ſcomma rideat, & dum non pudet, nihil cõmouetur. Totum enim id accidit peccandi aſsiduitate, & inueterara conſuetudine: quemadmodũ in carne callo obducta, quæ ex plagis uibicem non ſuſcipit. Quæ cùm ita ſint, reiectis impudentibus de ijs loquamur, qui pudore immoderatè abutuntur. Inuenias enim qui ſemel duntaxat male audientes, fugam capeſſunt, ad philoſophiam nunquam redituri. Quorum uicem ob id dolemus, quia egregium ex natura ad uirtutem calcar habentes, mollitie animi ac delicijs pereunt. Non enim perdurant, ac prorſus omnem reprehenſionem ac rectam inſtitutionem declinant, aſſentatoribus quibuſdam & ſophiſtis magis intenti, qui blanditijs aures illorum capiunt, cantionibus quantumcunq; ſuauibus nihil compendij afferentes. Quemadmodum igitur à medico ſectus, ſi mox aufugiat, nec patiatur ſe obligari, dolorem quidem ſenſit, at curationis utilitatem non expectauit: ſic qui uulneranti ac mordaci ſermoni morum prauitatem non exhibet ſanandam, à philoſophia diſcedit accepto morſu ac dolore, cæterùm nihil interea promouit. Neque uerò, ut autor eſt Euripides, ſolum Telephi uulnus ab eadem haſta, quæ illud inflixerat, ſanatum extitit, ſed etiam ingenioſi adoleſcentis, qui in philoſophia probè eſt inſtitutus, acceptus morſus eadem oratione unde illatus eſt, emendari poteſt. Rectè itaq; ex hoc conſequitur, quàm patiente ac conſtanti animo ſis oportet, ſi morſu aliquo feriare à philoſopho, quòd hæc prima tædia in philoſophia ſe offerant cuilibet ad illam aſpiranti, haud aliter atq; in ſacris inſultus quidam impetũt initiandos, quos tamen illi ſpe futurę dulcedinis ac dignitatis, neglecto dolore rerum pręſentiũ, æquo ferunt animo. Quòd ſi per iniuriam uideare reprehenſus, pulchrũ nihilominus eſt patienter tolerare ictum, philoſopho loquente: cæterùm ubi dicendi finem fecerit, tum licebit rectè factum defendere, ſimulq; orare, ut hac inuehendi in uitia libertate poſthac ingenuè utatur in uera & indubitata facinora. Huc accedit, quòd ſicut in literis diſcendis, in muſicis, ac luctandi arte, exordia multum exhibent laboris & difficultatis, immodica obſcuritate: uerùm progreſſo pauliſper facilia cognitu fiunt omnia, & amabilia, quæ & geſſerit & dixerit: perinde atq; cum homine ignoto, magna mox intercedit beneuolentia, & familiaritas, ſimulatq; in mutuam uitæ cõſuetudinẽ tranſieris: ad eum ſanè modum in ipſo philoſophiæ ueſtibulo non deeſt inſoliti quippiam quo torqueare, potiſsimũ in rerum ac uerborum raritate. Atq; negligenda hæc ſunt, atque adeo nõ tanti æſtimanda, ut metu, & animi deiectione, mox in limine ab inſtituto reſilias. Sed ſtrenuè tentanda res eſt unaquæq; recordatione dulcedinis, quæ blanditur tendentibus porrò, ac ſuauia facit omnia quæ ſunt pulchra. Veniet enĩ non ita multò pòſt lux quædã, ſimul cum diſciplina ſummũ ingerens amorẽ & illecebras ad uirtutẽ, quæ niſi cõtingant, prorſus miſer eris ac meticuloſus, nec ad felicẽ illam quã ſpes certa oſtẽdit, promouebis uitã, ſimulatq; per deſperationẽ à philoſophia reiectus fueris. Cæterùm habent quidẽ initia nõnihil obſcuritatis, quod iuuenes inexpertos torqueat, non negamus. Cęterùm plerunq; item id accidit poſtea, ut inſcitia ac nodoſa difficultate rerũ uexenť, diuerſisq; modis in idem incidãt peccatũ. Sunt enim quos docentẽ aut pudet interrogare quod neſciũt, aut certè uerenť illũ obtundere, atq; illi nõ aliter ac ſi intelligerẽt ea quę necdũ perceperũt, nutibus pręceptori aſſentiunt.

Graui ſermoni non cõuenit laus ridicula.

Caſtigantis uox quomodo accipienda.

Impudentia falſò magnanimitas putatur.

Impudentia unde.

Pudor ad uirtutem inſigne calcar.

D

Difficultas initij patienter ferenda.

Quærendum quod neſcias.

Ac

A Ac ſunt rurſus qui intempeſtiuis nugis ambitioſius quàm par eſt apud alios acerrima uerborum pugna digladiantur, oſtentationem de ſe eruditionis eximiæ prius dantes quàm accipientes, atque in ea re nonnullos qui ſuas ſequantur partes, urgendo retinent magis quàm accipiunt. Contingit autem illis quos prædiximus pudore quodam ſilere, ut diicedentes à ſermone addubitent, & triſtitia afficiantur, ac tandem neceſsitate compulſi, maiori pudore quàm obſtreperi iſti diſputatores turbentur, dum dicta altius ſecum repetũt, & tranſcurrunt. Porrò audaculi item, gloriolæ mancipia id aſſequuntur, ut ſemper tenuitatis & inſcitiæ ſibi conſcij, illam celare quatenus licet annitantur. Excluſa igitur omni deiectione animi & elatione, toti in hoc incumbamus, ut utilia dicta diſcere poſsimus, & animo complecti, ueſtigia eorum qui nos ingenioſe ceu tardiuſculos ridere ſolent, aſſectando: quemadmodum Cleanthem & Xenocratem factitaſſe legimus, qui condiſcipulis primò lentiores uiſi, ſtudio non intermiſſo, laboreq́; irrequieto, tandem alios longo interuallo poſt ſe reliquerunt. Imitati in ea re uaſa anguſti oris, & tabellas æreas, quæ ut liquorem & literas difficilius accipiunt, ita fidelius ſeruant & tenacius. Non ſolùm proinde, ut eſt apud Phocylidem, multorum dolis expoſitum eſſe eum qui cupiat in bonorum uirorum haberi numero, neceſſe eſt, ſed etiam crebrò irrideri, contemni, ac morſus dentatos in ſe accipere illum qui prorſus cupiat explodere ab animo inſcitiam. Vt non omittam interim eos qui peccant modo prorſus contrario, quippe ſegnitie & inertia, labores perpetuos, anxiasq́; curas exhibentes præceptori, ipſi ſuopte ingenio nihil tentantes aggredi: crebroq́; identidem de eadem re ſciſcitantur, non admodum diſsimiles inuolucribus pullis, qui ſemper hiantes, præmanſum ex alieno ore cibum, hoc eſt, parata omnia & elaborata ſedulò ſibi exhiberi poſtulant. *In obtuſa ingenia.* Aliter item peccant quidam attentione nimia, illaq́; ad amarulentiam concitant dicentem, dum uenari cupiunt gloriam in fœda loquacitate & ſuperuacaneis quæſtionibus, hæſitantes ubi minimè conueniebat, nihilq́; erat neceſſum: demonſtrationes item locis parum opportunis exigentes. *In anxiè urgentes interrogãdo.* Et hac quidem ratione, uia ex ſeſe breuis longa redditur, ut ait Sophocles, non ſolùm uana quærentibus, ſed alijs quoq; auditoribus eiuſdem itineris comitibus, interpellata docentis perpetua doctrina, interruptoq́; ſermone inſtituto, ambages fiunt ex methodo. Proinde, ut autor eſt Hie-
B ronymus, hi de quibus iam diximus, ad inertium canum ſimilitudinẽ proximè accedunt. Nam ſicut illi pelles ferarum domi mordent, & uillos conuellunt, uerùm in uenatu minimè illas attingunt: ita ignaui iſti admonendi ſunt nobis, ut caput ipſum eruditionis, ac ſtudiorum fontem attingant, unde in promptu ſit illis reliqua artificioſe componere, memoria rerum auditarum ſuggerente inuentionẽ. Quippe ſermo auditus ſeminis uice nobis erit, unde in procliui ſit fœtum concipere, qui breui coaleſcat & prodeat in lucem. *Sermo eſt ſemen.* Neque enim ingenia deſiderant repletionẽ ueluti uaſa, ſed accendi uolunt ceu materia, quò uis inueniendi ſimul cum appetentia ueritatis incitetur. Deniq; quemadmodum inciuile eſt ad uicinum proficiſci ignis accipiendi gratia, ibiq́; inuento luculentiſsimo foco, deſidere, ædibus proprijs neglectis: ita prorſus indecens eſt, ab alio ſermonem doctum audire, minimeq́; curare ut domeſticus ignis, nempe uis ingenij, accendatur. Quid uerò prodeſt ſermonibus alienis animum oblectare, ſi nihilo te fias melior? Qui immoti conſident apud ignem, fomenta inde accipiunt ac faciei ruborem. At quæ gloria eſt ſermonis, ſi ex animo putrem humorem non decoquas philoſophia, tetramq́; non expellas caliginem? Si quid autem ſupereſt præceptorum ad rectè audiendum, quod nos hic non attigimus, profectò frugiferum erit uel noſtrorum meminiſſe, ac diſciplina quadam exercere uirtutem inueniendi: ne propria illa interna quam philoſophia ſuppeditat, deſtituti, inani quodam uento ſophiſtico & hiſtorico tumeamus: id ſemper æſtimantes quod res eſt, initium uidelicet eſſe rectè uiuendi, ut male audias, nec auerſeris iuſtam reprehenſionem. *Reprehenſio inditũ eſt bonæ frugis.*

FINIS.

C

Plutarchi, num ſeni gerenda ſit reſpublica, libellus.

GIBERTO LONGOLIO INTERPRETE.

MAGNUM ſanè te laudum Pindari buccinatorem, mi Euphanes, eſſe cognoui, cùm eius uerba nunquam non in ore habeas: & illa quidem in primis, quæ de ludis Græciæ ab eo & rectè & conuenienter fabricata ſunt: Occaſio, inquit, uirtutem in ſummas tenebras deiecit. At uerò cùm non paucæ nos à ciuilium negociorũ geſtione occaſiones abſtrahant atq; auocent, earumq́; de numero non in poſtremis deſidia, animiq́; eneruatio, quam mollitudinẽ uocant, exiſtat: poſtremam nobis, ueluti à ſacra linea, ſenectutẽ eliciunt: quaſi uerò maximè illa ſit, propter quam & honoris & gloriæ ſtudia hebetiora & tardiora fiant. Itaq; ſicut athleticis certaminibus, ita quoque ciuilibus negocijs procurãdis, ſuos ueluti fines terminosq́;, quos prætergredi in rem non eſſe arbitrantur, conſtitutos eſſe prædicant. De hoc autem negocio, ut plerunq; mecum ipſe diſceptare ſoleo, ita quoq; iam nunc tecum agere animus eſt, quò uidelicet intelligas, in reipublicæ negocijs adminiſtrandis quàm ſit neceſſaria ſenum opera: deinde, ne uiam hanc ſanè longam ſatis & communem, qua uterq; progreſsi hucuſque ſumus, relinquas: neue tanquam cognitum & iam inde ab ineunte ætate aſſuetum amicum, rempublicam uidelicet, cum alio, eoq; inſolito (ut taceam interim cum quo ne liceat quidẽ ullo tempore familiaritatem conſuetudinemq́; inire) cõmutes. Cæterùm, ſi me audies, quæ ſemel animo tuo cõſtituta & decreta ſunt, hæc mecum proſequare, his inhæreamus, neq; alium uitæ, quàm bene uixiſſe, nobis finem præſcribamus: niſi ipſo quod reſtat exiguo uitæ ſpacio aliud quicquam, quàm prolixum illud tempus quo uiximus, tanquã fruſtra planè & temerè tranſmiſſum tritumq; conqueri, & incuſando deplorare libeat. Etenim non tyrannis & iniuſta dominatio, quemadmodum ad Dionyſium dixiſſe quendam ferunt, glorioſum ſepulchrum concinnauit: ſed à monarchia, ſcelere & iniurijs plena, ne tantillum quidem ceſſauiſſe, hoc uerò calamitatem longè magis accuratam exquiſitioremq́; attulit. Filium quoq; illius iam regno exutum, & inter priuatos uitam agentem, philoſophiæ pro-
D feſſor Diogenes Corinthi conſpicatus: Quàm facis, inquit, tuo genere indigna, ô Dionyſi: non enim nobiſcum hîc te ocioſum, & ab omni metu ſecurum, ſed iſtic cum tyrannis domicilio incluſum, nõ aliter ac patrem tuum feciſſe nouimus, uitam conſumere oportebat. Reſpublica porrò quæ à ciuibus probitate claris ſecundùm legum pręcepta gubernatur, non honeſtum modò uiri, qui non tam imperare quàm imperium uereri & pati didicit, ſepulchrum eſt, quàm (ut uerè dicam) gloria quædam anteactæ uitæ, quæ aduerſus mortem collocari ſolet. Hoc uerò eſt, Simonide autore, quod poſtremum ſub terras penetrat. Qui uerò propter ſenectutem à magiſtratu ſeſe abdicant, ijs omnis humanitatis honeſtatisq; amor ceu extinctus abijcitur atq; deponitur: ijs rerum optimarũ ſtudium, præ illorũ quæ ad uitam ſubleuandã pertinent, cupiditate defatigatũ, ante tempus reſtinguitur: his actuoſæ & diuinę illæ animę partes, præ corporeis iſtis, quę permotionibus & affectibus agitantur, contemptiores humilioresq́; iudicantur. Hoc uerò ſi quis laudet, ut ab honeſto quamlongiſsimè abeſt, ita quoq; auribus turpia illum loqui cenſuerim. Quid enim iſtud aliud eſt, ac lucri faciendi, pro quo nullos labores impendas, deſiderium atque cupiditas? Multò profectò rectius Thucydides cenſuit, qui gloriæ & honoris ſtudium non ſenectutis abſentia, ſed cõmunibus ciuilibusq́; rebus ritè procurãdis definiuit. Quarum ſanè adminiſtrationẽ ne apes quidem & formicas unquã abijcere, mirationẽ in primis magnam facit. Eequis enim noſtrûm eſt, qui uel unquam ex apicula fucum factum nouerit? Atqui quoſdam uideas, qui eos quibus ætas iam ingraueſcit, à republica ad priuatas ædes ablegant, quò iſtic ocioſi & deſides non aliud faciant, q̃ quod uenter & gula iubent. Quinetiam uirtutis eius quę in agendo conſiſtit, facultatẽ omnẽ ob hoc illis adimunt, quò non aliter ocio, ac neglectũ rubigine ferrum tentari ſolet, torpeſcãt. Longè mihi potior Catonis ſententia uiſa eſt, qui ſenectutem pluribus & ſibi peculiaribus incõmodis obnoxiam, turpitudinis nota in inuidiam non uocandam cenſuit. At inertia, quæ timiditatem, & uitæ mollitiem coniunctã habet, extra culpam eſſe nequit. Non enim propter iſta tantùm ſenectus in turpitudinem uenit: ſed ciuili imperio ſibi abrogato, ad ignaua uitæ officia labi illam neceſſe eſt: & in gynæceũ ſcilicet, aut in agrum ſeſe abdens, quid rerum iſtic meſſores agant, quid hi qui ſpicas legunt, curioſe contemplatur. Vis paucis dicam?

Fit Oedipus quiſpiam, & inſignia ænigmata.

Si uerò

A Si uerò nunc in ſenectute aliquis, neq; priuſquàm ætatis annum quinquageſimum agat, ad rempublicam (ueluti de Epimenide Cretenſi, quem adoleſcentem dormitum iuiſſe, & in ſenectute à ſomno excitatum ferunt) omni ſcilicet tranquillitate uitæ, & ocio, quæ ſequi potuit, relictis, accedat, & in forenſes cõtentiones occupationesq; ciuiles deſcendat, maximè quum ſe exercitatione nulla formauerit, neq; in ciuilibus negocijs, imò ne cum ipſis hominibus ſatis uerſatus ſit: huic rectè forſitan unus aliquis quod à Pythia ex Apollinis oraculo reſponſum eſt, obiecerit: Serò nunc ades,

Regnum ſimul atq; imperium à me poſtulans:
Sed limen aulæ ſerius pulſas modò.

Non aliter ac ſi comeſſator aliquis rudior & imperitior noctu errans, non regionis, non urbis locorum, ſed ipſius uitæ, cuius rationem non ſatis ſit expertus, mutationẽ moliatur. Porrò Simonidis dictum, Ciuitas uirum docet, ut celebre, ita quoq; uerum eſt: ſed apud eos maximè locum habet, quibus abundè ſatis temporis, quo doceri & inſtitui diſciplinis iſtis, quæ cõtentionibus ciuilibus & forenſibus negocijs exacuuntur, ſuppetit. Arne hæc etiam ſatis profuerint, niſi talem nanciſcantur naturã, quę & laboris ſit patiens, & nullam fortunæ aduerſitatem reformidet. Hæc non omnino ſibi male quiſpiam aduerſus eos qui iam annis graues ad rempublicam uiam parant, dixiſſe uidebitur: uerùm qui mentis & rationis rectè compotes ſunt, longè aliter ſentiunt. Quis enim ignorat, non adoleſcentiam modò, uerumetiam iuuentutem à communi & publica rerum procuratione, ut cùm maximè, abhorrere? Neq; uerò id ſolum ſententiam noſtram probat, ſed & teſtimonia ſori nobiſcum faciunt. Præcones quum militarem concionem conuocant, non Alcibiadas, non Pytheas ad ſuggeſtum uocant, ſed illos tantùm, qui annos quinquaginta iam numerant: horum uerò ſententiam & conſilium exquirunt. Nondum enim militaris diſciplina ab ea conſuetudine adeò abhorret: neq; credendum, illam uſum atque tractationem eius rei tantùm neglexiſſe, ut iſta patiatur obliuione obrui. Cato cùm annos octoginta natus eſſet, reus factus, & cauſam ſuam ipſe ſuſtinens, dixiſſe fertur: Perquàm graue eſſe, apud quos uixeris, cauſam tanquam apud alienos dicere. Quum Antonium Cæſar Auguſtus extinxiſſet, imperia eius non minus popularia quàm regia fuiſſe perhibentur: atq; eo maB ximè tempore, quum extremum ſibi uitæ diem inſtare uideret. Nam ipſe iuuentutis inſolentiam legibus morum latis ſæpe caſtigans, dixiſſe fertur: Audite ſenem iuuenes, cuius aliquando iuuenis uocem ſenes audiuere. Et Periclis imperium ampliſſimum tunc fuiſſe conſtat, quum is ſenectute conficeretur. Nam & illo tempore Athenienſibus belli ſuſcipiendi autor ſuaſorq; fuit: & quum temerè illorum exercitus in armatos hoſtes ferretur, quorum numerus immanis (ſexcenta propè millia hominum fuiſſe prædicant) extitit, non ſolùm arma populo ademit, ſed & portarum claues, ne quis minus tempeſtiuè in hoſtes excurreret, ſubduxit. At uerò de Ageſilao quæ à Xenophonte ſcripta ſunt, quid obſtat quo minus autoris uerbis referantur? Cuius, inquit, iuuentutem illius ſenectus non plurimum ſuperauit? Quis uerò hoſtibus etiam ętate florenti adeò formidoloſus fuit, atq; Ageſilaus, uel tunc quoque, cùm uitæ ſuæ tempus maximè tranſegiſſet? Cuius, quæſo, ab hac uita diſceſſus, maiorem hoſtibus lætitiam uoluptatemq; peperit, ac Ageſilai, quamuis illam ſenectute maturam ſatis fuiſſe conſtet? Quis unquam cõmilitones firmius confidentiusq; Ageſilao animauit, iam tum etiam quum ſenectus iuberet illum uita cedere? Quis unquam etiam iuuenis maiori deſiderio, quàm Ageſilai iam longa ætate & uita defuncti, deſiderata eſt abſentia? Hos uerò uiros quum à tantis & tam præclaris factis nulla ſerior ætas abſterruit, ecquid nobis, qui rempublicam non tyrannide, non bellis, non urbis uaſtationibus agitatam, ſed in delicijs tenemus, & in qua legibus & præceptis, quas iuſtitia magiſtra dictauit, contentiones & extra bella certamina decernere licet, ne idem faciamus, timorem trepidationemq; inijciet? At eſſet fortaſsis aliquid quod metui poſſet, niſi ipſi nos non belli pacisq; adminiſtratoribus, uerùm poëtis etiam & ſophiſtis uiliores inferioresq; uelimus. Quis Simonidem decrepitum iam in lyrico certamine (ſic enim, ſi placet, χόρος uertamus) uiciſſe ignorat? niſi uerſiculos, quos epigramma hac de re contextum extremos habet, mentiri arbitremur:

Comparationis locus à minore, hoc eſt, à poëtis ad duces & magiſtratum.

Iam decies octo meſſes Simonidis ætas
Viderat, ut laudem uictor ab arte tulit.

Quid uerò Sophocles, cùm à multis quaſi deſipiens in iudicium uocatus eſſet, nónne parte quadam fabulæ illius quam Oedipum Colonæum inſcripſit, iudicibus recitata, mirificè ab omnibus probatus eſt? Principium autem hoc eſt:

C Hoſpes huc agè ad Euippi campum Accede, locus dabit optimas
Sedes, albus eſt colonus: Vbi uocalis luſcinia
Virentibus in uallibus Frequens cantillat.

Hoc carmen cùm mirificè omnibus arrideret, à tribunali tanquã à ſpectaculis cum plauſu & uocum congratulatione populus illum domum uſq; proſecutus eſt. Nam quòd ab illo epigramma ſequens factum ſit, extra dubitationem res eſt:

Herodoto Sophocles carmen conſcripſit, ut annos
Quinquaginta ſibi & quinq; abijſſe uidet.

Quid uerò de Philemone Alexiq; comœdiarũ ſcriptoribus dicemus, quos uictoriæ corona ornatos ipſa etiam in ſcena mors occupauit? Quinetiam traditum eſt Eratoſthenis & Philochori hiſtorijs, tragicum poëtam Paulum cùm iam annum ſeptuageſimum confeciſſet, octo fabulas, quas in extremo ætatis tempore quatriduò cõfecerat, in certamen adduxiſſe. Hęc cùm cogitando animaduertimus, ecquis hercle negauerit turpiſsimum eſſe, noſtros ſcilicet in tribunalibus & ſubſellijs ſenes, ſcenicis iſtis autoribus, quorũ amor laudis nulla ſenectutis iniuria extingui potuit, ignauiores ignobilioresq; uideri? qui ſanctiſſimis certaminibus ualere iuſsis, adminiſtrationis ciuilis perſona depoſita, non noui ſatis quam aliam induere geſtiant. Nam à regia dignitate agriculturę ſtudijs operam dare uelle, oppidò humile & abiectum eſſe uidetur: non aliter ac alicubi Demoſthenes de ſacra Athenienſium triremi, quam Paralion uocant, dixiſſe fertur, eam ſcilicet indignè tractari, cùm Midiæ ligna, uallum, commeatumq; conuehat. At multò indignius certè eſt, uiros qui magiſtratum geſſere, ſacrorum munere negociorum relicto, relicto ampliſsimo Bœotiæ magiſtratu, abdicato Amphictyonum primo & ſacro totius Græciæ conſeſſu, priuatam uitam degere uelle. Tu uerò ſi ex ijs aliquem conſpicias aut farinam aut acinos uinaceos metientem, uel etiam lanas tractantẽ, nónne protinus tritum hoc prouerbium, Equi ſenecta, de illo uerum eſſe uidebitur? uidebitur ſanè, multoq; maximè cùm à nemine coactus huc ſeſe deiecerit. At ex illiberalibus iſtis artibus tractare aliquam, aut mercaturã facere, quum ſimul Rempublicam moderaris, profectò non diſsimile uidetur, ac ſi quis caſtam & liberam matronam, conſciſsis eius ueſtimentis, & iniecto his quæ natura tecta eſ-

Paralios, Suidas, πάραλος nauis ſacra quæ in Delphos ſacrorũ cauſa quotannis mittebatur.

D ſe iubet, qualicunq; tegumento, in cauponam aliquò aut ganeum ableget, atq; iſtic deſidere compellat. Ciuilis enim uirtutis dignitas & amplitudo ſi ad domeſticas curas & priuatum quæſtũ deſcendat, proculdubio labefactatur. Quòd ſi autem uitæ fructum & tranquillitatem ciborum cupedijs & uoluptate metiuntur, atq; ob id ſenes qui in magiſtratu ſunt, ut in ijs paulatim marceſcant, inuitant: non uidentur mihi uitam illorũ turpiore imagine conſequi & exprimere potuiſſe. De uenereis quoq; ſi hæc per reliquum uitę tempus colere inſtituunt, minus ſanè bene iudicant: nam cùm in fluctibus medijs iactentur, nondum in portum nauim ſubductam meminere. An uerò quemadmodũ in Herculem non ſine ioco quidam ludentes; non rectè illum delicato Omphalæ peplo ueſtitum ab ancillulis Lydis uapulaſſe, ſeſéq; in illarum contubernium inſinuaſſe ferunt: ſic quoq; nos, leonina detracta pelle, magiſtratu dico depoſito, conuiuia ſecuri agitabimus, eáq; non ſine cantu & tibijs? An magis nobis Pompeij Magni uox audienda, ut certè eſt, qua L. Luculli de ſe iudicium iugulauit? Nam is quum exercitum ducere, magiſtratumq; gerere deſijſſet, ad lauationes, opiparas cœnas, pomeridiana conuiuia animum adiecit: neq; id ſolùm egit, uerumetiam non magnificè minus quàm imprudenter (quum non quæ ſenectuti, ſed adoleſcentiæ conueniebant, meditabatur) ædificauit. Interim tamen Pompeium, ut honoris & imperij cupidum, de ambitione, quaſi præter ætatem ea flagraret, accuſare uituperaréq; non deſijt: donec rurſum à Pompeio exaudiret, longè eſſe intempeſtiuius ſenem delicijs affluere, quàm magiſtratum gerere uelle. Huic ipſi uerò Pompeio ualetudine quandoq; adfecto, quum medici iuſſu turdus quæreretur (erat tum fortè anni tempus quum eius auis copia non ita parabilis eſt) adſtante quodam, & apud Lucullum multos farciri adſerente, neq; adfectauit, neq; ad illum miſit: uerùm dixiſſe fertur, Putatis, niſi delicatè & molliter uiueret Lucullus, deſineret uiuus eſſe Pompeius? Quòd ſi uerò ex hiſce uoluptatibus natura oblectamenta atque delectationem quærere pergat, certè ſenile corpuſculum propémodum omnibus his, ſi paucula, ſed neceſſaria excipias, uale dixit. Neque enim Venerem modò, ut cum Euripide loquar, offenſam habent ſenes, ſed & ad cibi potioniſq; delectationem palatum admodum obtuſum & languidum poſsident. Etenim quibus guſtu fruimur, leniter ea planè & tanquam in ſuperficie illos adficiunt. Quocirca longè duco præſtantius, uoluptates, quas non corpus, ſed animus creare ſolet:

neq;

A neque rurſus ignobiles illas & illiberales, qualibus delectatum ferunt Simonidem, ſecta-
ri. Nam quum in eo plerique improbum illud pecuniarum ſtudium, quam auaritiam uo-
cant, notarent atq; carperent, dixiſſe proditur, Senectuti ſeſe hoc debere, quod omnibus
uoluptatibus priuatus, & ceu expoliatus, ab eo tantùm ſenium illius aleretur, quod quæ-
ſtum & lucrum ſuppeditaret. At pulcherrimas & ampliſsimas uoluptates, quibus etiam
deos ipſos uel ſolis uel pręcipuis delectari credendum eſt, è Republica capere licet. Neq;
aliæ ſunt iſtæ, quàm beneficiorum in alios proba collocatio: deinde actionum uitæ, ne
cum honeſtate pugnent, recta inſtitutio. Niciam pictorem uſqueadeo artis ſuæ operibus
oblectatum ferunt, uti à domeſticis & familiaribus ſuis ſæpe fuerit percontatus, num la-
uiſſet, num prandium comediſſet. Quinetiam Archimedem geometricæ tabulæ adfixum
miniſtri ui auellere, & ut lauaret, ueſtibus ſæpe exuere ſolebant: interim tamen à medita-
tionibus & ſtudijs, etiam dum ungeretur, diuelli nõ poterat. Nam corpuſculum unguen-
tis delibutum, undiq; figurarum notis depingebat. Canus tibicen, quem & tibi iuxtà me-
cum notum ſcio, dicere conſueuit, non nouiſſe homines quibus caneret, quàm ipſe ſe plus
quàm auditores oblectare ſoleat: nam ſi illud intelligerent, futurum eſſe ut non amplius
ab his mercedem accipiat, uerùm illis qui ad ſe audiendum ueniunt, præmium dare coge-
retur. Hæc cùm animo luſtramus, quantũ uoluptatis cumulum ſuppeditent honeſtarum
actionum uirtutes, publicarum rerum adminiſtratio, propenſus ad quoslibet iuuandos
amor, facilè intelligimus. Atq; etiam uoluptates iſtas nõ ex illo numero eſſe perſpicimus,
quæ titillatione quadam & pruritu, ueluti in corpore leues frictiones, delectationẽ adfe-
runt: etenim inſtabiles iſtæ ſunt, & quieſcere hominem non patiuntur. Pręterea titillatio-
nem quam adferunt, non liberam, ſed inflammationi, quam frequens uenarum pulſatio
irritat, ſociatã habent. Quæ uerò ab honeſtis & præclaris factis oriuntur, quales illius eſſe
conſtat qui quæuis opera & magiſtratũ rectè procurat, non aureis Euripidis alis, ſed Pla-
tonicis illis & cœleſtibus pennis ſunt adſimiles: his anima prudentiam amplitudinemq́;
cum gaudio adepta, fertur & uolat. Excita iam nunc quæſo memoriã, & quæ olim tibi au
dita ſunt, ad eam illa reuoca. Epaminondam aiunt cùm pleriq; rogarent quid illi in hac ui
ta maximo fuiſſet oblectamento, reſpondiſſe, Leuctricæ pugnæ à ſe patre matreq́; ſuper-
B ſtitibus, feliciter commiſſæ uictoriam. L. Sylla ab inteſtinis bellis & ſeditionibus Italia à
ſe purgata, Romam cùm ueniſſet, profundo admodum ſopore, præ gaudio & uoluptate
anima quaſi ſpiritum reuocante atq; redintegrante, ſopitus eſt. Atq; iſtud quidem ipſe de
ſe in cõmentarijs ſuis ſcriptum reliquit. Demus Xenophonti, nullam eſſe auditionem lau
de ſuauiorẽ: uerùm, me iudice, nullum ſpectaculum, nulla rerum recordatio, nulla deniq;
animi cogitatio tantum delectationis efficere poteſt, quantum eorum quæ in magiſtratu
& Republica tanq; in ſplendido aliquo & publico ſpectaculo à te facta ſunt, contempla-
tio. Quinetiam gratia factis benigniter concordans, & beneuolentiæ iuſtæ conſentiens
laus, cultorem & amatorẽ uirtutis tanquam lumine & delicijs quibuſdã perfundit. Neq;
gloriam, ueluti athleticam coronã uetuſtate longa aridam & ſquallentem deſpicere opor
tet: ſed rebus iam propè ueteratis, noua aliqua & recens gratia, quæ priorem ſuperet, & il
lius ueluti ſtabilimentũ quoddam illuſtre ſit, adijcienda eſt. Sic enim factitare ſolent qui-
bus Deliacæ nauis cura commiſſa eſt. Nam quotieſcunq; illa uitium alicubi facit, adſunt
qui eximant & abijciant corrupta, noua uerò alia ſuppingendo ſufficiant: atq; ita ęternã,
& interitui nõ amplius ab eo tempore, quo primùm ſtructa eſt, obnoxiam, cuſtodiunt. At
gloriæ ſimul & flammæ ut perſimilis, ita quoq; haud difficilis conſeruatio: modicis enim
fomentis, ut perdurent, opus habent: ſi quis uerò & extingui ea, & frigere planè ſinat, nõ
ſine magno negocio ut iterum ardeant, effecerit. Quemadmodum autem Lampis, qui à
multarum poſſeſsione nauium nauclericus uulgò dictus eſt, cùm interrogaretur aliquan-
do, qua ratione tantas opes ſibi & diuitias paraſſet: Magnas, reſpondit, haud difficulter:
paruas autem non ſine laboribus, & multo tempore. Eadem ſanè ratione ciuilem dignita
tem conſequi, & gloriam per magiſtratum adipiſci, haud promptum & facile eſt: uerùm
ubi ea fueris adeptus, ut incrementum ſuſcipiant, & qualibuſcunq; initijs orta amplificen
tur, id uerò in promptu & facile eſt. In amico quem nobis conciliauimus ſeruando re-
tinendóque, non frequentibus & magnificis beneficijs, non officijs opus eſt continuis:
nam & exigua amoris indicia, quò indiuulſam amicitiam ſeruet, huic ſatis ſunt. Populi ue
rò amicitia fidesq́;, tametſi non continuò ab ijs qui præſunt, & quos in magiſtratu admi-
rantur, aliquid accipiant, at animi tamen illorum beneuolentia promptitudoq́; cõſtat, mo
dò illi procurationis curam diligentiamq; non remittant, nec planè abijciant. Neq; uerò

Deliaca nauis omniũ apud Athenienſes elegantiſsima, quam ſacrorum cauſa in Delon mittere ſolebant.

C militaris uita in acie & conflictibus continua eſt,non ſemper oppugnandis oppidis inten
dit,uerùm interim & deorum epulas curat, celebrat conuenticula: ut interim ocium illud
quod luſibus & nugis datur, ſilentio pertranſeam. At tu uelim mihi cauſam dicas, quam
ob rem gubernacula Reipub.non prenduntur? Num quia res ſit grauis, & laboribus ple-
na,quæq; interim nulla ſolatia, nulla oblectamenta dare queat? Non putarim quenq; ita
iudicaturum: maximè cùm theatra,pompe,digniora conſeſſus loca,chori,Muſæ, ſplendi
da gratia & Dei inſtar, totius curæ palatijq; faſtum mitigans honor,mirificam delectatio
nem pariant, & gratiam non leuiter referant. Inuidia autem, quam omnium uitiorum &
malorum,quæ à Repub.timeri poſſunt,peſsimum cenſent, haudquaquã ſenibus pertime
ſcenda eſt. Nam canes, ut Heraclitum dicere conſueuiſſe ferunt,in ignotos latrant. At ip-
ſum adeò principium,& honoris auſpicatio,tanquam in ipſis tribunalis foribus, conten-
tionibus certaminibusq; obnoxia eſt, & ingreſſum haud facilè præbent: gloria autem,
cum qua diutius conſueuere homines & uixere, neq; difficulter,neq; ferociter, ſed beni-
gnè admodum admittitur. Huius rei gratia plerique fumo ſimilem inuidiam cenſent.Pri-
mò enim & priuſquàm incendatur, de ſe ſatis copioſe ſuſtollitur : póſteaquàm uerò flam-
ma cœperit emicare,euaneſcit paulatim,neq; haud facilè uſpiam conſpicari ſolet. In alijs
autem rebus, quibus omnes excellentiã metiuntur, ut generis titulis, ut honoris & uirtu-
tis,certatur quidem & diſceptatur ſtrenuè nonnunquam,ut id quod alijs decedit & aufer
tur,alij ad ſe rapiant,ſibiq́; adſcribere poſsint. Porrò dignitas illa, & honorũ delatio, quæ
à tempore datur(hoc autem uerum ſenectutis honorariũ eſt)æmulis in totum caret,& ad
inuidiam transferri non ſolet. Etenim nullus planè honos eſt, qui in deferentem magis,
quàm quibus defertur,ſeſe transfert,ac is qui in ſenes effunditur. His adde,partem homi-
num ferè maximã,exiſtimationẽ illam quam alij ab opibus,alij à dicendi facultate, alij ab
erudiťone expectant,nunquam ſibi ſatis promittere audere: at reuerentiã illam &opinio
nem inſignem,quam ſenectus pollicetur,quotuſquiſq; ex his qui ad magiſtratũ aſpirant,
non aliquando ſibi ad ſpem rapiat? Itaq; qui multo cum inuidia tempore colluctatus eſt,
deinde ſedatis & tranquillatis rebus curſum inhibens, quod reliquũ eſt, in ciuili admini-
ſtratione progredietur,interim tamen hominũ ſocietate familiaritateq́; non relicta: haud
D ſanè quicquam à nauis gubernatore diſsidet, qui & cum uentis & fluctibus luctando na-
uigat quidem,& aëre tranquillato ſedata tempeſtate iam interim nõ defatigatus quieſcit,
ſed porrò agere nauim nõ deſinit. In Republica gerenda quo lonigus & diutius proceſſe-
ris,hoc plures amicos,cõſodales plures parau eris. Eos uerò omnes, ut à ſcenico magiſtro
chorus ſolet,ſimul producere non licet: relinquere uerò & deſerere,ab omni ęquitate alie
num eſt. Ac ut annoſas arbores nõ facilè licet euellere, quòd radices multas & profundas
iecerint: ita quoque magiſtratũ quem diu geſſeris, deponere difficilè eſt,cùm tot negocijs
implicatus animus ſit, quibus ſeſe explicare oppidoquàm eſt graue: & perturbationes &
diſtractiones longè maiores abeuntibus ab illo, quàm ſi in eo uiuere perſeuerent,parian-
tur. Quocirca ſi qua fortè inuidia aut è ciuilibus certaminibus cõtentiones ſenibus ſuper-
ſunt, autoritate extinguendæ ſunt. Non enim terga uertere inermes planè & nudos illos
oportet: ſiquidẽ qui inuidia flagrãt,in illos plerunq; qui cedere uidentur, maiorem quàm
qui certando reſiſtunt,impreſsionẽ facere ſolẽt. Huius rei teſtimoniũ habet quod ab Epa
minonda ad Thebanos ſuos cõmilitones dictũ eſt. Nam cum hyemis tempeſtate ſæua ab
Arcadibus,ut hyberna oppidatim ſub tectis agerent,inuitarent̃, nequaq; illis hoc permi
ſit: Nunc enim uos,inquit, admiratione maiore dignos exiſtimabunt,cùm ueſtra in armis
exercit̃ia luctasq; contemplabunt̃. At ſi apud focũ deſidentes,& fabas torrentes uiderint,
eadem qua ſe & uos conditione habebunt. Vides'ne hîc quàm ſit reuerendũ ſpectaculũ,
cùm non modò dictis,ſed & factis ſenex ſe omnibus honoribus dignum teſtatur? Qui ue
rò lectulo ſemper incumbit, aut in porticus alicuius angulo nugas garriens,naresq; muc-
eo plenas emungens,totos dies deſidet, quis illum non contemnit? quis ut abiectum non
deſpicatui ducit? Hoc Homerus ipſe teſtari uidetur, maximè qui auribus purgatis illius
poëma audiuere. Neſtorem apud eum in expeditione illa qua Troiam adorti ſunt Gręci,
& ſummè uenerati ſunt, & obſeruauere omnes: at ſenes illos qui domi ociũ ſuũ in deſidia
conſumpſere, ut Peleus, ut Laërtes, & inutiles, & propémodũ abiecti cõtemnuntur. Non
enim cõfirmata illa exercitatio (habitum noſtri cum Græcis uocant) eadem ſibiq; per om
nia ſimilis, apud eos qui ſe remittunt, perdurare ſolet. Siquidẽ modicũ relaxata, aut etiam
reſoluta, mox rurſum iugi meditatione, & mentis agitatione cõtinua, quæ dicendi agen
diq; facultatẽ excitet & expurget, opus habet. At ea in imbecillo corpore cùm uſus poſcit,
Splendor

A Splendor ut æris in neceſsitatibus micat.

Viri uerò ætate planè grandes hoc Reipub. cōmodiores, quàm hi qui præter ætatem uel exercitum ducunt, uel magiſtratū gerunt, exiſtunt, quòd reuerentia prudentiaq; ſpectabiles (quanquam nondum plenè iſta adſint) quæuis Reipub. pericula propulſare, & ea maximè quæ ſubinde per ambitionē & inanem gloriam inter ciues incidunt, nouere. Hi non inſtar maris uentis procellisq; agitati ciues exagitant, ſed benignè & moderatè animos eorum tractant atq; moderantur. Quam ob cauſam quoties in caſum grauiorem & & pauorem urbes abducuntur, uiros quidem, ſed ſenectute graues, ad imperium depoſcūnt. Etenim ex agro ſæpenumero ſenem, ciuitatis gubernacula non deſiderantē, ſed planè recuſantē, ad publicū munus obeundū (quò arrepto magiſtratu turbulentas res cōponat, & in tuto collocet) compulerunt: non raro interim belli ducibus etiam claris, & qui in hoſtes miſſi, ſtrenuam prelijs operam nauare potuiſſent, neglectis, item oratoribus, quantumuis clamoſis, & qui uno ſpiritu continenter multa uerba fundere poſsint. Athenienſibus quondam in Timotheum & Iphicratem ſenes propenſis, rhetores Charetem quendam Theochare prognatum, ætate & corpore robuſtum, prætulerunt. Sed ecquid ad hęc Timotheus? Dij meliora, inquit, niſi uobis ducem qui ad ſarcinas gerendas appoſitus ſit, deſideretis. Etenim qui bellicis rebus præeſſe debet, hunc nō in fronte modò, uerùm & in tergo oculos habere oportet: neq; conſilia ſua cogitationesq́; in uſum cōmunem concinnatas, ulla mentis affectione animiq́; permotione mutare ac repudiare par eſt. Sophocles cùm ætate prouectior eſſet, Quàm libens, inquit, uenerea, ut ferū & furioſum dominū relinquo. At in magiſtratu non ſatis eſt unum ſolūmodo dominū, amorem uidelicet uel in pueros uel in mulieres inſanū fugere: longè plures hîc & multò furioſiores occurrūt: eius generis ſunt contentiones grauiores, ambitio ut primas feras & partes maximas, libido, morbus inuidiæ, quo nihil fertilius, æmulationes, diſcordiæ: at ex ijs multa prætermittit, multa obtundit, multa etiā planè extinguit, & ut frigeant, ſenectus facit. Neq; tamen uſqueadeo ab agendi illo impetu cohibet, quàm ab immoderatis illis ac flagrantibus animi affectibus liberat: nam & ſobrios reddit, & ita cōponit, ut ad cogitationes ſuas diligentiā curamq́; non poſsint non adhibere. Porrò eſto, uideaturq; horum ſermo cōmodè cane-
B ſcentem, ſed iuuenili ſtudio iam tunc primùm ad Rempub. properantē, iniecto ueluti pudore reuocare & reflectere, & ex longa in priuatis rebus curandis deſidia, tanquam ex morbo, ad exercitus aut Reipub. curationē excitatum ſenem meritò his uerbis incuſare:

Miſer maneto piger in cubilibus.

At eum qui perpetuò in Repub. uixit, in fori certaminibus uerſatus eſt, cur mihi non ſines ad faces uſq;, ad extremum uitæ actum progredi? cur tu eum ex longa uita reuocatum, inſtitutum iter mutare cogis? Hæc cùm facis, profectò expers omnis conſilij es, & quæ minimè decent, ſuadere omnibus exiſtimaris. Rectè ſanè ſenem qui uxorem accipiens coronis ſeſe ornat, & unguentis adfluit, deteſtaris, & illud ex tragœdia Philocteti dictum ei ſuccinis:

Quæ ſponſa nunc tibi aut puella nupſerit,
Euge ò miſer quid uis tibi cum nuptijs?

Neque certè hæc uerba tua aut abſurda aut intempeſtiua mihi uidentur: nam & ipſi quoq; ſæpenumero in ſe talia ludunt:

Non mi iſta nupſit, ſed magis uiciniæ.

At qui iam cum uxore extra ullam culpam probè multos annos uixit, & eam propter ſenium nunc repudiare ſtudet, quò ſibi ſcilicet tantùm uiuat, aut illa repudiata pellicem in ædes adducit, non uideo qua ratione ſeſe à turpitudinis & ineptitudinis uitio uindicare poſsit. Eadē ratione ſenes qui perpetuò alijs negocijs implicati, in ſenio ad Rempub. properant, ueluti ſi quis aut Chlidon agriculturæ ſtudijs ſemper deditus, aut Lampon nauclerus, aut ex horto philoſophorū quiſpiam magiſtratū ambiat, hos & caſtigare, & ut in conſueto uitæ ocio ſe contineant, admonere par eſt. Phocionem uerò, aut Periclem, aut Catonem aggreſſus quiſpiam, dicat: Hoſpes ſiue Athenienſis ſis, ſiue Romanus, aridæ ſenectutis tuæ curas & ſolicitudines abijce. deinde iubeat ne quid hi amplius in Repub. agāt, non exercitum ducant, non curiæ negocijs præſint, ſed ancillula contenti, ruſticis ſtudijs ſeſe oblectent: & quicquid illis uel ætatis uel mentis reliqui eſt, id totum rei familiaris procurationi impendant: hoc, inquam, ſi quis decernat & conſtituat, nónne ualde iniqua perſuadere conatur, & non mediocri iniuria Rempub. afficit? Enimuero dicet aliquis, quid in comœdia audiri ſolet?

Priuant capilli me niues ſtipendio.

Rectè ſanè hoc cōiectas. Nam qui Marti operam dant, eos corporis & ætatis flore,

Vt quibus & bellum curæ eſt, & bellica facta,

eximios eſſe decet. Etenim ſenij

C canitiem quanquam galea condat, ipſa tamen membrorum compages & facultas (adſit li
cet alacritas animo) clàm & paulatim grauata diſſolutaq́ intercidit. At in Iouis concilij, fo
ri & urbis miniſtris, neque pedum officium, neq; manus operam, uerùm conſilium, pro-
uidentiam, & orationis uim, non quæ ſtrepitum turbamq́ in populo concitare nouit, ſed
quæ de corde profecta, prudentiæ tranquillitatisq́ magiſtra eſt, poſtulamus. His & cani
& rugæ, quæ ab alijs ridentur, autoritatis & experientiæ teſtimonium dare, ad perſuaden
dum nõ mediocre auxilium orationi adiungere, & morum gloriam cõmendare poſſunt.
Iuuentus enim imperata facere, ſenectus imperare debet. Certè Rempub. eam, in qua ſe-
num conſilium, iuuenum haſtæ primum locum obtinent, ſaluam eſſe arbitror. Neque in
Homero mirificè magis quicquam laudatur, atq; illud:

Conſedêre duces ſenio ſpectabilis ordo
Neſtoris ad naues.

Hac de cauſa cùm regio imperio Lacedæmonij optimatum ordinem adiungere ſtude-
rent, & Pythias ad id maiores natu poſceret, Lycurgus apertius ſenes pronunciauit. Ad
hæc conſeſſus ille Romanus celebris, Senatus à ſenio etiamnum nuncupatur. Et ut lex
diadema atque coronam, ita natura honorabile & dignum magiſtratu ſymbolum cani-
tiem eſſe uoluit. Quinetiam honorarium & honorari (liceat ſic γέρας & γεραίρειν conuerte-
re) à ſenum dignitate in uſu Græcæ linguæ ſunt, non ob id quòd in thermis lauent, & mol
liter ſedendo uitam ocioſè tranſigant, uerùm quia regium in ciuitatibus locum cõſequuti
ſunt. Eius autem uirtutis proprium abſolutumq́ bonum natura niſi in ſenio non oſten-
dit, neq; profert: non aliter ac plantæ ſerotinæ fructum reddere tardiorem ſolent. Regum
quoq; rex Agamemnon, cùm à Dijs optaret ut ſibi conſiliarios decem ex Achiuis da-
rent, qualis erat Neſtor (ſic enim Græcos magnanimos, extra omnem rerum bellicarum
reprehenſionem futuros) non dubium quin ea precatione rem magni eſſe momenti, non
in ciuilibus negocijs duntaxat, uerùm & in belli adminiſtratione, ſenectutem iudicare uo
luit. Nam Multas manus uincit prudens, unum licet, Conſilium. Et unica ſententia ad
perſuaſionẽ concinnata, in publicis negocijs non modò maxima, ſed & pulcherrima effi-
cere poteſt. At uerò regnum, quod inter Reipub. formas & perfectiſsimum maximumq́
D eſt, quot labores & negocia exhibet? ſanè multos dices. Nam Seleucum ſæpiſsimè dicere
ſolitum ferunt: Si nouiſſent multi quàm ſit operoſum & moleſtum, tot duntaxat literas
ſcribere, legereq́, diadema etiam abiectum ante pedes ne ſubleuarent quidem. Philippus
autem cùm in regione uenuſta admodum caſtra ponere pararet, nunciareturq́ illi, iumen
tis non eſſe iſtic fœnum: O dij, inquit, qualis eſt hæc noſtra uita, quam etiam ad aſinorum
cõmoditatem inſtituere cogimur. Hæc cùm uides, tempus eſſe arbitrabere, quo regi iam
ætate prouecto, ut diadema & purpuram regalia inſignia exuat, ſuadeas, & ut tunica ligo
neq́ ſumpto, in agro uitam degat, ne ſcilicet intempeſtiua canitiei ſuæ & minimè neceſſa
ria facere uideatur. At hæc ſi neq; Ageſilao, neq; Numæ, neq; Dario dicere conuenit, tu
nos interim ex Areopagitarum conſilio Solonem, è ſenatu Catonem, quia ſenes ſunt, ut
eijciamus, mandare non uereris? Quid uerò de Pericle fiet? & hunc tuo conſilio ut ciui-
lium negociorũ procurationẽ relinquat hortabimur? Sanè id tum erat laborandum, cùm
adoleſcens in ſubſellijs laſciuiret, cùm furioſas illas contentiones & per impotentes ani-
mi impetus impreſsiones in publica bona faceret. At poſteaquàm illi & maturior ætas, &
experientia longior, prudentiam impartiuere, nunquid ei Rempub. ut mulierem qua ali-
quandiu abuſus fuit, repudiandam cenſes? At Aeſopicæ uulpeculæ in mentem tibi ue-
niat, quæ erinacei in auferendis ricinis officium adhiberi ſibi recuſauit: nam ſi hos, inquit,
ſuctu plenos abegeris, aderunt alij longè magis ſitientes. Senes quoq; ſi à magiſtratu in
hunc modũ arceas, mox conditionẽ iſtam affatim arripuerint iuuenes: ſed quales? gloriæ
poteſtatisq́ auidi, ſitientes, quibusq́ animus ad ciuilia negocia gerenda rudis in primis
ac nullus propè eſt. Neque etiam unde illis eſſe poſsit uideo, quum neq; ſibi duces ad ſe-
nilem magiſtratum habuerint, neq; ipſi ſpectatores rerum fuerint. An uerò illos qui na-
uibus præſunt, ſcripta de gubernandis nauibus præcepta experientes reddent? ſanè non
puto. Verùm ſpectatorem certaminum eorum, quæ cum fluctibus & immanibus uen-
torum tempeſtatibus ſunt (cùm Tyndaridas fratres fluctiuagi nautæ precibus inuocant)
in puppi adſtitiſſe, id uerò eſt quod gubernatorem peritum & ſcientem facit. Et tempera-
re ciuitatem, moderari populum, concionem cõmodè tractare, num iuuenis aliquis, qui
librum aut cõmentarium aliquem in Lyceo conſcriptum legerit, ipſe uerò gubernacula
Reipublicę nunquã prehenderit, contentiones experientia & fortuna, quò à periculis &

A moleſtijs liber eſſet, ſcienter declinare in utranq; partem nõ nouerit, num inquã iſta iuue-
num aliquis poſsit? ſanè non eſt quòd hoc dicam. Cæterùm ſi nulla alia cauſa ſit, ob quam
tenere Rempub. ſenex debeat, non ſit illi contemnenda iuuentutis inſtructio, nimirum
ut hanc qua poſsit ratione informet. Quemadmodũ autem literatores & muſicam docen
tes ipſi præludere prælegereq; ſubſequentibus id diſcipulis ſolent: ita qui ciuilia obit ne-
gocia, non uerbis, non oratione ſolummodo præit, ſed cùm Rempub. adminiſtrat, tum fa
ctis & dictis ſimul adoleſcentes gubernat, & in uiros fingit & format. In hunc uerò mo-
dum exercitati, non in palæſtris, non ijs locis quibus apud magiſtros qui membrorum ha
bilitatem frictionibus & oleis extra periculum profitentur: uerùm ut in Olympicis &
Pythicis maximis Græcię certaminibus, indomitus cum equo pullus, iuxta Simonidem,
ſimul currit, ita quoq; ſenectutem ipſi ſectentur. Ariſtides continuò adfuit Cliſtheni, Ci-
mon rurſus Ariſtidi: Phocion à Chabria, à Fabio Maximo Cato nunquam eſt digreſſus:
Pompeius à Sylla, Polybius à Philemone nõ diſceſsit. Nam adoleſcentes qui ſe prouectis
ætate inſinuant, hoc ab illis lucri poſſedere, quòd illorum adminiſtrationibus & factis ue
luti innutriti & inſiti, cum gloria & autoritate in publicis negocijs experientiã uſumq; fa-
cilem adipiſcunt̃. Cùm ſophiſtæ quidam ab Aeſchine illo qui Academicã philoſophiam
profeſſus eſt, interrogarent qua de cauſa coniungeret ſe Carneadi, cùm tamen illius diſci-
pulus eſſe recuſaret: At ego, reſpondit, Carneadis auditor tunc eſſe cœpi, cum ſtrepitũ &
garrulitatem beneficio ſenectutis oratio eius abijciens, ad cõmunem utilitatem ſe conuer
tit. Senes autem qui in magiſtratu ſunt, non uerbis ſolùm, ſed & factis ab omni dictionis
laſciuia & iactantia longiſsimè abſunt. Ibim ferunt, cùm annoſior facta fuerit, quicquid
cœnoſum uiroſumq; halitum ſpirat, auerſari, ut ijs quæ pigmenta redolent & ſuauia ſunt,
frui poſsit: ita neq; ullum decretum aut conſilium à prouectiore ætate profectum, turbidi
quicquam habet, uerùm certa omnia & cõſtantia ab ea ſuppeditantur. Quapropter iuuen
tutis gratia magiſtratũ maximè gerere ſenes, ut iam ſæpe nobis dictum eſt, conducit. Ete-
nim quemadmodũ aquam merumq; miſcemus, quò furentem deum, ut cum Platone lo-
quamur, ſobrio altero caſtigatum temperemus: hũc in modum feruenti & flagranti apud
populum iuuentuti, & gloria & ambitione furenti, ſenilis admixta reuerentia, quicquid
B intemperatè & furioſe cõmittitur, corrigit & abſcindit. Præter hæc uerò errant & ij, qui
non aliud eſſe exiſtimant Rempub. gerere, ac ad rem ſuam augendam nauigaſſe, aut mi-
litauiſſe: atq; ubi id fueris conſecutus, ceſſauiſſe. Non enim eſt Reipub. finis qualecunque
munus publicum quod ad indigentiã & uſum eſſe debeat, uerùm uita animalis manſueti,
ciuilis & cõmunis, quod natura quandiu hanc lucem uſurpat, ciuiliter, honeſtè & huma-
niter uiuere debet. Eapropter non decet Rempub. geſsiſſe, ſed gerere eam par eſt: quem-
admodum conueniens eſt non ueritatem faſſum eſſe, ſed fateri: neq; iuſta egiſſe, ſed ſecun
dùm iuſtitiam agere: neq; patriam parentes ciues amauiſſe, ſed amare. Ad hanc rem natu-
ra duce agimur: nobis has uoces dictat: ſed cùm non funditus inertia & uitæ mollitia per-
diti ſumus.

Multis pater te genuit utilem uiris:
Et nos feramus auxilium mortalibus.

At uerò qui corporis ualetudinẽ ſenilis & imbecillitatem culpant, iniuſtè id facere uiden-
tur. Cur enim non potius morbum aut cæcitatem, quàm ſenium incuſant? Quot enim ſe-
nes ualẽtes & robuſtos, quot uerò adoleſcentes morbis implicatos paſsim uidemus? Qua
de cauſa nõ ſenes, ſed infirmos reijcere, neq; in horũ locum iuuenes, ſed ualentes ſubſtitue
re debebãt. Indicãt hiſtoriæ, Aridæum iuuenem, Antigonũ uerò ſenio confectũ fuiſſe: ue
runtamen hic totius ferè Aſię dominus extitit: at ille, tanq; è ſcena ſatellitis muta perſona,
nomine tantùm regio, ab alijs apud quos firmum imperium erat, deſpicatus habebatur.
Quemadmodum ſi quis ſophiſtam Prodicum aut elegiarum ſcriptorem Philetam, ætate
quidem iuuenes, uerùm corporis ualetudine tenui & adfecta, & lectulo plerũq; propter
morbum incumbentes, magiſtratum adire iubeat, ſtolidus & inſanus habendus eſſet: ita
quoq; ineptire mihi uidentur, qui à re militari gerenda tales ſenes arcere tentant, qualem
Phocionem, qualẽ Maſiniſſam Afrum, qualem Catonẽ Romanũ fuiſſe conſtat. Phocion
ruentibus intempeſtiuè in bellum Athenienſibus, ſenes ad ſexaginta annos natos euoca-
uit, & ut ſe ſequerentur imperauit: cùm eam rem iniquo illi animo ferre uiderentur, Quid,
inquit, uobis hoc graue, cùm me iam ſupra octoginta annos natum ducem ſinis habituri?
Polybij hiſtorijs traditum eſt, Maſiniſſam annum nonageſimum agentem, relicto qua-
tuor annorum ex ſe genito filiolo, ex hac uita migraſſe, & paulò ante exitum à uita Car-

C thaginenſes prælio fudiſſe, fugaſſeq́; : pridie autem quàm id actum fuit, cùm multi illum ante tentoria panem ſordidum comedentem mirarentur, reſpondit ſe id facere, quia poſ‑ ſet. Sophocles inquit:

Splendor ut æris in neceſsitatibus
Micat, pigreſcens diutius tectum ruit.

Nos uerò illam animi exultationẽ & facem, qua & ratiocinamur, & memoriter recordamur, ſapimusq́;, & intelligimus, id agere adſerimus. Quocirca in bellis & apud exercitum reges longè præſtantiores euadere, quàm cùm ocium amplectuntur domi, adſueuerunt. Attalum Eumenis fratrem diuturniore ex ocio & pace ignauũ admodum & propémodũ animo diſſolutũ redditum cõſtat: hunc ex amicis quidam, cui Philopœmeni nomen erat, ſatis illiberaliter paſcens, pinguem & plenum fecit. Quare Romanos ferunt per iocum ſubinde ab ijs qui ex Aſia in Italiam nauigabant, interrogaſſe, num apud Philopœmenẽ rex gratia adhuc ualeret. Neq; Lucullo imperatores multos qui prudentiã cum factis cõiungerent, clariores inueneris. At is cùm ſe uitamq́; ſuam ad ocium tradidiſſet, & ſecurus, ut ſpongiæ cùm tranquillitas maris eſt, domi ueluti mortuus & marceſcens deſideret, à Cliſthene liberto, cui ſenectutem ſuam curandam & paſcendam dederat, poculis amatorijs & incantamentis faſcinatus fuiſſe putabatur: donec Marcus illius frater, homine fugato ipſe rem domeſticã illius curaret: is quicquid deinde tẽporis & uitæ illi ſuperfuit, quod ſanè ꝙ exiguum fuit, ueluti pædagogus inſtruxit & gubernauit. At Darius Xerxis pater longè melius, qui in rebus grauibus & dubijs ſeipſo prudentiorẽ euadere iactare ſolitus eſt. Et Almas Scytha nihil diſtare putabat eos qui in ocio eſſent, ab ijs qui equos curarent. Dionyſius quoque ſenior interroganti cuidam num ocioſus eſſet: abſit ne mihi tale quicquam unquam contingat, reſpondit. Arcum autem continuò intentum rumpi ſolere: itidem & animum, cùm is remittitur. Quare qui concentus muſici ſtudioſi ſunt, niſi ſæpius animaduerſione diligenti hos auſcultent: & geometræ, ſi nõ reſolutionibus ſuis ſtudeant: numerandi ſcientiam profitentes, niſi quotidianis computationibus ſe exerceant, quicquid habent eiuſcemodi facultatis, ſimul cum ipſo tempore illis elabitur: quanquã etiam
D earum artium profeſsio magis in contemplando ſit, quàm in actionibus uerſetur. At ciuilis adminiſtrationis cõfirmata conſuetaq; exercitatio, in dictandis conſilijs, in prudentia, in iuſtitia conſiſtit. Accedit ad hæc experientia, qua occaſiones temporũ artificioſe coniectantur: uerborũ item facultas, ad perſuaſionẽ comparata. Itaq; ſemper aliquid dicere, facere, mente colligere, iudicare oportet, ne cùm ſinamus iſta ex animo excidere, tantarum uirtutum poſſeſsione priuemur: quod cùm fit, tum ſimul humanitatis amor, publicorũ cõmodorum cura, benefaciendi ſtudium, quorum neq; finis neq; intermiſsio eſſe debebat, ſimul exareſcunt atq; euaneſcunt. Iam ſi tibi pater eſſet mortalitatis expers Tithonus, atq; is propter ſenectutis incõmoda, curatione in dies maiore opus haberet: non arbitror te ab officio, quod iam aliquandiu præſtitiſti, uelle recedere, aut curationem illius, quæ & conſolatione & auxilio ſuſcipitur, recuſare poſſe. At patria, quam, ut nos à patre, ita Cretenſes à matre uocant, & ſenior multò, & plus iuris ac parentes in te habet: quinetiam annis & ſenio grauis & miſera, nec ſibi ſatis ſufficiens eſt, uerùm multa ſedulitate & diligentia, frequenti auxilio, continua curatione opus habet: hæc eſt quæ uirum in magiſtratu ad ſe rapit & continet,

Veſte tenens, quamuis animo ſis ipſe uolenti.

Pythiades ut Olympiades.

Nouiſti me Apollini Pythio Pythiadas multas per feſta Pythica iam diutiſsimè ſacrificaſſe: uerùm non opinor te in hunc modum me allocuturum: Iam ſatis eſt ſacrificiorũ, mi Plutarche, ſatis pomparũ & ſaltationum: num te ſenem animaduertis? tempus corollas ponere iubet, ſenectus oracula relinquere mãdat. Id ſi tu mihi faciendum minimè cenſes, tibi concedi uis ut Iouis urbium foriq; præſidis ciuilia ſacra, quibus iam olim initiatus es, & uates princepsq́; præfuiſti, deſeras & relinquas? Cæterùm, ſi uidebitur, omiſſo aliquantum illo qui à Repub. auocat ſermone, quæſo ponderemus philoſophemurq́; quàm ſit illud certamẽ neq; graue, neq; ſenectuti indecorum, quod nunc celebramus, maximè cùm Reſpub. & multas & conuenientes ætati huic quietes habeat. Quemadmodũ enim cantores, qui in hac arte aſsiduè uerſandũ ſibi ſtatuère, uarios uocum ductus & modos, quos harmoniam muſici uocant, meditari oportet, inter quos ſenes effecti neq; intenſum illum & acutum, ſed eum qui facilis eſt, & à moribus ſedatioribus non diſsidet, formant & ſectantur: ita quoq; & factis & dictis (hæc enim hominibus natura non aliter ac cygnis cantionem uſque ad finem uitæ propria eſſe uòluit) leues, mediocres, conuenientes Reipub.

admini‑

A adminiſtrationes ſenibus aptare par eſt: neq; ut intenſam lyrã, ita animos illorum remitte-
re oportet. Neq; corpora, quia nec ſcaphijs, nec ferreis circulis, nec pilis plumbeis, nec di-
ſco, nec armis adſimilata in pugna, quemadmodum antea licebat, uti ualemus ſine exerci
tatione, negligentius tractamus: ſunt alia ſtudia, ſunt geſtationes, ſunt deambulationes,
quibuſdam etiam & paruæ pilæ leuis ſanè luſus placet: hæc ſpiritum mouent, hæc ſaluta-
rem & uitalem calorem eliciendo refouent. Porrò ne tunc quidem ſenes ſuſpiciamus cùm
planè ſeipſos ocio & deſidia ueluti ſtupidos rigidosq; reddidere: neq; rurſus cùm omnem
dignitatem & imperium uſurpant, neq; quicq; negocij in Repub. agitur cui nõ intereſſe cu
piant, ſenium uituperationi obnoxium ad eiuſcemodi uoces compellamus & cogamus:

O dextra, quam cupis iam nunc haſtam tibi?
Sed huic cupidini obſtat imbecillitas.

Nam neq; uirum ætate florentem potentemq;, qui omnem publicorum negociorum ad-
miniſtrationem ſibi ſoli ſumit, neq; alijs concedit quicquam (non aliter ac de Ioue Stoici
exiſtimant) ferè quiſquam laudauerit: maximè cùm omnibus ſe ipſe intrudit infertq;, neq;
propter gloriæ inſatiabilem cupiditatem honoris aliquid, aut poteſtatis, quomodocunq;
iſta ambiantur, per inuidiam conſequi aliquẽ patiatur. Seni autem in comitijs paſsim om
nibus occurrens ambitio, totos dies in iudicio & curia deſidens curioſitas, quoduis lega-
tionis, quoduis curationis munus ad ſe rapiens honoris cupiditas, hæc etiam ſi turpitudi-
ne uacent, laborioſa tamẽ & miſera in primis cenſentur. Nam ſi exiſtimet cùm beneuolen
tia ſe iſta poſſe præter ætatem præſtare, fallitur utiq;, cùm in contrarium idipſum cedere fa
cilè uideat. Etenim adoleſcentibus odium ſui concitat, ut qui occaſiones ad gerendas res
ſibi præripi indignè ferunt: deinde ne in medium quandoq; ueniant, impedimento illos
eſſe indignè ferunt: apud alios uerò ambitio iſta honoris, & dignitatis, qua primas ferre
poſsint, cupiditas, non minus odioſa, q; ſenum aliorum auaritia, diuitiarũ uoluptatumq;
ſectatio exiſtit. Quemadmodũ itaq; Bucephalum iam ſenio confectũ Alexander, niſi ne-
ceſsitate coactus adfligere non ſolebat, uerùm antequàm prælium iniretur, equis alijs ex-
ercitus luſtrãdi aciemq; inſtituendi cauſa inuehebatur, eiſdem mox dato ſigno relictis, &
aſcenſo illo hoſtibus inſtare, periculum quoduis ſubire nõ recuſabat: in hunc modum uir
B qui imperium ciuile habet, ſeipſum, ſi modò mente nõ caret, gubernet: quæ uerò tanta cu
ra nõ egent, neq; neceſſaria admodum ſunt, relinquat, ut & hi qui ætate ualent, in exiguis
ciuitatis negocijs aliquid habeant quod agant: in magnis autem certaminibus alacriter ip
ſe quod facto opus eſt, faciat. Athletæ neceſſarios labores & utiles ne attingũt quidẽ, quò
corpus minimè neceſſarijs ſyncerum præſtent: at nobis longè alia ratione faciendum co-
gitemus. Etenim quæ exigua ſunt & uilia, relinquentes, & tantummodo quæ ſerio digna
ſtudio ſunt, tractemus. Cæterùm iuuentutem fortaſſe cuncta, ut Homerus ait, decent: atq;
ita plerunq; omnia amplectuntur. Nam exilia, ſed plurima, cùm aggrediuntur, tum ſe po-
pulares atque laborioſos: cùm uerò ſplendida & grauia, nobiles & magnanimos nomi-
nant. Non ignoro autem, contentione plenum & confidens factum ſuo tempore gratiam
quandam huic ætati conuenientem acquirere. At grauis annis & maturus uir, munus ali-
quod ex publicis, ut uectigalium locationes, portuũ foriq; curationes, legationes ad prin
cipes, profectiones ad magnates, quæ non ad neceſsitatem, ſed ad inſeruiendum cõmuni
cõmodo comparata ſunt, expectans & ſubire cupiens, herclè & miſerabilis, & planè non
imitandus mihi, alijs fortaſſe hoc & oneroſum & ualde moleſtum exiſtimabitur. Nam
in hac ætate non alium magiſtratum gerere, quàm à quo & amplitudinem & dignitatem
conſequare, par eſt: qualis ſanè in Areopago Athenis tibi nunc mi Euphanes traditus
eſt: ut taceam interim patriam tuam, quæ tibi Amphictyonicã maieſtatem, laborem dul-
cem ſanè, onusq; minimè oneroſum, quod non prius quàm uitam deponere poteris, con-
ſecrauit. Neq; ad iſtos honores ſpontè uolare oportet: uerùm intuendum diligentius qui
nam ſubterfugere illos conantur, his uerò imperia decernenda ſunt. Ergo non adfectanti
bus, ſed qui ſtrenuè recuſant: neque qui ſibijpſi uidentur imperia accipere, ſed qui ſeipſos
ueluti ſub imperia tradunt, imperia deferenda ſunt. Non enim manum medico porrige-
re qui ſexaginta annos exceſſere, turpe Tiberius Cæſar dicere conſueuit: at ualde uide-
tur indecorum, manum extendere, quò calculos aut ſuffragia populi capiens, in magi-
ſtratum uenire poſsis. Id enim perquàm eſt ignobile & humile, neq; quicquam cum gra-
uitate & decoro magis pugnat. Tu uerò operam dabis ut patria te eligere, te aduocare ad
ſe, te expectare, tuam ſenectutem uenerandam planè & conſpicuam exoſculari, omnes
item dextram tecum copulare geſtiant, Iam cùm in ſenio magiſtratũ adeptus es, & in con-

C cione uerba tibi facienda ſunt, caue protinus in ſubſellia irruas & irrumpas: neq; ijs quæ
iſtic dicuntur, in morem gallinacei cantũ reciprocantis obgannias, neq; reuerentiã, qua
adoleſcentes te ſuſpiciunt, cùm in illorum certamina & rixas animum tuũ plus quàm par
eſt intendis, laxes & remittas: neq; meditatione longa, dum non facilè fidem tibi fieri pa-
teris, conſuetudinẽ eam nanciſcare, ut grauatè quod refertur audias: uerùm conniuere ali
quando, & dare aliquid gloriæ illorum, quò emergere, & aggredi rem ipſi quandoq; au-
deant, oportet. Quinetiam cùm de tribus non magnis agitur, nempe neq; de ſalute aut di
ſcrimine patriæ, neq; de honore bonóue cõmuni, perpetuò te in curia adeſſe, & quid iſtic
agatur, curioſe ſatagere uelim: uerùm ubi eiuſcemodi ardua negocia incidunt, etiamſi ne-
mo te uocet, properandum tamen eſt, & pro uiribus hi tibi itineris duces, qui manu te pre
hendant, & uiam parent, aduocandi: aut certè lectica paranda, qua geſteris: neque id ſine
exemplo. Nam Appium Claudium hiſtoriæ tradunt, rebus Romanis prælio grandi à
Pyrrho fractis, ſenatuq; à rege monito, ut de pacis & fœderis ratione conſultaret, nequa-
quam acquieuiſſe: ſed is confeſtim per medium forum in curiam portari ſe mandat: ami-
ſerat enim lumina. quô cùm ueniſſet, in medio concionis adſiſtens, dixiſſe fertur, Cæcita-
tem quidem ſuam ſe hactenus animo haud æquo tuliſſe: at nunc quoque precari, uti ne
audire quidem illos uſqueadeo turpia & abiecta inter ſe conſultantes agenteſq; poſſet.
Hæc cùm dixiſſet, multa ab ijs acta uituperando, quædam ſecus docendo, adhortatus eſt
ſenatum, uti ad arma deſcendentes, pro ſalute Italiæ cum Pyrrho dimicarent: atq; id etiam
perſuaſit. Cùm Piſiſtratus blandè populũ duceret, & iam illius artes ad tyrannidẽ ſpectare
omnes ſuſpicarent, neq; quiſq; qui uel iſtud uindicare uel prohibere auderet, inueniretur,
Solon arma expedita ante ędes collocauit, ciues ad ſuppetias ferẽdas cohortatus eſt. Hoc
cùm Piſiſtratus percepiſſet, nuncium Soloni miſit, qui ab eo quæreret, qua fretus audacia
talia conaretur: Senectuti, inquit, confiſus feci. Veruntamen ad tam pręclara facinora, ad
quæ tantopere neceſsitas inuitat, hi tantùm qui ſenio ferè extincti ſunt, modò ſpiritum ad
huc ducant, appoſiti ſunt & ualent. Leuia autem iſta, ut dictum eſt, quæ adminiſtratione
plena ſunt, quæq; plus negocij quàm utilitatis & neceſsitatis habent, honeſtè quidem ſe-
nes recuſare poſſunt. Quinetiam ſæpe cùm à ciuibus uocantur, & deſiderari ſuũ aduentũ
D ſentiunt, non confeſtim illis in publicum prodeundũ, ſed hęrere domi aliquandiu par eſt,
quò fide grauiores, maiore cum dignitate ab ijs qui illorum opera indigent, expectentur.
Ad hæc multa ſilentio prętereuntes, iuuentuti quędã dicenda relinquant, atqueadeo pro
ciuilium honorũ cupiditate hoc nomine certamen illis conſtituant. Porrò ſi illi intra me-
diocritatem non conſiſtant, & terminos æqualitatis excedant, modeſtè & cum ſumma be
neuolentia maledicendi, rixandiq; turpitudinẽ ſenes caſtigent: odia ſi qua conciliata ſint,
mitigent: eos uerò qui in ſententijs dicendis peccauerunt, cõmunicato ſine ſtrepitu conſi
lio, inſtruant & erudiant. rectè uerò rem gerentes, intrepidè cõmendent. Quin & uincen
dos aliquando ſe, cùm tamen aliud ſuadendo poſsint, tradant, quò ſcilicet animi illorum
augeantur, & audaciæ aliquid accreſcat. quod uerò alijs deeſſe uiderint, hoc uerborum co
mitate ſuppleant, ut apud Homerum Neſtor:

Nemo tuos carpat ſermones inter Achiuos,
Nemo tibi dicat (licet hos finire recuſas)
Quamuis ſit iuuenis, noſtro & de corpore natus.

At ciuilior multò eſt exprobratio obiurgatióq;, quæ non apertè & publicè, uerùm priua-
tim aduerſus eos qui in Rempub. bene affecti ſunt, ſuſcipitur. Curandum interim etiam
eſt, ut morſu qui animos deijcere & in mœrorem uocare poteſt, careat. Ad eam rem uerba
benigna & placida conferenda ſunt, quò ſit occaſio ad honeſtas adminiſtrationes, & pru
dentia illuſtri loco habeatur. hac uia ſenex populum benignũ & placidum habiturus eſt.
Neq; hîc aliter agendũ, atq; illi ſolent qui equitare diſcunt: non enim intractatis & nouis,
ſed manſuetis & domitis equis uti ſolent. Si quem uerò labi uideris, caue animũ deſpon-
dere iuuenem ſinas: erigendus tibi is eſt, & conſolandus, quemadmodũ ab Ariſtide Cimo
nem, à Mneſiphilo Themiſtoclem, cùm populus illis indignaret, & propter improbitatẽ
& uitę intemperantiã primùm male audirent, ad honeſta excitatos & confirmatos ferunt.
Aiunt etiam Demoſthenẽ, cùm excidiſſet ab oratione apud populũ, & id graui animo fer
re uideretur, ſenem quendam ex ijs qui Periclem quandoq; audiuerant, correxiſſe, dixiſ-
ſeq;, cùm non eſſet natura Pericli diſsimilis, non rectè ſanè illum pœnitere. Ad eum modũ
Euripides Timotheũ, propterea quòd in arte muſica quædam pręter conſuetudinẽ noua
uerat, à populo exibilatum exploſumq;, bono animo eſſe iuſsit: futurum enim ut ipſe mox

omnibus

A omnibus theatris ſuperior iudicaretur. Et ut paucis uerbis dicam, quemadmodũ Romæ
Veſtalibus uirginibus tempus diſtributum eſt, quo primùm diſcant, deinde quæ perce-
pta ſunt peragant, poſtremò alias dein doceant: quemadmodum item uirgines quæ Dia-
næ Epheſinæ conſecratæ ſunt, primò illas ad ſacram adminiſtrationem aſpirantes, futu-
ras ſacerdotes (dicam Græcè melius) μελλιέρας nominant, deinde ſacerdotes, poſtremò πα-
ριέρας (eas, ſi placet, à ſacerdotij munere liberas conuertamus) hoc modo uir abſolutus in
ciuilibus negocijs, primũ ubi didicit, tum regere & gubernare Rempub. iam initiatus ag
greditur: poſtremò uerò & ipſe alios quoq; docet, & uelut in ſacraria ducit. Non idem eſt
cõcertantibus præeſſe, quod ipſum certare: at qui ciuilibus negocijs certaminibusq; quò
patriæ aliquando prodeſſe poſsit, iuuenẽ inſtituit, & oratorẽ illum uerborum, actoremq;
rerum formar, non certè is paruam operam & uilem, ſed propémodum maximã Reipub.
impendit. Lycurgus ſanè in hoc negocio præclarè ſe geſsit. Nam ante omnia adſuefacie-
bat iuuentutem, ut idem honoris ſeni, quod legislatori, deferrent. Quorſum uerò Lyſan-
drum reſpexiſſe putas, cùm pulcherrimum iactaret apud Lacedæmonios ſeneſcere? num
quia iſtic agriculturæ ſtudijs dediti ſenes ſint? num quòd illic fœnerare, aleam ludere, in-
terim etiam ſtrenuè potare (ſi dijs placet) ſoleant? Haudquaquã: uerùm quia nemo quiſ-
quam iſtic ætatis maturę ſit, qui munere aliquo publico non fungatur: nam aut magiſtra-
tum gerunt, aut paterna curatione rebus prouident, aut in pueris educandis recteq; inſti-
tuendis occupati ſunt: ita non modò Rempublicam, ſed & iuuentutẽ uniuerſam regunt
& gubernant. hinc in exercitationibus, hinc in literis, hinc in uictu rectè inſtituendo, ado
leſcentibus ueluti diſcipulis non ſanè leniter, non oſcitanter præcipiunt. Hac de cauſa fit,
uti his qui de ſe peccant, aut minus rectè officium faciunt, formidoloſi ſint: uenerandi ue
rò & deſiderabiles his, qui à probitate non diſcedunt. Colunt & obſeruant ſectanturq; il-
los adoleſcentes, cùm decus & generoſum hoc quod in ſe habent, amplificari, & in eo glo
riari ſenes conſpicantur, maximè uerò cùm neq; inuidi neq; liuidi fuerint. Id autem uitij
quum ætati nulli (quanquã in adoleſcentibus ſpecioſis ſcilicet æmulationis ambitionisq;
nominibus nuncupetur) conueniat, in ſenibus certè nihil poteſt intempeſtiuius, nihil te-
trius, nihil illiberalius notari. Qua de cauſa qui in ciuitatis procuratione egregius eſt, hũc
B ab inuidia quamlongiſsimè abeſſe par eſt. Neq; uerò ut exoſi arborum uetuſtate marce-
ſcentium trunci, ſtirpium proximè ſatarum incrementa prohibent, ita quoq; adoleſcen-
tium & ætate florentium incrementa ſupprimere æquum eſt: uerùm candidè & benignè
illos ſuſcipere, & ſemetipſum ijs qui in familiaritatem inſinuare ſe ſtudent, facilem præbe
re: neque etiam admonitionibus tantùm, uerùm & utilibus conſilijs illos iuuare, quin &
quandoq; adminiſtrationis partem, ex qua gloriæ & laudis aliquid expectare poſsint, ce
dere, ad hæc munus aliquod in quo Reipub. nihil damni timendũ, ſed multis gratum, &
ad gratiam comparatũ eſt, concedere decet. Quæ uerò difficultatis & periculi aliquid ha-
bent, & cõfeſtim ut medicamenta mordentia urentiaq;, dolorẽ, quem tamen poſtremò in
laudem & utilitatẽ cõmutant, adferunt, ad iſta profectò haud æquum eſt iuuentutẽ præci
pitare. Eſt etiam illiberale, negocia tumultuoſa ſeditioſaq; illis obijcere. Verendum enim
eſt, ne ab hominũ turba rudes adhuc, & minimè in negocijs exercitati male tractent. Sed
in eo rerum ſtatu inimicitias grauiores, quàm ætati illi cõueniat, ſuſcipete ac ſubire decet: hoc
enim nomine erga te adoleſcentiũ fauor erit illuſtrior: ne dicam interim quàm & illos ip-
ſos ad multa officiorũ aliorum munera promptiores alacrioresq; reddideris. Adijciendũ
autem & id eſt, ciuilem adminiſtrationẽ & philoſophie profeſsionẽ inter ſe omnino nihil
diſsidere: non enim in dominatione legationibus, clamore in concionibus immani, ſub-
ſelliorũ inſana occupatione (quæ tamen ad eam uel maximè pertinere quidam & dicunt
& ſcribunt) æſtimãda eſt: neq; philoſophi opus eſſe credas, de pulpito diſceptare, & ſcho
las librorũ faſcibus onerare, cùm tamen utroſq; continua illa factorum dictorumq;, quam
ante oculos quotidie cernunt, exercitatio haudquaquam lateat. Verùm aiunt, in ſcholis
& porticibus curuato capite Peripateticum agere, ut Dicæarchus dicere conſueuit, opor-
tet: cùm uerò rus abitur, aut ad amicum ſalutandum, non iam amplius. Socratem ſcimus
nunquã inter ſcamna, neq; de pulpito philoſophari conſueuiſſe, neq; ſtatas familiaribus
ſuis diſputationis ambulationisq; horas hic præſcribebat: uerùm ludendo plerũq;, & cùm
res ferret, inter compotandũ etiam & in caſtris quoſdam comitatus id agebat. Quinetiam
ſæpe in foro, poſtremò etiam in carcere, & ueneno iam dato, de philoſophia loquebatur:
atq; ita primus philoſophiã ueram non uni aut alteri, ſed cunctis mortalibus per omnẽ ui
tam, quouis tẽpore, quouis loco, actionib. in quibuslibet, affectationibusq; in omnibus

C ſimpliciter eſſe utilem & arripiendam docuit. Ad eum ſanè modum de ciuili procuratio-
ne cenſendum. Non enim imprudentes homines cùm exercitum ducunt, ſcribas profiten
tur, aut concionibus populi fauorem captant, Rempub. gubernare dicendi ſunt, cùm po-
tius ad gratiam plebis emerendam, ac ſeditiones concitandas, tam inſtructis ad pompam
orationibus utantur, aut alioquin munus obeant ad quod neceſſariò allegantur. Porrò
uir rerumpublicarum ſtudioſus, qui & genus humanum & ciuitatē ex animo diligit, hic
ueram procurationē habet, & ciuilis exinde dicendus, etiamſi nunquam paludamentum
induat, dummodo eos quorum ingenium ad ciuilia negocia tractanda appoſitum eſt, ad
honeſta prouocet: quibus illud deeſt, excitet & adhortetur: poſtulantibus ſuam operam
adſit: improbos ab inſtituto arceat & deterreat, probos confirmet. Profectò qui talem ſe
præbet, hunc non leuiter publico bono ſtudere certum eſt: quanquā non primus ſit, cùm
in concilio conuocato ſeria res agitur, qui in curiam ueluti in theatrum properat: uerùm
tanquam ad ſpectaculum aut recitationem aliquam cum gratia quoties aderit, ueniſſe ut
uideatur. Quòd ſi autem corpore adeſſe non ſit facultas, adſit ſaltem animo: quærat quid
geſtum, quid tractatū ſit: uti approbare quod rectum, quod uerò ſecus factum eſt, repre-
hendere poſsit. Neq; enim Ariſtides Athenis ſæpe, neq; apud Romanos ſæpe Cato ma-
giſtratum geſſere: uitam tamen omnem in patriæ cōmodis procurandis conſumpſerunt.
Multa & præclara in belli negocijs dux Epaminondas feciſſe dicitur: at illius non minus
præclara facinora, cùm neq; exercitum duceret, neq; magiſtratū gereret, in Theſſalia me-
morantur. Nam cùm res in eum locum ducum imperitia ueniſſet, ut in poteſtatē hoſtium
ueniendum eſſet, iamq; omnia tumultibus plena uiderentur (inſtabant enim telis acrius
hoſtes) relicta graui armatura, principiò ſedauit animos, & milites metu exanimatos con
fidere iuſsit: deinde agmine quod diſsipatum erat, coacto & conſtituto, primùm ex angu
ſtijs in æquiorem locum ſuos deduxit, & in hoſtes conuerſus, ut ſe in fugam uerterent, au
tor fuit. Cùm in Arcadia Agis rex aciem inſtitutam in hoſtes dirigere pararet, quidam æta
te prouecta Spartanus exclamauit, meminiſſet malum malo medendum eſſe (ijs etenim
uerbis facilem ab Argis diſceſſum notabat) & ne præſente hac intempeſtiua, ut Thucydi
des ait, animi promptitudine ad eundē lapidem impingeret: hæc cùm exaudiuiſſet Agis,
D inſtitutum ſoluit, & recedens, uictor poſtea euaſit. Conſueuit uerò huic in foribus curiæ
quotidie ſella collocari, quo loco Ephori ſæpe de cōcilio ſurgentes, de negocijs maximis
illum conſulebant. Ferunt eum hiſtoriæ & prudentē admodum & peritum rerum fuiſſe.
Qua de cauſa cùm præ ætatis ſenio nullæ corporis uires ſupereſſent, plurimūq; totos dies
lectulo decumberet, accerſitus in forum ab Ephoris, ſurrexit quidem is, & ægrè difficul-
terq; promouens, cùm in uia in pueros incidiſſet, ab ijs interrogauit, num ſcirent quicquā
quod neceſsitati magis parêret, ac ſeruum domino obedientem: reſponderentq; illi, im-
potentiam: hac uoce munerum ſuorum finem ratus, domū repedauit. Nam ut promptam
ad res agendas uoluntatem frangere, honeſtum non eſt: ita cùm illa nos reliquit, impetu
uiolentiæ non eſt opprimenda. Et Scipionem in conſilijs domi militiæq; Lælio uſum ad-
ſerunt: quare pleriq; illum hiſtrionem, Lælium uerò poëtam per iocum appellabant. Ci-
ceronis in conſulatu geſta clariſsima quidem illa & ampliſsima pro Reipub. ſalute, conſi
lijs Pub. Nigidij philoſophi adiuta, ipſe de ſe aliquoties Cicero teſtatus eſt. In tanta igitur
ciuilium negociorum uarietate ne unum quidem aliquid eſſe uidetur, quod à gubernacu
lis ciuitatis uiros ſenectute graues, quo minus optimis ſui partibus, uerbis ſcilicet, ſenten
tijs, dicendi libertate, & ſapida prudentia, ut cum poëtis loquar, in medium conſulant, ar-
ceat. Non enim manus, non pedes, non corporis robur, ciuitatis duntaxat partes bonaq;
ſunt: ipſa anima, & animæ bona, iuſtitia, modeſtia, prudentia, (quæ ſerò tardeq; mature-
ſcunt, & ſua fiunt) ad hanc pertinent. An non eſt abſurdum, te ædibus, agris, pecunijs, cæ
terisq; poſſeſsionibus utifrui: & patriæ, quæ cum omnibus tibi cōmunis eſt, quæq; non ui
res roburq; ad obeunda munia, ſed principes animi partes ad procurationem ſui deſide-
rat, nulli eſſe uſui? Mercurij ſtatuas ſenij habitu, manibus pedibusq; truncatas, arrectis
tamen membris fabricant: quo commento, in ſenibus eas corporis partes
quæ uirium inſtrumenta ſunt, modò ratione efficaci & fœ-
cunda ſenes polleant, minimè neceſſarias
eſſe ſignificatur.

FINIS.

Plutarchi, de amore naturali parentum erga proles.

A

GYBERTO LONGOLIO INTERPRETE.

QVOD Græci aliquando ad iudices extraneos appellauere, & peregrina iudicia tentare cœpere, in cauſa fuit diffidentia, qua mutuam fidem non colebant, ſed alienæ iuſtitiæ adminiſtratione, ueluti re neceſſaria, & apud eos tamen nõ creſcente, ſibi opus eſſe arbitrabantur. Num uerò ſic & in quæſtionibus quibuſdã, de quibus ambiguè diſſeri poteſt, philoſophi nonnulli ad eorum animalium quæ rationis nihil habent, naturam tanquam ad extraneã aliquam ciuitatem prouocauerint, quò iudicium eorum ſubeant & experiantur, quorum affectus & mores neq; etiamnum corrupti contaminatiq; exiſtunt? An uerò hæc eſt uitioſæ hominũ naturæ familiaris accuſatio, qua de rebus perneceſſarijs & maximis cùm ambigimus, in equis, canibus, auibus, quomodo nubendum ſit, quæ ſit generandi, quæ educandi ratio, exquirimus? Quaſi nullum propè ſit in natura noſtra eius rei ſignum & indicium, per uoluptatem & præuaricationẽ naturæ officijs & primordijs in nobis confuſis conturbatisq;: ſed ad beſtiarũ mores & affectiones nos appellare, atq; hæc in teſtimonium uitæ citare oporteat. Illarum enim naturam ſynceram eſſe aiunt, & nulla cõmixtione labefactatam, ſed quæ ſimplicem illam proprietatem conſeruet. Contrà, hominum natura, rationis conſuetudinisq; facultatibus turbatis, ſicut oleum ab unguentarijs cõmixtum, in multiplicia dogmata iudiciaq; undique coacta confunditur: unde planè uariam & unicuiq; ſuam exiſtere, nec cõmunem proprietatem facilè cuſtodiri potuiſſe. At uerò magnopere admirandũ non eſt, animalia quæ ratione carere natura uoluit, accuratius per omnia ductum eius, quàm ea quæ ratione utuntur, ſequi. Atqui & terra naſcentia id ipſum amplius atq; iſta, obſeruant. Nam quum neq; mente quicquam cõcipiant, nec appetitione agitentur: illarum tantùm rerum deſiderio, quod natura illis inſitum eſt, adficiuntur: & tanquã carcere coërcita, in eo manent & continentur, neq; aliò quàm quò natura iubet, diuertunt. At beſtijs, quibus neq; rationis multum,

B neq; manſuetudinis ac libertatis amor admodum magnus eſt, ſed impetus cum ratione pugnantes, appetitionesq; ſequentes errant, lateq; uagantur: plurimum tamen à naturæ curſu non ita longè abſcedunt, non aliter ac anchora firmata nauis, iactatur quidem illa, ſed non abripitur in altum: & iumenta quę fræno & habenis reguntur, à recta uia non diſcedunt. At in hominibus domina imperatrixq; noſtra ratio, iam has, iam illas excurſiones, & nouas machinationes meditatur. Hinc eſt cur nullum apertum ueſtigium naturæ imprimat, nihil firmum fixumq; in ea relinquat. Suſpice quæſo brutorum nuptias, quàm omnia naturæ ordine in ijs ſuccedant. Primò nullas cœlibatus & tardioris matrimonij leges nouere, quas tamen Lycurgi Solonisq; populares uerentur: neq; quicquam damni & infamiæ nomini ſuo, ſi ſterilitatis damnentur, metuunt: trium liberorum autem ius, quod apud Romanos honorarium eſt, planè nihil curant. Coniunguntur autem, & gignendo fœtui operam dant, non ut hæredes relinquant, uerùm ut ipſis hæredum officium obire liceat. Iam uerò maſculus de congreſſu non quouis tempore fœminam ſolicitat: non enim uoluptas illis, ſed generis liberorumq; propagatio finis eſt. Qua de cauſa certa anni tempeſtate, qua genitabilis aura ſpirat, cõmodumq; generando temperamentum exiſtit, placidè & ueluti manu ducta fœmina, ſuaui corporis redolentia, peculiari nitore conſpicua, rore herbisq; puris plena, ad maſculum properat: mox ubi plenã ſeſe factam grauidamq; perſenſerit, decenter ſanè digreditur, quaq; poteſt diligentia de partu & ſalute fœtus cogitat. Profectò non poteſt ſatis dignè explicari, quàm ab inſito illo naturæ amore in prouidendo, ſuſtinendo, abſtinendoq;, multa rectè procurentur. Omnes nos apiculam & induſtriam & prudentem appellamus: & cùm flauum mel ab illa conficitur, adulamur illi, quò dulcedinis uoluptate aliquando nos titillari contingat: at aliorum in pariendo educandoq; prudentiam atq; calliditatẽ quis eſt qui miratione dignam ducat? Alcyonem fac quæſo contemplere: cùm grauiditatem allatam ſibi ſenſerit, piſciculi marini, quem Belonam Græci uocant, ſpinas in nidi ſtructurã colligit: has autem tanto artificio inter ſe connectit & cogit, ut neq; ferro, neque ſaxis cubile iſtud pertundi queat. Nidi forma circunquaq; rotunda, inſtar piſcatoriæ naſſæ in longum exædificatur. Ipſa uerò, cùm ſpinarum compoſitio ſatis denſa confarctaq; extiterit, in mare ſenſim nidum demittit, quò cognoſcat num ſartus tectusq; ſatis ſit, & necubi fatiſcat, exploret. At uerò ipſum nidi oſculum

Recitat illorum opinionẽ & argumenta qui maiorem in brutis quàm hominibus φιλοστοργίαν collocant.

C omnem admirationem ſuperat. Etenim hoc adeò appoſitè ad corporis magnitudinē ſui ſeruata proportione fingit, ut neq; aliud animal qualecunq;, quamuis etiā Alcyone preſſius puſillumq; magis ſit, ſubintrare poſsit: ne dicam interim, quòd ne minimum quidem maris, ut quidam tradidere, influere in illud queat. Muſteli marini uiuum animal etiam intra ſe ipſi pariunt, atq; de uentre ſuo, cùm uolunt, in paſtum catulos excurrere patiuntur: rurſus cùm uiſum fuerit, in uentrem reuocatos claudunt, & ueluti in nidulo fouent. Vrſus, beſtia certè ferocißima & immaniſsima, fœtum informē planè & articulamentis membrorum nullis conſpicuū ædit: attamen lingua ſua tanquam dolabra membranis quibus inuoluitur conformatis, non genuiſſe tantùm catulos, ſed & opificis more finxiſſe uidetur. Apud Homerum uerò Leo

Cùm catulos ducens teneros ſtabula alta peragrat,
Occurritq; aliquis uenator, protinus ille
Horrida conſpiciens oculorum tegmina claudit:

nunquid tibi ſimilis illi qui pro catulis ſe ipſe uenatoribus tanquā hoſtibus deuouere tendit, uidetur? Vis uno dicam uerbo? Animantia quæ meticuloſa ſunt, hæc naturalis amor confidentiæ plena: quæ pigra & ignaua, laboris auidißima: quæ guloſa, ea parcitate inſignia facit: quemadmodum Homerica auis pullis ſuis

Ore ferens eſcam, qua ſe fraudauerat ipſa,

ſua fame paruulos natos paſcit, & nutrimentum quod uentri ſuo deſtinauerat, ore retinet, ne eo in uentrem delapſo, in obliuionem ipſa adducatur:

Vtq; canis circum catulos cùm currit, & inde
Ignoto allatrans homini fera prælia tentat,

profectò quoniam fœtui ſuo metuit, ueluti nouum animum capit, & aduocat. Perdicum autem induſtriam quis ignorat? Nam cùm pullis ſuis ab aucupe inſidias ſtrui animaduertunt, illos quidem auolare, & fuga ſalutem ſibi quætere ſinunt: ſe uerò ad aucupis pedes prouoluentes, molitiones eius ueluti expectare uidenť: mox cùm auceps manibus comprehendere illas parat, elabuntur, paululumq; procurrentes, rurſum ſubſiſtunt, & nouam ſpem confeſtim illi oſtendūt: atq; in hunc modum tergiuerſantes, periculis pro pullorum
D ſuorum ſalute ſe exponunt, donec hoſtem ſatis longè à nido abductum, ſecuras ſe ſuosq; eſſe poſſe arbitrenť. Quid uerò gallinæ, quas obuerſari noſtris oculis quotidie domi conſpicamur, quanta cura & ſedulitate pullos cuſtodiunt & gubernant? alijs alas, quas ſubeant, remittunt: alijs dorſum, ut ſcandant, reclinant: neq; ulla pars corporis eſt, qua non ſouere illos, ſi poſſent, cupiunt: neq; id ſine gaudio & alacritate, quod & uocis ſono teſtari uidenť. Serpentes uerò & angues, cùm de ſe agitur, ſibiq; ſolis metuunt, fugiunt tum quidem: ſi uerò pullorum agmini ab ijs periculum uereantur, uindicate illud ab iniuria nituntur, & ſupraquàm uires patiuntur, ſæpe dimicant. Hanc tantam in fœtibus curandis diligentiam ſi à natura gallinis, canibus, urſis inſitam credimus, an non igitur pudorem uulnusq; animo noſtro incuſſerit, cùm illorum cogitatione intuemur & perſpicimus exempla, quæ naturam tanquā ducem ſequuntur? Quæ uerò ueluti ſtupida affectibus non tanguntur, ea ipſa naturam conuicio, quo genus humanum ſolum incuſant, uidelicet quòd neq; fruſtra amare, neq; complecti ſuos ſine mercede & cōmodo didicit, uerberare uidentur. Nam in ſpectaculo qui ita loquitur, laudari ſolet:

Mercede charum hominis hominem quiuis habet:

ſic pater filium, mater infantes, filij parentes, ſed ſecundū Epicurum, diligunt. At ſi rationis compotes beſtias ponas, in eorumq; theatro, ad quod equos, boues, canes, auesq; conuocaueris, ſententias illorum recites & deſcribas, profectò facilè cognoſces, neq; precio aliquo catulos canes, neq; pullos ſuos cum equis aues, ſed gratis planè & ſine mercede diligere, & naturali amore charos habere. Porrò nihil quicquam eſt, quod de iſtorum affectibus uerius rectiusq; dici poſsit. Turpe hercle iudicandū eſt in generatione, in partu, in partus doloribus, in educatione brutorum animantiū, naturam & beneuolentiā citare: ab hominibus uerò pignora, mercedes, arrhas tanquā debita actionibus, in ſimilibus exigere. Verùm ut à ueritate hæc oratio aliena eſt, ita quoq; indigna quam quis audiat. Etenim natura ut in ſylueſtribus arboribus, ceu labruſcis, caprificis, oleaſtris, rudimenta quædam cultiorum fructuum, ſed cruda planè & imperfecta eſſe uoluit: ad hunc modum propenſum erga fœtus amorem in brutis, neq; abſolutum, neq; ad iuſtitiam ſufficientem, neque neceſsitatis terminos prætergredientem creauit. Hominē autem animal ratione ornatū, & ciuile, ad iuſtitiam legis ædidit: hunc deos colere, ciuitates conſtituere, beneuolentiam exercere

Confutatio. (margin, beside "ligere, & naturali amore charos habere")

A præſtantia hominis. (margin, beside "neceſsitatis terminos")

A exercere iuſsit. Quare generoſi planè & honeſti fructiferiq́ſeminij is particeps, in nato-
rum ſedulitate, officijs, charitate, gratiã naturæ refert, & primis illis principijs, quæ in cor
porum conſtitutione apparent, inhæret, atq; ea per omnia ſequitur. Natura enim amore
erga liberos eximiè flagrans, uſquequaq; abſoluta eſt: nihil quod deficiat, nihil quod au-
ferri tanquã inutile poſsit, obtinet, nihil (ut Eraſiſtratus ait) uacillans, & nunc huc nunc
illuc ſe inclinans habet. Nam quæ ad generationem illi collata ſunt, non ſatis dignè expri
mi poſſunt. Neq; etiam ad decorũ ſpectare uidebitur, ſi quis illa ſuis nominibus, quæ ac-
curatè dici nequeunt, efferre conetur. Partium autem quæ ad generationẽ & partionem
ſpectant, conſtitutionẽ, quas natura abdi & occultari uoluit, animo malim quàm uerbis
cognoſci. Satis ſit, ſi lactis ratione officinaq́; hîc explicata, quanta cura & prouidentia na
tura illa fabricata ſit, exploremus. Sanguis igitur, qui præter uſum in mulieribus ſupereſt,
propterea quòd ſpiritus exigui eiusq́; obſcuri particeps eſt, in corpore iactatur, & redun-
dantia ſua non mediocriter illud grauat. Qua de cauſa ſuo tempore ſtatis menſtruis dierũ
circuitionib. certos per canales & riuos, quos naturæ diligentia aperuit, profluit & effun
ditur, ita reliquum corpus & leuius & purgatius redditur: uterum autem, ueluti terram
aratro ad ſationem ſeminumq́; ſuo tempore appetentiam excitat. Poſtquàm autem geni-
tale ſemen excepit, ſtatim uelut radicibus iactis contrahit ſeſe & obuoluitur. Ipſe autem
umbilicus primùm in utero, ut ait Democritus, anchoræ modo, ne agitetur iactiteturq́;,
formatur. Etenim ſtabilimentũ quoddam & ueluti ramus fructui qui nunc creſcit & ex-
pectatur, exiſtit. hîc natura canales illos menſtruos, quibus purgare ſe ſolet corpus, clau-
dit, & quicquid ſanguinis per eos iam fertur, arripiens, ad fœtus iam conſtituti & formati
alimentum conuertit, donec ſtato dierum numero, quo utero geritur, expleto, alio nutri-
mento indigere pergat. Sanguis igitur quouis hortulano, & riuorum ducendorũ artifice
curioſior, ex alia in aliam partem profluens ſe reducit, & ueluti ſubterraneos quoſdã mea
tus & fontes riuulis fluentibus præparans, non pigrè & inſuauiter ab his excipiendum ſe
trahit: ſed blando ſpiritus calore molliter muliebriterq́; in fontibus coquitur, & in aliam
qualitatem cõmutatur. Eiuſcemodi enim ubera inſitam facultatẽ temperamentumq́; ſor-
tita ſunt. Lactis autem ſcaturigines & canales ita conſtituti ſunt, ut confarctim illud pro-
B fluat. Nam per carnem riuulis infinitis plenam, ſenſim natura iſtud in cella promptuaria
placida & grata admodum, quoties puſionis ori ut iſtinc hauriat admouetur, collocauit.
Verumenimuero hiſce omnibus inſtrumẽtis, iſta fabrica, iſtis ſtudijs & prouidentia quid
erat opus, cur excogitata ſunt, ſi natura matribus mirificum erga proles amorem curatio-
nemq́; non inſeuiſſet?

A naturæ prudentia in fabrica inſtrumentorum quæ generationi et educationi ſeruiunt.

Deſcriptio mammarum, adeoq́; ipſius lactis officinæ, & accurata & elegans.

Haud quicquam miſerum magis, ærumnoſius atq;
Eſt homine in terris quæ ſpirant, quæq; uagantur.

Hoc qui de recens nato infantulo dixerit, mendacij conuinci non poteſt. Nihil enim uſq;
adeò imperfectum, indigum, nudum, informe, abiectum exiſtit, quod cum hoc, modò il-
lum mox à partu ęditum conſpicias, conferri poſsit. Huic propémodũ ſoli natura puram,
qua in lucem ingreditur, uiam nõ præparauit: ſed ſanguine taboq; defœdatus, iugulatoq́;
magis quàm nato ſimilis, à nullis tractatur, erigitur, oſculatur, & adſumitur, quàm quos
natura ad amorẽ illius uolentes adigit. Hac de cauſa cùm ubera mamillasq; ſub uentrem
natura brutis demiſit, ſolis mulieribus in ſuperiori corporis parte, nimirum in pectore, il-
læ collocatæ ſunt, quò expeditius & oſculari & amplecti liberos poſsint: quaſi hac ratio-
ne indicare & oſtendere uoluerit, pariendi educandiq; finem non ullam utilitatem, ſed ſo
lùm amorem exiſtere. Tu, ſi placet, priſcos homines in mentem reuoca: hi quum primùm
in lucem æditum contemplarentur infantem, non legis ui, non gratiarum relatione, aut
quòd rurſus ab illis præmia nutritionis tanquam debitum expectarent, curam ſuſcepere.
At quiſquam dixerit difficiles erga partum matres, & iniuriarum memores futuras, cùm
tot periculorum ærumnarumq; miſerias in memoriam reuocant:

Cùm labor atq; dolor partus, & acuta & amara
Tela graues feriunt uteros, cumq́; Ilithyiæ
Iunonis natæ accurrunt mala multa ferentes.

Hæc non Homerum, ſed Homericam aliquam poëtriam, quę doloris acuti amariq; intra
uiſcera dum páreret, cõgreſſum ſenſerit, mulierculæ ſcripſiſſe dicũt. At natura amorẽ inſi
tum flectit & ductitat. Nam quamuis adhuc doloribus ardeat, conficiatĩ, differatur, haud
tamen negligit neq; fugit infantulum, ſed ad illum ſe conuertens, arridet huic, hunc bra-
chijs complectitur, huic oſcula figit: neq; tamen ullum uoluptatis fructum aut cõmodum

C ex ea re capere uidetur: uerùm ærumnis & calamitatibus plena, faſcijs inuolutum & in cu-
nis poſitum fouet ac reficit. Præterea laboribus ex labore ortis, de nocte in diem progre-
diens, quid quæſo lucrifacit? quæ iam herclè illi præmia? quæ cōmoda? quid aliud ab his
olim, quàm nunc etiā ſperare poteſt? maximè cùm ſpes ut longæ ſunt, ita & incertæ. Qui
autem æquinoctialibus ueris horis ſerit & colit, per autumnum uindemiam celebrat. qui
fruges terræ circa Pleiadum occaſum committit, is quum illæ rurſus oriuntur, meſſem fa-
cit. Boum, equorum, auiumq́; genus cuncta ad uſum parata quum peperêre, habent: aſt
hominis educatio, laboribus plena eſt: incrementa oppidoquàm tarda ſunt: uirtutem adi-
piſci, longi temporis res eſt: & plerunq; patres, priuſquàm ad frugem perueniant liberi,
morte occupantur. Salaminam Themiſtocle natam non uidit Neocles: non Euryme-
donta Cimonis filium Miltiades: non Periclem ſuum concionantem audiuit Xantip-
pus: non philoſophiam profitentem Platonem Ariſton. Thucydidis Sophoclisq́; uicto-
riæ parentibus ſuis nunquam cognitæ fuere: balbutientes fortè & ſyllabas connectentes
audiuere: comeſſationes, potiones, amores laſciuientium uulgo fuerunt noti. Adeoq́; id
Eueni hoc loco memorabile laudem mereri putandum eſt:

En cerne natus ſit patri quantus dolor.

Attamen ne ob iſta quidem ab officio educationis recedunt, illiq́; maximè qui liberis mi-
nimè mihi opus habere putantur. Quis enim diuites, cùm pro natalibus liberorū ſuorum
ſacrificia dijs facere, gaudereq́; uiderit, ipſum illud ab ijs fieri crediderit, quò aliquando
habeant à quibus uiciſsim nutriantur, ſepulchroq́; mandentur? Certè ridiculum admo-
dum id eſt. At, inquit, ut hæredes relinquant ſibi, diligentiam iſtam erga filios adhibent.
Quaſi uerò nemo qui aliena bona adire cupiat, inueniri poſsit. Non maris arenæ, non pul-
uis, non auium pennæ tam ſunt numeroſæ, quàm hæredipetarū immenſa copia. Danaus,
quem patrem quinquaginta filiarum fuiſſe adſerunt, quanquā omnino orbus nullos ha-
beret, non arbitror tamen hunc ſine hæredibus, idq́; diſsimillima longè ratione, decedere
potuiſſe. Nam gratias planè nullas parentibus pro hæreditate filij, utpote quam ſibi de-
beri putant, agunt, nullum curationis officium illis præſtant, nullum honorem deferunt.
At eorum qui à familia alieni ſunt, in eos qui liberis carent, uoces nónne comicis dicterijs
D perſimiles audis?

Heus tu, ſubintrat iam recens, ſubſellia
Aufer, uora, ſorbeto, habet triobolum.

Quare id quod ab Euripide profectum eſt,

Pecuniæ mortalibus amicos parant,
Potentiaq́; non leui claros notant:

id profectò non ſimpliciter pro ueritate dicitur, ſed maximè in eos qui ſine liberis uiuunt,
conuenit: hos ſibi conuiuas expetunt diuites, adulantur illis præſides, horum cauſas rhe-
tores ſoli ſine precio gratis agunt: itaq; ſæpe iſtos multis pridem amicis, multis honorib.
honoratos, uel unus modò puerulus natus, & amicorum numero, & potentiæ gloria ſpo-
liauit. Quare nullum omnino à liberis potentiæ amplitudinisq́; commodum expectare li-
cet: ſed quicquid id eſt, quod à filijs ſperamus, natura totum ſibi uendicat: neq; minus in
feris, quàm in humano genere illa ualet. Attamē & hæc, multaq́; alia, ab improbitate con-
tra naturam labefactantur: non aliter ac ſubinde inter culta ſemina ſpinæ uepreſq́; naſcun-
tur. Tu uerò ab exemplis quorundam, qui ex ſe natos mactauerunt, & ex alto præcipita-
runt, hominum mutuum amorem conſtare natura negas. Oedipus quidem abſciſsis uin-
culis, ſupercilijs cruentis, ædibus eiectus eſt. Hegeſias, cùm de morte diſſereret, audito-
ribus multis, ut ipſi ſibi manus inferrent, autor fuit. Huiuſmodi infortuniorum uariæ ſunt
ſpecies: uerùm omnia hęc, ut & iſta paulò antè dicta, morbi ſunt, & animę grauiores per-
turbationes, quæ naturæ legem ſeruare homines prohibent. Atq; ipſi quidem ſibi hac in
re teſtes ſunt. Nam ſi uel ſcropha porcellum ſuum deuoret, aut canis unguibus catulum
ſuum dilaniet, confeſtim animo concidunt, tremunt quoq;, & perturbantur: monſtrū ędi-
tum putant: deos auerruncatores hoſtijs ſibi placare ſtudent. At quid hac ratione aliud a-
gunt, quàm ut omnibus animantibus erga proles curam, educandiq́; ſtudium innatū eſſe
demonſtrent? tantùm abeſt, ut ea perdere uelint. Verumenimuero quemadmodū in me-
tallicis fodinis aurum, quanquam luto ſordidum & oblitum, ſuum tamen ſplendorem re-
tinet: ſic in morum affectuumq́; uitijs & erroribus, amorem illum erga liberos natura de-
clarat, & in lucem prodire facit. Homines egeſtate oppreſsi, ob eam cauſam liberis edu-
candis operam nullam nauant, quoniam uerentur ne peius quàm conueniat educati, ſer-
uiles,

A uiles, ignari, omnium artium rudes, rerum omniũ indigentes euadant. Nam cùm pauper-
tatem malorum extremum cenſent, hanc non aliter ac grauem & difficilem morbum, libe
ris tradere reformidant.

Plutarchi conſolatoria ad uxorem,

ROBERTO BRITANNO INTERPRETE.

PLVTARCHVS VXORI S. D.

QVEM ad me de filiæ morte miſiſti nuncium, eum in itinere Athenas
proficiſcentem aberraſſe puto. Ego uerò cùm Tanagram iter facerem,
audiui de filiæ interitu. Arbitror equidem illa quæ ad ſepulchrum per
tinent, iam confecta eſſe: & ſint ſanè facta ut tibi uidetur, neq; nunc ne
que in poſterum aliquid ad dolorem ualeant. Si uerò ita uiſum eſt ali-
quid differre, ut meam cognoſceres ſententiã, meq; leuius, quàm ſi id
factum eſſet, laturum putaſti, hoc quidem ſuperuacaneæ moleſtiæ, ac
ſuperſtitionis duplicatio eſt: quorũ tu mihi minimè particeps uideris. Tantùm mea uxor
uide, ut me, ac teipſam in tranquillo & quieto ſerues. Ego quidem uideo, & quantum ſit
illud quod accidit, mente atq; animo diffinio. Quòd ſi incurram in tuũ aliquem immode-
ratum dolorem, hoc grauius etiam, quàm ipſa calamitas, animũ uulnerabit meum. Atqui
neq; ipſe è quercu, neq; è petra ſum natus. Tu enim optima es teſtis, cui cõmunis tot nato
rum educationis cura nobiſcũ domi fuit, hanc filiam tibi poſtulanti poſt quatuor filios na
tam eſſe: mihiq; imponendi illi tui nominis, quòd egregiè dilexi, occaſionem dedit. Eſt
uerò cur qui tantarũ rerum amore flagrarit, priuatim animo moueatur, cùm de illius gau-
dio, quo alios delectabat, non fucoſo, ſed uero, & omni ira & querela uacuo cogitet. Ipſa
quoque natura fuit admirabili ſtudio, & manſuetudine: & ſiue contenderet, ſiue redama-
re ſtuderet, delectationem ſimul & cogitationem humanæ conditionis præ ſe ferebat. *
Non enim ſolùm auiam prouocabat ut infantibus alijs, uerumetiam ut inſtrumentis, qui-
B bus gaudebat, & oblectamentis, quibus ætas puerilis capi ſolet, mammam admoueret:
ſicuti quum ex menſa priuata, ea quæ haberet ornamenta diſtribueret, hiſq; lubentiſsimè
cõmunicaret, qui ipſam exhilararent. Verùm nõ uideo, mea uxor, cur his, talibuſq; rebus
dum illa uiueret, delectari, nunc ad perturbationẽ atq; angorem illarum cogitatione tra-
duci debeamus. Sed uereor rurſus, ne cogitatione ipſa etiam dolorem augeamus: quem-
admodum Clymene dicit fugiens ac reformidans ſemper nati monumentum, Odi cor-
neum facilem paratu arcum. Valeant gymnaſia, quę mihi nati monumentũ referunt. Na-
tura enim omnia moleſta fugit. Sed neceſſe eſt quemadmodũ illa ſe nobis iucũdiſsimum
præbuit amplexum, & ſpectaculum, & auditionem, ſic de illa cogitare, ut nobiſcum ad-
huc uiuere uideatur: pluſq; ad lætitiam additum, quàm de dolore auctum. Eſt enim profe
ctò ſermonum quos cum alijs contulimus, congrua, neq; nobis nõ utilis, opportuna uſur
patio: neq; iacere debemus, neq; mœrores ac mœſtitias, quæ permultę illas uoluptates ex
ceperunt, incuſare. Atq; illud qui uenerunt dicunt, ijdemq; mirantur, te neq; ueſtem lugu
brem ſumpſiſſe, neq; ut tibi ullo modo aut pediſſequis uerberationẽ inferres, adduci po-
tuiſſe: neque ullo apparatu ad magnificentiã ſumptumq; funebris orationis eſſe uſam, ſed
omnia comptè & tacitè cum neceſſarijs egiſſe. Ego uerò minimè hoc quidem mirabar, ſi
tu, quæ nunquam à theatro aut pompa gloriam quæſijſti, neque utilem eam magnificen-
tiam putaſti, quæ ad uoluptatem fieret, in rebus ſeueris & auſteris quod tutum ſimplexq;
eſſet, tibi ſeruandum duxeris. Non enim ſolùm in Bacchanalibus oportet eam quę ſit pru
dens, incorruptam eſſe, ſed exiſtimare nihilominus illam in fletibus procellam, & doloris
cõmotionem egere moderatione: quæ pugnet non contra charitatem eam quæ eſt in li-
beros, ut nonnulli putant, ſed contra animi intemperantiã. Equidem homini pio & bene-
uolo in ſuos, gratulamur, quòd eorum qui è uita exceſſerunt, deſiderio & honore & me-
moria moueatur: hæc uerò fletuum inexplebilis cupiditas, lachrymas, corporis contuſio
nes, lacerationeſq; afferens, nihilo ſanè eſt honeſtior, quàm illa quæ in uoluptatibus uer-
ſatur immoderatio. Iurè quidem ueniam conſequitur, quòd huius mœſtitia atq; acerbitas
pro uoluptate illi, qui inhoneſtis eſt delectatus rebus, ſupereſſe uideatur. Quid enim ab-
ſurdius, quàm riſum nimium aut immodicum gaudium è uita tollere, his uerò fletuum &
lamentationum fluctibus ex uno fonte deductis in uniuerſum prorumpere? ac nõnullos

C unguenti quidē & purpuræ cauſa cum uxoribus pugnas ędere, tonſuras uerò lamentabi-
les, nigras ueſtes, deformes ſeſsiones, & diſcubitus laborioſos concedere: Quodq; omniū
eſt grauiſsimū, ſeruos aut famulas ſi qui ſupra modum ac præter æquū puniant, reſiſtunt
ac prohibent: quæ tamen acerbam illam punitionē in luctu, & caſibus in quos ſe ſponte
coniecerunt, negligunt, qui ipſi etiam facilitate & humanitate indigent. Sed nobis inter
nos, mea uxor, nihil eſt opus iſta pugna: neq; arbitror opus fore. Equidem quantū ad eam
frugalitatem pertinet, quæ eſt circa corpus, & auſteritatē quæ in moderatione uictus uer-
ſatur, nemo unquam philoſophorū fuit, qui nobiſcum egerit, quem non obſtupe feceris:
neq; ciuium quiſquam, cui non ſpectandam animi tui ſimplicitatē, & in ſacris faciendis, &
ſupplicationibus, & ſpectaculis prębueris. Iam uerò & ad eius generis conflictum magnā
conſtantiam in morte atq; interitu filij, qui omniū natu erat maximus, oſtendiſti: & tum,
cùm pulcher ille Charon prius, quàm nos ipſi, exiret de uita. Teneo memoria, cùm mecū
hoſpites à mari iter facerēt, eſſetq; mihi de morte filij nunciatū, ſimul eos unà cum alijs do
mum ueniſſe: qui cùm omnia tranquillitate & ſilentio cōpoſita uiderent, idemq; illud de
morte cum alijs recenſuiſſent, nihil graue aut acerbum accidiſſe iudicabant, ſed inanem &
uanum ſermonē temerè prolatū eſſe. tanta temperantia illo tempore domū ornaſti, quod
quidē ornatus nullam, cōfuſionis rerum magnā facultatē dabat. Atqui iſtū propria mam-
ma enutriſti: paſſa quoq; es inciſionē mammę, ac tumorē. Hæc quidem ſunt generoſitatis
& charitatis erga ſuos. Licet uerò uidere ut multæ matres geſtiant, cùm ab alijs liberos in
ſitium ac manum acceperint, tanq; oblectamenta quoq; puerilia habeant ſua: eaſdem aūt
poſtq; illi ſunt mortui, ingratos atq; inanes luctus effundere: quod nulla ab his beneuolen
tia fit. Eſt enim beneuolentia conſideratū quiddā, & pulchrū: ſed illa exiguo naturali affe
ctu facta ad uanam gloriam cōmixtio & contēperatio, agreſtes & furioſos atq; intractabi
les luctus reddit. Quod minimè uidetur Aeſopū fugiſſe: dicit enim, Cùm Iupiter dijs ho-
nores diſtribueret, etiam Luctū poſtulaiſſe: dedit igitur illi hoc, ac ſumpſit: ſed apud eos
tantùm, qui probarent, atq; ita uellent. atq; hoc quidē principiò fit. Se enim ipſum quiſq;
inducit in luctum & mœrorē: cùm uerò is tempore confirmatus, & coniunctus educatio-
ni domeſticus etiam eſt factus, ne ſi uelint quidem hi qui admiſerūt, illo defungi poſſunt.

D Quamobrem pugnandum in foribus contra illum eſt: neq; prodendum eſt præſidium ue
ſtium laceratione, aut capillorùm uellicatione, aut alijs rebus ullis eiuſmodi, quæ cùm in
dies occurrunt, & eos quos cōplexæ ſunt flectunt, paruum atq; anguſtū, & inexplicabilē,
& immitem, & ad omnem ſtrepitum expaueſcentē ſenſum animi atque intelligentiā red-
dunt: ut eiuſmodi implicita erroribus, propter lamentationem neq; ridendi facultatem ul
lam, neq; lucis aut humanitatis partem obtineat. hoc autem mali genus, neglectio corpo-
ris, unctionum, balneorum, aliusq; uiuendi rationis contemptio ſubſequitur. Quod con-
trà fieri decuit, ut cùm animus eſſet æger, à corpore ualido & forti ſubſidium peteret. he-
beſcit enim ac langueſcit magis animi dolor, tanquam in tranquillo unda, cùm corpus ip-
ſum aliqua delectatione excipitur. Si uerò ariditas & aſperitas ex mala uictus ratione ſub
ſequitur, nihil boni ac ſynceri à corpore ad animum præter dolores ac luctus, tanquam a-
cerbas ac difficiles quaſdam exhalationes, reduci poteſt, ut ne uolentes quidem ſeipſos fa
cilè poſsint colligere. His perturbationibus animus ita male affectus implicatur. Et qui-
dem, quod maximum, in primisq; formidandum illi putant, non timuerim malarum mu-
lierū ingreſſus, uociferationes, & collachrymationes, quibus mœſtitiā illā exacuūt, neq;
per ſe neque per alios ſinunt marceſcere. Teneo ſanè quale nuper certamen ſubieris, cùm
Theonis ſorori auxilium ferre cuperes, pugnaresq; contra mulieres cum clamore ingre-
dientes, & uelut ignem intempeſtiuè ferentes. Amicorum ædes cùm flammis exuri ho
mines uident, extinguit quiſq; quantum ui & celeritate ad eam rem ualet: animis cōmotis
alimenta ſuppeditant: oculorum inflāmatione laborantem manus admouere, etiamſi ue-
lit, nullo modo ſinunt, neq; ipſi eam inflāmationem attingunt. Hic uerò luctu confectus
ſedet, obuium ſe præbens omnibus quæ fortè inciderint tanquam fluctus: ipſamq; calami
tatem ex pruriente & parua ad magnam & laborioſam afflictionē mouet, atq; irritat. Ho-
rum quidem te rationem habiturā intelligo. Tu uerò perſæpe ad illud tempus conare co-
gitationem traducere, quo cùm nondum hæc eſſet nata, nihil cur fortunā accuſaremus, ha
beremus. Deinde hoc contende, ut hoc tempus illi accōmodes: tanquam is iampridē no-
ſtrarum rerum fuerit ſtatus, qui nunc eſt. Enimuero, mea uxor, ipſius naſcendi cōditionē
moleſtè ferre uidebimur, ſi immoderatius nos, q; ſuperioribus temporibus, geramus. Me
dium uerò illud tempus obliuiſci non decet: ſed tanq; nobis gratificatū ſit cum illa frui eſt
datum,

A datum, id uoluptatis loco ponere debemus: neqꝫ id boni, quod eſt exiguū, magnum infor
tunium putare: neqꝫ ſi eum uitæ curſum, quem ſperabamus, fortuna non dedit, erga eum
quem dedit, ingrato & tardo animo eſſe. Sanè quidē bene de Dijs ſentire & loqui, ergáqꝫ
fortunam placatū, non querulū eſſe, pulchrū & iucundum affert fructum. qui uerò in tan-
tis rebus memoria bonorū maximè diſtrictus fuerit, is ſi ad ea, quæ ſunt in uita ſplendida
& clara, animū à tenebris & tumultibus conuerterit, aut omnino extinguet dolorem, aut
rerum miſtione contrariarū eum paruū & languidum efficiet. Quemadmodum enim un
guentum ſemper equidem delectationem olfacienti affert, contraqꝫ ea, quæ ſunt male-
olentia, hominibus medetur: ſic iſta bonorum in calamitatibus cogitatio, his qui à memo
ria bonorū non abhorrent, neqꝫ omni ex parte fortunā incuſant, præſentiſsimū tradit ſub-
ſidium. Quod ne faciamus, honeſtas ipſa deterret, ne uitam hanc qua fruimur, tanqꝫ librū,
ſi una quadam macula ſordeſcat, cæteris puris atqꝫ integris, criminari uideamur. Quòd au
tem iuſtis rectiſqꝫ cogitationibus quæ ad uitæ conſtantiam ducunt, mortuorū felicitas
colligatur, ipſaqꝫ fortuna declinationes & lapſus inferat non magnos, perſæpe in uita au-
diſti. Si uerò nos quoqꝫ his rebus quę extra nos ſunt, ut ſolet uulgus, oportet gubernari, &
fortunæ incōmoda recenſere, & ad felicitatē iudicibus uti hominibus abiectis ac uulga-
ribus, noli eas lachrymas attendere, eoſqꝫ luctus, quos effundūt qui ædes tuas ingrediun
tur, quoſqꝫ omnibus deprauata quadā conſuetudine ad extremū uſqꝫ perducunt: ſed illud
magis cogita, quomodo illi tui ſimiles eſſe cuperent in liberis, domo, & uita: durumqꝫ eſſe,
alios nō recuſare quo minus tuam fortunā, etiam eo adiuncto quod nunc te angit, luben
ter admittant: te uerò præſentē accuſare, atqꝫ iniquo animo ferre: neqꝫ ex ipſo fortunæ uul
nere ſentire quàm grata eſſe debeant ea quæ ſunt ſeruata, & quæ adhuc extant: ſed quem-
admodum hi faciunt, qui Homeri in principio & fine claudicantes ſeligunt uerſus, negle
ctis his quę & multa, & in illius operibus poëticis ſunt maxima: ſic ea, quę ſunt in uita ma
la, ſtudioſe ſectari, & criminari. Qui uerò bonis incōſtanter & confuſe incumbunt, ſimile
quiddam auaris & ſordidis hominibus pati uidentur, qui multa coaceruantes & colligen
tes, præſentibus nō utuntur: amiſſa moleſtè grauiterqꝫ ferunt. Quòd ſi te ob id huius miſe
ret, quòd ea coniugij & liberorum expers deceſſerit, habes rurſus ab alijs cur te oblectes,
B cùm illorū cauſa nullius iſtorū non compos & particeps fuiſſe uideare. Non enim hęc ſpo
liatis magna uideri debent, præſertim ſi perparua adhuc bona obtinent: illa uerò ad locū
omni luctu & mœrore uacuū profecta, nihil ut luctu & lachrymis cōficiamur, eget. Quid
enim eſt cauſæ, cur nos illius cauſa aliquid mali nobis creemus, cùm illi de cætero nihil tri
ſte aut luctuoſum ſubeundū proponatur? Ipſæ enim magnarū rerum ſpoliationes tum de
mum mœrorē ac luctum ſolent inurere, cum contrà quàm à nobis eſt poſtulatū & rogatū,
fiunt. Tua quidē Timoxena paruis eſt ſpoliata rebus: parua enim nouit, & paruis eſt dele-
ctata: quorū uerò neqꝫ ſenſum habuit, neqꝫ ad cogitationē aut per ſe ipſa, aut per alios per
uēnit, quonā pacto iſtis ſpoliari iurè dici poteſt? Equidē quæ ab alijs accipis, qui ſe à mul-
tis audiſſe dicunt, nihil poſt mortē mali eſſe, neqꝫ mœrorē ullum, atqꝫ omnia morte deleri,
uideo fore ut ab earum fide rerum te & ſermo à maioribus acceptus, & arcana ſigna in ſa-
cris Dionyſii initiatorū deterreant: quæ nos qui initiati ſumus, cōmunia eſſe inter nos ſci
mus. Cùm igitur animus ſit immortalis & perpetuus, poteſne exiſtimare idem illū paſſu
rum eſſe quod aues, quæ captæ in manus hominū ac poteſtatē uenerunt? Quòd ſi hęc lon
go tempore luxurioſè corpore uſa eſſet, & uitæ manſuetudo quædā propter rerum multa-
rum experientiā, multaſqꝫ uitæ & familiaritatis rationibus contractas cōſuetudines accre
uiſſet, iterū ſoluta his curis rurſus ingrederetur: neqꝫ his undiqꝫ inuoluta calamitatibus &
infortunijs, quæ hominū natura fert & cōditio, quieſcere unqꝫ aut ceſſare poſſet. Noli exi-
ſtimare ſenectutē propter rugas, aut canitiem, aut imbecillitatē corporis male audire, aut
conuicijs lacerari: aut eam idcirco eſſe difficillimā & acerbiſsimā, quòd nihil animus ipſe
ſentiat poſt mortem, cùm memoriā ac recordationē eorum quæ fiunt poſt ipſam mortem,
deſideret: aut quòd habitū cultumqꝫ corporis, quē habuit, ea de cauſa flectat & deformet,
cùm obſeruet quid in poſterum paſſura ſit. Hæc quidem mortua meliora & præſtantiora
quàm habuit unquam in uita, habet, tanquam antea ab eruca molli & languida impedita,
nunc ad quod nata eſt & creata diſceſsit. Sicuti enim ignis, ſi quis extinguit, repentè defi-
cit: rurſuſqꝫ celeriter augetur, & colligitur. Fas Orci portas tranſire quamcitiſsimè, cùm
rerum quę illic fiunt, permagnū amorē à natura inſitum habeamus: & quandiu his corpo
ris concludimur ergaſtulis, tandiu molleſcere, & tanquam pharmacis liqueſcere uidea-
mur. Hoc cuiuſmodi ſit, & quid in eo maximè ſit uerum, magis priſci atque auiti oſten-

Li 2

C dunt mores, qui neq; infantibus pueris inferias ferebant, neque cætera faciebant, quę par
eſt alios pro mortuis facere: nondum enim his terra eſt cõmunicata, neque eorum quic-
quam, quæ terra naſcuntur: neque ſepulchra extruebant, neque monumenta, nec propo
ſitiones mortuorum amabant, neque corporibus aſsidebant. Hos enim lugere prohibent
leges, perinde ac ſi impium ſit eos lachrymis proſequi, qui in meliorem & magis diui-
num locum tranſmigrarunt: quibus cùm ſit diffidere, quàm credere difficilius, eum quem
leges iubent ordinem exterius habere debemus: intus etiam maior puritas & temperan-
tia eſſe debet.

Plutarchi uitæ decem oratorum.

ROBERTO BRITANNO INTERPRETE.

ANTIPHON.

ANTIPHON patrem quidem habuit Sophilum, ipſe uerò fuit Rham-
nuſius. Is à patre eruditus, & Sophiſta erat: cui diſcendi cauſa aiunt
Alcibiadem, cùm adhuc eſſet adoleſcens, operam dediſſe. Hic bonita
te ingenij ac naturæ, uim facultatemq; dicendi nactus, ut nõnulli affir-
mant, ſe ad Rempublicã contulit, ludumq; inſtituit, & à Socrate in diſ-
putationibus nõ contendendi cauſa, ſed refutandi, diſſentiebat, ut eſt
apud Xenophontem: orationesq; ſcripſit quaſdam rogantibus ciui-
bus, quibus in iudicijs pro ſe uterentur. Ex his qui ante hunc fuerunt, nemo fuit, cu-
ius oratio in genere iudiciali uerſaretur: ſed ne ex his quidem qui in illius incidiſſent æ-
tatem, eò quòd ſcribere ſoliti non eſſent, non Themiſtoclis, non Ariſtidis, non Periclis,
licet his multa & uaria argumenta ad ſcribendum tempora ſuppeditarent: neq; tamen im
becillitate à ſcribendo abſtinebãt, ut licet cognoſcere ex his, quæ ab hiſtoricis de unoquo
que eorum ſunt dicta, de quibus antè mentionem feci. Equidem quoſcunq; poſſumus ex
uetuſtiſsimis repetentes meminiſſe, qui eandem orationis formam tractarent, eos ad An-
D tiphontem iam ſenem reſpexiſſe reperiemus, ut Alcibiadem, ut Critiam, ut Lyſiam, ut Ar
chinoum. Primus uerò rhetoricum artificium tradidit factus ſenex, ob idq; Neſtor uoca-
batur. Cecilius uerò in eo libro quem ipſe priuato ſuo ſtudio ſcripſit, dicit ſe cõiectura mo
ueri ut exiſtimet hunc Thucydidis ſcriptionem ſibi ad imitandum propoſuiſſe, ob idq; ab
eo ualde laudatur. Hic & accuratè dicebat, & ad perſuadendũ aptè & callidè inueniebat,
eratq; in rebus dubijs uerſutus, & ex occulto aggrediebatur, & ad leges & cõmiſeratio-
nes orationem maximè ſplendidam cõtorquebat. Fuit autem bello Perſico, & ijſdem qui
bus Gorgias Sophiſta temporibus, paulò eo iunior: eſtq; tempore productus donec po-
pularis Reipub. ſtatus à quadraginta tyrannis euerſus fuit, cuius rei idem ipſe uideť autor
fuiſſe, cùm quidẽ duabus præfectus nauibus ac dux, multis reportatis uictorijs, multis ſo-
cietatibus cõſtitutis, armatisq; ab eo robuſtis hominibus, ac ſexaginta impletis nauibus,
ipſe legatus perſæpe Lacedæmonẽ proficiſceretur cùm Etionia muris eſt munita. Poſtq;
uerò quadraginta tyrãni euerſi ſunt, is cum Archeptolemo uno ex quadraginta deprehen
ſus, proditionisq; dãnatus, ſine ſepultura proiectus fuit, cumq; poſteris ſuis publicarũ ta-
bularum autoritate infamia notatus. Alij uerò à triginta ſublatum fuiſſe ſcribũt, ſicuti Ly-
ſias in ea quã ſcripſit pro Antiphontis filia, oratione. huic enim erat filiola cuius hæredita
tem cõtrouerſam Calæſchrus fecit. Quòd uerò à triginta ſit interfectus, ſcribit Theopom
pus x v. Philippica. hic autem patre Lyſidonida mitior fuit: & Cratinus de eo, ut de nõ ma
lo, in Pityne mentionẽ facit. Quomodo igitur ſi (ut antea eſt dictum) à triginta eſt interfe
ctus, fieri poteſt, ut rurſus cum quadraginta tyrannis fuerit? Eſt & alia de eius morte opi-
nio, eum iam ſenẽ Syracuſas nauigaſſe, quo tempore ſuperioris Dionyſij tyrãnis conua-
luit: & quęſtione mota inter epulas, quodnã eſſet optimũ ęs, multisq; uarias opiniones ea
de re afferentibus, dixiſſe illũ, hoc optimũ eſſe, quo Harmodij & Ariſtogitonis ſtatuæ eſ-
ſent conflatę. Quod cùm audiſſet Dionyſius, ac ſecum reputaret orationem illam ad inua
dendũ ſpectare, illum occîdi iuſſit. Alij hanc cauſam iubendi ut occideretur, fuiſſe aiunt,
quòd illius comœdias lingua & conuicijs proſcinderet. Feruntur uerò huius rhetoris ora
tiones ſexaginta, ex quibus quinque & uiginti falſo illi attribui ſcribit Cecilius. Hic cùm
ſub Platone eſſet, pecuniæ ſtudio unà cum Piſandro ſcripſit comœdias. Fertur etiam alias
ſcripſiſſe & priuato quodam ſtudio, & cum Dionyſio tyrãno: cumq; ad poëticam magis
incumberet,

A incumberet, artem medendi dolori compoſuit, ut quemadmodũ ægris ac morbo afflictis à medicis curatio petitur, ſic ille liber his, qui dolore premerentur, tanquam medicina aliqua eſſet. Atque is cùm ædes Corinthi iuxta forum ædificaſſet, his hanc inſcriptionem in ueſtibulo addidit, Poſſe ſe mœrore ac luctu oppreſſos, uerbis leuare: cumq; doloris cauſas didiciſſet, laborantes ſolabatur. Sed cùm hanc artis rationem minorem quàm ut ſibi conueniret arbitraretur, ad Rhetoricen animum ſtudiumq; applicuit. Nec uerò deſunt, qui eum librum, qui eſt ſcriptus à Glauco Rhegino de Poëtis, Antiphonti adſcribant. In primis autem laudatur liber quem de Herodoto, & contra Eraſiſtratum de ſimulachris, & is quem de accuſatione pro ſeipſo ſcripſit, & is quo Demoſthenem ducem accuſat, quòd contra leges aliquid promulgaſſet. Scripta quoq; ab eo contra Hippocratem medicum oratio eſt, eumq; indicta cauſa damnauit decretum quod factum eſt Theopompo remp. obtinente: quo etiam quadraginta tyranni conciderunt. Decretum autem quo Antiphon fuit iudicatus, Cecilius tradit. Viſum Senatui eſt una & uigeſima die magiſtratus: ſcripſit Demonicus Alopecenſis: Philoſtratus Pelleus duci uirorum dixit, de illis uiris quos duces oſtendunt legationem obijſſe apud Lacedæmonios cum damno atq; incommodo ciuitatis Athenienſium, & ab exercitu nauigare cum naue militari, ac terra pedibus iter per Deceliam facere, Archeptolemũ ſcilicet & Onomachum & Antiphontem comprehendere, atq; in iudicium adducere, ut pœnas dent: eos uerò exhibeant duces, & ſecum decem, quos illis uidebitur, ex ſenatuſconſulto delectos ſument, ut de his cùm aderunt, iudicium fieri poſsit. Ipſos uerò conuocent Theſmothetæ poſtero die, & introducant: qui poſteaquàm introducti & in ius uocati fuerint, tum proditionis eos accuſent patroni decem, de quibus eſt dictũ: & duces, & alij, ſi cui ita uideatur. Cùm uerò contra eos feretur ſententia, ea ad hanc legem dirigatur, quæ de proditoribus eſt lata. Hoc ſubſcribitur decreto, hæc proditionis erat mulcta. Vtinã Archeptolemus Hippodami filius Agrilithes adeſſet. Vtinam & Antiphon Sophili filius Rhamnuſius adeſſet. In hos ita eſt animaduerſum, ut duodecim uiris tradantur, bonaq; in ærarium referantur, ac decima pars regionis deo adiudicetur, utq; domus diruantur, limitesq; in circuitu ponantur, addita inſcriptione, eas Archeptolemi & Antiphontis proditorũ eſſe. Dinarchi uerò domum ad
B eandem legem publicare, neq; licere Archeptolemũ Athenis, neq; ulla in regione in qua dominentur Athenienſes, ſepelire, & infamem eſſe Archeptolemũ, & Antiphontem, & genus ipſorum, ſi qui aut ſpurij, aut legitimi fuerint. Quòd ſi quis eorum aliquem, quos aut Archeptolemus aut Antiphon genuerit, adoptet, is infamis eſto. Hæc uerò in columna ænea ſcribere, cui & decreta imponantur quæ de Phrynicho ſunt facta.

ANDOCIDES.

Andocides patre natus erat Leogoro, qui Athenienſibus ineundæ pacis cum Lacedæmonijs, aliquando autor fuit. Natione uerò Cydathenæus uel Thoreus, genere Eupatridarum, atque à Mercurio, ut ſcribit Hellanicus. Cerycum enim genus ad eum attinebat. Quo factum eſt, ut cùm Corcyrei contra Corinthios contenderent, aggreſſus ſit aliquando cum Glauco, ne inſtructis uiginti nauibus illis ſuppetias ferret. Poſtea uerò impietatis accuſatus, quòd ipſe Mercurios conſcidiſſet, ac myſteria Cereris uiolaſſet, cùm antea diſſoluta atque immoderata fuiſſet uita, quodq; noctu laſciuiens ſacrarum imaginum ornamenta fregiſſet, uocatus eſt in ius. Poſteaquàm uerò ſeruum dedere recuſauit, quem accuſatores in quæſtionem petebant, ferunt delatum eſſe, & ad oblatam ſecundæ accuſationis cauſam in ſuſpicionem perpetrati facinoris ueniſſe. His de rebus cùm eſſet factum iudicium, elapſus eſt, cùm ſe ſceleris autores indicaturum promitteret. Itaque omni ſtudio curaq; intentus eos reperit qui in ſacra iniurioſi fuiſſent, in quibus patrem etiam indicauit: cumq; cæteros omnes conuiciſſet, perfecit ut extremo ſupplicio afficerentur: patrem uerò licet iam deditum, liberauit, cùm illum multas utilitates ciuitati allaturum polliceretur: nec tamen abfuit à uero. Multos enim Leogoras conuicit, qui pecunias publicas in priuatum uſum conuerterent, & alijs quibuſdam flagitijs eſſent obnoxij. Hiſce de cauſis omni moleſtia atque errore accuſationis eſt liberatus. Cùm uerò Andocides ob eas res quas in republica geſsiſſet, magnam gloriam eſſet conſecutus, nauium & ipſe gubernator & adminiſtrator eſt factus: ac Cypri Regibus, multiſq; alijs illuſtribus hoſpitio fuit coniunctus, cùm Ariſtidis filiam unam ex ciuibus conſobrinam ſuam clàm domeſticis & familiaribus eduxit, & ad Cypri Regem dono miſit. cuius rei cauſa cùm uideret fore, ut aliquando in iudicijs periclitandum eſſet, rurſus illam è Cypro eſt furatus: eumq; deprehenſum Rex dedidit, cùm uerò aufugiſſet, uenit in ciuitatem quo tempore triginta

C uiri res dijudicabant: à quibus cùm eſſet uinctus, rurſus aufugit, donec paucorum ille dominatus euerteretur, iam tum triginta tyrannis imperium accipientibus. Hoc exilij tempore Elidem incoluit, & cùm Thraſybuli familiares in ciuitatem redirent, ipſe quoque eſt reuerſus. Miſſus uerò pro pace ad Lacedæmonios, cùm improbè uideretur in hoc inſtituto uerſatus, aufugit. De his omnibus facilè licet ex orationibus quas ſcripſit, intelligere: quarum aliæ quidem defenſionem continent de ſacris, aliæ in totum deprecationis partibus funguntur. Ipſius uerò de indicatione eorum qui ſacra uiolaſſent, extat oratio, & contra Phæacem, & pro pace defenſio. Atque illis quidem temporibus militauit cum Socrate philoſopho. Principium uerò naſcendi illi fuit Olympiade ſeptuageſimaoctaua, principe in Republica Athenienſium Theogenide. Ex quo conſtat ipſum centum annis Lyſia antiquiorem fuiſſe. Illius autem monumentum Hermes Andocidis appellatur.

LYSIAS.

Lyſias patrem habuit Cephalum Lyſanium Cephali filium. Is natione Syracuſanus fuit. Cùm uerò Athenarum deſiderio teneretur, ſeq; in eam ciuitatem transferri cuperet, ſimulq; Pericles Xantippi filius hunc eſſe Athenis amicum ac hoſpitio coniunctum ſuaderet, pecuniæ ſtudio, uel, ut nonnullis uidetur, Syracuſis elapſus, cùm in his Gelo tyrannidē exerceret, Athenas uenit quo tempore Philocles cum Phraſicle princeps in repub. eſſet, ſecundo anno poſt octogeſimam & ſecundam Olympiadem. Primùm quidem cum clariſsimis Athenienſium erudiebatur: poſtquàm uerò ciuitas coloniam ad Sybarim miſit illam quæ Thurij denominata eſt, abijt cum fratre Polemarcho ſeniore. Huic quoq; alij erant duo, Eudidus & Brachillus, patre iam mortuo annos natus quindecim. Praxitele in repub. dominante, ut hæreditatis particeps fieret, illic manſit. cùm apud Tiſiam & Niciam Syracuſanos inſtitueretur, cumq; domum comparaſſet, ac hæreditatem eſſet conſecutus, egit in ciuitate annos tres & ſexaginta, donec Clearchus rempub. obtineret. deinceps uerò Callia dominante ſecunda & nonageſima olympiade, propter illas, quæ Siciliæ cauſa Athenienſibus acciderant, calamitates, motuq; cùm ab alijs ſocijs facto, tum ab ijs maximè qui Italiam incolebant, accuſatus quòd partes Athenienſium ſequeretur, cum alijs tribus eſt elapſus. Athenas uerò cùm ueniſſet, Callia præfecto rei-
D pub. poſt Cleocritum, quum iam quadringenti uiri rempub. ſub ſuam ditionem redegiſſent, in ea egit. Cùm autem naualis pugna apud Aegos flumen eſſet cōmiſſa, ac triginta uiri rempub. recepiſſent, annis ſeptem elapſis inde declinauit, ablatis ſecum facultatibus, ac fratre Polemarcho. Ipſe autem diſcedens ex domo Amphithyri in qua aſſeruabatur, tanquam perditus atq; euerſus egit Megaris. Tribubus uerò ad illius reditum incumbentibus, quòd ipſe utiliſsimus omnium ciuitati uiſus eſſet, data mille drachmarum pecunia, ac clypeis ducentis, miſſusq; cum Hermane ſubſidiarios milites mercede conduxiſſet trecentos & duos, quodq; ſuaſiſſet Thraſylio Elienſi quem hoſpitio exceperat, ut aliquot talenta daret, his de cauſis cùm ſcripſiſſet Thraſybulus ius ciuitatis illi poſt reditum dandum eſſe, cùm nullus eſſet in repub. magiſtratus ante Euclidem, populus Athenienſis donum ratum habuit. Cùm uerò Archinus eum accuſaſſet, quòd contra leges feciſſet, cùm legem antè quàm lata eſſet, promulgauit, ſuccubuit, ac reliquum tempus à repub. remotus conſumpſit, ęquali cum cæteris ciuibus iure utens: obijtq; annos natus tres & octoginta, uel, ut nonnulli ferunt, ſex & ſeptuaginta, aut, ut quidam, ſupra octoginta: uiditq; Demoſthenem adoleſcentem. Natum autem ferunt Philocle magiſtratum gerente. Illius aiunt orationes trecentas & uigintiquinq;: ex his autem legitimas eſſe ducentas & triginta, ſicuti refert Dionyſius & Cecilius: in quibus bis tantū uictus fuiſſe dicitur. Eſt uerò ipſius quoque oratio, quam de decreto inſcripſit Archinus, quo reipub. rationem complectebatur. Scripſit aliam etiam contra triginta tyrannos. Erat autem ad perſuadendum perappoſitus, & in orationibus quas multis priuatis hominibus dabat, breuiſsimus. Scripſit item artificium rhetoricum, & conciones, & epiſtolas, & encomia, & epitaphia, & amatoria, & Socratis defenſionem, quæ eſt in iudices contorta. Is ad uerbum uidetur quidem facilis ac ſimplex, cùm tamen ſit grauis. Demoſthenes quidem in oratione contra Neæram, hunc Metaniram adamaſſe dicit. Poſtea autem fratris Branchyli filiam in uxorem duxit. De hoc ipſo, ut diſerto, & ad dicendum omnibus ſubſidijs inſtructo, in Phædro mentionem facit Plato, & de Iſocrate ſeniore. Scripſit autem ad cum epigramma Philiſcus, homo & Iſocrati notus, & Lyſiæ ſocius. Ex quo apertū eſt illum annis ſuperiorē fuiſſe: idq; ex his quæ à Platone ſunt dicta, intelligi poteſt. Sic enim ille: O Callipes filia Polyegore, cura & ſolicitudine oſtendes quantum ſapias, & quantum præſtantiæ habeas.

A beas. Hunc uerò ad aliam formam accõmodatum, & in cæteris uitæ officijs alterum ſu-
mentem corpus, neceſſe erit uirtutis præconem Lyſiæ beatum ac dæmonem aliquem pá-
rere, datum contra ea quæ morte ſunt ſublata, ipſum ſapientia immortalem, quem tum
animi mei ac lucis amicum, omnibus ac uniuerſis mortalibus hanc defuncti uirtutem o-
ſtendere oportebit. Scripſit quoque Iphicrati orationem, & hanc quidem contra Harmo
dium: alteram uerò qua Timotheum prodirionis accuſat, atque earum utraque uicit.
Cùm autem Iphicrates res à Timotheo geſtas reciperet atque agnoſceret, conareturq; il-
lam proditionis actionem reddendis rationibus recreare ac tueri, eiq; ea de cauſa dies
dicta eſſet, ſcripta à Lyſia oratione eſt defenſus: atque is quidem ſuccubuit: Timotheus
uerò ingenti pecunia eſt mulctatus. Recitauit autem in Olympiadis celebritate oratio-
nem prolixam, cùm de Dionyſio euertendo Græci inter ſe conſpirarent.

ISOCRATES.

Iſocrates patre natus eſt Theodoro, qui ſacris mediocrium præerat ciuium. Hic habuit
obſequioſos tibicines, eorumq; cauſa maximas eſt conſecutus diuitias, ut ſumptus in filijs
inſtituendis abundè ſuppeditaret. Erant & huic alij, Teleſippus & Diomneſtus: erat etiã
filiola, ex quo genus ipſius ad tibicines in comœdijs ab Ariſtophane & Stratido transfer
tur. Natus autem eſt octogeſimaſeptima Olympiade, cùm quidem Lyſimachus Myrrhi-
nuſius annos natus eſſet duos & uiginti, ac Platone ſeptem annis ſenior. Puer quidem
cùm eſſet, erudiebatur nihilo ſegnius quàm quiſquam Athenienſiũ. Is Prodicum Chium
audiebat, & Gorgiam Leontinum, & Tiſiam Syracuſium, & Theramenem rhetorem:
quem cùm triginta tyranni comprehendiſſent, atq; ad Veſtam conſiliariam confugeret,
ſolus cæteris conturbatis ad ferendum auxilium ſurrexit, ac diu quidem magiſtratibus re-
ſtitit: deinde ab ipſo eſt reprehenſus, cùm ita diceret, acerbius id ſibi ad dolorem fore, ſi
quis amicorum ſua cauſa calamitatẽ ſubiret. Illius ferunt artes quaſdam eſſe, quas ſibi com
parauit cum à calumniatoribus in iudicijs premeretur. hæ ſunt Botonis nomine inſcri-
ptæ. Cauſa uerò reipub. non attingendæ fuit uocis gracilitas, & minimè expedita & ſolu-
ta linguæ tarditas, & timiditas quædam, & earum calamitatum contemplatio quæ maio-
ribus ſuis in bello contra Lacedæmonios acciderant. In cæteris conſtanter ſtetiſſe eſt ui-
B ſus: tantumq; unam habuit orationem de retributione, ludoq; inſtituto, ac re deliberata
& animo agitata. Philoſophari ac ſcribere eſt aggreſſus, ac Panegyricum & quaſdam in
genere deliberatiuo legit orationes, quas ſcripſerat: alias uerò alijs parauit, ratus ita Græ-
cos ad ea quæ officio honeſtatiq; ſunt conſentanea, poſſe incitare. Quod inſtitutum cùm
minimè feliciter ſuccederet, deſtitit poſtea alijs orariones ſcribere. Ludum autem tenuit
primùm in Chio, cùm, ut nonnulli tradunt, nouem haberet auditores: ex quo cùm uide-
ret numeratam mercedem, collachrymans inquit, Vt meipſum his præbui uendendũ? Is
uerò ſui copiam fecit his qui uolebant, primus ſuppeditans orationes quæ de repub. con-
tenderent, in quibus elaborauit: magiſtratusq; in Chio conſtituit, & patriæ ſuam rem-
pub. tradidit. Argenti autẽ tantũ, quantũ ex Sophiſtis nemo, comparauit, ut etiam in trie
rarchorum numerum peruenerit. Auditores habuit centum: multos quidem alios, ſed in
primis Timotheum Cononeum, quo cum multas adijt ciuitates, cùm illas ſcriberet epiſto
las quæ ſunt à Timotheo miſſæ ad Athenienſes: ex quo talentũ dono accepit ex his quæ
è Samo miſſæ eſſent pecunijs. Dedit ſe quoque illi ad audiendum Theopompus Chius,
& Ephorus Cumæus, & Aſclepiades, qui tragœdias ſcripſit, & Theodectes Phaſilites,
qui has tragœdias iterũ ſcripſit. Huius eſt monumentũ ad Cyamitin iter facientibus Eleu
ſinem, ea parte qua eſt ſacra uia, in cæteris nunc diſsipatum & deletum: intus clariſsimos
poëtarum ſecũ conſtituit, ex quibus ſoli extant Homerus, Leodamus Athenienſis, & Leo
critus, qui autor legum Athenienſibus ferendarum fuit. Ferunt autem nonnulli Hyperi
dem & Iſæum & Demoſthenẽ, cùm Rhetoricen doceret, ad Iſocratem ſtudioſè acceſsiſſe,
eiq; dixiſſe, ſe quidem mille drachmas quibus docebat, præbere non poſſe: daturos uerò
ducentas, ut dimidiam artis partem diſcerent. Iſocratem autem reſpondiſſe: Vt nõ conten
damus Demoſthenes de hoc negocio, quemadmodũ pulchros piſces integros emimus,
ſic ſi diſcere uoles tu, totam hæreditatem artis facultatisq; dicendi tradam. Mortuus uerò
eſt Chæronida rempub. obtinente, cùm ille ad palæſtram Hippocratis nuncios de calami
tate apud Chæroniam accepta audiſſet, ſeq; ipſum è uita quatridui abſtinentia exegit, tria
uerſuum Euripidis præfatus initia: Danaus quinquaginta filiarum pater: Pelops Tan-
talius ad Piſam ueniens: Sidoniam urbem Cadmus aliquando relinquens. Octauo & no-
nageſimo uitæ anno, uel, ut nonnullis uidetur, centeſimo, cùm Græciam quater uidere

C ſeruientem pati nullo modo poſſet. Anno antè, quàm mortuus eſt, uel ut nonnulli ferunt,
quatuor, ſcripſit Panathenaicũ: Panegyricum uerò annis decem, alij quindecim dicunt,
cui multa & à Gorgia Leontino & Lyſia ſunt adiecta. Ipſam de retributione orationem
ſcripſit annos natus duos & octoginta: illas ad Philippum, paulò antè quàm eſt mortuus.
Cùm uerò iam eſſet effœta ætate, filium ex Plathane Hippiæ rhetoris filia adoptauit. Ex
his autem tribus quos ex uxore habuit, minimus natu ſatis uberes magnasq; tenuit diui-
tias, non ſolùm quòd à certis notisq; hominibus exigeret pecuniam, uerumetiam quòd à
Nicocle Rege Cypri, qui ipſe erat Euagoræ filius, uiginti talenta pro ſcripta à ſe illi oratio
ne accepit. Quæ res cùm illi magnam cõflaret inuidiam, tres triremes prompſit, & ad Rei-
publicę utilitatem contulit, & cùm accuſaretur, bis quidem ille excuſatione imbecillitatis
uſus, ſe filij opera, & oratione purgauit: tertiò uerò cùm affuiſſet, conſumpſit non pauca.
Cùm uerò pater diceret ſe ſolum ſeruum cum filio miſiſſe, * Enimuero diſcede, inquit:
nam pro uno duos habiturus es ſeruos. Certauit uerò in eo certamine, quod eſt ab Arte
miſia ad Mauſoli ſepulchrum conſtitutũ. Huius laudatio nõ extat. Scripſit quoq; Helenę
encomiũ, & aliud quo Areopagitas laudat. Alij quidẽ aiunt hunc, cùm nouem dies à cibo
abſtinuiſſet, è uita exceſsiſſe: alij quatuor, cũ illa uidiſſet ſepulchra, quæ his, qui ad Chæ-
roniam bello cecidiſſent, confecta eſſent. Scripſit autẽ & Aphareus eius filius orationes.
Sepultus quidẽ eſt cum propinquis, prope uerò Cynoſarges in tumulo. dextera parte eſt
ipſius pater Theodorus, & filius, & ipſorũ mater, & Anaco huius ſoror, amita oratoris,
atq; Aphareus filius adoptiuus, & patruelis eius Socrates filius Anacus, quę fuit ſoror Iſo
cratis, & eius frater Theodorus, qui eodẽ erat nomine quo pater, & nepotes pueri Apha-
rei quem adoptauerat, & huius pater Theodorus, uxorq; Plathane, Apharei adoptiui ma
ter. Et quidem iuxta hos erant menſæ ſex, quæ nunc minimè extant. Ipſius uerò Iſocratis
in monumento erat aries cubitorũ ſex, ſuper quem erat apum domuncula cubitis alta ſe-
ptem, coniecturaliter atq; ænigmaticè addita, quæ ipſa quoq; perijt. Erat etiã ipſius men-
ſa, quæ poëtas continebat: & ipſius præceptores, in quibus Gorgiam ad ſphæram aſtrolo
gicam reſpicientem, ipſumq; Iſocratem eam præbentem uidere erat. Eſt & illius in Eleuſi
ne ænea erecta ſtatua ante porticum ſub Timotheo Cononæo, quæ ita inſcribitur: Timo-
D theus honorem amicitiæ deferens, atq; hoſpitalitati, deabus illis Iſocratis imaginem po-
ſuit, opus Leocharis. Feruntur autem huius orationes ſexaginta, ex quibus illius ſunt pro
priæ quinq; & uiginti, ut ſentit Dionyſius: ut uerò Cecilius, octo & uiginti: aliæ falſò huic
adſcribuntur. Ab oſtentatione autẽ planè abhorrebat, ita ut cùm aliquando ad eum tres
diſcendi cauſa acceſsiſſent, duos quidem admiſerit, tertium uerò reiecit, cùm ita diceret, in
poſterum ſe uenturũ eſſe, nunc quidẽ ſibi ex prominentibus ædificij partibus eſſe ſpectan
dum. Solitus uerò eſt familiaribus dicere, ſe quidẽ decem minis docere: illi uerò qui uocis
firmitatem, & animi in dicendo fortitudinem ipſum doceret, ſe decem millia minarum da
turũ: & cùm interrogaretur, cur ipſe, qui doceret alios, ſibi docendo nõ eſſet ſatis: reſpon
dit, coticulas quidem ipſas ſecare non poſſe, eas tamen ferro ſecandi uim ac facultatem da
re. Sunt uerò qui eum artem ſcripſiſſe dicant: alij, qui non arte aut uia, ſed exercitatione
uſum contendant. A ciue mercedem exegit nunquam, familiaribus autẽ iniungebat, qui
ſe ad cõciones conferrent, ut dicta exciperent eorũ, qui concionem haberent, ad ſeq; de-
ferrent. Socratis mortem immoderatè ferre eſt uiſus, ut atratus ipſe ſequenti die in publi-
cum prodierit. Cùm autem rurſus non nemo interrogaret, quę uis eſſet rhetorices: reſpon
dit, poſſe de paruis rebus amplè, de magnis etiã ſummiſſè dicere. Cùm autem aliquãdo in
conuiuio apud Nicocreontẽ Cypri tyrannum eſſet, eumq; qui adeſſent hortarentur ut di
ſputaret: reſpondit, Quibus ſum ad dicendũ uehemens, nunc deeſt tempus: quibus uerò
nunc tempus adeſt, his ego uehemens nõ ſum. Sophoclem uerò tragœdum cùm uideret
amoris ſtudio puerum laudare, Decet Sophocle, inquit, non ſolùm manus, uerumetiã o-
culos in poteſtate habere. Cùm autem Cumæus Ephorus è ſchola inerter ac ſine ullo fru-
ctu diſceſsiſſet, cumq; à patre cum ſecũda mercede miſſus rurſus luderet, bigam ipſum ap-
pellauit. hunc tamẽ uirũ coluit ſatis: cuius rei cauſam ipſe reddidit. Fuit uerò ad uenerem
pronus, ita ut cùm ceruical croco haberet madefactũ, etiam uelo nuptiali circa lectum ex-
tenſo uteretur. Iuuenis quidẽ cùm eſſet, uxorem nõ duxit: ætate uerò ingraueſcente cum
amica uerſabatur, quæ ipſa Lagiſce appellabatur. ex hac filiolam habuit, quæ duodecim
nata annos, antequàm nuberet, extremum uitæ obijt diem. Plathanem Hippiæ rhetoris
uxorem in matrimonium adſciuit, cùm illa filios haberet tres, ex quibus Aphareum, ut
eſt antè dictum, adoptauit, cui æneam iuxta Olympũ tanquam in columna erexit ſtatuã.

Huic

A Huic eiuſmodi addita inſcriptio eſt: Aphareus patre natus Iſocrate, hanc poſuit ſtatuam honoris deorū & parentū gratia. Fertur quoq; adhuc puer examinator fuiſſe: eſtq; eius in Sphæriſtra ſacerdotū poſita ſtatua, ex qua intelligi poteſt hunc puerum adhuc examinatorem fuiſſe, ut nōnulli affirmare non dubitarunt. Bis tota uita in certamen eſt uocatus: primùm quidem cùm ad retributionem illum Megaclides conuocauit: cui reſpondendi facultatem morbus præcidit, ſed miſſo filio, ſuperior fuit in cauſa. Secundò uerò, cùm ad retributionem triremium cauſa ſuſceptam à Lyſimacho eſt uocatus: à quo cùm uictus eſſet, trierarchiæ onus ſubijt. Erat quoq; ipſius picta imago in eo loco, quem Athenienſes πομπεῖον appellant. Hic uerò Aphareus ſcripſit quidem orationes, ſed paucas, in genere iudiciali & deliberatiuo. Scripſit quoq; tragœdias ſeptem & triginta, ex quibus duas inter ſe contrarias fecit. Exorſus autem docere à Lyſiſtrato uſq; ad Soſigenem annos octo & uigintiſex, doctrinæ præmia eſt aſſequutus. Matris uerò Iſocratis & Theodori, eiuſdemq; ſororis Nacûs imagines in ſumma arce ſunt poſitæ: ex quibus illa, quæ eſt matris, nunc ad Hygian poſita eſt, illa Nacûs non extat. Habuit liberos Alexandrum quidem ex Cœco, Ouſiclem uerò ex Lyſia.

ISAEVS.

Iſæus genere erat Chalcidenſis. Athenas uerò miſſus, Lyſiæ præceptori operam dedit propter nominis ſimilitudinem, & in rebus agendis calliditatem. Itaq; niſi quis ualde peritus ſtyli eorum fuerit, in multis orationibus diſcernere utrius rhetorum ſint, non poſsit. Floruit uerò poſt Peloponeſiacū bellum, ut licet ex ipſius orationibus conijcere, & uſq; ad Philippi imperium peruenit. Is ocij fugiendi cauſa Demoſthenem mille drachmarum precio inſtituit, ob idq; maximè excelluit. Ipſi uerò Demoſtheni exhortatorias ſcripſit orationes, ut ferunt nonnulli. Orationes reliquit quatuor & ſexaginta, ex quibus quinquaginta ſunt legitimæ, & eius propriæ. Scripſit item priuatas artes. Primus uerò ſchematis uti cœpit, & ad urbanitatem animi ſententiam & cogitationem conuertere: quod maximè imitatur Demoſthenes. Huius quoq; in Theſeo meminit Theopompus.

AESCHINES.

Aeſchines natus patre eſt Atrometo, qui initio cùm triginta fugeret tyrannos, ipſe po-
B ſtea unà cùm alijs populū ad priſtinā libertatē reuocauit: tribu uerò Cothocides, quæ ipſa neq; genere neq; opibus erat celebris. Adoleſcens cùm eſſet, ac robuſtus uiribus, ad gymnaſia ſtudiū laboremq; contulit. Poſtea cùm uocis firmitate ac robore ualeret, ſe in tragœdijs exercuit: & ut Demoſthenes dicit, ſubſcribens, ac tertias agens partes in bacchanalibus Ariſtodemi arbitratu ſemper fuit, colligēs in ocio ueteres tragœdias: ac puer adhuc literas didicit, patre doctore ac magiſtro: adoleſcensq; in uario bellorum genere militauit. Hunc nonnulli Iſocratem & Platonem audiſſe ferunt: Cecilius quidem Leodamantē dicit. Verſatusq; in Repub. eſt non obſcurè, propterea quòd Demoſtheni Demoſthenisq; ſuffragatoribus aduerſaretur. Legationes obijt & multas alias, & ad Philippum de pace: in qua accuſatus à Demoſthene eſt, quòd illius cauſa Phocenſes euerſi eſſent, quodq; ipſe autor belli introducendi fuiſſet, cùm ab Amphictyonibus ad Amphiſſeos legatus eſt creatus, ipſiq; Amphictyones portum ſtruxiſſent, quo facto ad Philippum confugerunt, & Philippus adiutore Aeſchine res ipſas eſt aggreſſus, ac Phocidem cepit. Sed ſententia Eubuli Spinthari Proualluſij, qui tum ſummam apud populum poteſtatem obtinebat, ſubleuatus, triginta ſuffragijs euaſit. Sunt qui dicant rhetores orationes defendendi capitis cauſa alijs ſcripſiſſe, ſed calamitate ea quæ ad Chæroniam accepta eſt, iudicia ſunt intermiſſa. Poſtea uero cùm Philippo mortuo Alexander impetum in Aſiam faceret, Cteſiphontem in ius uocauit, quòd decernendis Demoſtheni honoribus ipſe contra leges ſcripſiſſet: quo in certamine cùm ſeptimam ſuffragiorum partem non obtinuiſſet, Rhodum confugit, cùm à mulcta mille drachmarum perſoluenda, ad quam fuerat damnatus, animo ac uoluntate abhorreret. Alij tunc infamiæ notatum dicunt, quòd ciuitate exire nollet, & ad Alexandrum prouocare: quo mortuo, rebusq; Athenienſium uario tumultu agitatis, ipſe Rhodum abijt: ludoq; in ea urbe inſtituto, omnibus qui uellent, ſe ad docendum dedit. Is oſtendendi ſtudio habitam à ſe contra Cteſiphontem orationem Rhodijs recitauit: cumq; omnes mirarentur potuiſſe illum his pro ſe in iudicio dictis ſuperari: Minimè ſanè, inquit, mirari eſſetis Rhodij, ſi contra ea dicentem Demoſthenem audiſſetis, ſcholamq; illic reliquit, quæ Rhodiacus ludus eſt appellata. Deinde Samum nauigans, atq; in inſula habitans, non ita multò pòſt eſt mortuus. Fuit autem uoce canora, & ualida: quod tum ex his quæ dicit Demoſthenes, tum ex Democharis oratione intelligi poteſt.

C Illius uerò orationes feruntur quatuor contra Timarchum pro legatio ne contra Cteſi-
phontem: hæcq; ſolæ ſunt legitimæ. Nam ea quæ Deliaca inſcribitur, Aeſchinis nō eſt pro
pria. Profectus quidem eſt ad cauſam dicendam pro ſacris in Delo patronus conſtitutus,
ſed eam nō habuit orationem: huius enim in locum, ut dicit Demoſthenes, Hyperides eſt
ſubrogatus. Fratres uerò Aphobum & Democharē habuit, ut ipſe idem eſt autor. Primus
uerò Athenienſibus illam in Tamynis uictoriam ſecundam nunciauit: quo factum eſt ut
corona à populo donaretur. Alij autem dicunt Aeſchinem nullo pręceptore aut magiſtro
uſum eſſe, ſed ex eo quòd ſcribam ageret in foro, iudiciorum formam ac modum calluiſſe.
Primùm quidem apud populum habuit orationes cōtra Philippū: cumq́; ex eo magnam
conſecutus eſſet gloriam, decreta eſt illi ad Arcades legatio: ad quos cùm ueniſſet, eum
motum eorum animis attulit, ut innumerabiles contra Philippum cōſpirarent. Timarcho
uerò adulterij actionem intendit: quo ab eo deſerto certamine, Timarchus eſt liberatus,
ut quodam loco ſcribit Demoſthenes. Delectus quoq; eſt legatus ad Philippum pro pace
contra Cteſiphontē & Demoſthenē: in qua ſe ipſe quàm Demoſthenes geſsit præſtātius.

LYCVRGVS.

Lycurgus patrem habuit Lycophronē Lycurgi filium, quem triginta tyranni interfece
runt. Huius mortis cauſa fuit Ariſtodemus Bathethes, qui quæſturā Græciæ nactus, cùm
popularem in repub. ſtatum ualere uideret, fuga ſe à populi aſpectu ac iudicio abripuit.
Tribu uerò Butades, genere Eteobutes fuit. Primùm quidem philoſophiæ ſtudio ſe dedi
dit, in quo magiſtro eſt uſus Platone philoſopho: deinde factus Iſocrati familiaris, uerſa-
batur in repub. præclarè, cùm dicendo, tum faciendo: & iam illius fidei pecuniarū admini
ſtratio ac diſpenſatio erat cōmiſſa. Quæſtor uerò eſt creatus ad trium quinquenniorū ſpa
cium decem & quatuor millium talentorum: uel, ut nōnulli aiunt, decem & octo millium
ſexcentûm quinquaginta. Atque hunc honorem cùm illi Stratocles rhetor decreuiſſet,
primùm quidem eſt electus: deinde cùm lege præſcriptum eſſet ne quis ultra quinquen-
nium publicæ pecuniæ curam adminiſtraret, quodam ex amicis ad huius honoris prære-
gatiuam adſcripto, ipſe operam ſtudiumq́; in regenda ac diſpenſanda pecunia nauauit.
Huius ad res gerendas incredibilis fuit conſtantia, & hyeme, & æſtate: & ad bellicos ap-
D paratus delectus, rempub. multis rebus meliorem & firmiorem reddidit, triremesq́; popu
lo trecentas inſtruxit, & in Lycio gymnaſium fecit, palæſtramq́; ædificauit, ac ſpectacu-
lum præfectorum in Bacchanalibus cōſummauit. Tantamq́; huic priuati homines in de-
poſito fidem habuerunt, ut ducentorū & quinquaginta talentorū cuſtodiā tenuerit, plu
raq́; quę ad pompam luſtrationemq́; facerent, tum ex auro tum argento ciuitati compara
uit, uictorias utiles: multaq́; inchoata neque planè perfecta opera abſoluit, & naualia, &
rerum repoſitorium neceſſariarum: ipſeq́; & fundamentorum iaciendorum, in ſtadio
Panathenaico, & eiuſdem ſtadij perficiendi autor fuit: eam quoque Reipub. attulit utili-
tatem, quòd alueum, qui erat Athenienſibus permoleſtus, æqualem fecit: ad quod confi-
ciendū, fundum à Dinio quodam accepit: qui cùm illum prius poſsideret, tamen quò ip-
ſi Lycurgo gratificaretur, eum fundum reipub. in perpetuum obligauit. Penes hunc fuit
ciuitatis cuſtodia, & ſceleratos comprehendi poteſtas: quos omnes ita eiecit, ut ſophiſta
rum nonnulli dicerent Lycurgum non atramento, ſed fato calamum contra improbos il-
linentem conſcribere. Itaque cùm eſſet ab Alexandro poſtulatus, populus nequaquam
hunc dedendum exiſtimauit. Legationes obijt cum Polyeucto & Demoſthene ad Pelo-
poneſum, aliasq́; ciuitates nonnullas, quo tempore Philippus ſecundum bellum geſsit
contra Athenienſes. Magna ſemper fuit Athenis gloria, ſemperq́; æquitatis laude ualuit,
ut illud in iudicijs uſurparetur, Lycurgicum patrono uidebatur adeſſe auxilium. Tulit ue
rò leges, unam ut de Comœdis certamen controuerſum continuò in theatro celebrare-
tur: in quo qui eſſet uictor, in ciuitatem adſcriberetur, cùm antè adſcribi ius non eſſet: cer-
tamenq́; relictum reſtituit. tum illam, ut Aeſchyli, Sophoclis, Euripidis poëtarum ſtatuæ
ex ære conflatæ erigerentur, utq́; eorum Tragœdiæ publicis mandatæ tabulis ſeruaren-
tur. Hanc quoq;, ut recitatis tragœdijs legere ex aduerſo contra eas liceret: neque eis ta-
men ius reſpondendi daretur. Tulit etiam legem, ut nemini neque Athenienſium neque
Athenas incolentiū hominem liberum ad ſeruitutē ex captiuis ſine prioris domini ſenten
tia emere liceret. Ad hoc etiā ut Poſidonis certamen nō minus tribus anniuerſarijs choris
pompisq́; in Piræo fieret, uictoresq́; nō paucioribus quàm decē minis donarentur: qui ſe
cundo loco uictores iudicarent, octo: qui tertio, ſex. Tulit quoq;, ne mulier Eleuſinē ue-
hiculo iter faceret, ne tenuiores ditioribus eſſent inferiores. Si uerò aliqua eſſet deprehēſa,

A ſex millibus drachmarum mulctaretur. cui legi quum uxor non paruiſſet, idq́; calumniatores atq́; inuidi deprehendiſſent, his Lycurgus talentum dedit: cumq́; poſtero die ea de cauſa apud populum accuſaretur, Ego dedi, inquit, non accepiſſe uideor pecuniam. Cùm autem uectigalium exactor manus in Xenocratem philoſophum iniecißet, eumq́; ad carcerem abduceret, huic factus obuius baculum in caput intulit, ipſumq́; Xenocratem liberauit: illum uerò inhoneſti atq́; indecori facinoris autorem in carcerē coniici iuſsit. Hanc ob cauſam quum eſſet collaudatus Lycurgus, paucisq́; elapſis diebus quum Lycurgi filij illi obuij fuiſſent, Non tardè, inquit, ô filij patri ueſtro gratiam habui. A multis enim laudatur, quòd cùm uix opitulari potuerit, auxilium tulerit tamen. Tulit uerò & decreta Euclide quodam Olynthio uſus, homine ad iſtam decretorū rationem appoſitiſsimo. Cùm uerò abundaret diuitijs, eſſetq́; bene nummatus & copioſus, ueſtem unam gerebat & æſtate & byeme, quam, quum temporis ratio ac neceſsitas poſtularet, induebat. Is dies noctesq́; cogitatione rerum erat erectus, quòd eum natura ad res ex tempore ſuſcipiēdas & gerendas non ſatis aptum genuiſſet: & quò facilius excitaretur, & cogitatione uti poſſet, lectulum babebat ſuppoſitum, in quo pellis tantùm uilloſa erat, & puluinar. Cumq́; non nemo eum accuſaret, quòd ſtudio uerborū intentus, ſophiſtis mercedem daret: Verum, inquit: ſed ſi quis liberos me ipſo meliores facturū recipiat, buic ego non mille drachmas, ſed dimidiam facultatū partem dabo. Erat in eo ſumma in loquendo libertas propter generoſitatem. Cùm aliquando Athenienſes iſtum concionantē non admitterent, eiectus exclamauit, O flagrum Corcyreum, quàm multis talentis es dignum? Rurſus quum Alexandrū in numero deorum reponerent, Et qualis, inquit, hic Deus, cuius templum qui egredientur, aqua eos aſpergi oportebit? Is quum animam exhalaſſet ſuam, traditi ſunt ipſius liberi undecimuiris. Sed cùm Meneſæchmus accuſaret populum, ſcriptorq́; in ea accuſatione eſſet Tbraſycles, Demoſthenesq́;, quandiu fuit in exilio, per literas Athenienſibus ſignificaret illos male audire propter Lycurgi liberos, facti populū pœnituit, ſuntq́; illi dimiſsi, quum eos Democles, qui fuit Theophraſti diſcipulus, defenderet. Ipſe uerò, & ex conſanguineis nonnulli publicis ſepulchris ſunt decorati: ſuntq́; ipſorum monumenta coram deprecatrice Minerua in hortis Melanthij philoſophi menſæ conſtructæ, Ly-

B curgi ac liberorum ipſius inſcriptæ nomine, quæ ad noſtram uſque ætatem peruenerunt. Quodq́; eſt maximum, duo millia talentorum quotannis in reditum conſtituit, ſexaginta antea quum eſſent. Cùm uerò inſtare mors uideretur, cupetetq́; rerum à ſe in Republica geſtarum rationem reddere, ſe in Senatum deferri iuſsit: in quo qui illum auderet accuſare, præter Meneſæchmum inuentus eſt nemo: cuius criminationes quum refutaſſet, ipſe domum eſt reductus, ac tota uita iuſtus habitus, hominumq́; laudatus ſermonibus, exceſsit è uita, quum nulli certamini unquam ſuccubuiſſet, licet multorum accuſatorum inuidiam conatumq́; ſubijſſet. Filios autem habuit tres ex Calliſtone Abronis filia: ipſiusq́; Abronis, qui rerum militarium Græciæ erat quæſtor, ſororem duxit in uxorem, quo tempore Chærondas Reipublicæ gubernacula tenebat. De hac affinitate facit mentionem Dinarchus in illa contra Paſtium oratione. Liberos reliquit Abronem, Lycurgum, Lycopbronem: ex quibus Abron & Lycurgus ſine liberis ſunt mortui: ſed Abron celebris clarusq́; in Republica fuit. Lycophron uerò Calliſtomachen in uxorem duxit, is qui Philippo ſemper fuit hoſpes, ex eaq́; Calliſtonem genuit. Hac uerò ducta in uxorem Cleombrotus Acharnenſis Dinocratis filius ſuſcepit Lycophronem. Iſtum quidem auus Lycophron in adoptionem adſciuit. Hic autem nullo relicto filio eſt mortuus. Poſt mortem Lycophronis uxorem ſibi adiunxit Calliſtonē Socratis filiam, filiumq́; habuit Symmachū. Huic liberi fuerunt Ariſtonimus, Charmides, Philippe. Ex iſta & Lyſandro Medius eſt natus, qui & ipſe ex Eumolpidis interpres eſt factus. Huius & Timotheæ Glauci filię liberi fuerunt Laodamia & Medius, qui ſacris Poſidonis Erechthei præfuit: & Philippe, quæ ſecundò ſacra Mineruæ tenuit. Hanc prius in uxorem duxit Diocles Melitenſis, ex eaq́; habuit Dioclem, qui contra armatos milites exercitum duxit. Hic liberos ſuſcepit Philippidem & Nicoſtratem uxore Hediſte Abronis filia. Themiſtocles autem qui Theophraſti ſucceſſor fuit, Nicoſtratem ſibi quum ſumpſiſſet uxorem, ex ea Theophraſtum & Dioclem habuit. Ordinauit uerò ſacra Poſidonis Erechthei. Huius rhetoris orationes feruntur quindecim: ſæpeq́; à populo eſt corona donatus, & ſtatuam conſecutus. Ipſius uerò ænea ſtatua in Ceramico eſt poſita ex decreto quod factum eſt Anaxicrate Rempublicam obtinente: cuius quoque autoritate uictum & ipſe in Prytaneo accepit, & Lycurgus, & maximus natu ipſius conſanguineorum: Lycurgóque mortuo

C Lycophron qui natu erat maximus, de huiuſmodi dono contendit. Orationes uerò pro
ſacris habuit multas, uocauitq; in ius Autolycũ Areopagitem, & Lyſiclem ducem, & De-
madem Demij filium, & Meneſæchmum, multosq; alios, contra quos omnes uictoriam
reportauit. Accuſauit quoq; Diphilum, quòd is media columnarum capita argenteo me-
tallo confecta, quæ impoſita onera ſuſtinebant, auferret, atq; ita non ſine magna legum
imminutione ad ſummas diuitias perueniſſet: cuiuſmodi facinus cùm extremo ſupplicio
uindicaretur, is ut periret, effecit, drachmasq; quinquaginta ex ipſius facultatibus ſingu-
lis ciuibus diſtribuit: quarum ſumma ad talenta centum & ſexaginta excreuit, uel, ut non-
nulli aiunt, minam. Accuſauit quoq; Ariſtogitonem & Cleocratem & Autolycum, quòd
hi cùm ſerui eſſent, ſe tamen pro liberis gererent. Vocabatur uerò Lycurgus. Ibis Lycur-
go, Xenophonti noctua adſcribebatur. Ducebant enim genus ab Erechtheo terræ filio,
& Hephæſto. Proximè autem ducebant à Lycomede & Lycurgo, quos populus publicis
ſepulchris cohoneſtauit. Ipſaq; generis deductio eorum qui ſacra Poſidoni faciebant, in
tabula eximia eſt Erechtheo poſita, quæ ab Iſmenio Chalcidenſi eſt picta, & Lycurgi ſta-
tuæ è ligno confectæ, ipſiusq; liberorũ Abronis, Lycurgi, Lycophronis, quas Timarchus
& Cephiſodotus Praxitelis filij conſecerant. Huius uerò tabulæ ponendæ autor fuit A-
bron eius filius, ſortitus ex genere illam in ſacris obeundis dignitatem atq; excellentiam,
quam fratri Lycophroni ceſsit: ob idq; Abron porrigens illi tridentẽ pingitur. Omnium
uerò quæ adminiſtrauit & rexit, deſcriptionẽ fecit, eamq; in columna ante palæſtrã ab eo
conſtructam poſuit, ut his qui uellent inſpiciendi poteſtas eſſet. Nemo ſanè hunc uirum
fraudis conuincere potuit. Scripſit quoq; ut Neoptolemus Anticlis filius corona donare
tur, eiq; ſtatua erigeretur, quòd Apollinis aram in foro ex oraculo ab eo ædito inaurandã
eſſe denunciarit. Honores etiam Euonymo Diotimi Diopithis filio decreuit, quo tempo
re Cteſicles in repub. gubernanda erat princeps.

DEMOSTHENES.

Demoſthenes Demoſthenis & Cleobules filius tribu Pręanienſis, relictus à patre cùm
eſſet annos natus ſeptem, & ſoror quindecim, totum illud tempus quo patre orbatus fuit,
apud matrem egit, cùm ſe Iſocrati ad audiendum daret, ut nonnulli aiunt: ut uerò pluri-
D mi, Iſæo Chalcidenſi, qui ipſe Iſocratis erat diſcipulus, cùm is Athenis ageret, ſtudio æmu
landi Thucydidis, & Platonis philoſophi incenſus: quem, ut nonnullis uidetur, primum
ſibi magiſtrũ propoſuit: ut uerò Hegeſias Magnes refert, quum Calliſtratus Aphidnæus
rhetor illuſtris & præfectus equitum aram Mercurio in foro poneret, habiturusq; apud
populum orationem eſſet, rogauit pædagogum, ut hunc audire liceret: quem cùm audiſ-
ſet, cœpit amare illius dictionem, eumq; breue ad tempus audiuit, donec abfuit ab urbe.
Poſteaquàm uerò Calliſtratus in Thraciã confugit, tum Demoſthenes factus adoleſcens
Iſocratem & Platonem audiuit: deinde Iſæo audiendo, quem domũ receperat, quinquen
nio elaborauit, propoſitis ſibi ad imitandum illius orationibus. Vt uerò Cteſibius ſcribit
in eo libro, qui eſt inſcriptus de philoſophia, à Callia Syracuſano Zethi Amphipolitani,
à Caricle autem Caryſtij Alcidamantis accepit orationes, quas imitandi cauſa diligenter
lectitabat. Cùm uerò ad legitimam ætatem perueniſſet, ac pauciora quàm eſſet æquum, à
tutoribus recepiſſet, cùm eſſent Aphobus Theripides, Demophon uel Demea, quo tem-
pore Timarchus reipublicæ præerat, eos tutelæ male geſtæ accuſauit, in primisq; Demo-
phontem, qui matris ipſius erat frater: atq; à ſingulis talenta decem mulctæ cauſa poſtu-
lauit, ipſosq; uicit. Ipſam uerò condemnationem paruifecit, alijs quidem pecunia, alijs ue
rò etiam gratia liberatis. Cùm autem Ariſtophon iam propter ſenectutẽ dignitati quam
habebat, non poſſet eſſe ſatis, Choragus Demoſthenes eſt factus, ac Midiam Anagyra-
ſium, qui illum choragi officio fungentẽ percuſſerat, in ius uocauit: acceptisq; tribus dra-
chmarum millibus, ab accuſatione deſtitit. Nec uerò deſunt qui dicant eum in ſpeluncam
deſcendere ſolitum, in eaq; philoſophari abraſa dimidia parte capitis, quò ſibi exeundi fa
cultatem præriperet: & lecto recumbere perangusto, ut celeriter excitaretur, ut ita facul-
tatem dicendi conſequeretur. Et cùm humerum exercendo indecorè moueret, obeliſco,
uel (ut nonnullis uidetur) gladiolo è laquearibus ſuſpenſo coërcebat, ut timore ab ea de-
formitate ceſſaret. Ac iam cùm in dicendo proficere uideretur, iuſtæ magnitudinis ſpecu
lum ſibi comparauit, in quo ſe ipſe contemplans meditabatur, ut quæ à natura deeſſent,
ſtudio & diligentia conſequeretur. isq; circa Phalericum reſpiciens, ad ipſos fluctuum im
petus atq; acceſſus meditabatur, ut ſi quando populus tumultu concitaretur, ſedem ipſe
retineret, neq; de gradu deijceretur. Cumq; anguſto eſſet ſpiritu, fertur Neoptolemo hi-
ſtrioni

ſtrioni mille drachmas dediſſe, ut integras periodos forti ac uirili ſpiritu enunciaret. Cùm
uerò ſe tum ad rempub. contuliſſet, cùm in duas partes ciues diuiſi eſſent, ut alij pro Phi-
lippo ſtarent, alij populi bonorumq́; omnium utilitati ſtuderent, eam partem delegit quæ
Philippo aduerſaretur: ſemperq́; ut his qui à Philippo premerentur, ſubſidium ferret ci-
uitas, autor & dux conſulendo fuit, eandem rationem adminiſtrandæ reipub. ſequutus,
quam & Hyperides, & Nauſicles, & Polieuctus, & Diotimus. Ex quo etiā ciuitati ſocios
fecit Thebanos, Eubœenſes, Corcyreos, Corinthios, Bœotios, multos præterea alios.
Cùm uerò aliquando concionando indecorè excidiſſet, domum abijt: cui cùm fortè Eu-
nomus Thriaſius iam ſenex factus eſſet obuius, adhortatus illum eſt, in primisq́; Andro-
nicus hiſtrio, cùm ita diceret, orationes illius pulchras ac ſplendidas eſſe, actionem tan-
tùm deeſſe, eorumq́; meminiſſet quæ in cōcione ab ipſo dicta eſſent. Cuius oratione per-
motus Demoſthenes, ſeipſum Andronico tradidit. Ex quo interrogatus quid primum in
dicendo eſſet, reſpondit, actionem: quid ſecundum & tertium, ſimul actionem reſpondit.
Cùm uerò rurſus in concionem accederet, ac nōnulla iuueniliter proferret, exibilatus eſt,
ut & Antiphanes & Timocles illum in Comœdijs exagitarint. Per terram, per fontes, per
fluuios hoc pacto cùm iuraret, apud populum tumultum cōciuit. Iurauit quoq; pro Aſcle
piòn, antepenultima acuta Aſclépion: oſtenditq́; ea quæ diceret, rectè dicere, quòd ipſe
Deus quietus eſſet ac beneuolus: in quo ſæpe tumultus populi eſt concitatus. Cùm uerò
ocium ac ſtudium audiendo Eubolidem dialecticum Mileſium cōſumeret, omnia in qui-
bus ipſe deficere & claudicare uideretur, emendauit. Cumq́; eſſet in conuentu Olympico,
audiretq́; Lamachū Terinæi filium Philippi atq; Alexandri encomiū recitantem, atq; in
Thebanos & Olynthios inuehentē, aſſurgens ueterū poëtarum de rebus ab Olynthijs &
Thebanis præclarè geſtis teſtimonia protulit, ita ut in cæteris Lamachus ſilentio ſibi im-
poſito etiā ex conuentu fugeret. Cùm uerò eſſent qui habitas à Demoſthene contra Phi-
lippum conciones ad eum ipſum deferrent, ferunt illum dixiſſe: Ego iam tum cùm Demo
ſthenem audiui, decreui cum uiro mihi bellum eſſe. Ipſius quidē orationes militibus pro-
pter bellicas copias, quæ in his ineſſe uiderentur, Iſocratis uerò athletis perſimiles eſſe di-
cebat, quòd hæ quandam talem delectationem afferrent, qualem è theatris percipere ho-
B mines ſolent. Cùm autem eſſet annos natus ſeptem & triginta, his qui à Dexitheo con-
tra Callimachum diſputabant, ſub quo legati ab Olynthijs ad petendas ſuppetias uene-
rant, poſteaquàm bello à Philippo premerentur, auxilium ferendum eſſe ſuaſit: deinceps
uerò quo tempore Plato eſt mortuus, Philippus Olynthios euertit. Nouit ſanè etiam De
moſthenem Xenophon ille Socraticus, & adoleſcens, & robuſta iam ætate. Hic quidem
res Græciæ poſt pugnam apud Mantineam duce Chariclide corruentes, ſemper in ali-
quo uigore tenuit & ſuſtentauit, tutoribusq́; prius in ius uocatis ſuperior fuit in cauſa.
Cùm uerò poſt condemnationem Aeſchines fugeret, illum equo Demoſthenes eſt pro-
ſecutus: cumq́; Aeſchines ſe iam comprehendi putaret, ob idq́; prolaberetur, illum eri-
gens Demoſthenes eſt conſolatus, eiq́; talentum argenti dedit. Hic ut populus exerci-
tum in Thaſo aleret, conſuluit, ad idq́; ipſe trierarchus nauigauit. Annonæ autem præfe-
ctus cùm eſſet, in eumq́; actio furti eſſet intenta, liberatus eo iudicio eſt. Cùm uerò Ela-
tiam Philippus occuparet, ipſe cum his qui pugnaturi in Chæronia eſſent, ſe coniunxit;
ex quo ordinem relinquere eſt uiſus. Cùm fugientis chlamydem rubus coërceret, tum De
moſthenes conuerſus, Hæc, inquit, uiuum capit. Notatum hoc in clypeo habuit ac ſigna-
tum, Bona fortuna: orationemq́; habuit in eorum funere qui in bello cecidiſſent. Poſtea
uerò cùm ad urbis refectionem ſtudio curaq́; intentus eſſet, murorum curator delectus,
ex priuatis facultatibus ad eam rem expenſas fecit minas centum: ad ſpectacula autem
mille contulit, triremesq́; conſcendit: atque omni ex aditu ad ſocios nauigans, pecunias
coëgit: quas ob res perſæpe ipſe corona eſt donatus, primùm quidem à Demomele, Ari-
ſtonico, Hyperide, corona aurea: poſtremùm uerò à Cteſiphonte. Cúmque decretum
illud tanquam contra leges factum Diodotus atque Aeſchines accuſaſſent, ipſe pro ſe
defenſione uſus ita uicit, ut actor ſeptimam ſuffragiorum partem non acceperit. Ac cùm
Alexander iterum in Aſiam exercitum ductaret, Harpalusq́; Athenas cum pecunijs fa-
cultatibusq́; fugeret, hunc quidem primò recipere prohibuit, deinde poſteaquàm naui-
gio eſt ingreſſus, acceptis mille daricis acquieuit. Cúmque Athenienſes hominem Anti-
patro dedere uellent, repugnauit, ſcripſitq́; ut ea, quam ſecum attulerat Harpalus, pecu-
nia in ſumma arce deponeretur, utq́; Harpalus eius ipſius pecuniæ numerum ac ſummam
diceret. quod cùm populus approbaſſet, dixit Harpalus ſeptingenta ac quinquaginta eſ-

C ſe talenta, uel pauló plura, ut refert Philochorus. Poſtea autem cùm Harpalus é carcere
aufugiſſet (in eo enim aſſeruabatur donec aliquis ab Alexandro ueniret) ac in Cretam,
uel (ut alij aiunt) in Tænarum Lacedæmoniæ oppidum iter faceret, accuſatus Demoſthe
nes corruptelæ eſt, eò quód neq; numerum depoſitæ pecuniæ, neq; cuſtodum carceris ne
gligentiam indicaſſet: uocatuſq; in iudicium ab Hyperide, Pythæo, Meneſæchmo, Hi-
meræo, Patrocle: quorum opera effectum eſt ut Areopagitarum ſententia condemnare-
tur: uictuſq; aufugit, cùm mulctæ ſoluendæ non eſſet futurus ſatis: accuſatuſq; eſt quòd tri
ginta talenta accepiſſet. Vel, ut nõnulli aiunt, ea de cauſa aufugit, quòd iudicium eiuſmo-
di æquo animo ferre nullo modo poſſet. Poſtea uerò cùm Athenienſes Polyeuctum lega
tum ad Arcades miſiſſent, ut eos à Macedonum ſocietate deterreret, neq; Polyeuctus per
ſuadere poſſet, præclarus Demoſthenes unà dicendi partes aſſumens perſuaſit. Cuius rei
cauſa cùm eum admirandum quendam hominem omnes ducerent, paucis elapſis diebus
decretum de illo reuocando eſt factum, ex eoq; miſſa eſt triremis quæ illum aduéheret: de
creueruntq; Athenienſes ut triginta illa talenta quibus mulctatus fuerat Demoſthenes,
ex ærario ad ſtruendam aram Ioui ſalutari in Piræo conferrentur, atq; ita liberaretur. Hoc
decretum ſcripſit Demon Pæanieus Demoſthenis conſobrinus, qui tum rurſus rempub-
licam adminiſtrabat. Cùm ad Lamiam Græci Antipatrum conuocarent, cœpiſſentq; A-
thenienſes ob proſperum nuncium ſacra dijs facere, tum Demoſthenes uerſus ad Ageſi-
ſtratum, qui erat unus é ſocijs, Athenienſes, inquit, non eandem quam alij, habent de ip-
ſis rebus ſententiam. Scio enim Athenienſes ad dicendum eſſe inſtructos, & in ſtadio cer
tare & ſcire & poſſe, in curſu autem pleniore & maiore non poſſe. Cumq; Harpalum An-
tipater ſuſtuliſſet, minareturq; niſi Athenienſes rhetores dederent, ſe urbem euerſurum,
Demoſthenes relicta ciuitate ſibi ſalutem fuga quæſijt: ac primùm quidem in Aeginam
confugiens, ad Acræum conſedit. Sed cùm uereretur, ne non ſatis opportunus hic locus
capiti ac uitæ ſeruandæ eſſet, ſe in Calabriam tranſtulit. Cùm autem Athenienſes, rheto-
res ipſumq; Demoſthenem dedere ſtatuiſſent, in Poſidonis templo conſedit: cumq; ad
eum Archius, qui Phygadotherus nomine dicebatur, accederet, is qui Anaximeni rheto
ri ſucceſſerat, iſq; ei ſuaderet ut exurgeret, tanquam ipſi Antipatro amicus eſſet futurus:
D huic Demoſthenes, Neque cùm tragœdias ageres, mihi perſuaſiſti, neq; nunc conſulens
perſuadebis. & cùm Archius uim inferre conaretur, prohibuerunt hi, qui ad urbis cuſto-
diam erant conſtituti. tum Demoſthenes: Non ſalutis, inquit, egens in Calabriam confu
gi, ſed ut impietatis & uiolentiæ in Deos, Macedones conuincerem. Refert quidem De-
metrius Magnes in illius ſtatua carmen elegiacum poſtea ab Athenięſibus ſcriptũ fuiſſe:

Hic ſi quantum animo, tantùm ualuiſſet & armis,
Græcorum haud Macedo perdomuiſſet opes.

Illius imago iuxta aram duodecim Deorum eſt poſita, manu atq; opera Polyeucti confe-
cta: atq;, ut nonnullis uidetur, repertum eſt hoc ſcriptum, Demoſthenes Antipatro ſalu-
tem dicit. Genus uerò mortis quo obijt, tradit Philochorus, hunc ſcilicet epoto ueneno
obijſſe. huic aſſenſus Satyrus, dicit hunc calamũ momordiſſe, quo epiſtolam ſcribere cœ-
perat: quo guſtato mortuum eſſe. Eratoſthenes autem ſcribit hunc, cùm iandiu Macedo-
nes formidaret, in circulo concauo quem circum brachium ferebat, uenenum ſeruaſſe.
Sunt uerò qui eum compreſſo ſpiritu mortem ſibi conſciuiſſe dicant: alij uenenum quod
in baltheo tegebatur, guſtaſſe. Cùm uerò Philippus extremũ uitæ diem obijſſet, uenit in
publicum ſplendida ueſte indutus, licet ipſius filia adoleſcentula pauló antè mortua fuiſ-
ſet, propter eam, quam ex Macedonis morte capiebat, uoluptatẽ. Thebanis autem, cùm
bellum contra Alexandrum gererent, adiutorem ſe præbuit, ſemperq; Græcos contra il-
lum confirmauit. Itaq; Thebas cùm euertiſſet, hunc ſibi dari ab Athenienſibus petijt: mi-
nitatuſq; eſt niſi darent. Cumq; in Perſas exercitum duceret, ac claſſem ab Athenienſibus
poſtularet, Demoſthenes contradixit, cùm ita diceret, Incertum eſſe an non etiam contra
eos qui præbuiſſent, uteretur. Liberos ex una uxore reliquit duos: quæ ipſa erat filia cu-
iuſdam eorum qui Eudocimum Heliodorum propinquitate contingebant: filiamq; u-
nam, quæ puella adhuc cùm eſſet, antequàm nupſit eſt mortua. Habuit uerò etiam ſoro-
rem, quæ nupta Lachi Leuconei nepoti Democharem genuit, uirum & in rebus bellicis
perſtrenuum, & oratione forenſi nullo inferiorem. Eſt autem ipſius imago in Prytaneo
dextra iter facientibus ad Veſtam. Primus qui huic ſuccinctus fuerat gladius, unà cum ue
ſte extat. Permultas uerò habuit orationes cùm Antipater rhetores ab Athenienſibus
poſtulauit. Ac uix ita multò pòſt Athenienſes in Prytaneo uictũ propinquis Demoſthe-

A nis præbuerunt: mortuoq; ſtatuam in foro erexerunt, quo tempore princeps in republica
erat Gorgias: cuius muneris petendi autor fuit Demochares illius nepos: cui ipſi rurſus
Laches Leuconeus Democharis filius idem munus petijt, cùm Pytharatus rempublicam
obtineret, decimo die poſt illam huius imaginis in foro poſitionem: & uictum decretum
in Prytaneo & ipſi, & conſanguineis eius, & propinquorũ ſemper natu maximo: & con-
ſeſſum in omnibus certaminibus: ſuntq; decreta pro utriſq; deſcripta. Hęc uerò Democha
ris imago in Prytaneum eſt adducta, de qua antè mentionem fecimus. Feruntur autẽ ora
tiones huius propriæ ſexagintaquinq;. Nec deſunt qui illum luxurioſè uixiſſe dicãt, hiſq;
eum uſum ueſtibus, quæ magis mulierum quàm uirorum uiderentur: ſolitumq; in dies co
meſſationes inſtituere, & magno cum luxu & apparatu uiuere: quo factum eſt, ut Batalus
appellaretur. Alij uerò ſpecioſa appellatione, & auribus pergrata, à nomine nutricis de-
torta, hunc ita ad contumeliam appellatum aiunt. Diogenes autem Canis cùm iſtum ali-
quando uerecundantẽ, quòd eſſet in caupona, uideret, eumq; ſecedentẽ, Quanto magis,
inquit, ſeceſſeris, tanto magis in caupona eris. Hunc quidem propius contemplans, Scy-
tham in orationibus eſſe dicebat, in pugnis uerò urbanũ. Accepit autẽ aurũ ab Alphiate,
qui fuit unus ex his qui populi moderandi habenas tenebãt: qui miſſus ad Regẽ legatus,
clàm uenit cum pecunia, ut ea populi moderatoribus diſtributa, bellum illud contra Phi-
lippũ conſepeliret: eumq; à Rege acceptis daricorũ millibus tribus priuatim corruptum
ferunt. Anaxilã uerò quendam Oritem, qui illi hoſpitio erat coniunctus, cõprehenſum,
tanquam ſpeculatorẽ ab hoſtibus miſſum, in eculeũ coniecit: à quo cùm nihil torquendo
auferre poſſet, eum duodecimuiris tradere cõſtituit. Cùm autem aliquando in concione
ab Athenienſibus dicere eſſet prohibitus, dixit pauca habere ſe quæ illis dicere optaret.
Itaq; facto ab Athenienſibus ſilentio, Adoleſcens, inquit, ęſtatem ſimulatq; uidit, aſinum
conduxit in urbẽ: cùm autem dies medius eſſet, ac ſol uehementer efferueſceret, eorum u-
terq; ſub umbra aſini quieſcere cupiebat. Vrgebat uerò alter alterũ: locator quidem, cùm
diceret ſe aſinum non umbram locaſſe: conductor uerò, cùm ſe circa aſinum omnem pote
ſtatem habere confirmaret: atq; hæc cùm diceret, abijt. Hunc autem cùm Athenienſes co
hiberent, orarentq; ut orationẽ hanc ad finem uſq; proſequeretur: Deinde, inquit Demo-
B ſthenes, de aſini umbra audire uultis, me uerò de rebus neceſſarijs dicentẽ audire recuſa-
tis. Cùm uerò Polus hiſtrio uerſus Demoſthenem diceret, ſe duorum dierũ certamine ta-
lentum mercedis loco accepiſſe: Ego, inquit, unius diei ſilentio talenta quinq; pro merce
de accepi. Cùm autẽ concionando uoce uteretur incongrua atq; incõcinna, eſſetq; tumul
tus concitatus, hiſtriones quidem ex uoce, oratores uerò ex ſententia ſpectari dixit opor-
tere. Cumq; huic Polyeuctus probro daret, quòd aſsidua meditatione & commentatione
ad dicendum uteretur: Ego ſanè erubeſcerem, inquit, ſi cùm pro tanto tamq; potenti po-
pulo conſultem, me ita darem ad dicendũ, ut extemporali facultate delectarer. Scribunt
quoq; nunquam illum lychnum extinxiſſe, quo in dijudicandis orationibus utebatur, do
nec ad quinquageſimum annum perueniſſet. Ipſe uerò ſe aquæ potorem fuiſſe dicit. No-
uit quoq; ipſum Lyſias rhetor, uiditq; Iſocrates dignitate in republica florentem, uſq; ad
eam pugnam quæ fuit in Chæronia. Videre eum etiam nonnulli philoſophorũ qui erant
à Socrate. Plurimas uerò orationes dixit ex tẽpore, cùm ad eas perbellè natus uideretur.
Qui uerò ipſum corona aurea donandum eſſe primus ſcripſerit, fuit Ariſtonicus Nico-
phanis filius Anagyraſius: interceſsit autem Diondas.

HYPERIDES.

Hyperides patre natus erat Glaucippo Dionyſio, tribu Colittenſis. Filium habuit eo-
dem quo & pater erat nomine, rhetorem illum, & orationes ſcriptitantem: ex quo rurſus
Alphinus eſt natus. Is cùm Platonis Philoſophi auditor unà cum Lycurgo & Iſocrate fu-
iſſet, rempublicam Athenienſium tenuit, quo tempore Alexander rerum Græciæ eſt po-
titus: deq; ducibus & triremibus quas ab Athenienſibus petijt, contradixit. Idem non di-
mittendi exercitus, qui in Tænaro erat, autor fuit: cuius rei cauſa beneuolo eſſe in ducem
exercitus animo putabatur. Primùm uerò mercede cauſas dixit. Cùm autẽ particeps fuiſ-
ſe uideretur pecuniarum quibus Perſarum Rex certorum hominum animos corruperat,
cœpit luxurioſè hilariterq; uiuere: delectusq; trierarchus, cùm Philippus Byzantiũ euer-
tit, miſſus eſt ut Byzantijs eodem anno auxilium ferret. Cæteriſq; omne munus functio-
nemq; publicam fugientibus, ſolus ſuſtinuit choragum agere, expenſasq; ſuppeditare.
Nonnullos ex familiaribus Demoſthenis in ius uocauit: cumq; ipſe reus legum male lata
rum à Dionda eſſet factus, aufugit. Amicus uerò his cùm eſſet qui familiares erant Demo

C ſtheni & Lyſicli & Lycurgo, ad extremũ uſꝗ amicitiã illam nõ defendit: ſed poſteaquàm
Lyſicles & Lycurgus è uiuis exceſsiſſent, eaꝗ de Demoſthene eſſet opinio, ut ab Har-
palo pecunia corruptus uideretur, deſignatus ab omnibus (ſolus enim inuictus contra
omnem corruptelam ſtetit) ipſum Demoſthenem accuſauit. Cæterùm ab Ariſtogitone
legum male latarũ actio cõtra hunc eſt intenta, quòd ut alienigenæ qui erant iuxta Chæ-
roniam, ciues fierent, ſcripſiſſet, utꝗ ſeruis libertas daretur, & ſacra & liberi & uxores in
Piræum deferrentur: quod ille iudicium fuga à ſuo capite declinauit. Cùm autem accuſa-
retur quòd in decreto quod fecerat, multas leges prætermitteret, Conſidera, inquit, Ma-
cedonum arma: non ego decretum illud ſcripſi, ſed pugna quæ fuit in Chæronia. Ac po-
ſtea quidem Philippus metu adductus huic ſublationem mortuorum conceſſit, cùm eam
antea præconibus qui ex Lebadia uenerant, denegaſſet. Iterum uerò poſt illas ad Crano
nem calamitates poſtulatus eſt ab Antipatro: cumꝗ eum populus daturus uideretur, fu-
git è ciuitate ad Aeginam cum his qui condemnati fuiſſent. cumꝗ Demoſtheni occurriſ-
ſet, propter illam quæ ex cauſæ dictione contra illum orta fuerat contentionem, illinc ſe
abripiens, ui comprehenſus in templo Poſidonis ab Archia eſt, qui Phygadotherus no-
mine dicebatur. Is genere erat Thurius, antea hiſtrio, tunc Antipatro auxilium ferebat:
deinde cùm torqueretur, ſibi linguam amputauit, ut nihil eorũ proferret quæ occulta eſſe
Reipublicæ intereſſet: atque ita eſt mortuus. Hunc Hermippus linguam ſibi præcidiſſe
cùm in Macedoniam proficiſceretur, dicit, eumꝗ ſine ſepultura proiectum eſſe: Alphi-
noꝗ ipſius conſobrino, uel ut nonnullis uidetur, Glaucipei cuiuſdam filio, opera medici
alicuius, qui propter amicitiam id perſuaſerat, corporis poteſtatem eſſe datam, atꝗ ita uſ-
ſiſſe, atque oſſa ad conſanguineos pro legibus inſtitutiſꝗ Athenienſium ac Lacedæmo-
niorum reportaſſe. Non ſolùm enim eos qui ſupplicio ſunt affecti, perpetuo exilio non
mulctant, ſed ne uetant quidem eos in patria regione conſepeliri. Alij uerò hunc abdu-
ctum unà cum alijs in Cleonas mortuum eſſe dicunt, quo in loco linguam ſibi præcîdit,
ſicuti antè eſt dictum, Cumꝗ oſſa conſanguinei accepiſſent, ea ſepulturæ honore unà
cum propinquis ante Hippadûm portas cohoneſtarunt, ut refert Heliodorus tertio de
monumentis libro. nunc uerò ſubuerſum eſt monumentum: eſtꝗ incertum, ſit ne hoc,
D an illud potius. Conciones habebat is quidem, ſed ex ſcripto, eaſꝗ literis mandatas refe-
rebat. Sunt qui hunc Demoſtheni anteponant. Huius feruntur orationes ſeptuaginta ſe-
ptem: quarum quinquaginta duæ illius ſunt propriæ. Is ad uenercam libidinem paulò e-
rat procliuior, ut etiam introducta Myrrhine, qua amica aſsiduiſsimè utebatur, filium eij-
ceret: habebatꝗ in Piræo Ariſtagoram, in Eleuſine in priuatis poſſeſsionibus amicam
Thebanam, quæ pro quæſtu uiginti minas quotannis accipiebat. Huic nullus dies ab
inambulatione in eo loco in quo piſces uæniebant, uacabat. Cùm autem Phryne ipſius
amica impietatis accuſata fuiſſet, de eo quoque, ut congruebat, quæſitum eſt, num hu-
ius communis ſuſpicio ad eum pertineret: (hoc quidem ipſe initio orationis oſtendit)
cumꝗ illa condemnationi proxima uideretur, adduxit eam in medium, diſciſſaꝗ ueſte
mulieris pectora iudicibus oſtendit: cuius pulchritudinem cùm iudices intuerentur, libe
rata omni moleſtia eſt. Complexus etiam eſt libro quem ſcripſit, occulta contra Demo-
ſthenem crimina: ſed ita, ut deprehenderetur. Nam cùm ipſe morbo ægrotaret, uenit De
moſthenes ad ædes illius, tanquam quid ageretur obſeruaturus: librumꝗ qui contra ſe e-
rat ſcriptus, arripuit. quæ res cùm Hyperidi ſtomachum feciſſet, Hic quidem, inquit De-
moſthenes, amicorum lædet neminem: hoſtem uerò, ne quid contra me moliatur, deter-
rebit. Decreti quoꝗ ab eo honores ſunt Iolæ, qui ſe Alexandro uenenum daturum pro-
miſerat: fuitꝗ ſocius ac particeps belli Lamiaci cum Demoſthene: funebremꝗ pro his
qui eo in bello cecidiſſent, orationem magna cum omnium admiratione habuit. Cùm ue
rò Philippus ab Eubœa nauigare contenderet, Athenienſeſꝗ in eum inimicitijs arma-
tum gererent animum, ex diſtributione triremes confecit quadraginta: primuſꝗ pro ſe-
ipſo ac paruulo filio duas triremes dedit. Cumꝗ Delij inter ſe contenderent utros tem-
plo Apollinis Delphici præeſſe neceſſe eſſet, delectuſꝗ eſſet Aeſchines qui de ea re di-
ceret, decreuit Areopagitarum conſilium, ut ad id muneris Hyperides uocaretur: eſtꝗ
ipſius Hyperidis Deliaca inſcripta oratio. Obijt legationem ad Rhodios. Cumꝗ ab An-
tipatro legati ueniſſent, ipſumꝗ Antipatrum ut optimum laudarent, his ſe opponens
Hyperides, Scimus, inquit, iſtum eſſe optimum: ſed tamen nobis nihil optimo domi-
no eſt opus. Ferunt ſine actione ſolitum concionari, tantumꝗ rem, prout geſta eſſet, re-
cenſere: neque tamen iudices moueri animo, aut moleſtè ferre unquam ſunt uiſi. Miſſus

etiam

A etiam eſt ad Elios, ut oratione Callippum athletam defenderet, in quem corrupti certaminis actio intendebatur: ſuperiorq́; ex ea cauſa diſceſsit.

DINARCHVS.

Dinarchus Socratis Soſtrati erat filius, Enchorius quidem, ut nonnullis uidetur: ut qui buſdam, Corinthius. Cùm uerò admodum adoleſcens Athenas ueniſſet, quo tempore Aſiam Alexander habitatoribus frequentauit, Theophraſto, qui Ariſtoteli in ludo ſucceſſerat, ſe ad audiendum dedit. Is uerſatus cum Demetrio Phalereo eſt. Maximè uerò ſe reipublicæ tradidit poſt Antipatri mortem, ex oratoribus alijs quidē morte è medio ſublatis, alijs uerò fuga ereptis. Hic cùm Caſandro amicitia eſſet coniunctus, maximam uim argenti coaceruauit uenditis orationibus quas rogantibus cōſcripſit. Peruenit autem in numerum ſummorum oratorum, non cùm ad populum procederet (neq; enim poterat) ſed cùm orationes ſcriberet: ac cùm Harpalus diſceſsit, plures ſcriptæ ſunt ab eo contra eos qui accuſati pecuniarum ab hoſtibus acceptarum eſſent, easq́; accuſatoribus dedit. Poſt uerò tempus illud, cùm accuſatus eſſet quòd ad Caſandrum & Antipatrum colloquendi gratia ueniſſet, circa ipſum tempus quo Munychia eſt capta, quum ab Antigono & Demetrio illa eſt præſidijs munita, ex facultatibus conſlata ingenti pecunia fugit in Chalcidem. In exilio uerò cùm manſiſſet annis quindecim, multis opibus comparatis redijt opera ac ſtudio familiariū Theophraſti, qui illi, cæterisq́; qui una exulabant, reditum in patriam aperuerunt. Cùm autem diuerteret apud hoſpitem ſocium, isq́; iam ſenex, & oculorum acie debilis, argentum amiſiſſet, uelletq́; hoſpes hoc ipſum inueſtigari, diem illi dixit: ac tum primùm in iudicio dixit, eaq́; extat oratio. Feruntur uerò quatuor & ſexaginta orationes illius propriæ: harum nonnullæ à quibuſdam Ariſtogitoni adſcribuntur. Hyperidem hic uolebat imitari, uel, ut nōnulli aiunt, Demoſthenem, propter incitatum & affectus plenum orationis genus. Illius ſchemata habent ſuos quoq; imitatores.

DECRETA.

Demochares Lachetus Leucontheus petijt Demoſtheni Pæanienſi ſtatuam ære conſlatam in foro, ac uictum in Prytaneo, & ipſi, & ex conſanguineis ſemper natu maximo, quòd is multa & præclara in rempublicā Athenienſium contulerit, multaq́; reipublicæ ſapienter conſulendo attulerit, facultatesq́; ad cōmunem omnium utilitatem conferre
B non dubitarit: quodq́; talenta octo dederit cùm populus Athenienſis Eubœam in libertatem uendicauit: trirememq́; alteram cùm Cephiſodotus Byzantiū nauigauit, & alteram cùm Chares & Phocenſium duces Byzantium ſunt miſsi: multosq́; ex his qui capti in Pydne & Methone & Olyntho à Philippo fuerant, redemerit: ſumptusq́; uiris fecerit, cùm Pandionidis à ſumptuum onere abhorrentibus, milites qui deerant, armauit, ac dedit: murisq́; reficiēdis à populo præfectus ac delectus, ipſe liberaliter atq; ex ſuis facultatibus integrè tria talenta ad hoc ipſum conſumpſerit: duosq́; aggeres circa Piræum defoſſos dederit: & poſt illam in Chæronia pugnam talentum ad reipublicæ utilitatem contulerit: & rurſus ad curam frumenti in ſumma annonæ caritate talentum porrexerit: quodq́; beneuolentia & conſilio Thebanos, Eubœos, Corinthios, Megarenſes, Arhæos, Locros, Byzantios, Meſſenios, ſocios populo Athenienſi fecerit: copiasq́; populo ac ſocijs conſtituerit, pedites quidem mille, mille etiam equites: conſtitutamq́; ut exteræ gentes ac nationes darent pecuniam perſuaſerit: quodq́; ſocij ad bellum ipſius hortatu plura quàm quinquaginta talenta reipublicæ ſubleuandæ cauſa contulerint: & ne Peloponneſij Alexandro contra Thebanos adiutores ſe præberent, datis pecunijs obita etiam apud eos legatione prohibuerit: tum etiam quòd multarum aliarum rerum & pulcherrimarum cùm reipublicæ eſſet præfectus, autor populo fuerit, quibus quantum in eo fuit, Græciæ libertas, & populi in republica poteſtas optimè confirmari poſſet. Hic uerò aufugit euerſo populo propter paucorum dominatum: obijtq́; in Calabria, propter eam, qua erat erga populum beneuolentia, cùm quidem eſſent miſsi duces ab Antipatro ad ipſum: isq́; nihilominus erga populum beneuolentiam illam ſolitam retinuerit: neq; cùm appropinquaret hoſtis aut periculum uideretur, quicquam populo Athenienſi indignum facere eſt uiſus. Princeps in republica Pytharatus Laches Leuconeus Democharis filius munus à Se natu populoq́; Athenienſi Demochari petijt, ſtatuam ſcilicet æream in foro, uictumq́; ſemper ei qui ex conſanguineis eſſet natu maximus, & conſeſſum in certaminibus, quòd & beneficus in populum Athenienſem, & conſultor perbonus fuerit & ſcribendo, & rempublicam gubernando, & legationem obeundo: eaq́; contulerit in rempublicam beneficia, ut & muri illius opera refecti fuerint: & arma, & tela, & machinæ comparatæ:

C quodq; quadriennali bello urbem tutam ſecuramq; ſeruarit, pacemq; & fœdus ac ſocie-
tatem cum Bœotijs inierit: quarũ rerum cauſa his qui populum euertiſſent, eſt elapſus,
eorumq; uitauit furorem: quodq; primus contraxerit imperium, tum eorum qui bonis
ſuis pepercerunt, tum eorum qui legationẽ ad Lyſimachũ obierunt: & quòd ad populi
utilitatem atq; uſum triginta argenti talenta acceperit, & rurſus alia centũ: legationẽq;
ſcripſerit ad Ptolemæum in Aegyptũ, ex qua qui nauigaſſent, quinquaginta talenta po
pulo retulerunt: legationemq; ad Antipatrũ obierit, ex eaq; uiginti talenta reportarit:
atq; Eleuſinẽ populo recuperarit, cùm quidem populo ipſe perſuaſor, populus uerò ad
huius cõſilium uoti compos fuerit: & quòd in Democratia fugerit, neq; illas paucorum
dominatus partes ſequi, neq; populo euerſo unquam magiſtratum attingere ſit uiſus: ſo
lusq; ex omnibus qui tum rempublicam tenebant, alieno inſtituto rempublicam muta-
ri non ſiuerit, ne in Democratia quidem: legesq; ac iudicia, facultatesq; omnium in ſum
ma tranquillitate conſeruarit propter ſummam in republica moderanda prudentiã, neq;
ullo unquam Democratiam læſerit aut dicto, aut facto. Lycophron Butades Lycurgi fi-
lius adſcripſit uictũ ſibi in Prytaneo deberi, pro eo munere quod à populo Lycurgo Bu-
tadæ eſt datum: quo tempore Anaxicrates rempublicã obtinebat, atq; Antiochidus Pry
taneo præeſſet. Stratocles Diopitheus Euthydedis filius dixit: Poſtquàm Lycurgus Bu-
tades Lycophronis filius à maioribus accepit propriã à longo tempore, & domeſticam
erga populum beneuolentiam, & proaui ipſius Diomedes ac Lycurgus, quorum uita
honoribus à populo affecta, & mors publicis ſepulchris in Ceramico propter illorũ uir-
tutem decorata fuit: ipſeq; Lycurgus cùm reipublicæ præeſſet, multas & pulchras leges
patriæ tulit: factusq; publicæ pecuniæ quæſtor, quinquennio ei muneri præfuit: diſtribu
tisq; ex communi reditu millibus octingentis & noningentis talentis, ac multò antè pro
pter fidem à priuatis hominib. mutuò accepta ingenti pecunia, ſexcentis ſcilicet & quin
quaginta talentis, ea cùm reipublicæ ratio utilitasq; poſtularet, cõſumpſit: in quibus om
nibus cùm ſingulari æquitate & iuſtitia uerſari, eaq; adminiſtrare uideret, ſæpe à ciuitate
corona eſt donatus. Ad hoc etiã delectus à populo, permagnam pecuniã in ſumma arce
coaceruauit, Deumq; ornatu cohoneſtauit: ac uictorias perutiles, resq; ad pompã, luſtra
D tionesq; idoneas, ornatumq; aureum comparauit: ut centum homines caniſtris onerati,
ad ea ferenda & comportanda deſiderarentur. Delectus autem ad belli apparatus, arma
permulta, & telorum millia quinq; in ſummam arcem intulit: ac triremes nauigabiles tre
centas parauit, quarum alias quidem refecit, alias uerò à principio in totum conſtruxit:
præterea accepta quotidianorum operum præfectura, naualia, atq; armamentarium, &
theatrum Dionyſiacum perfecit, ſtadiumq; Panathenaicum aliquando conſummauit, &
gymnaſium ac Lycium comparauit, multisq; alijs rebus cõſtructis ciuitatem exornauit:
Cumq; Alexander Rex uniuerſam euertiſſet Aſiam, totamq; Græciam ſuis auſpicijs te-
nere & regere optaret, Lycurgum ſuis conatibus aduerſantem, ſibi dari à populo petijt,
quod populus contempto omni metu recuſauit: & cùm rerum in republica geſtarum ra-
tionem in ciuitate libera, & in qua populus dominaretur ſæpe redderet, integer atq; in-
culpatus ſemper eſt uiſus. Itaq; ut omnes intelligant, quid ſit quamobrem hi qui pro po-
puli poteſtate & libertate rempublicam ſibi ſumma æquitate regendam duxerint, & uiui
plurimi fiant, & mortui gratiarum actionem cum perpetua & ſingulari laudatione conſe
quãtur, bonis auibus uiſum eſt populo laudare Lycurgũ Butadẽ Lycophronis filium uir
tutis ergò, atq; æquitatis: ipſiusq; ſtatuã ex ære in foro ſtatuere, excepto eo loco, in quo
ne ponatur, lex interdicit: uictumq; in Prytaneo dare ei qui ex cõſanguineis Lycurgi na-
tu erit maximus, idq; non ad duos aut tres annos, ſed in perpetuum: ipſiusq; decreta rata
eſſe omnia, eaq; in columnis lapideis à populi ſcriba imponi, ſuſpendi, atq; in ſumma ar-
ce iuxta anathemata collocari: ad perſcriptionem uerò quę fieret in columnis, popu
li quæſtorem quinquaginta drachmas dare ex his pecunijs, quæ
ad decreta illius in ærarium ſunt redactæ.

Plutarchi conuiualium ſermo- num decas prima.

ADRIANO IVNIO MEDICO INTERPRETE.

PROBLEMA PRIMVM.

An ſit inter pocula philoſophandum.

A DIVERBIVM iſtud, Odi memorem cõpotorem, Soſsie Senecio, ſunt
qui in modiperatores dictum aſſerunt, qui impendio fideq; nimiũ bo-
na moleſti, & in præſcribendo potãdi modo imperioſi eſſe ſolent: Do-
res enim apud Siculos modiperatorem memorem appellant. Sunt alij
qui parœmia dictorũ factorumq; inter pocula obliuionẽ pręſcribi pre
cipiq; autumant: ac proinde patrio inſtituto receptum eſt, tam obliuio
nem quàm ferulam Libero patri ſimul nuncupare, quòd aut ne memi-
niſſe quidem admiſsi inter potandum delicti oporteat, aut leui omnino ac puerili admo-
nitione caſtigationeq; ſit opus. Cæterùm quando & tu in ea es ſententia, quòd rerum
abſurdarum obliuio, iuxta Euripidem, ſapienter inſtituatur: rurſus quòd dictorum in-
ter pocula nullam habere memoriam, non modò pugnet cum amicitiæ teſſera, quam
menſa conciliat, uerumetiam nobiliſsimum quenque Philoſophum aliter ſentientem
habeat: cuiuſmodi ſunt Plato, Ariſtoteles, Xenophon, Speuſippus, Epicurus, Pryta-
nis, Heronymus, atque Academicus Dion, qui omnes ſeriam operam collocarunt in
referendis in commentarios natis inter pocula colloquijs. Quin exiſtimarunt quoq; il-
li operæ nos precium facturos, ſi optima quæq; ex ijs quæ in Græcia paſsim alijs atque
alijs interdum locis haud nobiſcum, quæq; apud nos, præſente ſemper menſa & calice,
amicè diſceptata forent, colligeremus. In hoc quum eſſem, ternos tibi libros, quorũ qui-
libet decem habet problemata, mittere placuit: miſſurus propediem & reliquos, ſi non
prorſus à Muſis, nec à Baecho (ut habet prouerbium) alieni iſti uidebuntur. Primum au
tem locum habet, An inter pocula ſit commentandum. Nata Athenis in cœna cõtrouer
B ſia (ſi bene es memor) philoſophicis ne utendum foret inter potandum ſermonibus, &
ſi ſic, quis in ijs ſtatuendus eſſet modus: Ariſton qui tum aderat, Per deos immortales, in
quit, ſunt qui Philoſophis locum in compotationibus negant. Hic ego: Quid ni, inquã,
ſint obſecro bone uir? & quidem ſeuera & iuſta ſuggillatione utuntur, non debere philo
ſophiam inter pocula, exemplo matrisfamiliâs, loqui. Laudantq; meritò Perſarum inſti
tutum, qui quoties ebrietati, choreisq; operam dant, non cum uxoribus, ſed cum pellici-
bus id ſolent. Quod exemplum & nobis imitandum cenſent, inductis in conuiuium mu-
ſicis cantionibus, actioneq; ludicra: intactaq; ad hæc relicta philoſophia, uelut ad collu-
ſiones inepta: neq; uerò ad ſeria tunc aptioribus nobis. Aiunt & Iſocratem oratorem
obſecrantibus quibuſdam, ut inter pocula diceret aliquid, non ſuſtinuiſſe, niſi hactenus,
quòd dixit, Quæ ego calleo, huius temporis aut loci non ſunt: rurſus quę tempus hoc po
ſtulat, ego ignoro. Hic ſublata uoce Craton: Rectè ille quidem, inquit, eiurauit (Bacchi
numen conteſtor) repudiauitq; ſermonem eos exceſſurum fines, excluderentur quorum
cauſa atq; exularent à ſympoſio Gratiæ. Non perinde autem eſſe arbitror, inquit, rheto-
ricúmne ſermonẽ à conuiuio excludas, an philoſophicũ: aliter cum philoſophia agitur,
quæ cùm ſit ars circa uitæ actiones uerſans, eam nec à luſu nec à uoluptate cui ſit coniun-
ctum oblectamentum aliquod ad uitandum faſtidiũ comparatum, abſtinere interim par
eſt, quin potius in dictando modo opportunitateq; adeſſe ubiq;. An uerò nec temperan
tiam, nec iuſtitiam in conuiuia recipiendas putabimus, nimiam in ijs rigiditatem culpan
do? Quippe ſi nobis alicubi ubi leges præfiguntur, ex præſcripto uiuendum eſſet, quem-
admodum faciunt ij, qui inſanum Oreſtem epulis admouẽt, foret id ſolatium inſipientię,
quamuis infelix. At uerò quando Liber pater Lyſius eſt & Lydius, hoc eſt, Liberator,
certè linguæ habenas ſoluit & eximit uel maximè, libertatemq; ſummam loquelæ indul-
get: ſtultum arbitror fuerit & extremæ dementiæ, permittere ut intempeſtiua uerborum
funditatio fraudet atq; interuertat fructum utiliſsimorum colloquiorum: & in ſcholis
diſputetur, quo pacto decorum in conuiuijs ſit obſeruandum: quæ conuiuæ uirtus,
& quomodo uino utendum: Deinde ex ipſis conuiuijs tollamus philoſophiam, uelut
impotentem re ipſa, quod uerbis docet, tueri. Hîc quum tu dixiſſes, Cratoni hac in par-
te non eſſe refragandum, ſed inueſtigandum terminum quendam & exemplar, ad quod

C ratio inter pocula diſſerendorum exigeretur, quò uitari poſſet iocoſum illud in cõtendentes atq; altercantes haud inuenuſtè dici ſolitum:

Iliad.B. Marte ut certemus dubio, iam cœna petenda eſt.

Demum quum nos prouocares animaresq; ad dicendũ, ego: Primùm (inquam) omnium meo quidem iudicio, qui, qualesq; ſympoſio interſint, expendendum conſiderandumq; uidetur. Nam ſi plures philologos fortè habeat ſympoſium, quale eſt Agathonis, in quo ſunt Socrates, Phædri, Pauſaniæ, Eryximachi: & illud Calliæ, quod habet Charmidas, Antiſthenes, Hermogenes, eiusq; farinæ alios, ſinemus illos mutuis fabulis contendere, ac diſceptare, ut qui haud ſegnius Muſis quàm Nymphis Bacchum cõtemperant: quandò hæ corpori placidum eum & mitẽ cõciliant, illæ animis melleum reuera benignumq; præſtant, & lætitiæ datorem. At ſi pauci adeò rudes homines nec exculti doctrina adfuerint, ij perinde ac mutæ literæ inter Vocales multas, doctorum cœtu coërciti incluſiq;, uocem quampiam non inarticulatam planè ędent, & aliorum induſtriam accipient. Sin ea ſit hominum colluuies, quamuis auem potius, imò cuiuslibet chordæ ligni'ue ſonum patientius ferant, quàm philoſophum, iſthic Piſiſtrati illud aptiſsimè quadrabit, qui cum liberis ſuis in re quapiã diſſentiens, animaduerſo quòd inimici eam ob cauſam in ſinu gauderent, conuocata concione dixit, ſe conatum filios in ſuam ſententiam pertrahere: quod cùm operoſum fuerit, ſe in illorum ſententiam pedibus iturum. Nõ aliter & philoſophus apud conuiuas ipſius dicta reſpuentes, mutata ſententia ſequetur, acquieſcetq; illorum ſermonibus, quatenus decorum non excedat: ſciens quòd Rhetorũ ſit agere uerbis, philoſophari uerò liceat etiam tacendo, ludendo, præterea dum aut ſcommate morderis, aut alios dicterijs uulneras. Vt enim extremæ eſt iniuſtitiæ, quod ait Plato, iuſtus cum nõ ſis, uideri tamen uelle: ita è diuerſo ſummæ eſt prudentiæ, dum philoſopharis maximè, diſsimulare factum: dum ludere uideris, interim gnauiter tractare ſeria. Quemadmodũ nanq; Euripidis Bacchæ, inermes, nulloq; ferro horribiles, thyrſis obuios uerberãt atq; ſauciant etiam, ſic ueri philoſophi ſcommata riſusq;, eos qui non planè ſunt inuulnerabiles, non poſſunt non mouere atque afficere. Porrò mea quidem ſententia ad conuiuia pertinent non parum narrationes, partim ex hiſtorijs petitę, partim ex obuijs rebus deſumptæ, quę

D uaria tum ad philoſophiam, tum ad pietatem, exempla ſuppeditabunt rerum fortiter excelſisq; animis geſtarum: quædam uerò accendent etiam ad imitationem bonorum & liberalis ingenij hominum. Quibus documentis ſi dextrè utaris in admonendis combibonibus, non parua malorum congerie ebrietatem liberabis. Quocirca iſti qui Bugloſſum

Dioſc. lib. 4. ca. 91. de uerbena. herbam uino inijciunt: qui uerbenæ, adiantiq; maceratarum aſpergine ſolum rigant, rati hoſpitibus iſta tranquillitatem animi hilaritatemq; părere, dum ſtudent Helenam Home-

Ἀγριππῖνον uide Phauor. in dict. liber. ricam in mero arte medicando imitari, nõ animaduertunt fabulam eam longo ſanè itinere ab Aegypto uſq; repetitam, in ciuilem atq; congruam orationem deſinere: bibentibus nanq; recenſet Helena de Vlyſſe,

Odyſ. Δ. Quid tulerit, quid patrarit uir ſtrenuus, atq;
Conſtans, quiq; ipſum rebus ſe uicit iniquis.

Plin. lib. 25. Id enim erat, ni fallor, Nepenthes pharmacum, quod animum ſerenat, dolorem diſcutit, oratio quæ attemperatur rebus ſubiectis, & obortis animorum affectionibus commodo tempore inſtituitur. Præterea urbani uiri eſt, ſi recondité nec trita uia philoſophatur, probabilibus potius argumentis agere, quàm urgendo demonſtrationibus aſſerere. Videre eſt quomodo Plato in Sympoſio de fine diſſerens, déque principe bono, ac denique de diuinis rebus commentans, demonſtrationes contentioſè non acuit: nec ueluti puluere ſeſe armat, argumenti ſuſcepti cauſam (quod aliâs ſolet) ita roboraturus, ut ineluctabilem reddat, uerùm fluxioribus remiſsioribusq; tum ſumptionibus, tum exemplis, adde & fabulis auditores captat & inſinuat. Deinde uerò & ipſas quæſtiunculas tractabiliores eſſe oportet, problemata perſpicua, interrogationes rei ueritati conſonas, non argutulas, ne ſtupidiores paulò obfocent atque alienent. Quemadmodum enim ſympoſia ſaltationibus choreisq; concitare uſus recepit, uerùm ſurgentes ad diſcum aut arma compellere, præterquàm quòd uoluptatis nihil adfert, incommodum etiam inuehit: ſic faciles quæſtiunculæ animos & ſcitè & cum fructu commouent. Quare de lana caprina rixantium, & ſcrupos nodoſq; texentium (ut eſt apud Democritum) uerba longum ualere iubebimus: qui quid aliud, quàm & ſeipſos rebus argutis, nodoſis, explicatuq; difficilibus torquent, & præſentibus negocium faceſſunt? Nimirum par eſt, ut uinum, ſic ſermonem quoque, qui ad omnes inſtituitur, communem eſſe. Adeoq; illi ipſi qui iſti-

uſmodi

A uſmodi proponunt problemata, nihil mehercle magis in commune conſulere uidentur, quàm apud Aeſopum grus atq; uulpes: quarum hæc affuſo in latum ſaxũ pingui pulmento è freſis leguminibus cõcinnato, gruem ludificata, ridendam eam propinauit, quòd pręliquiditate puls roſtrum illius exile, haud difficulter falleret. Itaq; uiciſsim grus accerſitæ ad cœnam uulpi, in lagenula longi anguſtiq; colli cibum appoſuit, ita ut ipſa nullo negocio eſcam demiſſo roſtro captaret, uulpe interim haud æquas portiones auferente. Itáque fit, ut dum Philoſophi inter pocula captioſis dialecticisq; problematibus ſe immergẽtes, multos, qui aſſequi nequeunt, inuoluerint atq; fatigarint: rurſus iſti in carmina quędam & fabularum nugamenta, ſermonesq; illiteratos & proletarios ſeſe ſoluerint, pereat conuiualis conſortij finis, Liberoq; patri fiat iniuria. Quocirca ſicut uitio datur Aeſchylo & Phrynicho, quòd Tragœdiam ad fabulas & calamitates detorſerint, Quid ad Bacchum iſthæc ſcilicet? ita mihi non ſemel inceſsit eos alloqui, qui in ſympoſia cornupetas ſyllogiſmos (*κερατίνας* uocant) producerent, Bone uir, quid ad Bacchum iſthæc? Cantat fortaſſe quiſpiam Obliqua dicta carmina, propoſito in medium cratere, diſtributisq; coronis, quas Bacchus libertate nos donans imponit: attamen nec honeſtum eſt, nec conuiuij decoro reſpondet. Alioqui aiunt Obliqua carmina, non eſſe ex genere cantiuncularũ obſcurè conditarum, ſed inde dicta, quòd poſt primam cantionem una uoce ab omnibus pariter Deo accini ſolitam, ordine deinceps quilibet cantilenã ſubijceret, accepta myrtea corolla, quàm *αἴσακον* (ut arbitror) propterea uocabant, quòd is, cui ea porrigebatur, cantaret: interea autem obambulabat in orbem lyra, qua, qui ludendi peritiam habebat arrepta, canebat ad numeros: quod quia Muſices ignari non poſſent, Obliquum carmen dici cœpit, quoniam nec commune quicquam cum illo haberet, neque obuium quicquam. Sunt qui myrteam coronã in ordinem ire negent, ſed ſeorſum à lecto in lectum transferri, eumq; qui primus decinerat, alterius lecti primo cantori tranſmittere. Hunc rurſus tertij primo: deinde eodem pacto eum qui in primo lecto ſecũdas uices obtinuerat, alterius lecti ſecundo permittere: ac proinde ab implexo uariatoq; circuitus (ut uidetur) ordine, Obliqui nomen cepiſſe.

B

PROBLEMA SECVNDVM.

An conuiuator conuiuis aſsignare conſeſſum debeat, an ab iſtis ultro locus deligi.

TImon frater meus plures cõuiuio exceperat: itaq; quo quiſq; uellet loco aſsidere iuſſit atq; accumbere, propterea quòd partim alienigenæ, partim ciues, partim etiam familiares & domeſtici, deniq; non unius omnes eſſent conditionis, ſed miſcellaneus quidã cœtus. Multis iam præſentibus peregrinus quiſpiã, uelut purpuratus è Comœdia, ſplendido cultu, frequentiq; famulitio ſtultè ſuperbiens, ad fores uſq; Andronis (ita uocatur cœnatio uirorum) acceſsit: quumq; oberraſſet oculis per diſcumbentium capita, ingredi noluit, imò eueſtigiò retracto pede diſceſsit, accurrẽtibus qui reuocarent illum non paucis, ait dignum ſe locum nuſquam uidere reliquum. Itaq; diſcumbentes, multo cum riſu acclamantes, ominatò dimitti illum iubebant: fuerant enim non pauci perculſi aliquantulum. Abſoluta tandẽ cœna, pater me remotius accumbentem his uerbis compellat: Ego, inquit, & Timon arbitrum te noſtro in litigio conſtituimus: dudum enim à me male audit hoſpitis ob cauſam. Nam ſi meo obtemperaſſet conſilio in diſponẽda accubitus ratione, non incurriſſemus probrum de confuſo ordine apud uirum, Iliad. β.

Frangere cornipedem, & ſcutatas flectere gnarum

Imperio turmas. Fertur enim Paulus Aemilius dux Romanus, debellato Perſeo in Macedonia, quum conuiuijs perſtreperent omnia, admirabili in cunctis ordine apparatuq; reliquo uſus, dixiſſe, Eiuſdem eſſe uiri & aciem terribiliſsimam, & conuiuiũ lætiſsimum inſtruere: utrobiq; luculentum ordinem & congruum ſpectari innuens. Solet quoque Homerus ſpectatiſsimum quenq; & regno digniſsimum, populorũ inſtructores appellare. Et uos philoſophi interdum dicitis, Deum Opt. Max. indigeſtum chaos & confuſum; in hunc mundi ornatũ, aptamq; rerum congeriem, pulchro ordine cõmutaſſe, ne detracta quidem re quapiã, aut addita: ſuo duntaxat loco, hoc eſt, congruo, illum collocaſſe quælibet, atq; ita ex informi rudiq; mole, pulcherrimã in rerum natura ſpeciem effinxiſſe. Atque ardua quidem iſta & grauia à uobis diſcimus. Adde quòd ſumptuoſa quan- Iliad. α.

C tumuis conuiuia,niſi adſit ordo,carere uenuſtate,nec oblectare,uidemus & ipſi. Itaq; ridi
culum eſt coquos ſtructoresq; ſolicitos eſſe,qui miſſus primo loco,qui ſecundo,qui item
medio,& qui poſtremò ſint inferendi: imò hercle ab illis deſignari unguentis quoq; & co
ronis,ac pſaltriæ, ſi fortè adſit, ſuum & locum & ordinem: quum tu interim conuiuas ad
iſta accerſitos,fortuito quem cuiq; ſors dedit loco accubantes, exatias quidē, neq; tamen
ætati neq; dignitati,aut eius generis ſimilibus congruū reddis ordinem: quo ſeruato cōui
uij præſidi honos accedit: aſſuefit,qui miſſus apparat: exercetur,qui accubituris ordinem
præſcribit: ut quid deceat cumprimis, diſcernāt,eoq; diſcant collimare. Si ut quiſq; digni-
tate excellit,ita digniore loco aut aſsidet aut adſtat,an in accubitu non eadem etiam ſerua
bitur ratio? nec alij quàm qui primo loco ſedet,hoſpes libenter propinat. Itaq; poſthabito
diſcrimine in accubitus ordine,iam tum ab initio conuiuium in unam Myconum confun
ditur. Ac talia quidem à patre non extra rationem dicta fuere. Tum frater: Non ſum,in-
quit,Biante,qui inuitantibus duobus amicis cœnā recuſauit ſapientior,ut uelim inter tot
domeſticos amicos,tot alios quoq; iudicem agere, non de opibus, ſed de principe, con-
ſeſſu,dignitateq; ſententiam dicturus: tanquam qui inuitarim non ut tractem humaniter,
ſed quo neceſſarijs meis ſim moleſtus. Ridiculus (inquit) erat Menelaus,qui prouerbio
quoq; locum fecit,quòd non uocatus,conſilijs dandis ſe ingeſſerit: certè longè magis irri
dendi ſui facultatem dabit,qui pro conuiuatore iudicem ſe conſtituit & arbitrū inter eos
qui nec litigant, nec alterius arbitrio ſtant: declaraturus quis potior, quis'ue ſit inferior,
quum interim iſti non ad iudiciarium forum deſcenderint,ſed ad cœnam uenerint. Quid,
quòd haud perinde facilè ſit conuiuas,quos quibus præferas,interſtinguere? quoſdam e-
nim ætas,alios neceſsitudo ſuperiores facit. Scilicet oportebit nō ſecus,quàm ſi argumen
tum mediteris comparatorium, Ariſtotelis locos, aut Thraſimachi Hyperballontas,in
numerato habere te,nihil allaturum emolumenti,præterquàm quòd è foro & theatris in-
anem ſis gloriam in conuiuia apportaturus: & qui cætera uitia conſuetudine ſuperare cō-
tenderis,iſthic pro fortunæ ratione ſarcire uelis. Quanto (ut equidem exiſtimo) præſtite-
rit,reuulſo ab animis omni faſtu,quàm exterſis à cœno pedibus,ſimpliciter & citra fucū
diſsimulationemq; in conuiuio nobis inuicem coniungere? Nunc uerò ut ſimultatem ex
D ira aut moleſtijs natam ab inuitatis conamur amoliri, ita rurſus ambitione ſuccendimus,
& ſopitam flammam excitamus,dum hos deprimimus, illis animos facimus. Certè ſi ac-
cubitus rationem ſequentur frequentiores propinationes, & ferculorum miſſus præterea
& alloquia & ſalutationes,prorſus ſatrapicum fiet ex amico conuiuium. Quòd ſi in cæte-
ris æqualitas perſonis tribuenda ſeruandaq; eſt, quin potius inde auſpicamur,aſſuefacien
do eos ſepoſito ſupercilio, & ingenuè inuicem accumbere, iam inde ubi à limine intro-
ſpexerint? quemadmodum apud Democritum in cœna non admodum dubia diues eo-
dem in accubitus ordine cum plebeijs hominibus accubat. His dictis cùm iudicem flagi-
tarent pręſentes omnes: Ego uelut delectus ſequeſter,non iudex,media uia inceſſurū me
dixi. Enimuero inquā,iuuenes,ciues,& familiares conuiuijs adhibiti, aſſuefaciendi ſunt,
uti dixit Timon, incurioſe citraq; ſupercilium in claſſes,ut cuique locus ſortitò obtigerit,
ſeſe diſtribuere: nimirum præclarum ad amicitiam compendium eſſe eam facilitatem in-
terpretantes. Verùm ubi inter aduenas, aut magiſtratus, aut magno natu homines res a-
gitur, uereor ne primore oſtio faſtum excludere uideamur, per poſticum intromittere,
nullo planè diſcrimine. Qua in re & conſuetudini & legi dandum eſt nōnihil,niſi & pro-
pinationes ſalutationesq; ſublatas uelis, quibus apud alios, ut quenq; ſors dederit, non
abſq; iudicio,ſed ut congruum eſt maximè,utemur in honorando illos,

Accubitu,carne,& pateris quas uina coronant:

quemadmodum ille Græcorum Rex Agamemnon inquit,primo honoris gradu, accubi
tum ponens. Alcinoum quoq; laudamus,quòd apud ſe hoſpitem collocans,

Odyſ.1. Submouit natum generoſum Laomedonta.
Proximus hic patrium tenero dilectus amore
Claudebat latus: Nam in adamati ſedem collocaſſe ſupplicem hoſpitem, ſingula-
re candoris humanitatiſq; exemplum. Obſeruatur & apud deos iſtud diſcrimen: nam Ne
ptunus quamuis poſtremus in conſeſſum fuerit profectus,conſedit medio ille loco: quaſi
non alius illum decuerit locus. Sic proximam Ioui ſedem Minerua ſemper ſingularem ha
bet: hoc ſubindicat Poëta,ubi de Thetide ait,

Ipſa Ioui aſſedit patri,cedente Minerua.

Clariſsimè at Pindarus, Quæ proxima igniuomo aſsidens fulmini. At dicit Timon,
non

A non debere alijs detrahi, quò uni ſis obſequentior: detrahit autem qui quod proprium eſt, proſtituit & peruulgat: proprium eſt autem quod unicuique pro dignitate competit. Deinde feſtinationi & ſtudio primas tribuit, id quod uirtuti, cognationi, dignitati, & ſi qui ſunt reliqui honorum gradus, debebatur. Idem dum uidetur ſibi fugere quod inuitatis odioſum eſſe poſsit & moleſtum, id maximè aduerſum ſe trahit & concitat. quomodo enim non moleſtus eſt, qui debito honore quenq; defraudat? Mihi uerò non admodum graue uidetur hanc rem componere. Primùm enim non ita facilè ad unū conuiuium plures dignitate pares confluunt. Deinde quum plura ſint loca exiſtimationis ſplendore nobilitata, multus diſpenſationis delectus eſt, ſi ad ſtomachum facere poſsit, ita'ue hunc locum quia primus, illum quia medius, alium quòd proximus, aut iuxta amicum familiarem'ue, aut doctorem, cuilibet tamen locum cui accedat autoritas, conceſſeris: alijs uerò munuſcula: nam beneuolentiam digniorem honori, ſtationem ſtudio emiſi. Quòd ſi par duos commendet autoritas, moroſiq; ſint homines & difficili ingenio, uide quam ego machinam induxero. Digniſsimo loco componam patrem, ſi is adſit: ſin minus, auum, aut ſocerum, aut patruum, unú mue ex ſodalitio, & qui eam induat honoris eminentiam, quæ excipienti conuiuas propria debebatur: ex ijs quæ decenter præſcribit Homerus ſum pto hoc theoremate, ubi Menelaum cum Antilocho de ſecundo brauio equeſtris certami- Iliad. ψ. nis diſsidentem animaduertens Achilles, ueritusq; ne longius ira contentio'ue procederet, præmium certaminis alteri uult attribuere. Itaq; uerbis quidem tenus Eumelum miſeratur & honorat etiam, re tamen ipſa diſsidij cauſam conuellit. Talia ferè dicēte me, Lamprias occultus ſedens, more ſuo magnum intonans, percunctatur præſentes, facerent'ne ſibi poteſtatem reprehendendi deliri iudicis: iubentibus cunctis eloqui, nec parcere: Quis tandem eſt, inquit, qui patienter ferret Philoſophum natalium ſplendori, opibus, dignitatiq; uelut ſpectaculum quoddam in ſympoſio diſtribuentem? aut Amphictyonici magiſtratus ſubſellia & ordines largientem? ut ne ſic quidem inter pocula inſolentiam faſtumq; euitare liceat. Nec enim tam loci conditio in accubitu ſpectari, quàm uoluptatis iucunditatiſq; ratio haberi debet. Neque unius hominis dignitatem ſpectabimus, ſed mutuum huius cum illo animorum conſenſum conſpirationemq;. Architectus qui
B domū ædificat, Atticum'ue Laconicum'ue marmor non anteponit Barbarico: pictor præſtantiſsimum colorem primo loco non addit: neque Iſthmicam pinum, aut Creticam cupreſſum in fronte nauis collocare ſolet naupegus: ſed ut quidq; mutua compage, connexuq; congruo coaptatum, uniuerſum opus aut firmabit, aut decorabit, aut deniq; utiliter componet, ita ordine ea adaptant. Vides ut Deus, quem optimū noſtri opificem nuncupat Pindarus, non ubique ſuprema in regione ignem collocat, ima terram, ſed prout utilitas corporum poſtulat.

Aequoreæ hoc dictant oneroſo tegmine conchæ
Squallentes, & picta operit quam ſaxeus umbo
Buccina, & accliui teſtudo crepidine tecta:
Nam terra hîc ſtatione leues ſuperoccupat artus.

ut ab Empedocle ſcriptum eſt: non quòd eum natura dederit locum, ſed quòd fabricæ ratio noua in re talem expoſcat. Proinde nullo non loco inordinata confuſio, uitioſa eſt: præcipuè tamen apud homines, idq; potantes, omnem ſuam effundit prauitatem atque exerit, in procacitate aliiſq; malis innumerabilibus: quæ præuidiſſe, præcauiſſeq;, induſtrij eſt hominis, qui ordinem aptamq; diſpoſitionem ſeruare potis eſt. Itaque rectè dixiſſe illum teſtatus, quid, inquam, rei eſt quòd inuides, & grauatim accedis noſtræ in claſſes diſtributioni, congruæq; commiſſuræ, de qua loquebar antea? Nil equidem inuideo, inquit ille, tu tantùm audias me tranſponentem poſtliminio, ac conuicij faciem innouare commutareq; conantem, tanquā Epaminondam inſtruendæ phalangis modum reſtituentem. Aſſenſum fuit huc ab omnibus, id uti perficeret. Proinde ille ſemotis pueris, unumquenque noſtrûm intuitus, Fauete auribus, inquit, quo pacto mutuò uos ſim coniuncturus, audituri: lubet enim ita uos alloqui. Accuſat hercle Homerum, ut amorum rudem, Thebanus Pammenes, nec id Iliad. B. (meo quidem iudicio) iniuria, quòd nationē nationi in acie iunxerit, tribum tribui commiſcuerit: quum oportuerit amantes binos ſimul collocaſſe, quò conſpirabunda tota phalanx animato quodam nexu colligata, uno quaſi ſpiritu feratur. Idem in noſtro ſympoſio factitare uelim ego, non diuitem diuiti, non adoleſcenti adoleſcentem, non ducem duci in conſeſſu copulans, aut amicum amico: languet enim iſte ordo ac torpet, ſegniterq; & ad ſeminandam, & ad propagandā beneuolentiam aſſurgit. Atque adeo ubi quid deficit,

C quod ſocium illi eſt & cognatũ applicans, Philologi latus claudere diſcendi auidũ iubeo: moroſo accubare manſuetum hominẽ: garrulo ſeni, audiendi patientem iuuenẽ: glorioſo & iactabundo, aſſentatorem: iracundo, taciturnum: & ſicubi diuitem munificum & liberalem conſpexero, apud hunc ex angulo quopiam productum egenum hominẽ, ſed frugi tamen, collocauero, quò uelut de pleno calice in uacuum aliquid defluat atq; dimanet. Quanquã ſophiſtam ſophiſtæ, poëtam poëtæ aſsidere ueto, quoniam

Heſiodus. Inuidet & cantor cantori, & egenus egeno.

Tametſi Soſicles iſte & Modeſtus hac parte carmen fulciunt, ad modum fauillæ ignis fomitem alentes: periclitantur tamen pulchrè. Præterea ſeiungo immodicè obſtreperos criminabundos'ue, & contentioſos, quiq; animi ſunt concitatioris, inter hos medium inſerens placidi ingenij & modeſtum hominem, malagmatis inſtar, quod illorũ aſperitatem contemperet atq; emolliat. Rurſus aliptas, uenatores, & agricolas in unũ cogo. Duplex enim ſimilitudinis eſt ſpecies, pugnax altera, cuiuſmodi gallorum: altera manſueta, qualis monedularum. Potores quoq; in unum contraho, & amantes, non modò quos amoris morſus lancinat (quod inquit Sophocles) uerumetiam qui mulieris uirginis'ue amoribus punguntur. Nam qui eodem uruntur igne, arctius libentiusq; ſe mutuò cõplectuntur, ad inſtar ferri coagmentati conglutinatiq;, modò ne riuales eandem depereant.

PROBLEMA QVARTVM.

Qualem eſſe deceat, quem ſympoſiarcham & regem conuiuij nuncupant.

CRaton gener meus, item familiaris meus Theon quodã in ſympoſio iactis iam ebrietatis fundamentis, mox tamen deſitis, uerba facere de conuiuij regno, ſeu modiperatoris munere (ſympoſiarchiam uocant) iudicantes à me coronato morem iamolim omiſſum, negligi non prorſus debere, imò reuocandam potius reſtituendamq; in gradum, receptam in conuiuijs principatus adminiſtrationem gubernationemq;. Ita cæteris quoque uiſum fuit, ſic ut tumultuari omnes, hucq; adhortari amplius occeperint. Proinde, di-
D xi ego, ſi quidem ita uobis uidetur omnibus, me ipſe ſympoſiarchã ueſtrum creo, iubeoq; cæteros quidem omnes pro libito in præſentia bibere: Cratonẽ uerò Theonemq;, qui decretum iſtud inuexere uelut legiſlatores, formulam quandam compendiò tradere, cuiuſmodi ſit eligendus ſympoſiarcha: quos imperandi fines ſtatuere qui delectus eſt, poſsit; quomodo cõuiuas in ſympoſio tractare debeat: libera ipſis poteſtate relicta ſermonẽ inſtituendi. Quapropter illi pauliſper deprecantes munus, tergiuerſati fuere: ſed cùm præſidi morem gerere, atq; imperata facere ab omnibus iuſsi eſſent, prior incœpit dicere Craton: Debet, inquit, & is qui cuſtodibus præeſt, cuſtodiæ eſſe obſeruantiſsimus (uti à Platone dictum eſt) & qui combibonibus, combibendi legis ſcientiſsimus. Talis conditionis is fuerit, qui nec facilè ebrietate capitur, nec bibendi ordinẽ illibenter capeſsit: uerùm eo ſe modo comparat, quo Lacedæmonijs ſcribens Cyrus, præter cætera ſe regno maximè idoneum prædicauit propterea, quòd liberalem meri hauſtum ferret commodè. Nam ut temulenti, conuiciatores ſunt & inepti, ita è diuerſo modis omnibus ſobrij, tetrici & inſtituendis pueris, quàm adminiſtrando uini regno aptiores. Idcirco Pericles quotieſcũq; deſignatus exercitus dux paludamentum indueret, prius ſecũ diſſerere ſolebat, uelut memoriæ ſuggerens: En tibi Pericles, liberis imperas, Græcis imperas, Athenienſibus imperas. Similiter ſympoſiarcha noſter apud ſe dicat, Amicis imperas, ut ne turpitudinẽ ſpurcitiem'ue admittat, neq; rurſus uoluptatem conuellat. Præterea qui bibentibus præeſt, debet & ad ſeria tractãda eſſe appoſitus, nec à ludicris abhorrere interim, ſed utrinq; ad temperamentum leniter deuergere, uel potius inſtar uini moderati ad auſterũ nonnihil natura inclinare: nam uinum ad moderationis legem ingenia reuocat, placidiorem reddit hominem, aſperitatemq; mitigat. Quemadmodũ Clearchi rigidum ruſticanumq; ingeniũ, hilarius nitidiusq; in prælijs euadere, idq; occaſione fortitudinis, dictabat Xenophon: ita cuius natura non prorſus amaricat, ſed tamen ſeuerus eſt & grauis, is inter bibendum remiſſo rigore, lepidior exiſtit & magis comis. Ad hæc ea præditus eſſe facultate debet ſympoſiarcha, ut cuiuſq; cõuiuæ mores habeat exploratos, quomodo ſe uariè in uino gerant: in quod uitium proni ferantur: ut meracum ferant. Nam ſi aliud uinũ alij aquæ permiſceri gaudet (quod qui Regum ſunt à poculis, cognitum habẽtes, plus minus ue aquæ, huic quàm illi affundunt) non poterit non etiam eſſe homini, cum uino, pugnans & diuerſa ratio,

A tio, quæ ſympoſiarchæ cognita eſſe debet, & cognita obſeruari, quò ad harmonici ci-
tharæ concentum explorantis exemplum, hunc potu intendat, illum relaxet, & cum qua-
dam religione diſcordes naturas in ſymphoniæ concordiam atq; unionem reductas con-
temperet: Sic non tam acetabulo cyathorúmue numero æquabilitatē, quàm quadam op
portuni temporis menſura, & pro corporis robore, unicuiq; quod proprium eſt & accom
modum diſtribuet. Quòd ſi arduum iſtud ſit & operoſum, illa ſaltem conuiuia, quæ ſecūn
dum uaria naturarum diſcrimina & ætatum ſpectantur, omnino ſympoſiarchæ tenenda
ſunt: uerbi gratia, quòd uelocius quàm iuuenes ebrietate tentantur ſenes: tumultuabun-
di, quàm quieti: contrà cogitabundi, nec tamen mœſti, quàm hilares atq; alacres: & qui
impudenter reſiliunt, quàm laſciuientes tardius. Talia cui comperta fuerint, hic melius ꝗ
imperitus iſtiuſmodi rerum, gratiam & concordiam ſympoſij condet, ac ſartā tectam tue-
bitur. Iam uerò quis ignorat ſympoſiarcham cunctis familiarem ſe & amicū præbere, nul
li conuiuantium ſuſpectum, grauem aut odioſum debere? Nam etſi mādata imperat, uix
tamen toleratur: ſi diſtribuit, alterutri parti ſtudere creditur: imò quum alludit, uix excu-
ſabilis eſt. Talem ego tibi, inquit, ô Theon conuiuij præſidem, uelut è cera, ſermone effor
matum in manus trado. Atqui amplector, dixit ille, ita factum ad unguem, & cōuiualem
hominem: ſed an eo nuſquam abuſurus, neq; prouinciæ meæ dedecus ſim allaturus, igno
ro: dicam tamen quod mihi uidetur. Is qui rite moderabitur ſympoſium, non patietur eô
ferri, ut conuiuium uideatur modò uelut concio quæpiam democratica, modò ludus ſo-
phiſtarum fiat, mox etiam conſeſſus aleatorius, deniq; in ſcenam abeat (ſi dijs placet) aut
pulpitum. Videmus quoſdam inter cœnandum concionantes & litigantes, quoſdam de
clamare aut ſcripta ſua recitare, alios uerò mimis & ſcenis actoribus operam dare. Nam
Alcibiades & Theodorus Polytionis conuiuio uſi ſunt pro initiatorio loco, faces geſtan
di myſteriaq; oſtentandi ſtudium imitatione exprimentes. Iſtorū tamen nullum omnium
mea quidem ſententia, ſectabitur conuiuij princeps: uerùm ijs tantū ſermonibus, ſpecta-
culis, ludiſq; dabit locum, qui ad proprium ſympoſii finem proficiſcuntur & exeunt: qui
quidem conſtituetur, ſi inter præſentes aut amicitia incrementū accipiat, aut eius funda-
menta iaciantur, idq; per uoluptatis occaſionē. Conuiuiū enim uiuendi ratio eſt, quæ per
B uini uſum in amicitiā deſinit ſub gratiæ lenocinio. Cæterùm quia modis omnibus quod
impermixtum eſt, faſtidiū adfert, moleſtiamq; parit: rurſus mixtio quibuſcunq; rebus nō
accedit commodo tempore, & cum certa moderatione, tollit præcipuā gratiam, ut & uo-
luptatem interpolet, & utilitati impedimentum creet: hinc adeò manifeſtum fit, bibenti-
bus mixtum quoddam fallendi temporis oblectamentum à præſide exhiberi debere. E-
nimuero audio non paucos dicentes, Vt nauigationem propter littus, ſic ambulationem
iuxta mare, iucundiſsimam eſſe. Haud abſimiliter cum ſerijs ludicra ſunt ita cōmittenda,
ut quouis modo & ludentes re quapiam ſeria detineantur, & uice uerſa qui ſeria tractant,
more nauſeantiū, animū reſumant, ad ludum uelut ex propinquo ſpectantes. Quid enim
prohibet multa etiam negocia utilia, riſu, & res ſerias, hilaritate condiri?

Non ſecus & tribulos inter ſpinoſam & Ononin,
Producit tellus mollia Leucoia.

Nam qui luſus impudenter in ſympoſia inſiliunt, citra rei ſeriæ admixtionem, hos admo-
nebit diligenter conuiuis ſuſpectos eſſe debere, ne imprudentes in inſolentiā impingant;
uelut qui Apollinaris herbę ſuccum in uino inſcij hauriunt. Illi uerò inſolenter abutuntur
imperandi lege (mandata uocāt) qui balbos canere iubent, caluos caput pectere, claudos
alternatim pedibus ſaltare. Quemadmodum in Agapenore Academico accidit, cui quó
niam crus erat exile & extenuatum, compotores inſultantes, præceperunt omnes dextro
innixos pede, erecto corpore poculū ebibere, aut mulctā impoſitā perſoluere. Itaq; quū
ordo imperandi ad illū ueniſſet, iuſsit eo modo bibere omnes, quo uiderēt ipſum pręire.
Proinde allato uaſe Samio inani, in illud immiſſo pede debili, poculū ebibit: quod cū fru
ſtra tentarent alij, mulctā pependerunt. Laudandus igitur Agapenor, ac certè promptæ
uſqueadeo, nec extortæ, pariterq; iucundæ uindictæ imitandæ ſunt. Quocirca ſunt aſſue
faciendi conuiuæ, ut ad uoluptatē honeſtatemq; ijs diſcant uti mandatis, quæ, quod pro-
prium cuiuſq; eſt ſtudium, & quod pręſtare illi in manu eſt, quodq; autorem ſuum cōmen
dare queat, præcipiant: uerbi gratia, cantores canere, rhetores orare, philoſophos obſcu
ri quippiam enodare, poëtas recitare uerſus. Qua enim in re excellit quiſque, eô libenter
& promptè ducitur. Aſſyriorum Rex nouarū uoluptatum inuentoribus, per præconem
præmia edixit: at ſympoſii Rex præmium honorificum & munus illi decernet, qui luſus

C genus honeſtum & liberale induxerit, & oblectamentũ honeſtum: præterea riſum, non uituperij aut inſolentiæ comitem, ſed potius gratiæ benignitatiſq; aſſeclam. Qua in parte plerunque naufragium patiuntur conuiuia, dum recta moderatione diſciplinaq; deſtituuntur. Prudentis uiri eſt, inimicitias & iras, quæ auaritiæ uitio cõtingunt, euitare in foro: in gymnaſio & palæſtra, eas quæ ex cõtentionis ſtudio naſcũtur: in magiſtratus functione, eiuſdemq; ambitu, quas gloriȩ appetentia parit: deniq; in cœna, & inter pocula, ſi qua ſimultas è luſu oriri poteſt, eam enixè declinare.

PROBLEMA QVINTVM.

Qua ratione dictum ſit illud, Muſicam docet amor.

QVo ſenſu dictum ſit illud, Muſicam amor docebit, imperitus ſis licet: quærebatur apud Soſsium, poſt recitatos aliquot Sapphûs uerſus: quandò & Cyclopem ſuocalibus Camȩnis medicari ſuum amorem ſcribit Philoxenus. Itaq; aſſertum fuit, quòd amor confidentiam ad quiduis audendum ſubminiſtret, & ad nouis rebus ſtudendum animet. Quapropter & Plato quiduis eum moliri dixit: taciturnos facit loquaces, uerecũdos confidentes: è ſocorde ac deſidioſo, gnauum reddit & impigrũ: quodq; admireris potiſsimè, ſordidus homo & præparcus moroſuſq; ſi in amorem incidat, uelut igne ferrum, emollitur, duritiemq; natiuam exuit, iam benignus, liberalis, ſuauiſq; redditus: ita ut haud prorſum ridiculus ille iocus uideatur uulgaris, quòd porracea fronde nodatum ſit amoris marſupium. Dictum & illud fuit, amorem ebrietati non eſſe abſimilem: accendit enim & hilares efficit, gaudioq; delibutos: quo in ſtatu dum ſunt, ad cantillationes & uerba lege cadentia maximè efferuntur. Sic Aeſchylum, ubi mero incaluerat, Tragœdias ſcriptitaſſe proditum eſt. Auus quoque meus Lamprias, quoties potarat, facundiȩ, inuentioniſq; numeros omnes explebat. Item dictitare ſolebat, uapore ſe quodã, perinde ut in thure fit, à uini calore reddito, oppleri. Deinde qui ſuauiſsimo amaſiarum obtutu fruuntur, laudant non minus libenter, quàm ſpectant. Et quum ubiq; ſit loquax amor, nuſquam is uerborum profuſior, quàm in laudando: nam prout ſunt affecti ipſi, ſic allatã alijs omnibus eandem opinionem uolunt, quòd pulchræ adeò & eximiæ formæ amore teneantur. Iſtud impulit Lydium Cambyſen eô dementiæ, ut ſpectatorem formæ uxoriæ Gygen, futurũ encomiaſten in conclaue pertraheret. Putant enim alijs fidem rei non conſtare. Quocirca encomium amicæ ſcribentes, id exornant carminibus, numeris, modulatoq; cantu: non ſecus atque iſti qui ſtatuas aureis bracteis redimere ſolent, quò & plures exaudiant, & memoriæ inſideant altius. Siue enim equum, ſiue gallum, ſeu aliud quippiam amaſijs donent, pulchrum eſſe munus, ornatumq; eximiè, atqueadeo ſupraquàm par eſt, affectant. Præcipuè uerò dum auribus illarum palpantur, & adulatoria uerba obfundunt, mollia ea proferri, ponderoſa, lacinioſaq; (cuiuſmodi ſunt poëtarum ferè) uolunt. His collaudatis ſubiecit Soſsius, ne Chiromantam quidem (hoc eſt, captandi è manibus præſagij artificem) rectius aſtruere poſſe rationibus commotum, quàm quibus uſus ſit Theophraſtus de Muſica loquens: legiſſe etenim nuperrimè librum aiebat. Dicit autem uir ille diuinus, tria eſſe Muſices initia, animi dolorem, uoluptatem, & enthuſiaſmum: quorum unumquodq; deducit atque inmutat conſuetam ſonandi rationem, & uocẽ inflectit. Sanè omnino in animi dolore luctus ploratuſq; inſunt, qui proni præcipiteſq; ad cantum feruntur. Hinc eſt quòd oratores in epilogis & in eiulatibus ſcenicos actores pedetentim modulis inflectere uidemus, & intendere uocem. Deinde & uehemens animi lætitia, uel totum corpus, præſertim eorum qui ingenio ſunt alacriores, concitat, prouocatq; eô ut compoſito quodam uelut ad numeros motu exiliant, plaudantq;, quamuis ſaltare nequeant: furor & clamor lymphatorum ſunt (ut cum Pindaro dicam) ac recta ceruice impetuoſè tumultuantium. Verùm modeſtiores in hoc affectu uocem ſolam promunt, ſiue cantare uelint, ſiue elata uoce profari, aut carmina modulata ædere. Præter cætera tamen enthuſiaſmus, potiſsimum immutat, atq; emouet à priſtino & cõpoſito ſtatu tum corpus, tum uocem quoq;. Quo fit ut rhythmis utantur Bacchæ, & afflatis numine diuinaculis facultas ſit, carminibus æditis oracula reddere. Paucos inſanos uidere eſt, qui citra carmina & cantilenas nugentur. His ita ſe habentibus, ſi amorem clarè ſuis explicitum inuolucris inſpicere uelis ac pernoſcere, uix alium inuenias affectum, qui acerbioribus exagitetur doloribus, uehementiorẽ gaudendi materiam habeat, aut maiores animi emotiones deliriaq; incurrat, quàm amor: ſic ut planè quod Sophocles de ciuitate extulit, in amatoris animum

com-

Plato in Timæo.

D *Hiſtoria eſt apud Herodot. alani.*

A competat, qui ſimul

Scatetq; odoris thurei fragrantia,

Feſtoq; cantu perſonat, cum fletibus. *Soph. Oedipo tyranno.*

Itaq; perabſurdum non eſt, neque mirum adeò, ſi omnes Muſicæ fontes atque origines in ſe contineat & comprehendat amor, dolorem, delicias, & incitationem illam motúmque naturæ, quem enthuſiaſmum uocant, ſi quoque inter cætera ſedulus ſit & garrulus: deinde & ad carmina condenda, & numeros, ut ad nullum genus æquè, pronus feratur atque propenſus.

PROBLEMA SEXTVM.

De Alexandri Macedonis bibacitate.

SErmo nobis erat de Alexandro rege, quòd non tam multum bibiſſe, quàm temporis plurimum in extrahenda mutuis amicorum fabulis compotatione, conſumpſiſſe uideretur. Hic ludere eos operam ex annalibus regijs indicium fecit Philinus, in quibus frequentiſsimè, imò paſsim ita ſcriptum erat, hunc diem ob crapulam ſomno exegit Alexander: interdum uerò, alterũ etiam diem. Hinc eſt quòd in Venerem ſegnior fuerit, quamuis & iracundus & præceps idem: quæ res innatum calorem portendunt. Quin & illi per cutim iucundus adeò expiraſſe odor narratur, ut odorata aromatis in modum fragrantia, induſium ſatiaret: quod ipſum caloris haud tenue eſt argumentum. Qua ratione fit, ut orbis terrarum aridiſsima quæq; & feruentiſsima loca, caſiam & thus producant: redolentia nanq; concoctione quadam humoris (uti à Theophraſto traditum eſt) conſtituitur, ubi ſucci uitium per calorem excoctum fuerit. Videtur enimuero & Calliſthenes calumniam incurriſſe apud Alexandrum hoc nomine, quòd grauatim ferre liberaliorem in cœna uini uſum uideretur. Nam & Alexandro cognominem cratera permagnum illum quidem ad ſe ordine profectum reſpuit, addens, nolle ſe Alexandri ebibendo poculum, Aeſculapio indigere. Atque hactenus de Alexandri bibacitate. Itemq; Mithridatem illum qui cum Romanis bellum geſsit, inter reliqua certaminum genera quæ propoſuit, edacitati bibacitatiq; præmia aſsignaſſe, & utroq; certamine uictorem extitiſſe, ſuæq; ætatis omnes bibendi gloria facilè ſuperaſſe perhibent: quæ cauſa fuit, cur & Bacchi cognomentum acceperit. Atque hæc una eſt iſtius cognominis ratio, quamuis falſò credita: uerior enim eſt iſta, infanti iam tum illi, cunas fulmen exuſſerat, intacto illæſoq; corpore, prȩter quoddam ignis ueſtigium in fronte, quam aduſtulati capilli obtexerant, relictum. atque hoc quidem infanti etiamnum obtigit. Rurſus eidem poſt aſſumptam uirilem togam, in conclaue irruens fulmen dormienti pepercit quidem, pharetram tamẽ penſilem penetrauit, conflagratis igne ſagittis: Quam ob cauſam uates plurimum ſagittariorum manu, leuisq; armaturæ copijs præſtiturum prædixerant. Quanquã non deſunt qui Bacchi nomen à morbo ſyderatis, ac de cœlo tactis familiare, datum illi exiſtiment. His dictis ſermo incidit de ſtrenuis bibonibus, inter quos Heraclides pugil connumeratus eſt, quem Heraclem truncata uoce Alexandrini uocitant, qui parentum noſtrorum memoria uixit. Iſte quotieſcunque combibonem deſiderabat aſsiduum, nunc hos ad ientaculum, nunc illos ad prandium, alios deinceps ad cœnam, poſtremò & ad pocœnia aliquos accerſebat. Abeuntes primos excipiebant alteri compotores: hos deinde tertij, quartiq;. At ille nullo dato interim quieti interſtitio locóue, unus omnibus ſufficiebat, quartamq; compotationem continuabat, ferebatq; integer. Porrò inter Druſi, Tiberij Cæſaris filij familiares, qui cunctos bibẽdi gloria antecellebat medicus, quinas ſenas' ue amaras amygdalas, uitandæ ebrietatis cauſa, identidem ante potum deuorabat. Idem quoties aut prohibitus aut interpellatus diligenti obſeruatione non aſſumpſiſſet, ne minimo quidẽ tempore reluctabatur ebrietati. Itaque amygdalis amaris creditum fuit uim ineſſe mordacem, carniſq; deterſoriam, uſqueadeo ut & faciei maculas exterant: proindeq; præſumptas, meatus cuticulares amaritudine ſua radere, mordicationemq; in his quandam relinquere, cuius ope deſtillantem uaporis inſtar à capite humorem deducant. Mihi autem amaror uim habere potius exiccatoriam, & quæ humores abſumat, uiſus eſt: hinc inter reliquos ſuccos, amarus ingratiſsimus guſtu habetur: uenulas etenim linguæ (ut eſt apud Platonem) molles atq; fungoſas, præter naturam contendit ſiccitas, abſumptis humoribus. Quinimò cohibẽt amaris pharmacis uulnera, atq; adſtringũt, id quod Poëta extulit:

Hos conſcriptos ab Eumene Cardiano & Didoto quodam, autor eſt lib. 10. Athenæus.

Vide Curtium & Arrianum.

B *Premium uictorie erat argenti talentum, teſte Athenæo.*

Athenæus lib. 2

Contritam manibus radicem admouit amaram *Homerus.*

C Vulneribus, qua continuò ſtetit atra cruoris
Illuuies, præſensq́; tulit dolor inde leuamen.

Quod nanq; ſaporem habet amarum, ui pollere exiccandi, rectè tradidit. Pręterea & mulierum diapaſmata, quibus ſudorē rapiunt, natura amaricant & adſtringunt, (ut apparet) acerbitatis, quæ in amaro conſiſtit, uehementia. His ita ſe habentibus, non immeritò amygdalarum amaritudo ad infringendam meri uim conferre cenſebitur, intrinſecus exiccando corpus, nec ſinendo uenas impleri, quibus diſtentis commotisq́; ebrietas naſci putatur. Argumenti ſatis eſſe poteſt, id quod uulpibus accidit, quæ ſi amaras deuorarint amygdalas, nec ſuperbiberint, emoriuntur, humoribus illis confertim & ſubitò depaſtis, atq; deficientibus.

Plin. lib. 23. cap. 8. Dioſc. cap. de Amygdalis.

DECADIS SECVNDAE

PROBLEMA SECVNDVM.

Cur edaciores ſumus autumnali tempore.

ELEVSINE poſt peracta Cerealia, florente tum maximè mercatu, apud Glauciam oratorem diſcubueramus, & iam deſierant cœnare pleriq; omnes, quando Xenocles eius frater more ſolito germanum meum Lampriam de inſatiabili edacitate ut Bœotium inceſſere cœpit. Proinde ego illius nomine, ut par pari referrem, Epicuri uerbis Xenoclem mordens: Heus, inquam, bone uir, non omnes uoluptatem metiuntur & finiunt, eius quod moleſtum eſt carentia: quinimò Lamprias, qui Epicuri hortis præfert Peripatum & Lyceum, cogitur neceſſariò Ariſtotelis teſtimonium, re quoq; ipſa comprobare. Ait enim ille, unumquenq; ſolito plus eſitare autumni tempore: cauſamq́; rei adiungit, quanquã ea me fugit. Hîc Glaucias: Bene id quidem habet, inquit: ſic nos ipſi ad inueſtigandam cauſam accingemur, exacta cœna. Sublatis igitur menſis, Glaucias atque Xenocles, diuerſa quiſq; ratione, in poma cauſam contulere: illa quoniam aluum ſubducerent, atq; ita uacuato corpore nouum ſemper appetitum párerent. Xenocles uerò, annotinos fructus magna ex parte habere quiddam palato gratum atq; morſicans, dixit: qua ratione uentriculus magis proritaretur ad edendum, quàm quouis etiam obſonio condimentóue. Aegris nanque cibum auerſantibus, oblatum pomum reſtaurat appetentiam. Deinde Lamprias ſuam dixit ſententiam: Natiuus, inquit, & ingenitus noſter calor, quo uiuimus naturæ munere, æſtate diſsipatur, imbecilliorq́; redditur & rarior: at prono iam anno cogitur denuò, uiresq́; reſumit, intrò ab externo frigore compulſus, cutisq́; denſitate compreſſus. Tandem ego ne uiderer omnino aſymbolus, ac ne non aliquid dicerem, Aeſtiuo, inquam, tempore ſiti magnopere affligimur, ac pluſculum haurimus ob æſtus intemperiem: proinde natura quęrens (uti ſolet) mutationis ſubſidio in contrarium abire, famelicos plus ſoliro reddir, alimentũq́; ſiccum quò corporis conſletur temperies, uice uerſa refundit. Quamuis in cauſæ partem uenire omnino ciborum genera dixerit non abs re quiſpiam: quippe qui è nouis recentibusq́; fructibus conflati, tum liba tum legumina, panes, fruges, carnes quoq; animalium horno pabulo ueſcentium, à uetuſtis annoſisq́; diſcrepant ſucci gratia, & ijs utentes uictitantesq́; alliciunt magis, atque inuitant.

D

PROBLEMA . SEXTVM.

Cur larix, pinus, & conſimiles bis arbores, inoculationem non admittunt.

SOclarus, quo tempore nos in hortis ſuis, quos Cephiſus amnis circumfluit, conuiuio excepit, arbores omnifariam oculis (ſic enim uocant) depactis uariè ornatas nobis commonſtrauit. Vidimus illic è lentiſco oleas pullulantes: punicas mâlos è myrto: fuere & quercus, quæ eximias piros ferrent: & platani quæ mâli ſurculos acceperant: & ficubus inſitæ mori propagines, pluresq́; aliæ mixtiones & coitus plantarum, iam ad producendorum uſq; fructuum ſtatum profectarũ. Itaq; præter alios qui Soclaro alludentes, poëticis illum Sphyngibus ac Chimæris prodigioſiora monſtra alumnosq́; nutrire aiebant, Craton propoſuit ambiguum, quæ eſſet cauſa, cur plantæ oleaginæ, tales ſocietates miſcellas'ue ſolæ natura reſpuerent: nec enim coniferam pinum aut cupreſſum, aut piceam,

A laricem ue, ullam alterius generis ſobolem educare, quod quidem uiſum ſit. Huic ſuccedens Philon, Eſt quoddam, inquit, apud doctos dicterium, ab agricolis confirmatũ, quo dicitur, Oleum plantis eſſe infeſtum, citoq́ interire arborem quam oleo inunxeris: quomodo & apes. Cæterùm prænarratæ arbores, pingues ſunt, & molli prædite natura adeò ut & picem & reſinam lachryment: deinde quando diffiſſo libro hiant, uelut de proprio lare ſaniem contrahunt, earumq́ teda oleoſum exudat liquorem, ac nitet circunquaq; pinguedo: quocirca cum alijs generibus miſceri recuſant, perinde ut ipſum quoque oleum. Finẽ dictis impoſuerat Philon, quãdo ait Craton, exiſtimare ſe, ad hanc rem facere nonnihil corticis naturam, qui tenuis & exuccus quum ſit, ſtabilem non præbet ſedem, neque uitalem alimoniam concorporationemq́ inſitis: tanquam qui nouellum corticem ac tenerum cum partibus, quæ ſub uero cortice germen excipiunt, coniungendum complectendumq́ conglutinet. Hic Soclarus non malè ſentire cum dixit, qui ita diceret, quoniã oporteat corticem alienam naturam concepturum, ſequacis eſſe ingenij, ut in ſe rapiat atque conuertat propaginem, ſiue inſitum calamum, ac in eius uſum proprium ſuccum & alimoniam cõmutet. Etenim ſarrimus primò & ſubigimus ſolum atq; mollimus, ut profciſſum ſata mollitie illa ſua alteret, gremioq́ cõplectatur: eò quòd dura & aſpera terra difficulter ſuperatur, ingeniumq́ exuit. Deinde quę leui ſunt ligno arbores, ad temperamentum non coëunt, neq; ab inſitis ſuperantur, neq; rurſus illa mutant. Ad hæc inquit: Minimè obſcurum eſt, reſpectu inſitorum, debere ſoli naturam obtinere. id quod accipit ea: ſolum autem oportet eſſe fœcundum, fœminæq́ natura præditũ. Hinc fit quòd fructuoſas quaſq; plantas ſelectas, effœtis adiungunt, quemadmodum fœminis nimio lacte diſtentis alias etiam proles adferunt. At enimuero laricem, cupreſſum, & id genus arbores omnes, parcas ac ſteriles, & à fructu uidemus inopes. Perinde ut obeſi, & corporis mole ſuffarcinati, plerunq; infœcundi ſunt, eò quòd dum alimonia omnis in corpus rapitur diſsipaturq́, parum adeò uel nihil genitalis ſeminis illi coacervant. Eodem pacto arbores iſtę ſucco omni quem hauriunt abſumpto, proceræ quidem euadunt, fructum tamen aut nullum proferunt, aut certè exiguum, tardeq́ adoleſcentem: proinde nõ mirum ſi aduenam repudiant, quæ parum bene ſuo ipſorum fœtui nutriendo ſufficiunt.

B

PROBLEMA SEPTIMVM.

De Echeneide piſce, nauigij curſum ſiſtente, quem remoram appellant.

CHæremonianus Trallianus è piſciculis, qui omnis generis illati fuerant, unũ digito commonſtrans nobis, acuminato capite & oblongo, ſimilem illi eſſe Echeneidem narrauit. Vidiſſe enim ſe in Siculi maris traiectu, admiratumq́ fuiſſe eius uires, quippe quæ haud exiguam tarditatem & remoram curſui iniecerit, donec à proreta, parieti exteriori nauis adhærens deprehenſa fuiſſet. Itaque fuere qui in riſum ſoluti, Chæremonianum, quòd figmento fabuloſo & neutiquam credibili accederet, fidemq́ arrogaret, deluderent. Nec defuere qui naturale quoddam rerum diſsidiũ (antipathian nominant) magnificè creparent. Eratq́ audire conſimilia permulta, quæ in rerum natura fierent, cuiuſmodi ſunt iſta: Furentem Elephantum ſopiri cicurariq́ arietis conſpectu: Viperam ſiſti ſi palperis demulceas'ue fagino termite: Taurum furibundum manſuetum reddi & miteſcere, ſi ficui alligetur: Succinum leuia cuncta ciere atque attrahere, exceptis ocymo, & oleo imbutis: Magnetem ferrum nõ trahere, ſi allij ſucco tingatur. Iſta enim quamuis manifeſta experientia conſtent, cauſam tamen habent cæcam & rimatu perdifficilem, ne dicam etiam fieri nullo poſſe pacto, ut quis perdiſcat. Ad iſta ego reſpondi, eludi potius hoc modo quæſtionem, quàm cauſam reddi: ueruntamen, inquam, uideamus, quomodo pleraq; euenta & ſymptomata ſimilitudinem cauſarum præferunt, credita ſcilicet, non rectè tamen, quum nihil ſint minus quàm cauſæ. Veluti ſi quis credat uuas, eò quòd florem uitex proferat, matureſcere: propter dictum illud uulgare, Flos uitice exit, & botrus maturuit: uel ob concreſcentes in lychno fungos, ambientem aërem nubibus obductum & in imbres ſolutum iri arbitretur: aut unguibus aduncis cauſam adſcribat hulceris in uiſcere latentis, ac non potius accidens eius eſſe putet. Quemadmodum igitur horũ unumquodque diſpoſitionis eſt comes, ex iiſdem natum cauſis: ita, inquã, una eſt cauſa cur lento curſu nauis eat, & Echeneida ſimul adducat. Siquidem quandiu arida eſt, nec oppidò grauis

C præ humiditate nauis, conſentaneũ eſt carinam lubrico tractu propter leuitatem mare diuidere, fluctusq́; facilè cedentes, quandiu pura ab illuuie fuerit, ſecare. Verùm mox ubi plus ſatis immaduerit, aquamq́; imbiberit, ac numeroſas algæ muſciq́; adhæreſcentis appendices attraxerit, tum uis ligni atq; impetus retunditur, tum etiam unda marina in lentitiam illam incurſans, haud perinde facilè dilabitur. Eaq́; de cauſa nauis latera ſiue parietes deglabrare ſolent, deraſis & alga & muſco à tabulatis, quibus adhęrentē mordicus Echeneida propter lentorē, ueri non eſt diſsimile, cauſam fuiſſe creditam, cur tardè nauis iret, ac non potius additamentũ & conſequens principis cauſæ, quæ tarditatem inuexit.

PROBLEMA VIII.

Qua de cauſa Lycoſpadas equos ferocire, animoſiores q́; eſſe dicant.

EQui Lycoſpadæ erant, quos à fręni genere, quod λυκὼ illi, nos lupatum uocamus, nomen habere dicerent, quaſi quorum eo pacto indomita natura & ferocia, fracta refrenataq́; fuerit. At pater meus, ut eſt minimè in mercando tumultuarius, pręproperus'ue, uſusq́; equis ſemper præſtantibus, narrabat equinos pullos quos à lupis adortos fuga eripuerit, nobiles euadere & pernices, appellariq́; Lycoſpadas, quaſi lupis exemptos. Cùm multi dictis eius fidem facerēt atq; atteſtarentur, de cauſæ origine nata fuit dubitatio, cur iſte euentus animoſiores ueloci oresq́; redderet. Itaq; maior pars eorum qui aderant, huc cauſam referebant, metum hoc modo incuti equis, nõ autem animum addi: quo fieri, ut ad minimum crepitum expauefacti, leuiq́; de cauſa attoniti, concitatiori motu uelocioriq́; rapiantur, exemplo ferarum, quæ ſemel caſsibus fuere obſeptæ. Ego uerò dixi uidendum eſſe, num contrà ſe res habeat, quàm prima fronte uideatur: ut tum ueloci ores euadant equi, ubi à feris appetiti periculum effugerint. Nam ni forent natura animoſi, impigri & ueloces, nunquam euaſuros fuiſſe. Neq; enim Vlyſſem ideo prudentē fuiſſe, quòd è Cyclopis manibus dilapſus fuerit: ſed quia erat prudens, idcirco ſubterfugiſſe.

PROBLEMA DECIMVM.

D *Laudabilius'ne fecerint maiores certis portionibus, an recentiores communibus dapibus uictitantes.*

CVm domi Cõſulatus munere fungerer, in pleriſq; cœnis diſpartiebantur portiones, diſtributa cuilibet è uictimis ſua parte. Id ipſum placuit nonnullis mirificè. Alij ceu inciuile atq; illiberale factum damnantes, cenſebant in conſuetam uiuendi normam poſt repoſitas coronas, concinnari uelut poſtliminio menſas debere: Nec enim, dixit Agias, edendi bibendi ue gratia, ſed combibendi comedendiq́; cauſa mutuò nos inuitamus. At iſta carnium in portiunculas diuiſio, cõmunionē tollit euertitq́;, ac multas cœnulas, multos etiam cœnantes facit, neminem tamen alteri concœnantē: quandò nõ ſecus ac è laniena ad æquilibriũ appenſa carnis portio cuilibet apponitur. Atqui quid intereſt quæſo, ſiue calice cõuiuarũ cuilibet appoſito, congio uini pleno, & menſa propria (quomodo Demophontidę Oreſtem ad bibendũ compuliſſe narrantur) ita ut cum alijs negocij nihil habeat quiſquã: an quod nunc fit, carne appoſita & pane, uelut proprio è præſepi, uictitare quemlibet facias? excepto, quòd non par incumbat nobis ſilentij neceſsitas, quemadmodum apud illos Oreſtem tractantes. Attamen & iſtud fortaſſe ſimul uictitantes ad cõmunitatem rerũ omniũ prouocarit, quòd & cõmuni inter nos ſermone utamur: quòd fidicinam cantu oblectantē, atq; tibicinam pariter audiamus: quodq́; calix iſte certis haud circunſcriptus cancellis, in medio propoſitus ſit, uberrimus mutuæ beneuolentiæ fons, qui uoluptatis finē modumq́; ſtatuit, appetentiã: aliter ꝙ aut panis aut carnis partiendorũ ratio, quæ quamuis ſit iniquiſsima, æqualitate tamen menſuræ apud inæquales coloratur. Quippe unũ idemq́;, & ei cui minor portio ſufficit, plus: & cui maior opus eſt, minutius eſſe poteſt. Proinde quemadmodũ qui pluribus ægris æquale pharmacũ iuſta abſolutaq́; menſura ac pondere diſpenſat, prorſum ridiculus eſt: ita quoq; talis cõuiuator, qui homines nõ eodem modo ſitientes eſurientesue omnes ad eandē cõditionē redactos, pari portione curat, moderationis & æqui rationem Arithmetica, nõ Geometrica lege æſtimans. Quin igitur ad cauponã rectà proficiſcimur, unà uſuri omnes menſura publica? At enim ſuũ quiſq; ad cœnã adfert uentrē, qui nõ una menſura, ſed eius quod ſatis eſſe poteſt modo

A do expletur. Proinde Homericæ illæ δαῖτες (quas partitorias cœnas dicere poſſumus)
non ſunt huc transferendæ è militaribus caſtrenſibusq; cœnis: imò uererum potius hu-
manitatem imitari nos decet, non cõtubernales tantùm & eodem ſub tecto degentes, ſed
& commenſales coëpulonesq; magnifaciendo, eò quòd communitas quæuis magnope-
re colenda ſit. Itaq; Homeri cœnas ualere iubeamus, famelicæ enim ſunt & ſiticuloſæ, &
conuiuatores habent reges Italicis cauponibus moleſtiores, adeò ut in ipſa pugna, quan-
do ad manus cum hoſtibus uentum eſt, diligenter repetãt, quantum hauſerit quiſq; apud
ſe cœnantium. Quanto rectius Pindarica conuiuia, ubi heros ad uenerandã menſam ad-
miſcet ſe cæteris, communibusq; ferculis ex æquo utuntur omnes? Iſtud nanq; reuera fue
rit cõmixtio quædam & unio uerè amicorum: illud uerò ſeparatio diſtractioq; hominum
opinione tenus amiciſsimorum, ita tamen ut eiuſdem nequeant opſonij eſſe participes.
Hîc tum in Agiam bene ſibi placentẽ, ut illi os obſtrueretur, inuecti ſumus: atq; noſtrûm
unus, nouo eum & inuſitato morbi genere laborare dixit, qui uſqueadeo uentricoſus, gra
uiter ferret æqualem cæteris portionem capere: eſſe etenim è lurconũ helluonum'ue nu-
mero unum: uulgari nanq; piſci non inſunt ſpinæ, ait Democritus. Quinimò, inquit, hinc
potiſsimè natum eſt, quòd pro fatali neceſsitate, τὴν μοῖραν ob rerum partitionem, receperi
mus. Ad æqualitatem nanq; ſpectabat, urbes urbibus, ſocijs ſocios (ut apud Euripidẽ ue-
tula loquitur) colligare. Atq; nihil adeò omnium, ita naturæ legisq; uinculo ſtabilitũ eſt,
atq; menſæ communio, uſumq; habet haud nouum, aut ex opinionibus hominum indu-
ctum, ſed neceſſarium. Accedit, quòd qui è cõmunibus ferculis plus uorat cæteris, iniu-
rius eſt, prçuertendo, atq; à tergo relinquendo alios, non ſecus quàm fit, plena uelificatio
ne celerãte triremi. Nam anxiè inſpectare epulas, inuolare, manibus certare, cubitóue oc
cupare, ſunt iſta haudquaquam amica aut ſympoſij legi conſona conuiuiorũ procœmia:
quin potius turpia & canina ſunt, ac plerunq; in conuicia, ſimultates, ſtomachationesq;
tam inter ſe mutuas, quàm cum ſtructoribus & conuiuatore deſinunt. Quòd uerò nõ pri
dem, ſed à multo iam tempore ſtata partitio ſortitioq; æqualitatis in cœna, cõmunionisq;
in ſympoſio imperium habuerit, inſpexiſſe nec indecorum fuerit, nec illiberale. Nam &
cœnas à diſpartiendo δαῖτες nominarunt ueteres, & conuiuatores δαιτυμόνες, ſtructores
B quoq; δαιτρὸς, ex diuidendi diſtribuendiq; officio. Adde quòd Lacedæmonij κρεωδαίτας,
hoc eſt, carnium diuiſores, nõ proletarios quoſuis, ſed primarios homines habuere, adeò
ut & Lyſander ab Ageſilao rege in Aſia fuerit diuidendis carnibus præfectus. Tum de-
mum enim partiendarum carnium conſuetudo exoleuit, ubi in cœnas magnificẽtia & lu
xus introduci cœpere. Equidẽ exiſtimo bellaria, mellita lacticinia (κάνδυλος uocant) con-
dimenta, quas καρυκείας nuncupant, aliosq; omnis generis minutalium opſoniorũq; miſ-
ſus diuidere, graue fuiſſe uiſum. Itaq; ea capti uoluptate, eo gulæ ſtudio delibuti, æqualis
partitionis uſum neglexere. Argumento eſt, quòd ſacra & publica cõuiuia partitione hu-
iuſmodi etiamnum cõſtant, ob meram in uictus ratione ſimplicitatem puritatemq;: qua-
propter cui diſtribuendi munus incumbit, una eademq; opera, frugalitatẽ obſeruat: quo-
niam ubi priuatum eſt aliquid, ibi cõmunis interijt ratio, quippe ubi abſit æqualitas. Nec
enim priuata & domeſtica poſsidere, ſed defraudare & detruncare aliena, ac inſatiabile il-
lud res communes occupandi ſtudium, iſta ſunt iniquitatis diſcordiæq; ſeminarium. Sic
leges, quia auaritiæ ſtudium finitione ac menſura certa proprij, refrenant, nomen à ui ac
poteſtate æqualiter diſtribuendi quod commune eſt, traxere. Quid, quòd ne coronã qui-
dem conuiuatori fas fuit diſpartiri, nec thoros, conſeſſus'ue priuatim uni? imò etſi amaſiã
quis aut fidicinam adduxerit, etiam has communes eſſe amicorum placuit, ut in uſum pu
blicum cedant omnia, quod Anaxagoræ uiſum eſt. Quòd ſi iſtorum aſſertio uindicatioq;
communionem nihil labefactat aut conturbat, ea ipſa de cauſa, quoniam maxima & ex-
cellentiſsima quæq; communia ſunt, uerbi gratia, ſermo, propinatio, & benignitas: deſi-
namus portionum diſtribuendarum rationem paruipendere, atq; contemnere Animæ fi
liam Sortem (ut eſt apud Euripidem) quæ non opibus, non dignitati primas tribuit, ſed
ita ut fors tulerit, nunc huic, nunc illi confert: pauperibus & deiectis animos addit, nec li-
bertatis cuiuſdam felicitate orbatos deſtituit, rurſus opulentos ac præpotentes,
æqualitatem ut haud grauatim ferant aſſuefactos, placidè
ad moderationem reuocat.

PLVTARCHI CONVIVALIVM PROBLEMATVM TERTIAE DECADIS PROOEMIVM.

C

SIMONIDES poëta, Soſsie Senecion, conſpicatus in quodam ſympoſio hoſpitem ſilentio aſsidentem, qui cum nullo omnium uerba faceret: Quiſquis es, inquit, ſi quidē fatuus es, ſapienter agis: ſin autem ſapis, ſtultum te declaras. Præclara res eſt ſtultitiam (ut ab Heraclito dictum eſt) celare: operoſum id tamen in animorum remiſsionibus, & inter pocula,

Odyſſ. ι Vt ſis cordatus, uinum modulamina cantus
Expedit, & molles riſus, agitatq; choreas:
Sæpe etiam infandas ſuaſit profundere uoces.

Quo loco Poëta, meo quidem iudicio, diſcrimen uoluit inter ebrietatem & uini pocillationem (οἴνωσιν illi uocant) oſtendere. Nam qui moderatè uino utitur, huic ſubit cantillare, ridere, ſaltitare deniq;. Contrà impudenter garrire, illiberaliter obtueri, aut obticeſcere, ſunt iſta quidem temulentiæ ebrietatisq; munia. Hinc eſt quòd cenſet Plato in uino ceu ſpeculo multorum ingenia peruideri. Neq; Homerum, quando dicit,

Nec in menſis alienam inquirere mentem,

latuiſſe uidetur, quàm ſit loquax & diſertum uinum: quàm fœcunda & reſtibilis multorum uerborum ſeges. Nam qui ſilentio comedunt aut bibunt, hos pernoſcere quomodo queas? At quia potatio loquacitatem conciliat, rurſus uerboſitas illa futilis, multa quæ latebant alioqui, reuelat, & in apertum profert, fit ut inter compotandum alter alterius indolem ingeniumq; ediſcat: ita ut non abs re Aeſopo quis illud poſsit impingere: Quid obſecro uir eximie, eos cancellos, eas feneſtras requiris, per quas alter alterius animum intueamur? uinum abundè noſtra pectora recludit, atq; oſtendit, quieſcere non permittens: ſed perſonam frontisq; tectorium detrahens nobis, ut longiſsimè à lege, ceu à pædagogi latere, recedentibus. Proinde Aeſopo, Platoni, & quicunq; indolem & mores cuiuſpiam explorare ſatagit, non poteſt non eſſe uſui ad eam rem uinum. Cæterùm qui non laborant alienos mores inquirere, nec eos quomodocunq; deprehendere, ſed uti frui amicè & perfamiliariter, iſti dum conueniunt, ea proferunt problemata, eos ſermones, quibus & fortunæ iniuria atq; malignitas obducitur, & ingenij præſtantia, alacritasq; reuiuiſcit ac reſpirat, uelut in propria prata & paſcua, philologiæ ductu, ſecedens. Itaq; & nos hanc tibi tertiam conuiualium quæſtionum decada elaborauimus, quæ primam de coronis diſputationem continet.

D

PROBLEMA PRIMVM.

An floreis coronis inter pocula uti deceat.

INCIDIT quodam tempore de Coronis ſermo, idq; Athenis in conuiuio apud Eratonem Harmonicū, qui Muſis ſacrum facturus plures ad cœnam euocauerat. Etenim cùm à cœna omnis generis corollæ circunferrentur, cœpit nos Ammonius inceſſere dicterijs, quòd uice laureæ coronæ, roſarijs ſertis tempora obligaſſemus: quòd ſutiles in uniuerſum coronæ pupas decerent, & ludentiū uirginum fœminarumq; gregi conuenirent potius, quàm Philoſophorū Muſisq; initiatorū hominum cœtui. Miror equidē, inquit, quid Eratoni iſti acciderit, qui dudū faſtidire atq; auerſari in carminibus pigmēta ſolet, atque adeo eximiū Agathonē damnare, qui primus picturatum ſiue Chromaticū Muſices genus in tragœdiam induxiſſe, immiſcuiſſeq; dicitur, quo tempore apud Myſos docebat. Interim tamen ipſe multiplici adeò colorum florumq; uarietate, quemadmodū uidetis, conuiuium impleuit, ut uoluptatem delitiasq; aurium excluſerit prorſus, dum animum paſcere alia uia, mutatis oſtijs, per oculos atq; nares conatur: & coronæ uſum non ad pietatem, ſed ad uoluptatis ſtudiū transfert. Alioqui unguentum iſtud fragrantiam reddit meliorem magisq; ſalutarem, quàm florea iſta, quæ in manibus coronariarum muliercularum ſerta compingentium exoleſcere ſolet, corolla. Denique in philoſophorum conuiuio locus non eſt uoluptatum blanditijs, ſi nullam habeant coniunctam utilitatem, neq; ex appetitione naturali ortum ducant. Sed quemadmodum qui umbræ adducuntur ab amicis ad cœnā inuitatis, pro humanitatis lege, eodem cenſentur loco & honore, ueluti Ariſtodemus à Socrate ad Agathonis conuiuatoris cœnam introductus: at ſi quis ſua ſponte congrediatur, huic fores occludi par eſt: ſic quæ in eſu potuq;

Plinius li. 21. ca. 2. Coronæ, deorum honos erat.

A potuq́ conſiſtunt uoluptates, à natura accerſitæ, appetitum cōſequentes, locum habent: cæteras ultroneas, nulla habita ratione quantum uoluptatis adferre poſsint, repudiare oportet. His uerbis cōmoti adoleſcentes, quibus Ammonij ingenium erat incompertum, furtim coronas deduxerunt. Verùm ego exercitationis & quæſtionis mouendæ gratia, hanc in medium ab Ammonio fuiſſe obiectam ſermonis materiam perſpectum habens, medicum Tryphonem compello: Cedò bone uir, inquam, quid tibi animi eſt? deponeréne unà nobiſcum tam elegantem & ſertis roſarum floribus flammicantem coronam, an explicare (quod aliàs apud nos ſoles) quantum florea ſerta adiumenti ad bibendum adferant? Hîc excipiens me Eraton: Sic planè, inquit, apud me ſtatuí, nullam uoluptatem impunè prehēdi, uerùm blanditijs nos delibutos moleſtare aliquatenus: ac niſi iſto præmio reponeretur beneficium, an unguentū nobis, & quidem meritò, ſuſpectum foret? an purpura ob aſcitiriam æſtimationem, ceu fallax (ut barbarus ille dicebat) indumentū, & doloſus color formidaretur? Cæterùm colores naturæ ſponte enati, atq́ odores, an non ſimplex quiddam minimeq́ fucatum obtinent? imò inter hos & fructus annotinos nihil intereſt. Quid, an non extremæ dementiæ foret, ſuccos quos fundunt plantæ colligere atq́ excipere, naturæ beneficio datos: odoramenta uerò colorumq́ delitias ſuo tempore prodeuntes deſpicari, & nihili ducere, ea ſolùm de cauſa, quòd gratia quędam & uoluptuoſa amœnitas in ijs reniteat, niſi etiam aliud cōmodum ſeorſum aduehant? Vnum hoc reclamare uidetur, ſi nihil temerè (quod uos philoſophi dicere ſoletis) natura parens produxit: quomodo iſta uoluptatis gratia creata ſint, quæ nullo alio inſigni emolumento prædita, ad oblectandum duntaxat exhilarandumq́ ſunt comparata? Cōſidera ut germinibus ſtirpibusq́ folia erumpant, ad conſeruandum fructum: ſimulq́ uti eorum beneficio arbores fotæ, aurulâue recreatæ, moderatius aëris intemperies mutationesq́ perferant. At florem nulla alia manet utilitas, quàm ut uſu ſuo nobis partim narium oblectamentum affundat, mirificos odores expirando: partim inimitabili colorum tinctuumq́ ornatu naturæ uarietatem oſtentando, iucundum oculis ſpectaculum miniſtret. Hinc eſt quòd ſtirpes mœrent quodammodo & mordentur, auulſo frondium honore: oriturq́ in ijs noxia quædam ulceratio, & fœda cumprimis nuditas. Neq́ uerò, ut uidetur, ſolius (id quod ab Em-

B pedocle dictum)

Haud par eſt frondes prorſus defringere Lauri.

Sed & reliquo arborum generi parcendum, ne illarum ſpolijs, ut & præter naturam direptis, comandi nos ipſos ſtudium caperet. Imò florum decerptus uindemiam ſimilitudine ſequitur, obeſtq́ ne tantillum quidem, quippe quos niſi decerpſeris maturitatis tempore, mox marcidi defluxuri fuerint. Itaq́ qui è folijs, quàm è certis floribus coronamenta malunt contexere, barbaros imitari mihi uidentur, quibus loco panni, pecudum tergora in amictū uertūtur: adeò parum ritè ſtirpibus iſtos uti apparet. Equidem harū rerum cenſuram ad coronamentorū inſtitrices refero: nec enim Grāmaticus ſum, ut recitare queam poëmata, in quibus legimus ueteres illos ſacrorum certaminum uictores, floreis redimitos tempora ſertis. Illud ſaltem, quòd Muſis conſecrata ſit roſarum corona, uideor mihi meminiſſe, dicente Sappho in fœminam quandam imperitam, & à Muſis, hoc eſt, liberalibus artibus abhorrentem,

Iacebis inhonora, ubi fato conceſſeris,
Nec eris conſors Pierijs ſarti roſis uinculi.

Sed audiamus ecquid è re medica teſtimonij allaturus ſit Tryphon. Tum ille ſermonis uicem excipiens, nihil iſtorum omnium dicebat latuiſſe priſcos homines, ut quibus potior medicinæ pars à plantis petebatur. Quin extant etiamnum, inquit, eius rei certa documenta. Tyrij Cadmo Agenoridæ, Magnetes Chironi, quòd hi duo medicinā primi factitaſſe credantur, primitias offerunt: radicibus enim herbarum ęgros medicabantur. Quid, quòd Liber pater non ob repertum modò præſentiſsimū pariter & gratiſsimum pharmacum (uinum ſcilicet) creditus fuit frugi medicus, uerumetiam quòd honorem Hederæ tribuerit, aduerſis planè uiribus uino repugnanti: docueritq́ Bacchantes hederacea corona uelari, uelut noxæ minus è uino ita ſenſuros, extincto abolitoq́ ex Hæderæ frigiditate, ebrietatis feruore? Adde quòd ueterum in hiſce rebus curioſam plus ſatis diligentiam, produnt nomenclaturæ quædam. Sic Nuci, καρύας nomen crearunt, quòd ſpiritu graui & capiti nociuo, quem exhalat, ſoporem ea ſub arbore recubantibus conciliet. Sic Narciſſum, quia neruos obtundit & cum grauitate torporē inducit, appellauere. Quam ob cauſam Sophocles uetuſtum magnarum, hoc eſt, terreſtrium dearum coronamen- *Soph. Oedipo Coloneo.*

C tum uocauit. Rutam quoque, Peganum apud illos à facultate nomen accepiſſe tradunt: ſiccitate enim quam ui caloris poſsidet, genitale ſemen cogit atque coagulat, penitusq; uterum gerentibus inimica eſt. Cæterùm qui Amethyſtũ, tam herbam, quàm cognominem illi gemmam ſic dictam arbitrantur, quòd aduerſus temulentiam præſidio ſit, longè hallucinãtur: utrique enim à colore nomen inditum. certè herbæ folium emaculatum eſt illud quidem, ſed tamen uiolæ & diluto aquæ admixtione uino adſimile. Plura eius generis inuenire eſt, quibus nomenclaturam uires pepererunt: ſed tamen iſta poſſunt abundè maiorum diligentiam, multarumq; rerum uſum, quo ebrijs conſulebant, docere. Porrò merum ubi caput prehenderit, & cum ſenſuum fontibus corpus quoq; obrigeſcere fecerit, maiorem in modum hominem conturbat & exagitat. Itaque florum odoris defluxus mirum quàm præſentem opem adferat, arcemq; capitis contra ebrietatis impreſsionem obmuniat. Nam ſi calidi ſunt, molliter relaxant poros & recludunt, uinoq; perſpirandi locum tribuunt: ſi uerò moderatè frigidi, leni contactu repellunt atque inhibent exhalationes, quemadmodum facit è uiolis ac roſis contexta corolla: uterq; enim flos adſtringit, & capitis grauedinem odoris ui defendit. Enimuero Cypri flos, crocus, & baccharis, placido ſomno potos conſopient: habent nanque blandum & mite odoris defluuium, quodq; natas in ebriorum corporibus aſperitates inæqualitatesq; ſenſim diffundit & diſcutit, ſic ut oborta iam tranquillitate hebeſcat & concoquatur crapula. Quorundam etiam florum odore ſurſum ad cerebrum reiecto, tum ſenſuum ſpiracula defecantur, tum humores quoque citra omnem uim concuſsionemq; diuiduntur à calore clementer & attenuantur. Ad hæc cerebrum, quod natura frigidum eſt, ſic intepeſcit atque fouetur. Quapropter ſutiles è floribus corollas de collo præcipuè appendebant, hypothymidas, quaſi pectoralia amuleta, nuncupatas, quarum pigmentis etiam pectus oblinere conſueuerant, uti teſtatur Alcæus, iubẽs multa indigna perpeſſo capiti, canoq; pectori, unguentũ affundi. Atque adeo hoc è loco odoramenta narium foraminibus abrepta, calore ſuo cerebrum impetunt atq; feriunt. Non enim collares coronæ, hypothymides ea de cauſa dictæ fuerunt, quòd exiſtimaretur animus corde uelut caſtro inſidere: alioqui enim epithymides rectius & obuio magis uocabulo, ut ego cenſeo, appellari poterant, ob exhalationem euaporationemq;.

Vide Plin. libro 37. cap. 9.

Fortè, [illegible], id eſt, reſoluerit.

Quidam arbitrantur eſſe liguſtrum ſed coniectura ducti.

D Porrò non eſt quod admiratione capiamur, ſi tantam habeat uim Coronarum expiratio: ſiquidem memoriæ proditum eſt, taxi umbram ſub ea ſopitis eſſe letalem, quando turget, maximè quo tempore flos erumpit. Quin & è papauere effluit ſpiritus, à quo niſi caueant ſibi qui lachrymam colligunt, protinus concidunt. Quid, quòd Alyſſum herbam qui uel manu tantùm contrectant, à ſingultu liberantur, quamuis alijs ſolus intuitus id præſtat? Eadem armentis & gregibus utilis creditur, ſi conſeratur circum illorum cubilia. Roſa utique etiam inde nomen accepit, quòd copioſum odoris defluuium expuat, quæ cauſa eſt cur & ocyſsimè marceſcat: & ut refrigerandi uim obtineat, aſpectu tamen rutilat, ignemq; imitatur. Nec caret id ratione: nam tenuis & ſuperficiarius in ea calor uelut innatat ac renidet, à natiua roſæ frigiditate expulſus.

Plin. lib. 16. cap. 11. Dioſco. lib. 3. cap. 87.

PROBLEMA SECVNDVM.

De Hedera, ſit ne calidæ, an naturæ frigidæ.

COllaudantibus nobis Tryphonem, renidens Hammonius, Parum, inquit, liberale fuerit uarium uſqueadeo & floridũ, corollæ in modum, ſermonẽ dictis conuellere: attamẽ haud ſcio quàm ritè ſit inſerta hedera, eo nomine, quòd meri uim frigiditate reſtinguere ſit dicta: ſiquidem ignea facultate ac feruida dotata eſt: eiusq; fructus uino admixtus inebriat, corpusq; ignea ſua ui ferit. Palmitem quoque, more lignorum quæ ab igni inflectuntur, criſpari torqueriq; prædicant. Præterea nix, quæ ſæpenumero pluſculis diebus alijs inſidens plantis perdurat, hederam citiſsima fuga deſtituit: quin prorſus eueſtigiò propter natiuum illius calorem, liquitur tabeſcitq;. Deinceps quod à Theophraſto literis proditum eſt, non in poſtremis ducendum. Negociũ Harpalo dederat Alexander, græcas ut arbores in Babylonicis hortis depãgeret: potiſsimeq; frondoſas, patulis ramis repandas, lateq; umbram facturas, inter frutices promiſcuè collocaret, locis nimirum illis feruore ſolis æſtuq; retorridis. Solam ex omnibus hederã reſpuit regio, quantumuis enixè ut creſceret ſatagente Harpalo, pertinacemq; in eo curam ponente. Itaque commarcuit illa & exaruit: quippe quæ feruida natura, feruentiq; ſolo conſita, non ad temperiem proficiſceretur, imò longiſsimè diſsideret. Exceſſus enim ſunt qui uires enecant,

Plin. li. 16. cap. 35. Theophraſt. lib. 4. cap. 4.

ideo

A ideo naturæ ſuæ contrarijs magis afficitur unumquodq;. Quod frigidum eſt, adamat cali
dum: quod calidũ, frigidi tangitur deſiderio. Hanc ob cauſam, montuoſa, uentoſa, niueq;
obſita loca, tædifera ſunt, & picem fundentes plantas, in primisq; larices ac pinos pro-
ducunt. Præter hæc bone Tryphon, alſioſæ, hoc eſt, frigoris impatientes, item frigidæ ar-
bores, deciduum foliorum honorem ponunt, ob caloris contracti fruticemq; linquentis
exilitatem imbecillitatemq;. Verùm oleæ, lauro, necnon & Cupreſſo perennem conſer-
uat uirorem, pinguedinis fœcunditas, atq; calor: nec ſecus & hederæ. Hinc adeò factum
eſſe, ut Liber pater, hederam non tanquam ebrietatis amuletum, aut uini hoſtem induxe-
rit, ut pote qui merum clarè μέθυ, & ab uinolentiæ ſtudio ſe ipſe μεθυμναῖον nominarit: ue-
rùm meo quidem iudicio, quod factitant uinoſi, ubi deficit uitigineus ſuccus, hordeaceo
utuntur potu: aut fictitium quodpiam è mâlis aut è palmulis uinum concinnant: eodem
ille prorſus modo uiteæ corollæ captus deſiderio, ubi uitem nudam folijsq; uiduatam con
ſpexiſſet, creditur, pro temporis uariantis ratione, hederæ ſimilitudinẽ adamaſſe: nam pal
mitum capreoli multiplici lapſu ſerpentes, lubricoq; paſsim diuagantes errore, frondium
flexibilis tenacitas, & liber circumquaq; amplexus, & (quod uel præcipuũ eſt) corymbi
acerbæ uuæ acinis denſæ uel maturitate nigricanti aſsimiles, uitis habitum mentiunẽ. At-
qui ſi conferre quippiam ad ebrietatem hederam exiſtimandum erit, id calore eius effici
dicemus, nimirum cuticulares meatus diducendo, uel potius merum concoquendo, ut e-
tiam tuam gratiam ô Tryphon Bacchus medicus expectet. Ad hæc obmutuit Tryphon,
quomodo reſpondendo foret, animo diſquirens. Hîc tum Eraton quemlibet noſtrûm,
qui præſentes eramus iuuenes, nominatim prouocans, ſuppetias ferre Tryphoni pro ſer-
tis adhortabatur, ni ea deponere mallemus. Exemit quoq; metum omnem Ammonius,
recipiens nihil ſe noſtris dictis reluctaturum. Demum adhortante huc & ipſo Tryphone,
Argumenta, inquam ego, perſequi, quibus hederam eſſe frigidam demonſtretur, meum
non eſt munus: quin Tryphonis, qui refrigerãte adſtringenteq; frequenter ea utitur, iſtud
intererat. Attamen ex ijs quæ dicta ſuperius ſunt, primũ illud, quòd hedera uitio immiſſa
temulentiam cieat, ueritati haud eſt cõſonum: ſiquidem noxam quam bibentibus creat,
non ebrietatem, ſed turbationem, emotionemq; ſtatus animi, aut delirium quoddã dice-
B re queas, cuiuſmodi Apollinaris herba inuehit, & non pauca eius generis alia, quæ men-
tem ad inſaniam ſolicitant. Deinde contorſio palmitum extra rationem cadit: talia nanq;
præter naturam opera, non in ijs numeranda ueniunt, quæ naturæ ductu perficiuntur. A-
lioqui & ligna igne humorum exugente contorquentur, quæ tamen ex ſe nunquam niſi
ui allata curuantur, & ingenitæ naturæ tranſgreſsionem experiuntur. Porrò innatus ca-
lor augmentare nutrituq; producere natura eſt comparatus. Agè uerò iam apud te cõſul-
ta, an non potius hæc multijuga uolutatio, & pumila eiuſdem conditio, ex imbecillitate
frigiditateq; proueniat. Hinc eſt quòd adminicula quærit, quibus ſe erigat, multis quaſi
flagellis aut clauiculis ſeſe muniens: non ſecus atq; uiator defeſſus ſæpius ad reparandas
uires deſidet, deinde inſtitutum iter proſequitur. Propterea circumplexu & pedamenti
adminiculo habet opus: quippe ſe ipſa ſuſtinere prorſumq; ſerpere impotens, idq; caloris
defectu, cuius ui accliuis inſurgit. Porrò quòd nix è folijs hederæ defluat & liqueſcat, id
fit ob eorundem humiditatẽ: liquor enim extinguit, diuiditq; fungoſam niuis raritatem.
Quid uerò aliud nix eſt, quàm ſpiſſarum exiliumq; bullarũ congeries quædam? Hinc fit
quòd algidiſsimis quibuſq; locis, udi ſint illi modò, citius niues liquẽtur, q̃ apricis ſolicq;
expoſitis. Cæterùm quòd ſempiterno uirore germinet, & quod dixit Empedocles, perpe
tuùm frondeſcat, caloris id munus non eſt: ut neq; frigoris, frondibus uiduari. Nam Myr-
tus & Adiantum, quæ tamen inter calida non cenſentur, uerùm è frigidorum ſunt nume-
ro, perpetuò uirent. Itaq; temperamenti æquali cõſtitutione folia perdurare, quorundam
eſt opinio. Præter hanc rationem Empedocles cauſam quoq; reijcit in meatuũ ſymme-
triam, qui rato ordine æqualiq; ſuctu alimentũ intrò traijciunt, ita ut affluxus illis faciat ſa
tis. E diuerſo quibus defluunt folia, in cauſa eſt laxitas ſuperiorũ, & anguſtia inferiorum
meatuum: quandò nec hi tranſmittunt nutrimentum, nec illi cuſtodiunt, ſed pauxillũ ex-
cipientes, multum cõfertim effundunt: quemadmodum in elicibus hortorum uſu uenit,
ubi qui frutices uſq; aquarum aſpergine rigantur, & nutrimenti abundè habent, mediocri
tatemq; conſeruant, neq; marceſcunt ſenio, ſed uirides permanẽt. Proinde hedera Baby-
lone conſita exaruit, lociq; naturam detrectauit: generoſè illud quidem & præclarè, quo-
niã ſub tutela Bœotij dei (Bacchi uidelicet) alta eius cliens & cõuictoris paraſiti loco exi
ſtens, renuit apud Barbaros degere: nec tamẽ Alexandrũ ipſa deſpicabatur, illis iam tum

C inauguratum nationibus: uerùm refugiebat, pugnaciterq; detrectabat demigrationẽ mutationemq; coloniæ. Cuius quidem rei nõ tam cauſa fuit calor, quàm eius frigiditas, haud perinde tolerans contrariam ſoli temperiem: nec enim quod ſocium & familiare temperie eſt, alterum corrumpit, ſed amplectitur atq; tuetur ut arido ſolo thymum: quippe natura calidum melius conſeruatur. Porrò fertur in Babylone ita æſtuoſus, feruoreq; adeò moleſtus uigere aër, ut diuitum pleriq; utribus aqua plenis indormire ſint ſoliti, quò ſpiritum ægrum refocillent.

PROBLEMA TERTIVM.

Cur fœminæ nullatenus inebrientur, ſenes ocyßimè.

ADmirabatur Florus quid Ariſtoteli accidiſſet, quòd qui ſcriptum reliquerit in commentario de Ebrietate, Senes cumprimis, fœminas minus cæteris temeto capi: cauſam tamen non elaborauit, idq; præter morem, ut qui libenter quoq; cauſas attexere ſit ſolitus: tandem iſtud in medium præſentibus (eramus autem in cœna pleriq; familiares) diſcutiendum propoſuit. Itaq; Sylla dixit, alterius inueſtigatione alterũ eluceſcere: nam ritè inueſtigata de mulieribus cauſa, haud ita multum reſtare iam negocij de ſenibus. Eſſe nanq; naturas cumprimis diuerſas & pugnantes, tum humiditate & ſiccitate, tum hiſpiditate ac mollitie, necnon & ſcabritia. Primumq; hoc, inquit, de fœminis documentum tibi eſto, quòd humido ſint temperamento: iſtud enim delicatam cutis teneritudinem efficit, & cum læuore nitorem: adde & menſtruas purgationes ſuppeditat. Quando itaq; copioſo humore uinum diluitur, tincturam amittit copia liquoris nimia oppreſſum, fitq; omnino coloris euanidi atq; aquoſum. Poſsis & ab ipſo Ariſtotele petere nonnihil: refert enim ex maiorum fide, eos qui affatim citráq; ſpiritus reciprocationem bibunt (quod ἀμυστίζειν illi uocant) in temulentiam minimè omnium incidere: nec enim immorari merum, ſed fluoris impetum propelli corpusq; peruadere. Verè autem mulieres ad eum modum bibere cernimus. Præterea conſentaneum quoq; eſt illarum corpus propter aſsiduum humorum ſuctum attractionemq; ad ſtatos diffluxus mirè foraminulentum eſſe factum, ac

D uelut elicibus & canalibus quibuſdam perſulcatum: in quos delatum merum, illicò euaneſcere, nec in principes cerebri partes impetum facere, quorum inquietatione ebrietas naſcitur, ueriſimile eſt. Porrò quòd ſenes natiui humoris ſint expertes, ipſa nominis ratio loquitur: etenim non quaſi humi deflui, ſed tanquam terreſtres iam habitu & conditione facti, eam appellationem ſortiti fuere. Abundè autem illorũ rigiditas corporis, & ſtrigoſitas, necnon & cutis aſperitas naturæ ariditatem docent. Quocirca bibentibus, uinũ membris imbibi, uero conſonum eſt, utpote corpore ſpongioſo ob ſquallorẽ exiſtente, quod deinceps moram trahens caput ferire grauitateq; opplere ſolet. Quemadmodum igitur fluenta leuiter inundant loca ſpiſſa, neq; cœni illuuiem multã concitant, at raris locis melius imbibuntur permiſcenturq;, ſic in ſenilibus corporibus immoratur uinum, à ſiccitate attractum. Preter hęc uidemus naturã ſenilem ex ſe obtinere ebrietatis ſymptomata, quę ſunt uel maniſeſtiſsima iſta, tremor articulorum, linguæ balbuties, nimiũ garriendi ſtudium, iræ præcipites, obliuio, mentiſq; emotio. Horum quum bona pars ſenibus etiã tempore bonæ ualetudinis adſit, certè paruo illi momento ut impellantur, leuiq; concuſſu habent opus, ut ebrietas non propriorum & peculiarium ipſis origo, ſed communium ſymptomatum incrementum ſenibus obueniat. Huic rei argumento eſt, quòd ſeni nihil ſit ſimilius, quàm iuuenis ebrius.

γέρων, quaſi γεηρὸν, non autem ῥέων ἐς γῆν.

PROBLEMA QVARTVM.

Frigidioris ne ſint temperamenti, an calidiores utris, fœminæ.

TAlia ferè à Sylla dicta fuere: at Appollonides, is qui ordines duxit, ait probari ſibi rationem de ſenibus allatam: omiſſam tamen uideri frigiditatis cauſam in fœminis, cuius ui feruentiſsimum merum extinguatur, uiolentiamq; igneam amittat, qua corpus percellit. Quum nec iſtud à ueritate diſſonũ uideretur, Athryilatus è Thaſo inſula oriundus medicus, quandam diſceptationis occaſionem quæſtioni prædictæ adiecit: eſſe commemorans, qui fœminas non frigidas, ſed uiris calidiores eſſe ſuſpicarẽtur: nec deeſſe, qui uinum non calidum, ſed frigidum etiam crederent. Admirante rem inauditam Floro, diſputationem de uino huic reſigno, inquit ille, me commonſtrans (diſſerueramus enim nõ ita multos ante dies ea ipſa de re.) Cæterùm fœminei caloris primum argumentũ glabritiem illam

A illam depilem eſſe arbitrantur: nimirum abſumpto à calore eo recremento, quod abundans in pilorum materiam cedit atq; cõuertitur. Alterum ſumitur ex ſanguinis copia, qui caloris in corpore exiſtentis fons eſſe uidetur. Tanta autem in fœminis ſanguinis uis eſt, ut niſi crebræ & citæ purgationes illi accidèrent, torreantur propémodum atque exurantur. Tertiò atteſtatur, quod in ſepultura uſu uenit: quippe ea mulieres quàm uiros intemperantioris eſſe caloris docere poteſt. Narrant enim ueſpillones, qui ſtudium in talibus ponunt, cum denis uirorum cadaueribus cõponi unum fœminæ, indeq; è carne eliquare oleoſum quid atque uuidum, cuiuſmodi è tædis exudat, ſic uti reliquorum corporum uelut fomes ſit. Præterea ſi calidius dicemus eſſe, quod fœcundius genitabiliusq; eſt: conſtat autem uirgines pueris citius ad Veneris appetitum extimulari, & ad gignendum concitari: certè fuerit iſta quoq; caloris probatio haudquaquã inualida. Accedit & illa maior pariter ac euidentior, quòd tolerant commodè frigus hyemisq; iniuriam: pleræq; enim minus quàm uiri obrigeſcunt, atq; omnino paucioribus ueſtimentis habent opus. Hic Florus: Equidem hiſce ipſis argumentis, inquit, reor deſtrui conuelliq; iſtorum opinionem. Primùm nanq; frigori reſiſtunt melius, quia plerunq; ſimile à ſimili difficilius patitur. Deinde & ſemen fœmineum prolificum non fuiſſe, generationiue utile antea, propter frigiditatem, credibile eſt, ſed materiæ tantùm alimentiq; uſum maſculo ſemini præbere. Adde huc quòd antè multò párere deſinũt, quàm uiri generare. Porrò euidentius eſt uti eas ab adipe, qui inter frigidiores corporis partes recenſetur: unde eſt quòd iuuenes & gymnaſtas minimè omnium adipe ſuffarcinatos uideas. Preterea purgationem menſtruã non abundantia ſanguinis, ſed idem corruptus uitioſusq; efficit: cuius pars cruda atque excrementitia ſtabili ſede intra corpus concrementoq; carens, dilabař præ debilitate, omnino inualida atq; turbida ob caloris deliquium reddita. Alioqui rigor horrorq; qui ferè menſium purgamento ſuccedit, docet frigidum eſſe & incoctum, quod excitur ſeceditq; à corpore recrementum. Porrò quis unquam glabritiē calori, ac non potius frigiditati tribuat, qui modò uideat ut quæq; pars corporis eſt calidiſsima, ita hirſutam eſſe eam & pilorum ſegete obſitam? Pilos enim & eius generis alia expellit calor fodicans reſeransq; cutis ſuperficiem. At læuior fit ex cutis denſitate, quam frigiditas efficit. Attamen quòd ſpiſsio-

B rem habeant cutim, quàm uiri, audies, mi homo, ab ijs qui cubant cum fœminis uel pigmento, uel oleo imbutis: implentur enim unguento ipſo in concubitu, quamuis ne contingant quidem aut obmulceant fœminas, trahente nimirum illorum corpore, ui calores atque raritates. Enimuero, inquam ego, quæſtio quæ fœminas ſpectat, uiriliter aduerſis argumentis aſtructa eſt.

PROBLEMA QVINTVM.

An uinum poteſtate ſit frigidum.

VErùm aueo diſcere, ſit ne poteſtate frigidũ uinũ. Hîc ſciſcitari me Florus, unde hæc mihi nata eſſet ſuſpicio. Tum ego: Falleris, inquam, ſi hanc noſtram eſſe opinionem autumas. Et ille: Cuius cedò alterius? Tandem ego: Memini non ita pridem incidiſſe in libellum Ariſtotelis, qui problema iſtud tractat. Diſſeruit & Epicurus multis rationibus in ſympoſio ſuo hac de re, quarũ caput omne & ſumma (ni fallor) huc ſpectat. Ait nanq;, non abſoluta ratione calidum eſſe uinum, ſed habere in ſe indiuidua quædam & leuia corpuſcula (atoma uocant) quæ partim calorē promouerēt, partim frigiditatē inducerent: quorum iſta abijciat intrò aſſumptũ, rurſus illa ex ipſo corporis habitu euocet atq; eliciat, quò uidelicet cum noſtra temperie ac natura in unionem redire queant. Itaq; fieri ut ex ebrijs alij incaleſcant, alij diuerſum patiantur. Iſta, ſubiecit Florus, apertè ex Protagoræ ſententia ad Pyrrhonicam nos ſcholam ducunt. Nulli dubiũ, quin de oleo, lacte, melle, & id genus alijs uerba facturis, liceat narrare quomodo mutua cõmixtione tẽperaturaq; unumquodq; conſiſtat, interim ambages nectendo, obmittentes quale quodq; natura ſit, efferre. At qua tu ratione uinum eſſe frigidũ pronunciare auſis? Tum ego: Duabus, inquam, potiſsimè innixus rationibus, craſſa id Minerua expediam. Primò ſubit mihi in mentem id quod Medici factitant, ut quibus remiſsior languet uentriculus, indigentiq; eiuſdem ęgreſcentis roboratione, nihil temperie calidũ offerant, & tamen uino exhibito remedium adferant. Necnon & alui profluuia, ſudoriſq; eruptiones uino compeſcunt: tanquã quod nihilo deterius, imò ualidius etiam quàm nix, ſiſtat, & robur uimq; adaugeat refrigerando, ac corporis habitum pronum conſtringendo. Quòd ſi natura facultateq; calefactoria

C eſſet præditũ, perinde foret (quod mea fert opinio) & niui ignem, & ori uentriculi uinum meracum offerre. Adde quòd pleriq; ſomnum frigore conciliari prædicant, & ſomnificorum medicamentorũ pleraq; frigus inducere conſtat, cuiuſmodi ſunt mandragora & papaueris ſuccus, quæ ipſa uehementia planè ſunt, & magna uiolentia frigus intrò pellunt, atq; cogunt. At uinum ut non uiolenter, ſed placidè refrigerat, ita motum cum uoluptatis ſenſu ſiſtit atq; conſopit, ſic ut maioris minoriſq; ratione hoc ab illis differat. Accedit huc quòd calida ſemen adaugeant genitale: hinc nanq; ſolidum robur humor acquirit, & ſpiritui uigor accedit, & per calorem gliſcit ac ſtimulatur uirtus. Cæterùm qui copioſum merum ingurgitant, ad coitum redduntur tardiores, ſemenq; illorum generationi improficuum eſt, utpote debile & inualidum: imò irriti atque inutiles eorum cum fœminis congreſſus ſunt, uitiato nimirum refrigeratoq; ſemine prolifico. Inſuper quęcunq; homini ex algore obueniunt, temulentis uniuerſa eueniunt: tremor, grauitas, pallor, ſaltus tumultuantis in artubus ſpiritus, linguæ balbuties, neruorum in extremis partibus diſtentio atque ſtupor. Quin & compluribus in reſolutionem artuum temulentia deſinit, quando omnino obtorpuerit mero, atq; extinctus ſit calor natiuus. Medicantur porrò noxas quibus tenentur ebrij & crapula exaturati, ab initio quidem, ut uidere eſt, operimentis iniectis, & decubitu eos fouendo: poſtero die lauacris, unctionibus, cibiſq;, qui ſtatim corporis non ſolicitant atq; conturbant, ſed qui placido ductu calorem à uini copia diſſipatum, & quaſi è corpore extorrem, reuocare ſunt apti. Veruntamen, inquam, ut in ijs quæ ad oculum apparent, & ſimilitudines dubias & facultates inueſtigare ſolemus, ita de ebrietate nihil ambigere oportet, quidnam tandem ſit: nam, ut liquet, imò uti iam antè dictum eſt, ebrioſi ſenibus conformes ſunt uel maximè, quo fit, ut maturè ſenectutem ſibi accelerent uinolenti, & ex ijs non pauci intempeſtiua caluitie deformantur, canoſq; ante tempus producunt. Quibus omnibus corripi hominem caloris inopia exiſtimatur. Nec hoc ſilentio tranſeundum, acetum naturam quidem & uim habere uini, nec tamen quicquam ualentius ignem oppugnare, quàm acetum, poſſe: imò quæuis ignis extinguendi tormina ſuperare longè, flammamq; frigoris uehementia opprimere. Quin & inter omnia fructuum genera, quibus uineus eſt ſapor, loco refrigerantium uti uidemus medicos: cuiuſ-

D modi ſunt punica mâla, & poma hortenſia. Nónne ipſum mel aquæ pluuiæ & niuali commiſcendo, uini naturam induere ijdem docent, frigore nimirum dulce illud, ob affinitatem quã habet cum auſtero, cùm præualet, corrumpente? Nónne maiores noſtri hac de cauſa in genere reptilium, Draconem, inter frutices hederam Libero patri aſsignarunt, atq; conſecrauere, ut frigida quadam ac gelida uirtute prædita*? Porrò ſi, quoniam ab epota cicuta merum affatim hauſtum remedio eſſe uideatur, hinc caloris argumentum trahere quis uelit: huic nos obijciemus uiciſsim, uinum cicutæ admixtum poculo, immedicabile eſſe pharmacum, potanteſq; conclamata ſemel ſpe necare: ita ut nihilo magis calidum exiſtimari debeat, quoniam ueneno repugnat, quàm frigidum, quia ueneni præſentiam adiuuit atq; adauxit. Certè ſi non frigore, nulla alia natura aut facultate, bibentibus, magis quàm alia, mortem adferre ualet cicuta.

*iſta uidentur ad ſuperiora ubi de hedera agit, referenda.

PROBLEMA SEPTIMUM.

Cur muſtum minimè omnium inebriet.

Conſule Procli in Heſiodum.

VInum nouum quarto Idus Nouembris auſpicãtur Athenis, quẽ diem πιθοιγίαν, à doliorũ reſeratione nuncupant. Atqueadeo uotis conceptis prius ſalutarẽ innoxiũq; meri uſum precabant olim, quàm bibendo id delibarent: ac inde is menſis initiatorius ſiue auſpex dici cœpit: quo mẽſe poſtridie Nonas fauſto Genio litantes, uetus mos eſt poſt primum Fauonij flatum, uinum deguſtare, quòd præcipuè uentus uinum emoueat uapidumq; reddat: cuius uim quod effugiſſet uinũ, ſtabilẽ ac diuturnã ſeruare bonitatẽ creditum eſt. Itaq; cùm priſco ritu feſtũ agitaret eum diem pater, à cœna collaudato uino, cauſam ſolicitè diſquirentibus mecũ adoleſcentibus, quæſtionẽ propoſuit, quid eſſet cauſæ, cur neutiquã inebriaret muſtum. Quæ res cùm multis abſurda uideretur, nec fidẽ mereri, ſubiũxit Hagias, Muſtũ quouis modo exaturare, corpuſq; opplere: ac propterea faſtidio eſſe, nec libenter ebibi à quoq; ſolere, quòd ad cõciliandã ebrietatem ineptum uideatur. Appetitum nanq; id reſpuere, ſedata iam ſiti, ob ingratũ quendam, qui in eo eſt, ſaporem. Quòd uerò ſit aliquod inter dulce ac ſuaue diſcrimen, haud ignoraſſe poëtam, qui ait:

Tum caſeo, dulciq; mero, tum melle ſuaui.

A Vinũ enim initio ſuaue eſſe, mox in dulcedinẽ abire, quando uidelicet inueteraſcens concoctionis beneficio ad auſterum uergere incipit. Hîc tum Ariſtænetus Nicenſis recenti memoria legiſſe alicubi aiebat, permixtum uino paſſum, ſedare ebrietatem. Idem aſſerebat, medicos, ijs qui plus ſatis biberunt, præſcribere, ut dormituri panem mellis embammate imbutum deuorent. Quocirca ſi quid meri uim offuſcat dulcedo, certè ſummo iure uinum nouellum haud inebriare dicemus, quandiu dulcedo degenerarit. Libẽter hîc aſſenſimus omnes adoleſcentũ inuentis, quoniam uulgatas maximéq; obuias rationes perquirere non contenti, noua ſuo marte argumenta tam feliciter excogitarint. Parata ad manum & facilia cumprimis ſunt illa: muſti grauitas, quæ (uelut ab Ariſtotele ſcriptis proditum eſt) peruadit aluũ & penetrat: deinde flatulenti ſpiritus, a quoſæq; ſubſtantiæ copia, quorum ille compreſſu, euaneſcit citò, hæc uerò uini facultatem retundendi, naturam ſortita eſt. Nam uetuſtas ferè exhauſto abſumptoq; omni eo quod aqueũ eſt, uino adfert robur, ſic tamen ut minuatur quidem quantitas, uis nihilominus intendatur.

PROBLEMA DECIMVM.

Cur ſub luna, quàm ſole, computreſcant carnes magis.

EVthydemus ille è Sunio oriundus, inuitatis nobis prægrandem aprum appoſuerat: admirantibus qui aderant cunctis, longè maiorem ſibi donatũ, ſub luna computruiſſe narrauit, ac de cauſa rei ualde ambigere: nam quòd ſolares radij calore Lunam ſuperantes, liquandis carnibus ſint efficaces minus, quàm luna, ueritati non uideri cõſonum. Hîc Satyrus: Non id magis mirum, inquit, uideri debet, quàm quod uenatores factitant, qui quoties aprum aut ceruum longinqua è regione in urbem dimittunt, æneum infigunt clauum, uelut putredinis remedium. Itaq; abſoluta iam cœna, quum propoſitæ in medium quæſtionis mentionem refricuiſſet Euthydemus, Moſchion medicus commemorauit putredinem colliquationem eſſe quandam & diffluxum carnis, ad humidum conuertente eam corruptione: atq; in uniuerſum quæ putreſiunt omnia humefieri: deinde & calorem quencunq;, modò mitis is ſit & mollis, humorem commouere & concitare: eundem, ſi ſit
B igneus, carnem extenuare. Quibus uerbis haud difficulter elucefcere ueritatem poſſe aiebat. Lunam ſiquidem moderato tepore humectare corpora: è contrario Solem inde diripere, depaſcíq; ui ſua ignea, quicquid exundat humoris. Quo ſenſu dixiſſe & Archilochũ illud naturali ratione:

> Durabiles, ut ſpero, multos Sirius
> Seruabit, & flagrante Phœbus ſydere.

Clariuſq; etiã Homerũ extuliſſe de Hectore, cui iacẽti atram nubẽ circũfuderat Apollo,

> Ne uim per neruos, moribundaq; membra coruſcus
> Exigeret Titan.

Rurſus Lunam inefficaciores radios diffundere, qui ne maturant quidem uuam liuidam, uti cecinit Ion. Quibus dictis ſubieci ego: Cætera bene habent, inquam: interim tamen quantitatis reſpectu, & potioris maioris'ue ratione, quod ad caloris tempus attinet, metiri totum debemus. Nec enim in eo ſitum eſt, quòd (uti uidemus) ſol aut hyeme minus caloris adferat, aut æſtiuo tempore tabefaciat magis corpora: quoniam ſi caloris mollitie putredo naſceretur, diuerſum facere debebat: nunc uerò quo magis increſcit æſtus, hoc citius in putredinem abeunt carnes. Proinde Luna non caloris defectu & impotentia, putredine cadauera abſumit: imò potius reijcienda cauſa eſt in defluuij, quod ab ea procedit, proprietatem. Etenim quòd non una quapiam qualitate ſecundum magis & minus differẽte, præditus ſit calor, ſed numeroſæ ſint ignis facultates, nullo pacto ſibi inuicem reſpondentes, ex rebus paſsim obuijs perſpicuum euadit. Nam aurifices igne è paleis conflato, aurum elaborant. Medici accenſis uitium ſarmentis decoquunt pharmaca. Ad emolliendum uitrum informandumq;, apprimè conuenire cenſentur myricæ ramuli: nam oleæ termites in fomentis corpus mirè afficiunt, balneis tamen ubi fomitum loco ſuburuntur, aduerſantur, & cum loricatione etiam fundamenta exterunt. Qua de cauſa Aediles probi non patiuntur operarum redemptores oleaginis uti uirgis: ueluti nec illud, ut lolium adijciatur materia ignis futura: fumus enim qui inde exurgit, lauantibus & caput grauat, & caliginem ob oculos obducit. Nil mirum igitur, ſi inter Solem & Lunam, hoc interſit, quòd ille exiccando, hæc remittendo exoluendoq;, humorum defluuium quibuſdã corporibus inſerat. Hinc fit quòd nutrices cauent omnib. modis infantu-

Vide Strabonem lib. 2. geograph.

C los,ſub Lunam educere. Nam cùm ſint humoris pleni, adinſtar uiridium lignorum, conuelluntur & contorquentur. Præterea quos Lunæ radij indormientes feriunt, hos ægrè attollere ſeſe, ac uelut obtorpentes ſenſibus & ſtupidos cernimus: humiditas nanq; à Luna diffuſa, corpora premit grauatq;. Adde quòd partus facilitatem etiam promouere Luna ſemiplena creditur, faciliorem reddendo nixum incremento humorum. Quamobrem, ut equidem arbitror, Lucina. & λοχεία, hoc eſt, partus præſes, cognominata fuit, planè non alia, quàm Luna. Quid clarius, quàm quod Timotheus extulit?

Per cœrulei poli aſtra, per citiparam Lunam.

Inanimis quoque in rebus elucet Lunæ potentia. Succiſos enim plenilunio truncos reijciunt fabri lignarij, ut hiulcos, celeriterq; ob humiditatis uitium carie conficiendos. Agricolæ frumentum prono iam menſe properant ex area cõuehere, ut totum ſiccitatis ui aduerſus humecta repugnet: at quod conſtante Lunæ ætate conuehitur, ob humiditatẽ tumidius redditũ dehiſcit & crepat. Fertur & farina triticea melius ſubigi plenilunio & fermentari: nam fermẽtatio etiã iuſto minor, tametſi ad mediocritatis metas non acceſſerit, in eandem tamen corruptionem producit atq; induit totã maſſam relaxatam reſolutãq;. At caro putrida nihil aliud ſentit mali, quàm quòd ſpiritu, qui eam cõſeruare ſolet, ad humidum degenerãte imbuatur, itaq; diffluat. Hoc & in aëre accidere uidemus. Is enim putredini magis obnoxius, plenilunij maximè tempore, rorem ſpargit copioſius: ut alicubi Melicus Alcman de rore, quem aëris Lunæq; prolem fingit, dixiſſe legitur:

Ros Iouis & Lunæ ſoboles gratiſsima nutrit.

Sic undequaq; uerisſimis teſtimonijs probatur, lunare lumen humectum, uim habere reſoluendi putrefaciendiq;. Cæterùm quod de clauo æreo dictum eſt, qui in carnem adactus (ſic cõmunis eſt opinio) eam duret, & imputribilem tueatur, uidetur id adſcribendum adſtrictoriæ eius ui. Nam rubigine ad tale pharmacorum genus utuntur medici: & qui in æris fodinis uerſantur, utilem ad oculos medicinam experiuntur, uti proditum eſt: & quibus defluxere cilia, his ſuccreſcunt poſtliminiò. Nam qui ex Chalcitide excutitur
D puluis, palpebris inſidens occultè, comprimit atq; inhibet defluuia, lachrymasq; oculo-
Iliad. β. rum ſiſtit. Hácque de cauſa à Poëta æs ἤνοπα & νώροπα dictum autumatur, à uiſus nimirum reſtauratione. Quin & autor eſt Ariſtoteles, ærea cuſpide aut enſe facta uulnera, curari minus difficulter, celeriusq; coire, quàm quæ ferrum inflixit: propterea quòd medicamentoſi aliquid in ſe habeat æs: quam uim creditur & uulneribus primo appulſu imprimere. Nec illud obſcurum eſt, quòd putredini, adſtringentia: corruptioni, ea quæ inſtaurant & ſarciunt corruptum, aduerſam habeant uim. Niſi quis uelit dicere, clauum per impreſsionem, humores ad ſe illicere, ſequente perpetuo affluxu ad id quod afficitur, & dolet: unde fit, ut eo loco uelut uibex quidam, aut maculæ ueſtigium uiſatur: proindeq; rationem conſtare, ſi reliqua caro illæſa maneat, confluente illuc omni putredinis uitio.

DECADIS QVARTAE

PROBLEMA PRIMVM.

An multiplex cibus ſimplici ſit concoctu facilior.

INTER quartæ Decadis Conuiuales quæſtiones, problema, quod de ciborum uarietate tractat, à nobis primùm deſcribetur. Nam cùm menſe Februario Dianæ feſtum, quod à deciduis ceruorũ cornibus nomẽ habet, in Hyampoli Bœotiæ urbe ageretur, eô profectos nos ad feſtum conuiuio excepit Philon medicus opiparè admodum & genialiter, uti uidebatur, facto apparatu: qui cum Philino ſimul puerum pane ſolo utentem citra opſonium aliud, conſpicatus, Dij boni, inquit, hoc illud eſt quod dici ſolet,

Saxa interpugnant, neq; ſaxa leuare potentes.

Simulq; exilijt, allaturus ijs rerum neceſſariarũ quidpiam: aliquantò poſt caricas aliquot & caſeum attulit. Cùm ego dixiſſem, accidere iſtud ijs qui eximij quidpiam & opipari meditantur, ut neceſſaria, quæq; uſui eſſe poſſunt, aſpernẽtur, neq; penſi faciant. Hic Philon: Haud, inquit, eram memor Philinũ in alimonia uictusq; ratione Soſaſtrũ imitari, quem nullo uſum alio cibo potúue, quàm lacte, totum uitæ curriculum exegiſſe perhibent: quem tamen ipſum talem uiuendi rationem ex quapiam infirmitate amplexum fuiſſe, ueri eſt ſimile. At hic noſter diuerſa planè ratione, quàm Achilles à Chirone iſto, ab ipſis

ſtatim

A ſtatim incunabulis, alimento exangui pariter & excarne altus, non longè petita demon-
ſtratione, aëre rore q; paſtus cicadæ in morem dicetur. At uerò nobis, inquit Philinus, ig-
notum fuit centenis ueſci uictimis, uelut ob rem bene geſtam ſuperbientibus: apud nos
etenim ſunt, qui incondita edulia complectuntur, ceu alexipharmaca, frugali & ſalubri ui
ctu contenti, ſpretis operoſis adeò & turgennbus menſis, quamuis illud rarius audierint,
quòd ſimplex cibus uti uario facilè parabilior eſt, ita citius etiam concoquitur. Tum Mar
cion ad Philonem conuerſus: Apparatum, inquit, omnem tuum ſordere facit Philinus,
conuiuas retrahendo deterrendoq́;. Quòd ſi rem tibi gratam ſum facturus, opponam me
iſtis tua cauſa, oſtendamq́; uarios cibos quàm ſimplices concoqui facilius, ne quid in ap-
poſita fercula manum immittere dubitent. Quod uti faceret, Marcionem obteſtatus fuit
Philon. Itaq; cùm à cœnando ſuperſederemus, ac Philinum deſtruere obiectum de cibo-
rum uarietate argumentũ adhortaremur, ſic is incœpit: Non meum eſt iſtud cõmentum,
inquit, imò hic ipſe Philon frequenter apud nos prædicare ſolet, primùm feras uniformi
alimento & ſimplici utentes, inoffenſa ualetudine mortales ſuperare: quæ uerò caueis in-
cluſæ uictitant, ad morbos pronas ferri, leuiq́; momẽto cruditate offendi, eò quòd mixta
quadam & edulcorata ſagina utantur. Deinde nullus extitit unquam medicorum om-
nium quantumuis in audendo periculoq́; faciendo temerarius, quantumuis magnos ſibi
ſpiritus ſumens, qui uaria edulia febrienti porrexerit: quin potius ſimplex cõdituraq; om
ni carens alimentũ uelut concoctioni audientius exhibent. Oportet nanq; pati mutariq;
cibum à naturali facultate, quę in nobis eſt, deuictũ. Simpliciũ colorum nnctus durat ma
gis, præſtantiorq; eſt. Oleum, quod uel maximè eſt odorum, citiſsimè unguentariorũ pi-
gmentis adulteratur. Quod ſimplex eſt, & uniforme alimentũ, concoctionis beneficio fa
eilè alteratur. At mulritudo uarietasq; qualitatum, cùm contrarijs facultatibus pugnanti
busq; conſtet, citius ubi concurrunt, corrumpitur: non ſecus atq; accidit in ciuitate referta
omnis generis hominũ colluuie, ubi non facilè unio aut concors conſtat ſentennia, ſed ad
proprium quilibet emolumentũ ſpectat, ægreq́; in alterius ſententiã accedit. Euidens rei
documentum dabit uinum: ſiquidem diuerſorum uinorum uſus inebriat ocyſsimè: dein-
de cruditati è uino aſsimilis eſt ebrietas. Quocirca uinorum permixtionẽ fugiunt poto-
B res: & qui uina confundunt, uelut inſidiatores, latebras captant. Mutatione nanq; quali-
bet alteratur uariaturq́; priſtinus rei ſtatus. Quò fitut Muſici, cùm magna religione tenſa
pluribus fidibus otgana tractent, nihil aliud ſuſpectum habentes mali, quàm confuſionẽ
ſonorum & uarietatem. Ego uerò id dixero, cirius pugnantes rationes fidẽ inuenturas, &
probationẽ, quàm diuerſas qualitates cõcoctũ iri. Niſi ludere uideor, omiſsis iſtis, ad Phi
lonis rationes concedam. Audimus nanq; ſæpenumero dicentem illum, difficilem conco
ctionem ex alimenti qualitate naſci: at uerò miſcellanea multarum rerum miſtio, ut no-
xia, ſic alienarum qualitatum fœcunda parens eſt: alioqui oportet, uſu hoc docente, am-
plecti quod naturæ ſuæ amicum eſt. At ſi natura nihil concoctu difficile eſt, ſed copia in
cauſa ſit, quæ turbationem inuehat corruptionemq́;: hoc magis ego cenſeo fugienda eſſe
uaria iſta & omnigena edulia, quibus nõ modò oblimauit Philonis coquus, quaſi ſui ip-
ſius æmulus, nouitate interim uariationeq; immutans appetentiam, quantumuis haud re
luctabundam, ſed ad cætera audientem, quæ tamen nihilominus dum uarietatem ſecta-
tur, ab eo quod naturæ eſt cõueniens & frugale, aberrauit. Hîc uerò reuocandum eſt quo
que ad memoriam Socratis dictum præcipientis, cauenda eſſe cibaria, quæ citra famem
ad edendum appetentiam proritant: uelut innuentis, nihil in cibis metuendum formidan
dumq́; aliud, quàm omnigenam miſtionem & uarietatem: hæc enim longius, quàm uſus
poſtulat, uoluptatem producit, quæ in ſpectaculis, in acroamatis, in re uenerea, in quouis
luſus exercitijq; genere, increſcit pro nimietatis ratione, cuius multa ſunt inítia & capita:
contrà in ſimplicibus & uniformibus uoluptatibus, non excedit naturæ fines pellacia.
Equidem omnino ita cenſeo, tolerabiliorem eſſe Muſicum, cui fidium multiplex ſonus
probatur: aut aliptam, qui pigmentorum uſum probet: quàm Medicum, qui epulares
cõdituras cõmendet: ea etenim ratione bona ualetudo euertitur, atq; à recta ſemita exor-
bitat. Talia dicente Philino, Marcion ait uideri ſibi ſub Socratis contineri execratione di
risq́;, non modò qui ab honeſto utile diſiungunt, uerumetiam qui uoluptatem à ſanitate
excludunt, uelut illi aduerſam repugnantemq́;, ac non potius auxiliatricem: pauci enim
& inuiti dolorem ceu uiolentiſsimum inſtrumentum amplexamur, cùm in reliquo mor-
talium genere nullus quantumuis ita animũ obfirmauerit, uoluptatẽ reſpuat: imò hæc in
cibis, in ſomno, balneis, unctionibus, ablutionibusq́; ſemper adeſt præſtò, & excipit, &

C educat ægrum, alienam temperiem familiari ſucco, & qui ſecundum naturam ſit, plurimo
obliterans. Quæ tandem ærumna, quæ egeſtas, quod uenenum præſens ita facilè ac citra
moleſtiam morbum diſcuſsit, atq; balneũ opportuno tempore apparatum, aut uinum o-
pus habentibus porrectum? Cibus cum uoluptate ingeſtus, eueſtigiò moleſta omnia diſ-
ſoluit, naturamq; ad ſuam temperiem reuocat, uelut reddita ſerenitate tranquillitateq;.
Contrà quæ laborioſis rebus quæruntur remedia, ægrè plantatimq; cum magno molimi-
ne naturæ uim adferendo, id perficiunt. Quare non eſt quod nobis uitio uertat Philinus,
ſi minus ſublatis in altum utraq; manu uelis uoluptatem fugiamus: quin aptius conemur
componere iucundum cum ſalubri, quàm Philoſophi quidam iucundum cum honeſto.
Proinde ſtatim in primo argumẽto falſus mihi uidêris Philine, dum ſtatuis bruta animan
tia ſimpliciori alimonia uti, quàm hominum genus, ac proinde ſanius etiam degere. Neu-
Capræ, Eupolis fabula. trum enim iſtorum uerum eſt, imò reclamant Eupolidis Comici Capræ, alimoniam ſuam
decantantes uariam & ex rebus compluribus miſcellaneam, hunc in modum loquentes:
Materiam depaſcimur omnigenã, abietes, ilices, tenerasq; arbuti propagines arrodẽtes:
præter hæc & alia, nimirum cytiſum, odora legumina, frondoſam ſmilacem, oleaſtrum,
lentiſcum, fraxinum, ficum, quercum, hederam, myricam, ſyluestres mâlos, rhamnum,
uerbaſcum, aſphodeli colem, ciſthum, fagum, thymum, ſiſymbriũ. Conſtat autem enume
rata omnia ſexcentis conſtare ſuccorum, odorum, facultatumq; differentijs: quamuis plu
ra iam dictis obmiſſa ſint. Alterum uerò illud irritum facit Homerus, experientia certa do
cens bruta prima peſte corripi. Adde quòd & uitæ breuitas clamitat, quàm ſint caduca &
morbis obnoxia: nullum enim ex ijs longæuum eſt, niſi ſi quis coruos & cornices recen-
ſeat, quas tamen uoraces, & à nullo alimenti genere abſtinere uidemus. Quid, quòd tam
bellè ex ęgrotantium diæta, concoctu facilioris difficiliorisq; rationem iniſti? ſiquidem la
bor, exercitia, & quod cibos incîdit, concoctu ſunt quidem facilia, attamen febrientibus
non conueniunt: pugnam uerò & diſsidium uariorum ciborum temerè formidaſti. Ete-
nim ſiue è ſimilibus proprium ac familiare nutrimentum natura colligit, atq; hinc uarius
ille cibus multas tranſmittens è ſe qualitates, in totam corporis molem, cuilibet particu-
læ, quod accommodum eſt, diſpenſat, ſic, ut Empedoclis illud perficiatur,

D Dulce corripuit dulce, amarum conceſsit amaro:
Acre petijt acre, & torrido torridum coniunctum fuit.

Siue qua alia miſtione, quæ pro cõmodo alimento caloris beneficio in ſpiritu manet, di-
ſperſa, familiaria ad ſui congenera ſequuntur. Nam conſuſsneum adeò corpus & multifa
riam conflatum, quale hoc noſtrum eſt, è uaria materia potius quàm ſimplici congerere,
ſuamq; temperiem abſoluere, rationi conſentaneũ eſt: quod ſi nõ eſt, ſed cõcoctio, quam
uocamus, alterandi mutandiq; alimenri naturam obtinet, celerius hoc & aptius in uaria
materia fiet. Simile nanq; à ſimili non afficitur: at repugnantia & cõtrarietas citius immu
tat qualitates atq; corrumpit, propter mixtionem repugnantiũ rerum. Quòd ſi in uniuer-
ſum mixta abolenda cenſes & uaria, Philine, non tantùm dum cœnat aut obſonatur Phi-
lonem hunc conuicijs laceſsito, ſed multò magis, quoties regias illas & auxiliares medi-
camentorum uires cõmiſcuerit, quas deorum manus nuncupare ſolitus fuit. Eraſiſtratus
damnat inſaniam & curioſitatem in confundendis ſimul in unum rebus metallicis, herba
rijs, theriacis, è terra mariq; promiſcuè petitis: pulchrè nanq; omiſsis iſtis, in ptiſana, cu-
curbita, & hydrelæo medicinã conſumi. At hercle uarietas irritat ineſcatq; appetentiam,
ſui impotem: etenim puritatẽ quandã, & ſtomachi bonitatẽ cum fragrantia conciliat, de-
nique meliore conditione imbuit: edaciores quoq; reddit & bibaciores: quin igitur pro
pulmento furfures tuburcinamur? & loco aſparagi, allium apparamus & carduos? repu-
diatoq; generoſo iſto ac delicato uino, è dolio ignobile potamus, quod à culicum cater-
uis circumcinitur? Neq; potes aliter aſſerere, quàm quòd ſalubris uictus ratio nullum ſit
uoluptatum effugium: ſed moderatio & ordo quidam in uoluptatibus, obſecundans ap-
petentiæ illi, quæ quod utile eſt, expetit. Quemadmodũ autem omni molimine impetuo
ſum uentum euitare nauclerus ſatagit, ſopitum deinde & iacentem nemo excitare, aut
permouere denuò potis eſt, ſic appetitui repugnare, & luxuriãti fręna inijcere, haud per-
inde magni eſt negocij: rurſus langueſcenti ante tempus ac pigreſcenti, uiribusq; priſti-
nis defecto robur addere, & uelut ad uitam reuocare, hoc opus, hic labor eſt. Quapro-
pter multiplex cibus, ſimplici & uniformi eò propè præſtantior eſt, quò facilius com-
peſcitur luxurians natura, quàm cietur moueturq; repugnans. Enimuero quod dicunt
plerique, plenitudinem fugiendam eſſe magis, quàm inanitionem, uerum non eſt: imò
contrario

A contrario modo habet: ſiquidem repletio morbum, etiam ubi in corruptelã deſierit, extin
guit: contrà inanitio, etſi aliud nihil mali inuehat, ipſa ſaltem per ſe præter naturã eſt. Atq;
iſta quidem uelut diſparibus ædita chordis, obiecta ſunto ijs, quæ à te eleganter ſunt ex-
cogitata. Illud uerò quadantenus uos uſq; ad ſalem & cyminũ amicos latuit, quòd uarium
omne ſuauius eſt, quia cõditius, modò tollas ſuperfluum in condiendo ueluti ſaſtum: ad-
hæreſcit enim agglutinaturq́; appetenti excipientiq́; corpori, præuio uſu: quod uerò fa-
ſtiditur, ut fluctuat & circumagitur, ita aut omnino id reſpuit natura, aut ægrè amplecti-
tur, inopia coacta. Iſtud tantummodo uarium dici obſerues atq; memineris, quale non ui
ſitur in condîtis illis barbaricis quas abyrtacas uocitant, & in placentis, ac minutalibus:
ſunt enim iſta curioſè apparata, & ueluti uarijs è ſeminibus collecta. Plato quoq; uarieta-
tem inuehit, ubi claris generoſisq; iſtis ſuis ciuibus bulbos, oliua, holuſcula, caſeum, om-
nigenaq; opſonia apponit: ad hæc uerò cœnantes bellariorum ferculis non defraudat.

DECADIS QVINTAE

PROBLEMA SEXTVM.

Cur arctius compreſſiusq́; initio menſæ ſedeant conuiuæ, poſtea liberius diffuſiusq́;.

HIS dictis illicò propoſita fuit quæſtio, quid cauſæ eſſet, cur anguſtius accumbe
rent conuiuę initiò, mox remiſsius laxiusq́;: quum par foret contrarium potius
accidere, repletis diſtentisq; à cœna corporibus. Fuere igitur qui accubitus for-
mulam in cauſam uocarent: ferè nanq; in latum diſcumbentes cœnam capere,
quò dexterã in menſam protendamus: deinde inter cœnandum obuertere nos magis in
latus, acutamq́; corporis ſpeciem effigiare, locũ non ſuperficie. ſed linea tenus (Geometri
cè loquendo) occupantes. Velut itaq; tali minus capiunt loci, ſi recti proni'ue cadant: pa
ri ratione fit in quolibet noſtrûm, qui initio in os diſcumbimus, coniectis in menſam ocu-
B lis: poſtea accubitus ratione è lato in profundũ cõmutamus. Pleriq; pro cauſa proferebãt
ſtraguli explicationē remiſsionemq́;, quòd in decubitu dum premitur, dilatatur explica-
turq; calceorũ inſtar, qui paulatim terendo extendunt, atq; auctiores pariter & laxiores
meatus acquirunt: ſimulq́; pedi liberius ſpaciũ, & uerſabilitatē indulgent. Tum ſenex lu-
dens, binos ait eſſe ſympoſij diſsimiles præfectos, ſiue duces: initio menſæ Famē, cui or-
dinis nulla ſit cura: alterum Liberũ patrem, qui omniũ conſenſu præſtantiſsimus habitus
fuerit ductor. Proinde quemadmodũ Epaminondas aciē iniquo loco ſeſe ſuis armis pro-
terentem conficientēq;, uitio & imperitia ducũ, eduxit atq; in ordinem cõmodum reſti-
tuit: ſic nos initio coactos à Fame, & ſimul confluentes more canum, Liber pater, ut eſt
curarum liberator, & chori præſes, uice uerſa in hilarem ordinem & lætum redigit.

PROBLEMA SEPTIMVM.

De ijs qui faſcinare dicuntur.

NAtus fuerat inter cœnandum ſermo, de his qui effaſcinare, & faſcinatorios habere
oculos creduntur: ubi cùm cæteri rem prorſus exibilarent, atq; riſu proſequerentur,
modeſtè Florus apud quē cœnabamus, famam mirificè euentis aſtipulari dixit. Sed quia
cauſa ſit obſcura, fidem hiſtoriæ derogari, nec id meritò: quum ſexcenta eiuſcemodi inue-
nire liceat, in quib. manifeſtus ſit effectus, cauſa tamen nos lateat. Omnino ita eſt, inquit:
qui rei cuiuslibet probabilem inueſtigare rationem ſatagit, is rerum miracula ubiq; tollit
funditus & euertit. Vbi ceſſat ratio, illinc naſcitur dubitatio, hoc eſt, philoſophia: adeò
ut quodam modo philoſophiam è medio tollant, qui rerum miraculis fidem non habent.
Oportet autem rationem aduocare, ubi cur aliquid fiat, quæritur: quemadmodum quòd
quid fiat, ab hiſtorijs petendum eſt. Sunt autem eius generis nõ pauca. Notum eſt quoſ-
dam intuitu ſolo infantibus potiſsimum noxam adferre, ob uuiditatem debilitatemq́; cor
poris habitus per illos mutati uitiatiq́;: ubi qui ſolidis ſunt artubus & compactioribus, mi
nus huic malo ſunt obnoxij. Enimuero Thybios (eſt id genti nomē) Ponti olim accolas,
non pueris modò, ſed adultis quoq; exitioſos fuiſſe ſcriptum reliquit Phylarchus: tabeſce
re enim & morbis implicari, qui eorum obtutum, anhelitum, aut loquelam ſuſtinuiſſent:
quod mali, ut eſt uеriſimile, ſenſerunt mercatores aduenæ, qui emptitios inde ſeruos edu-

C cere ſolebant. Quamuis hoc in iſtis minus mirum uideri queat, quoniam contrectatio, &
contagioſa corporum coniunctio, originem quandam morbi euidentem habent. Quem-
admodum cæterarum auium pennæ cum aquilinis ſepoſitæ, abſumũtur caloris defectu:
eædem tamen ubi plumæ computreſcent, illæſæ atq; à uitio immunes permanent: ita ni-
hil prohibet, quin contactus hominis uel prodeſſe, uel grauis & exitioſus eſſe queat. Cæ-
terùm quòd ex intuitu malũ quis incurrere poſsit, fit illud quidem, uti dixi: ſed quoniam
ambigua eſt & cæca ratio, fidem non inuenit. Atqui, inquam ego, ueſtigium quoddam &
callem qui ad explorandam cauſam ducat, inueniſti quodammodo, poſtquam ad deflu-
uia illa corporum pertenderis. Nam odor, uox, & reſpirationis fluxus, defluuia ſunt quæ-
dam animantium, & ſenſum permouentes partes, quandò ex illorum allapſu afficiuntur:
quanquam probabilius eſt multò, ex animalibus iſtorum effluxus ortum habere propter
calorem, & motum, qui ſpiritui uelut pulſus quidam aut turbo eſt, cuius concuſſu atq; aſ-
ſiduo uerbere, corpus effluuia quædam emolitur uſq; & profundit: quod tamen per ocu-
los potiſsimum accidere conſentancum eſt. Viſus nanq; ut eſt uagus & mirè mobilis, be-
neficio ſpiritus aciem oculorum igneam emittentis, mirificam quandam uim diſſeminat:
adeò ut illius opera multa & agant & patiantur mortales, quippe qui rebus ſpectatis de-
libuti, & moderatis uoluptatibus capi, & moleſtias ſentire poſsint. Adde quòd amoris
(quæ longè grauiſsima animæ & uehementiſsima eſt affectio) origo à uiſu naſcitur, ſic ut
amans diffluat & liquetur, quoties formoſam ſpectat, uelut in illam commigrans. Quare
mirabitur quis, arbitror, non abs re, iſtos qui lædi hominem & affligi ex obtutu rentur,
nec tamen eam uim exercere poſſe aut incommodare. Mutuus ille aſpectus eorum, qui in
ętatis flore exiſtunt, & quod ex oculis emanat, ſiue illud lumen, ſiue fluxũ dicemus, aman
tes cõficit atq; interimit, cum uoluptate dolori permiſta, quã inde ipſi illi γλυκύπικρον, qua-
ſi dulce amarum, nuncupant. Qui tangunt, qui audiunt, non perinde uulnerantur affici-
unturúe, ut ij qui fixis oculis ſpectantur, & uiciſsim ſpectant: tanta enim ex obtutu in in-
tima uiſcera penetratio, tantus ardor naſcitur, ut prorſus imperiti amorum cenſendi ſint,
qui Naphthæ, quod bituminis genus è Media adfertur, admiratione capiuntur, quòd ex
aliquanto ſpatio ignem corripiat. Formoſorum nanq; aſpectus, quantumuis in oculos
D procul illabatur, inteſtinum in amantium animis ignem ſuccendit. Videmus enimuero
ſæpiuſculè quid auruginoſis opem adferat, qui Rupicem auiculam inſpectantes curan-
tur. Ea uidetur animalculum iſtud natura temperieúe præditum, ut trahat & rapiat in ſe
morbum, atq; deriuet per oculos, uelut elicem quendam. Quę cauſa eſt cur Rupex arqua
tos non aſpiciat, imò ne ſuſtineat quidem, ſed aduerſetur, atque oculos occludat, nõ quia
remedij uſum inuideat (quod exiſtimant quidam) uerùm quoniam non ſecus atque è uul
nere ſaucietur. Inter reliqua morborum genera maximè citiſsimeq; lippitudinem per
contagionem tranſſumunt, qui cum lippis uerſantur. Adeò momentaneam uim habet ui-
ſus, ut alteri affricare mali originem & inijcere poſsit. Perbelle diſſeris, inquit Patro-
cles, quod ad corporeas res attinet: uerùm animi affectiones, in quibus & faſcinatio cen-
ſetur, quo pacto aut qua tandem ratione pèr oculos noxam in uiſos transfundere que-
ant? Videris, inquam, mihi neſcire, quòd pro animi affectione corpus quoque afficiatur.
Venereæ rei cogitatio genitalia ſurrigit. Canum ille ardor & in inuadendis feris trucu-
lentia, ſæpenumero eorum obſtruit luminibus, atq; occæcat adeò. Mœſtitia, auaritia, ze-
lotypia colorẽ immutant, habitumq; corporis exterũt ac depeculantur. Nec uerò minus
quàm iſtorũ ullũ, prauitate corpus imbuere poteſt inuidia, ubi in animũ ſubierit: quapro-
pter exprimere prauitatẽ conantes præſtantiſsimi quiq; pictores, inuidię faciẽ appingũt.
Itaq; quoties ij, quorũ animos obſedit inuidentia, oculos aliquò defixerint, ac uicini lumi
na uirus iſtud animi hauſerint, nõ aliter quàm tela ueneno illita allabuntur: nec fuerit à ra
tione abſonũ (mea quidẽ ſententia) nec incredibile, tales dum ita ſpectantur, uirus conci
pere atque oblædi. Canum, quos ira feruentes inflixere morſus immedicabiliores ſunt.
Quinetiam genitale ſemen amantium ſimul congredientium, melius cohæreſcere perhi
bent. Ac ſanè in uniuerſum animi affectiones uegetant, cõtentioresq; corporis actiones
efficiunt. Hinc eſt quòd eorũ, qui faſcinũ præuertere aut amoliri creduntur, genus ad ar-
cendã inuidiã conferre nõnihil puteẽ: retracto nimirũ uiſu dum loco nondũ cõſederit, ut
ſic minus in affectis hęrere malum queat. Iſti tibi, inquã, mi Flore, cõuiuij cõgreſſus uelita
tionesq; adnumerantur. Tum Soclarus: Modò nos, inquit, prius ſuffragemur iſtis: adulte-
rina nanq; uideẽ alicubi ratio. Si enim quæ uulgus de effaſcinatis prædicat, ut uera ſtatui-
mus, nõ es ignarus ſcilicet, quomodo amicos familiares, imò parẽtes quoq; oculis faſcina

A re arbitrentur quidā hactenus, ut ne liberos quidem ſuos oſtendere ijs uelint uxores, aut
certè non longo adeò tempore ab ijs ſpectari permittāt. Qua ergo ratione inuidię iſta ad-
ſcribi poterit affectio? Quid uerò per Iouē dices de his qui ſeipſos effaſcinant? neq; enim
inauditum eſt tibi iſtud, aut ſi minus, legiſti ſaltem:

Et fuerat quondam pulchra coma Eutelida.
At miſer in rapido dum ſpectat flumine uultus,
Seſe faſcinat: hinc ſubiti per uiſcera morbi
Sæua lues peruaſit.

Fertur enim Eutelidas iſte, formæ ſuæ amore captus, è ſui ſpe-
ctro in morbum incidiſſe, bonamq; corporis habitudinē pariter cum forma amiſiſſe. Ce-
dò quam rationem ad tam abſurda euenta excogitare poſsis? Aliàs quidē, inquit, ſat com
modè, nunc uerò tantum calicem (ut uides) ebibens, confidenter aio, Affectiones omnes
animæ ſi pluſculum temporis perſtiterint, prauum gignere habitum: qui ubi inolitus ro-
bur à natura acquiſierit, minima de cauſa, ſæpe etiā inuitos, ad ingenita & natiua uitia de-
ducit. Vides meticuloſos etiam ſalutifera formidare: iracundos amiciſsimis quoq; ſuccen
ſere: amatores ac ſalaces, ne à ſacris quidem aut pudicis corporibus temperare ſibi poſſe,
quamuis morti uicinos. Aſſuetudo ſiquidem pro ſua libidine uerſare affectum animū po
teſt. In aliquod malū procliuiorē, nutare neceſſum eſt, ac proruere in quæuis obuia diſcri-
mina. Quapropter indignum eſt admiratione duci, ſi, quos inuidentiæ faſcinationiſq; ha
bitum ſibi adſciuiſſe nouimus, in familiare ipſis uitium pro affectus ratione proni feran-
tur: huc enim ſtimulati, pręſtant nō quod uolunt, ſed quô eos natura rapit. Veluti neceſ-
ſariò globus orbiculariter, & cylindrus proprio cylindri motu uoluitur, pro diuerſa nimi-
rum figuræ ratione, ſic inuidum affectio inuidè ad omnia agit. Proinde conſentaneū eſt,
tales ſibi familiaribus & adamatis noxam magis conciliare. Atq; ita affici tam bonus ille
Eutelidas, quàm cæteri qui ſeipſos effaſcinant, ſummo iure uidentur. Diſcriminis plenus
eſt bonus habitus, qui ad ſummū pertigerit, ut ab Hippocrate proditū eſt: quæq; ad extre
mum uigorem progreſſa fuerint corpora, nō conſiſtunt, ſed ruunt, ac facili momento nu-
tant in contrariū. Quocirca ubi plus ſatis ſibi indulſerint, meliusq; quàm expectarant pla
cere poſt inſpectionem cœperint, uſqueadeo ut ſui admiratione curioſoq; intuitu deliniti
B capiantur, tum pro mutationis, quæ proxima eſt, ratione in peiorem prolapſi habitū, ſibi
ipſis faſcini uim adferunt. Id quod uſu uenit magis à defluuio quod in aquis, aut alio quo-
piam ſpeculatorio obiecto ſubeſt: unde ſurgit in inſpectores expiratus, quo ſeipſos perin
de ut cæteros affligunt. Atq; iſtud fortaſſe pueris accidere ſolitum, frequēter cauſam men
dacem inſpicientibus illis attribuit. Hîc quum finem ego dictis feciſſem, Caius Flori ge-
ner: Nulla, inquit, Democriti ſpectrorū atq; imaginū habenda eſt ratio, cenſura nulla: ut
nec Aeginetarum, nec Megarenſium. quæ ille dictitat ex inuidis proficiſci, ſenſus haud
prorſus expertia, aut arbitrarij motus, ſed plena tum prauæ qualitatis, tum inuidentiæ,
quam expuunt atq; eiaculantur, qui ea ſunt imbuti: quorum beneficio cōfirmata, inſiden
tia, imò cum effaſcinatis familiaria facta, conturbant deprauantq; tam corpus, quàm inge
nium. Iſtud enim, mea quidem ſentētia, uult innuere autor ille, ac ſi uerba ſpectes, magni-
ficè prolata, ac prorſus diuinè uidentur. Planè ita res habet, inquam ego: attamen miror
quomodo non animaduerterimus illum ab iſtis effluxibus uim animatā ac uoluntariā ſu-
ſtuliſſe: ut ne interim exiſtimetis me inducendo ſpectra, aut ſpirantes imagines, nec intel-
lectu carentes, terrorem uobis incutere aut horrorē uelle, abſente tantiſper nocte. Quo-
circa ſi uidebitur, hiſce de rebus craſtino mane diſſertabimus.

PROBLEMA NONVM.

Cur ficus arbor facilè amariſſima, dulciſſimos ædat fructus.

EXinde de ficubus incidit controuerſia, quamobrem uidelicet pinguis adeò & ſuauis
fructus ex arbore prodeat amariſsima, unde ficulnum folium ab aſperitate θρίον no-
men ſumpſit: lignumq; ſucco ſcatet, quò fit ut igni impoſitū fumum reddat acerbiſsimū, li
xiuiumq; è cinere exuſti ligni uim maximā in exterendo propter acerbitatē habeat. Iſtud
uerò ſuper omnia admiratione digniſsimū eſt, quòd cū arbores quæ gemmas excludunt,
quæq; fructus proferūt, omnes floreāt, hæc uerò nequaq;. Quòd uerò fulmine ici negāt,
nō abs re amaritudini quis adſcripſerit, & trunci uitio aſperitati'ue: talia enim credunt nō
percelli fulgure, ut neq; uituli marini coriū, neq; hyænæ. Itaq; ſenex ſermonē captans, ait,
arborem immodicè amarā reddi, & quidē merito, expreſſo quicquid reliqui erat dulcis

C ſucci. Veluti nanque prædulce euadit iecur, ſecreto in unum locum, coactoque bilioſo omni humore: ita ficum conſumpto tranſmiſſoque in fructum ſuum, quicquid pinguedinis maturique ſucci habet, ipſam expertem dulcoris omnis manere. Nimirum, inquã ego, quòd truncus non prorſum utili ſucco careat, inde coniecturã facio, quia rutam ſub fico creſcentem, aut non procul enatam, ſuauiorem eſſe mitiorique ſucco aſſerunt, tanquã quæ dulcedinem quandam delibet, cuius ui grauis ille ſapor, & impenſè ſatur extinguatur. Niſi certè è diuerſo ficum, dum alimoniam ad ſe attrahit, amarorem iſtius ebibere dicamus.

PROBLEMA DECIMVM.

Qui dicantur amici ſale tenus & cymino: ibidem cur ſalem diuinum Poeta dixerit.

SCiſcitabatur apud ipſum diſcumbentes nos Florus, qui prouerbio dicerentur, Sale ac cymino tenus amici. Id explicuit promptiſsimè Grammaticus Apollophanes. Hi enim, inquit, amici prouerbio notantur, qui uſqueadeo ſunt familiares, ut uel ſolo ſale & cymino contenti conuictitarint. Interim unde tanta ſali accreuiſſet opinio atque honos, ambigebamus, Homero clarè dicente:

Diuinumque ſalem deguſtat.

Nam & Plato ſalis ſubſtantiam legum autoritate ſacroſanctam, dijſque gratiſsimã, ſcripto prodidit. Augebat hæſitationem & illud, quòd in uniuerſum à ſalis uſu abſtineant ſe Aegyptiorum ſacerdotes, qui caſtitatem inoffenſam ſeruant: adeò ut inſulſo pane ueſcantur. Qua ergo ratione, id quod ſacroſanctum eſt & diuinũ, prophanant & auerſantur? Florus itaque ualere iuſsis Aegyptijs, Græcè modò aliquid ad propoſitam materiam dictare cunctos fuit hortatus. Tum ego: Nec ipſi, inquã, Aegyptij cum Græcis pugnãt: nam caſtitas generis propagationẽ, riſum, uſum uini, pluraque etiam quæ ſunt alioqui ſeria & haudquaquam friuola, amputat & è medio tollit. Proinde fortaſsis ipſi, quibus caſtitatis unicũ eſt ſtudium, à ſale, utpote, qui caloris ui libidinem proritat (id quod nouelli aſſerunt) abſtinent. Adde, quod ueritati eſt conſonũ, eos ſalem fugere, ceu delicatiſsimũ opſonium. Sal
D enim tantum non reliquorũ opſoniorum opſonium eſt & condimentum: quapropter & gratiam ſunt qui illum appellent, quòd cibi potiſsimã partem & utilem cõdulcoret. Haccine ergo de cauſa, Florus inquit, ſalem diuinũ nuncupari cenſebimus? Imò nec iſta minima fuerit cauſa, quòd quæ publicis cõmodis ſeruiunt, & ad uarios uſus ſunt accõmodata, diuinis honoribus mortales dignantur, ueluti aquã, lucem, anni tempora: nam terra, non diuina modò, ſed pro dea etiam habetur. Horum omniũ nulli utilitate inferior eſt, ſalis ratio: is corpori nutrimenti caput eſt, & cibo robur ſolidumque temperamentũ ad urgendam appetentiã præbet. Præterea illud cõſidera, num & inde diuinitas illi acceſſerit, quòd corpora mortua diu imputribilia durabiliaque conſeruando, morti quodammodo reluctari uideatur, nec patitur cadauer omnino cõputreſcere atque in nihilum redigi. Verùm uti anima (quæ pars noſtri eſt diuina cumprimis) animantia cõſeruat, nec ſinit diffluere molem corporis: ita ſalis ea eſt natura, ut mortuis corporibus adhibitus, ad imitationem animæ, reuocet ea iam ad tabem prona, & euincat, ac moderatam quandam temperiem, ſiue harmoniam conſtituat, ſocietatemque mutuã partium inter ſe. Hinc eſt, quòd Stoicorum quidam dicant τὴν σάρκα, hoc eſt, carnem nunc mortuam, fuiſſe κρέας, id eſt, carnem animatam: dum anima ſalis inſtar aſperſa fuerat, quò illa perduraret atque conſtaret. Animaduertis etiam, opinor, fulmen ſacrũ exiſtimari atque diuinum, quoniam de cœlo tactorũ corpora diu aduerſari obluctarique putredini obſeruatum eſt. Quid igitur miramur, apud maiores noſtros ſalem creditum fuiſſe diuinum, qui eadem ſit cum diuino igne, fulmine uidelicet, facultate præditus? Quum nihil ego dicerem, exorſus Philinus: Si quidẽ, inquit, autor & fons eſt rerum omnium Deus, diuinum'ne tibi uidebitur, quicquid uim habet genitalem? Annuente me, Profectò, inquit ille, non parum conferre ad genituram ſal putatur, in qua Aegyptios eſſe ſententia, memineras modò. Qui canibus alendis ſtudium ponunt, ubi in Venerẽ ſunt ſegniores, præter alias eſcas, ſalſis muriaque condîtis carnibus excitant iacentem Venerẽ, morantemque uim ſeminalem prouocant. Præterea, quæ per mare ſalem conuectant naues onerariæ, innumeram murium copiam producunt, fœmellis (ut quidam prędicant) etiam citra congreſſum parientibus, ubi ſalem illinxerint. Quamuis probabilius ſit, ſalſuginem muſculis pruritum concitare, unde in coitum proruant illicò animalcula. Atque ob hanc fortaſſe cauſam ſtata mulieris forma nec ocioſa, nec illiberalis

A lis,ſed cum uenuſtate & gratia quadam,mixta,quæq́; ſenſus poteſt inflectere,ſalſa & acris
dici ſolet. Quinetiam arbitror Venerem Saligenam dicere,fictitiamq́; de ea ceu mari orta
fabulam prodere poëtas, dum uolunt fœcundam prolificamq́; ſalis naturam indicare. In-
ſuper marinos deos in uniuerſum fœcundos, numeroſamq́; habere prolem ijdem oſten-
dunt. Deniq; inter animalia tam terreſtria, quàm uolatilia, nullũ proferre queas cuicunq;
marino fœcunditate par. In quam ſententiam ſcripſit Empedocles illud:

Fœcundos piſces,multum quæ ductitat agmen.

PLVTARCHI CONVIVALIVM PROBLEMATVM SEXTAE DECADIS PROOEMIVM.

TIMOTHEVM Cononis filium, Soſsie Senecion, à magnificis & opiparis
militaribusq́; epulis reuocatum,in Academia exceperat cœna Plato,modico
quidem apparatu & muſicè,hoc eſt,frugaliter : haud turgidis, nec decuma-
nis(ut inquit Ion)menſis, quales purus ſomnus,nec crebris interruptæ ſom-
nijs imaginationes,ſimul cum corporis alacritate, trãquillitateq́; ſequuntur.
Itaq; poſtero die Timotheus ſentiens quid interſit, hoc an illo modo cœnes, ait eos,qui
apud Platonem cœnarent,etiam poſtridie pulchrè cœnare. Magnum etenim, ut uerè di-
cam,cõpendium eſt ad rectè & ex animi ſententia uiuendum,cõmoda ualetudo corporis
haud oppreſsi,ſed agilis atq; ad omnẽ functionem ritè peragendã,probè cõſtituti. Quin
& aliud haud leuius commodum accidebat Platonicis cõuiuis, quæ inter pocula fuerant
dicta,animo poſſe reuoluere,ac uelut intueri. Iſtorum enim qui abdomini ſeruiunt,uolu-
ptates ſordidam,nec libero homine dignam memoriam regerunt, & euanidam alioqui,
fugientemq́;,non ſecus atq; pridianum odorem,aut relictitium nidorem. Verumenimue
ro problematum ſermonumq́; philoſophicorũ hypotheſes,ut memores oblectant,quan-
do nunquam non adſunt nouæ,ita oblitis præbent anſam & materiam eadem audiendi,
& ruminandi,ſecũq; reuoluendi. Quo loco Philologi etiamnũ Socraticis ſympoſijs inter
ſunt ac fruuntur,perinde ac illi ipſi,qui tunc unà cœnabant. Et certè ſi ferculorum appara
B tus uoluptatem peperiſſet, poterant & Xenophon & Plato non dictorũ,ſed opſoniorũ,
miſſuum,bellariorumq́; in Calliæ & Agathonis menſas illatorum deſcriptionem memo-
moriæ conſecraſſe. At quum nunc iſta nuſquam extent,quamuis apparatu (uti credibile
eſt)operoſo,ſumptuq́; infinito concinnata,aliquam dicendi occaſionem præſtiterint: ta-
mẽ quæ philoſophicè uelut per luſum apud illos diſputata fuere,iſti ſummo ſtudio in ſcri
pta retulerunt,relicto nobis exemplo,quomodo non mutuis tantùm inter pocula collo-
quijs animum adijcere,uerumetiam dictorum meminiſſe debeamus.

PROBLEMA PRIMVM.

Quamob cauſam ieiunantes ſitiunt quàm famem grauius.

ITaq; hic tibi ſextus mittitur Conuiualium ſermonum liber, quem inchoabit quæſtio:
Cur intolerabilius ſitiant,quàm eſuriant ieiunantes. Carere nanq; ratione uidebatur,
quòd ſitis,quàm fames, perieiunantes afficeret magis: ſicci nanq; alimenti inopia,natura
liter exigere ſui reſtitutionẽ cenſebatur. Tum ego ijs qui aderãt fortè,ſic: Calor in nobis,
inquam,aut ſolus,aut præ alijs maximè nutrimento & fomite opus habet,quemadmodũ
uidemus prorſum nec aërẽ,nec aquam,nec terram alimentũ expetere,aut admotum con-
ſumere,præter ſolum ignem: qua ratione adoleſcentes caloris nimirũ beneficio, uoracio-
res exiſtunt ſenibus: rurſus facillimè inediam tolerat ſenium,ut cui torpeat,exilisq́; & de-
fectus iam ſit calor,ad exemplũ animalium exanguiũ,quibus ob caloris inopiã nutrimen
to non admodum eſt opus. Nam exercitium,uociferatio,& quæcunq; tandem motu calo
rem augent,quodlibet animal ſuo in genere,ſuauius ſtudioſiusq́; ueſci faciunt. Calido au
tem nutrimentũ eſſe quod cumprimis ſecundũ naturam eſt,humidum arbitror. Sic flam-
ma oleo increſcens docet: & quòd cinis facilè ſicciſsimus ſit omniũ,quippe exuſto humo
re omni: nam quod terreũ eſt,humore deſtitutũ iacet. Interim uerò diuellit diducitq́; cor-
porum ferruminaturam ignis,depeculando exugendoq́; glutinoſum ſuccum, qui corpo-
ris compagem colligat. Quando igitur ieiunamus, ſi quid in corpore reliquũ eſt alimen-
ti,abſumit humidum primò & ui diripit calor: mox ad ingenitum carnis & natiuum hu-
morem depaſtinandum flamma procedit,ſtudio perſequendi eius quicquid eſt humidi,

C concita. Confirmata igitur,uelut in luto fit, ariditate, potu ut magis indigeat corpus, natura comparatum eſt,donec bibentibus nobis calor rediuiuus, ac reſumptis uiribus, ſolidioris alimoniæ appetentiam creat.

PROBLEMA SECVNDVM.

An ſitim famemq́; indigentia concitet,an uerò pororum ſtatus commutatio.

HIs dictis,Philon medicus primum argumentum mouit, negans alimenti inopia naſci ſitim,ſed exilium corporis meatuum cõmigratione. Docent hoc partim, ij quos noctu ſitis urit:nam ſi obdormierint,citra potum etiam ſitire deſinunt.partim febrientes, qui remiſsionis tempore,aut ceſſante omnino febre, continuo ſiti liberantur. multis ubi lauerint, & certè quibuſdam ubi euomuerint,ſitis deſijt: quorum tamen nullum ſucci copiam adauget,ſed ſolus in cauſa labor eſt,qui aliquid huc confert,ut in pororum ſtatu permutando alius ordo & diſpoſitio acquiratur. Clariſsimum rei documentũ præbet fames. Nam inter ægros quidam ſame laborant ſimul, & appetunt tamẽ nihil. Nonnullis etiam ſaturis ne tantillum quidem remittitur appetẽtia aut refrenatur, imò intenditur potius & perdurat. Iam uerò & pleriq; faſtidientium cibum,aſſumpta oliua condititia, aut deguſta ta cappari,continuò reſumunt atq; reſtaurant appetitum. Ex quo liquet manifeſtiſsimè, affectione quadam pororũ,haud alicuius indigentia,famẽ in nobis conſtitui. Eius nanq; generis edulia, famem minuunt his, qui appoſito cibo eſuribant. Ita fit,ut ſalgama ſua acrimonia & adlubeſcentia,qua palato cõmendantur,uentriculum comprimendo cogendóq;,aut rurſus remittendo relaxandóue,mordace quodam cibi robore temperamentóq; illum imbuant, quam orexin ſiue appetitionem nuncupamus. Viſa ſunt mihi quidẽ iſta probabilibus inniti rationibus, ſed tamen cum eo quod caput eſt & præcipuus naturæ finis,ad quẽ omnia animantia appetitus rapit,id quod deficit ſarcire deſiderans, & quod ſibi deeſt ſemper perſequens,pugnare. Illud nanq;,quo ab inanimo potiſsimũ diſcrepat animans,negare ad conſeruationem & tutelam noſtri, uelut in corpore oculorũ, exiſtere,
D ac exiſtimare affectum eſſe illum mutationemq́; pororum pro molis exiguitatiś ue rationefortuitam,eorum eſt,qui(ut ſimpliciter dicam)nullo loco naturam ſtatuũt. Deinceps rigorem metiri defectu natiui corporũ caloris:ſitim uerò &famem eximere defectioni naturalis humoris,ſolidæq; alimoniæ,prorſus abſurdũ eſt. Sed longè etiã maioris uecordiæ eſt,dicere quòd natura propter plenitudinem, euacuationẽ amet:repletionẽ uerò nõ inanitionis gratia,ſed ob aliam quandam innatam paſsionẽ. Atqueadeo iſtiuſmodi in animalibus neceſsitas & ſuppetias ferendi ſtudium,nihil ab ijs quæ in agricultura fiunt, differt:multa enim ſunt illic quæ ſimiliter patiuntur,pariq; ratione remedium ſentiunt. Vbi ſquallent arida omnia,irrigando inſuccamus plantas:ubi efferueſcit æſtus, leniter refrigeramus: ijſdem in frigoris iniuria fouendis damus operã, muniendisq́; operimentorũ multiplici obiectu: quodq́; in noſtra non eſt facultate, Deum ſupplere precamur,largiri rorẽ tenerum,& lenia uentorum ſpiracula. Adeò ſemper natura quò temperiẽ conſeruet, eius quod deeſt,ſupplementum habet:ita uti credam alimoniam τροφῆς nomẽ accepiſſe,quaſi conſeruatricis naturæ. Sed ut plantæ eam conſeruant, inſenſibiliter, quantum fert uſus (ut ab Empedocle dictũ eſt)ex ambiente inſuccatæ:ſic appetitus nos docet inquirere, & quod temperamento deeſt ſectari. Porrò uideamus quàm non ſint ueritati conſona, quæ ſunt dicta hactenus. Primùm, quæ lubentiam quandam oris habent & acredinem,neſcio quomodo cibi conceptaculis non appetentiam,ſed morſicationem conciliant, quemadmodum pruritus,titillationem, dum cutim quippiam ſcarificat & pungit. Quòd ſi omnino orexin prouocat etiam hæc affectio,rationi conſentaneũ eſt,ab eius generis cibis diuidi atq; tenuari ea quæ debent, eſuritionemq́; inducere, non adaptatis cõmutatisq́; meatibus,ſed inanitis atq; expurgatis:acria nanq;,acerba,&ſalſuginoſa,materiam cibumq́; ingeſtum confringunt,diſtrahunt,atq; diſcutiunt,adeò ut nouus appetitus cõcilietur. Itaq; meatus,non ratione permutati ſtatus,ſitim ſedant,ſed dum carnis humorẽ ebibêre,liquidioreq́; imbuti fuere uapore. At uerò uomitus, dum reijcit id quod naturæ eſt inimicũ & alienum,naturæ facultatem liberam præſtat,fruendi proprio & familiari humore. Nec enim in redundante humore quouis cõſiſtit ſitis,ſed in naturali ac proprio. Proindeq; multi ſint licet alieni humores,ſitis tamen nihilo ſecius hominẽ urgebit: requiritur nanq; qui è natura eſt liquor,circa quem uerſatur appetitus, nec illis permiſcendi ſe poteſtatẽ facit,

neq;

A neq; contemperaturam concedit, donec expulſi emigrauerint: ac tunc meatus, quod ſui eſt generis, excipiunt. Porrò febris, quicquid eſt humidi, in altum ſolet repellere: ubi cùm inteſtina loca exuruntur, compreſſus intus humor omnis conſumitur depaſciturq́;: quò fit ut multis & uomitus ſuccedat, arctatis interaneis, ac ſic compreſſu reijcientibus humores: & ſitiãt, eò quòd reliqua corporis moles inopia liquoris ſiccitateq́; moleſtetur. Quando uerò febris remittitur, & è corporis meditullio receſſerit calor, rurſus diffunditur, & priſtinum propriumq́;, quem natura præſcripſit, locum undequaq; recuperat humor: unde ſimul & interaneis à labore laxamentum præbetur, & caro pro aſpera & ſqualljda, læuigatur, ac tenereſcit molliſq́; redditur: interdum uerò etiam ſudores promouentur: qua ratione fit, ut quæ ſitim conflauit humili inopia, deſinat atque ceſſet, humore in debitum deſideratumq́; remigrante locum, relicto eo qui grauabatur, ægreq́; reſpirare à faſce atq; exiſtere potuit. Quemadmodum in horto quantumuis abundet aquis puteus, ni tamẽ plantas irriges deprompta aqua, ſitire alimentoq́; deſtitui eas neceſſum eſt: ſic intra corpus in unum locum contractis humoribus, nil mirum ſi inopia ſiccitateq́; reliquę partes afficiantur eatenus, quoad refluant ij & refundantur. Ita enim uſu uenit tam in febrientibus, remiſſo febris æſtu, quàm in ijs qui à ſiti obdormierint: quòd in iſtis ex alto reuocans humores ſomnus, ac membris undequaq; diſpartiens, æqualitatem quandam inducit, ac ſaturitatem. Alioqui prædicta meatuum ſtatus commutatio, quà ſitis fameſq́; conſtituitur, cedò qualis tandem eſt? Certè ego non uideo quod ſit meatuum diſsidium aliud, niſi quòd plures paucioreſue aut concidant, aut diducantur. Vbi cõcidunt, ne potum quidem aut cibum admittunt: rurſus ubi dirimuntur atq; dehiſcunt, intercapedo relinquitur & uacuũ ſpacium, quæ eſt inopia eius quod ſecundum naturam eſt & familiare. Sic, inquam, uir optime, pannorum qui tinguntur imbutura, locum habet ſuum in auſtero, & abſterſorio, quorum ope excretis conſumptiſq́; ſuperfluis, meatus illi exiles excipiunt melius & imbibunt libentius pigmenta, propter defectum uacuitatemq́;.

PROBLEMA TERTIVM.

B *Cur famelici, ſi bibant, fame liberentur: ſitibundis uerò ſi comedant, increſcat ſitis.*

HIs dictis, qui nos conuiuio exceperat, utcunq; iſta diſſeri ait: ſimulq́; ad aliam quæſtiunculam, has meatuum inanitiones repletioneſq́; reuocat ſubitò, Cur famẽ famelicis potus placare poſsit: è contrà ſitientibus augeſcere ſitim oblatis edulijs contingat. Huius rei cauſam facillimè & probabiliter cumprimis, iſti qui meatuum rationem inuehunt, inter cætera reddere uidentur. Nam quum meatibus conſtent omnia, ſitq́; meatus alius alia præditus ſymmetria, latiores quidem ſiccum pariter humidumq́; alimentum capiunt, exiliores liquorem ſolum admittunt: ij inaniti ſitim conciliant, illi famem. Itaq; ſiticuloſi, ſi comederint, nihil opis ſentiunt, reſpuentibus ſiccam alimoniam anguſtiæ ratione, meatibus, priuatiq́; indigis nutrimenti. Contrà famelici, ſi bibatur, potus in grandiores poros impactus, ſubit, & loca uacua implet, unde famis remittitur uehementia. At ego, quamuis conſtaret mihi rem uerè ita fieri, rationi tamen adductæ acquieſcere nolui. Si quis, inquam, poris iſtis, quibus addicti ſunt nonnulli ſuffraganturq́;, carnẽ perforet, nihil aliud quàm iunculentam, tremulam, ac putrem eam facit, adeò ut per has corporis partes non cibus, non potus commeet, ſed eæ cribri modo hac illacq́; perfluant & excernant, prorſus monſtri ſimile fuerit, & perabſurdum. Illa nanq; humidi cum cibis permixtio, eos comminuit, adiuta ope caloris interni ac ſpiritus, accuratius perfectiuſq́; quàm inſtrumentum etiam quodlibet, omni genere ſectionum inciſionumq́; atterit & confringit cibum, ſicut quælibet eius pars cuilibet membro aſſocietur & familiariter adiungatur, non uelut ſuppingendo opplendoq́; rimas ac foramina, ſed unita adnataq́;. Ac certè niſi ita ſtatuatur, indiſcuſſum relinquitur præcipuum quæſtionis caput. Qui enim manducant, niſi biberint, ſitim tantum abeſt quòd ſedent, ut adaugeant etiam. Qua quidem de re nihil hactenus dictum eſt. Sed an dilucidas rationes aſſumamus, animum applicato. Primùm ſumamus à ſicco conſumi humidum & aboleri: rurſus humore imbutam rem ſiccam, itáque emollitam, diffundi euaporareq́;. Deinde ſtatuamus non omnino ſicci alimenti excluſionem eſſe famem, ut nec humidi, ſitim: ſed eſſe moderati, eiuſq́; quod ſatis eſſe poteſt, deliquium: ita ut ſi planè ab alterutro deficiat quicquam, non fames, non ſitis ſequatur, ſed repentina mors. His ita ſtatutis, haud operoſum eſt & difficile cauſam perſpicere. Siquidẽ

C comedenti ſitis increſcit ob cibi ariditatem, qui reliquum in corpore humorem diffuſum
ac diſperſum, ut eſt exiguus & languidus, colligit atq; exugit: haud aliter in rebus exter-
nis uſu uenire uidemus, quòd terra pulueres aut potius cœnoſa humori cõmixta, in ſe ra-
piat, abſorbeat, cõficiat deniq;. Rurſus quòd famem potus compeſcat, conſtituitur neceſ-
ſariò: nam humor dum præmiſſos cibos duros atq; exuccos irrigat, & innato ſucco uapo
réq; perfundit, intrò eos conuehit, lociſq; cõmodis & ubi opus eſt, ſuppingit. Proinde nõ
male Eraſiſtratus, humidum, cibi uehiculũ dixit: ſuo enim admixtu, ijs quæ ſiccitatis aut
morbi uitio ſegniter cõmeabant, ponderoſioráq; fuerant, & uiam parat, & ea ſecum rapit.
Præterea multi reperiuntur, qui loti tantũmodo citra potus uſum, famere deſierunt, im-
placabili prius & ſæua fame oppreſſi: extrinſecus enim ſubiens humor, ſucculentiora red-
dit corpora, & alit non parum, dum interna mollificat & demulcet, ſic ut acerba illa & ef-
fera famis uis remittatur atq; miteſcat. Hinc eſt, quòd diutiſsimè uitam producant ex ijs
nonnulli, qui duriter ac parcè uictitant, ſola aqua ingeſta, dummodo non omne quod nu
trire corporiq; agglutinari poteſt, exaruerit.

PROBLEMA QVARTVM.

Quam ob cauſam puteana aqua deprompta, ſi in eodem putei aëre pernoctet, frigidior reddatur.

HOſpiti qui frigidam potabat, uoluptuario homini, puteanã aquã famuli frigidiorẽ
præpararant hoc modo: Hauriebãt uaſculo aquam: id in puteo ſuſpenſum, ita ut ter
ram non attingeret, pernoctare patiebantur, itáq; in cœnam inferebatur recenter hauſta
frigidior. Erat autem is hoſpes in inueſtigandis rationibus apprimè curioſus: atq; iſtud ſe
ex Ariſtotele ſumpſiſſe aiebat, nec carere ratione: eam eſſe talem. Quælibet aqua prius ex
calfacta, frigidior multò fit: qualis eſt quæ Regibus præparatur, cui decoctæ ad ebullitio-
nem uſq;, uaſculo conditæ, ingentem niuis congeriem accumulant undique: ſic frigidior
redditur. Ita nimirum & noſtrum corpus balneo lotis, inhorreſcit magis frigore: nam re-
D miſsio quæ ui caloris fit & exhalatio, corpus quod innumeris perforatum eſt poris, rarum
efficit, ut multũ admittat externũ aërẽ, unde uiolentior naſcitur alteratio. Quando igitur
ex aëris uerbere ſuccuſſata aqua & cõmota calorem incurrerit, celeriter etiã refrigeratur.
Hîc collaudato ſene ob memoriæ fidelitatem firmitatemq́;, de ratione diſquiſitionẽ inſti-
tuimus. Nam ſi aër, in quo lagena ſuſpenditur, friget, quo pacto aquam calefaciet? ſin ca-
let, quî poterit refrigerare denuò? Prorſus nanq; rationi diſſonum eſt, ut idem ab eodem,
nullo facto diſcrimine, diuerſa patiatur. Vbi obtinente ſene & hæſitabundo, De aëre, in-
quam, controuerſum non eſt, quippe quem frigidum eſſe ſenſus dictat, maximè tamen
imo putei. Quapropter nullo fieri modo poteſt, ut ab algido aëre incaleſcat aqua: imò
quod plus eſt, frigidus iſte aër aquæ puteali immutãdæ nõ eſt, ob nimiã aquæ copiã. Si ta
men pauxillũ educas & paulatim, iam aër uires ſuas exerere, refrigeraréq; magis poterit.

PROBLEMA QVINTVM.

Cur glareæ & laminæ è plumbo ductiles aquam iniectæ frigidiorem efficiant.

AT enimuero de glareis ſilicibus'ue, inquã ego, & de cotibus, haud abſimilis eſt con
trouerſia, quæ in aquam coniectæ, refrigerare eam & conſtringere exiſtimantur, id
quod ab Ariſtotele ſcriptis proditum eſt. Rectè narras, inquit ille: hoc ſolùm in Proble-
matibus fieri narrat: uerùm nos ad inquirendam cauſam accingamur, eſt enim difficilis
cumprimis. Planè, inquam ego: ac mirum utiq; mihi uideatur, niſi fugiat nos iſta ratio: ni-
hilominus ita omnino habete. Primùm, nónne tibi uidetur ab aëre extrinſecus ingruente
algeſcere aquam? plus uerò in lapides & cotes incumbens ille habet uirium, quippe
quem non deſerunt aut effluere ſinunt, more æneorum fictiliumq; uaſorum: ſed conſtri-
ctum coactumq; ſpiſsitudinis ſuæ ratione, in aquam expuunt, adeò ut per totam eius ſub
ſtantiam, uis frigoris imprimatur uehemens. Quapropter brumali tempore acerbius fri-
gus amnes, quàm mare infeſtat: in illis nanq; uim ſuã exercet algidus aër totus penetrans
ſeſeq; exerens: in mari uerò ob profunditatẽ reſoluitur & uim perdit, nihil inueniẽs quod
relidat eum, ſuoq; obiectu repercutiat. Aliter quoq; probabile eſt, aquas, quò ſunt lympi
diores

A diores tenuioresq́, hoc perfrigeſcere magis: ubi imbecillitas in cauſa eſt cur domentur. Porrò cotes & ſilices aquam attenuant, quod ſæculentum in ea & terreum eſt permixtũ, cõtrahentes, ab eaq́ ſeparantes, ſic ut tenuior debiliorq́ aqua reddita, ab frigoris iniuria edometur citius. Alioqui quod ad plumbũ attinet, eſt id natura frigidũ: id quod aceto extritum, unum ex ijs quæ letalia ſunt pharmaca, frigidiſsimũ ſemel, producat, ceruſſam ſcilicet. Accedit, quòd ſilices denſatione, frigus fundo tenus inducunt. Lapis enim quicunq́ ſit, terræ perfrigeratæ condenſatæq́ præ algore cõcrementum eſt: & quò ſolidior eſt & ſpiſsior, hoc magis ad eam naturam accedit. Quare incõmodi nihil eſt, ſi aquæ frigiditatem cùm lapis, tum potiſsimè plumbum illo renixu atq́ reliſu adaugeat.

PROBLEMA SEXTUM.

Quæ cauſa ſit cur acere pannisq́; conſeruetur nix.

Itaq́ paulùlum dato reſpirandi ſpatio, Amantes, inquit hoſpes ille, cum amaſijs ipſis colloqui præcipuè expetunt: ſin minus, de ijs ſaltem. Idem & mihi in niue uſu uenit, quæ, quia non adeſt, nec ad manũ eam habere datur, fert animus diſcere, cur calidiſsimis rebus conſeruetur. Etenim paleis illam uelut faſcijs cõmunitam, pannisq́ rudibus undiq́ obtectam, diutiſsimè illæſam tuentur. Mirum proinde fuerit à calidiſsimis quibuſq́, frigidiſsima conſeruari in ſuo ſtatu. Planè, inquam, ſi modò uerum iſtud eſt: non tamen ita habet, imò nobis potius ipſis imponimus, credentes id quod calidum eſt, illicò etiam calefaciendi ui eſſe præditum: cùm eandem ueſtem hyeme calefacere, in ſolis æſtu refrigerium adferre dicamus: ueluti nutrix illa apud Tragicum, Niobes prolem detritis obſoletæ lænæ inuolucris fouet & refrigerat ſimul. Sic Germani ueſtem comparant ſolùm aduerſus gelu munimen & obtegumentum, Aethiopes contra æſtum modò, nos uerò utrocq́. Quare calidã optimo iure dicemus, ſi calfaciat: ſin refrigeriũ cõcilict, frigidam. Et certè ſi ſenſus iudiciũ ſequemur, frigida fuerit dicenda potius: quippe tunica ubi primùm eam induimus, frigida nobis occurrit: & toro decumbentibus, ſtragula: mox tamen emicante è nobis calore ſaturata, calorẽ adiuuat: idq́ partim cõprimendo continendoq́ calo-

B rem, partim uerò excludendo arcendoq́ à corpore, & frigoris iniuriam, & externum aërem. Qui febriunt æſtuant'ue, continenter mutant ueſtimenta, eò quòd iniecta frigus adferant, quamuis mox iniecta excalfiunt à corpore. Quemadmodũ igitur ueſtis accepto à nobis calore, calefacit: ſic à niue frigefacta, uiciſsim eam refrigerat. Refrigeratur autem à niue tenuem ſpiritum ſiue flatum exhalante, qui inſidens eius concrementum compingit atq́ continet: quo euanſcente, in aquam abiens diffluit atq́ liquitur, ſimulq́ defloreſcit candor & diſperit, quem ſpiritus humori cõmixtus aſſumpta ſpumæ natura dederat. Proinde tum frigus undequaq́ obuallatum & opertum ueſtibus inhibetur & includitur: tum etiam externus aër repreſſus niuem congelatam non diſſecat, non liquat. Accedit ad hæc rudium pannorum cõmoditas illa, quòd uilloſi aridiq́ flocci non patiuntur grauiter pannos niui incumbere, neu fungoſam eius raritatem deprimere. Haud diſsimili ratione & palea leniter incumbẽs, propter leuitatem cõminuere glaciatã niuem non poteſt: alioqui uerò etiam denſum & ſolidum operculũ ea præbet, ſic, ut & aëris feruorẽ diſcludat, prohibeatq́ à niue frigiditatem abſcedere. Porrò quòd colliquationem pariat ſpiritus demigratio, eſt illud ad ſenſum manifeſtum: nam liquefacta nix, flatus creat.

PROBLEMA SEPTIMUM.

Sit ne percolandum uinum.

Niger ciuis noſter è literario ludo domum erat reuerſus, præceptore uſus clariſsimi nominis philoſopho non ita diu: quo tamen ipſo tempore (dum philoſophus iſtud nõ deprehendit, aut caſtigat) imbiberat odioſa quædam moroſioraq́, increpandi eius libertatem imitatione exprimens, & quibus cum conuerſabatur refellere nulla non in re ſolitus. Itaq́ euenit ut conuiuio nos exciperet Ariſton: hic ille cùm reliquũ omnem apparatum plus iuſto ſumptuoſum opiparumq́ damnare inſtitit, tum uinum haud debere percolatum inferri dixit, ſed iuxta Heſiodi præſcriptũ, ut à dolio depromptũ fuerit, bibendũ eſſe, innato robore, ac ui natiua etiamnũ præditum. Eiuſmodi nanq́ defæcatio primũ frangit neruos omnes uini, caloremq́ extinguit, quippe euaneſcentem expirantemq́, ubi toties inſaccatur percolaturq́: deinde curioſitatẽ quandã & cultum aſcititiũ prodit, ac mol-

C litiem: quandò utilem iſti partem abſumunt & corrumpunt, quò dulcedinem adulterinã comparent. Quemadmodũ enim caſtrare gallos ac porcellos, præter naturam eorum carnem reddendo molliculam & fœmineam, hominis eſt haudquaquam ſani, ſed luxu corrupti: ita (ſi admittetis metaphoram) caſtrant uinum & effœminatũ reddunt iſti excolatores: nimirum hos naturæ imbecillitas ſapere prohibet, & præ intemperantiæ ſtudio certis modulis uinum bibere non amant: iſtum habent illi bibacitatis prætextum, artificioſumq; cõmentum: certè uim meram uini depeculantur & auferunt, reliqua mole relicta, quemadmodũ qui ægris frigidam reſpuentibus, decoctam porrigunt. Nam quòd aciem uini & robur omne percolatione eximãt, detrahant, atqueadeo uitient, euidẽs argumentum eſt iſtud, quòd priſtinas uires non tueatur, ſed fæce uelut radice ſua exciſa atq; extincta, intereat: utcunq; ſit, quòd uinum, fæcis nomine haud obſcurè deſignarint ueteres: ut caput aut animã, à principibus corporis partib. diminutiuè ſolemus hominẽ nominare: & qui uiteum prouentum colligunt uindemiatores, τρυγᾶν, quaſi fæcare dicuntur: & Homerus uitiferum locum διατρύγιον, quaſi fæculentum dixeris, appellat. Quid quòd uinum & ferrugineum & rubrum nuncupare ſolet? nimirum ille aliter, quàm Ariſtion pallidum & pręnimia defæcatione luridum, nobis apponit. Vbi renidens Ariſtion, Non pallidum bone uir, inquit, nec exangue, ſed placidum & mite, uel primo ſtatim aſpectu. At uerò tu, obſcurum noctis inſtar, & uelut atro horrore nigricans, ingurgitaſſe gaudes, ac propterea defæcationem damnas, ubi tale uinum reiecta ueluti bile, ac depoſita grauedine, & ui inebriatoria, omnideniq; uitio, citra tumultum leniter ſe nobis inſinuat, cuiuſmodi bibunt apud Homerum heroës. Is uerò quando uinum αἴθοπα, hoc eſt, ferrugineũ appellat, atrum non intelligit, ſed perluſtre & nitidum. Nam cùm antea æs ἤνοπα & νώροπα, hoc eſt, ſplendicans atq; coruſcum dixiſſet, noluit tamen ferrugineum uocare. Quemadmodũ itaq; ſapiens ille Anacharſis quædam in Græcis damnauit, ignem tamen è prunis non potuit nõ cõmendaſſe, quòd fumo foris relicto domi ignẽ intuerentur: ſic quoq; iuſtius alia nobis quæpiam uitio poſſetis uertere uos ſapientes. Quid enim quæſo peccatur, ſi à uino excluſa diſcuſſaq; ui illa nociua, qua mentem turbat atq; moleſtat, nitorem purum addimus, nõ aſcititium fucum? ſi nõ ſublata uelut à ferro acie ipſa & robore, ſed potius rubigine ac ſor-

D dibus decuſſis, uobis illud apponimus? nimirum quia non percolatum, fortius eſt, ſi dijs placet. Atenim ô bone, delirãti inſanienti'ue, ubi helleboro uſus cõmodaq; uictus ratione, ad mentem redierit, impetus ille acer & uehementia ſubſidit atq; exoleſcit, & genuinum robur moderatioq; corpori redditur: eodem ſanè modo uinum à fæcis ſpurcitia repurgatum, uim illam furioſam & rebellem, in manſuetũ ac ſanum habitum reſtituit. Plurimum uerò intereſt, ut arbitror, inter purgationẽ & inter elaboraturã ſiue curioſitatẽ: nam fœminæ fuco tinctæ, unguentis delibutæ, auro & purpura onuſtæ, curioſæ formamq; elaboraſſe uidentur: ſolij tamẽ uſum, & unctionis, alendæq; comæ ſtudiũ in fœminis nullus dãnauerit. Certè Poëta mira gratia diſcrimẽ in Iunone comente ſeſe, demonſtrat inquiẽs:

Iliad. ξ. Ambroſio primùm Saturnia diua liquore
Extersit ſordes, udoq; perunxit oliuo.

Atq; hactenus quidem in comptu ſpectatur puritas: uerùm ubi fibulas aureas aſſumit, elaboratasq; arte inaures, ac tandem illecebras, quas pollicetur cæſtus, tractat, curioſitatis nomen meretur res ipſa, imò in lenocinium uxori indecorum abit. Quapropter qui aloẽ aut cinnamomo uinum tingunt, aut croco edulcorant, ij non ſecus atq; fœminam comptam proſtitutamq; ſympoſijs publicant: at qui ſpurcitiam inde auferunt, & quicquid inutilis eſt materiæ, ij medicantur uinum ac repurgant: reliqua enim omnia meram curioſitatem uocaris, ſi uel à domeſticis rebus incipere placeat. An non partes quædam tectorio inducuntur, quædam patent ambienti, unde purum maximè aërem domus hauriat, lumenq; admittat ab occiduo ſole? Nonne extrita exterſaq; debent eſſe undiq; pocula, ut niteant, ut ſplendeant? Nonne eadem nihil ſqualoris, ſpurcitiæ nihil obolere debent, & ne quid purulenti ſordium'ue potum compleat, curandum eſt? Et quid cętera recenſeam? Nam & frumenti in panem conflatura (quæ nihil eſt aliud tandem, quàm purgatio quædam) quanto ſtudio, quanto labore paretur, uides: quandoquidẽ non acerum modo excuſsio, cribratio, euannatio, ſecretioq; tum frumenti, tum farinæ adhibentur, ſed & ſubactio, quæ exprimat fermenti inæqualitatem, atque repurget, maſſamq; cogat, ut edendo eſſe poſsit. Quid mirum eſt igitur, ſi uini partes fæculentæ, tanquam furfures quidam, aut acceres, percolatione tollantur, præſertim quando nec ſumptus adſit aliquis in defæcando, neq; adſit negocium.

PRO-

A

PROBLEMA VIII.

Vnde naſcatur inſatiabilis illa edendi cupiditas, quam nos appetitum caninum, illi βούλιμον appellant.

SAcrum quoddam eſt patrium, quod publica in ara prætor peragit, cæteri intra lares
quiſq; ſuos. Ei nomen eſt, Bulimi proſcriptio. Solent autem famulum aliquem uirgu-
lis è uitice compactis uerberatum foras exigere, atque eliminare, addito hoc elogio: Fo-
ras Bulimum, intus cum opibus ſanitatem. Me itaq; Prætore, plures ad rem diuinam con
uenerant, peractisq; patrio ritu ſacris accubueramus. Hîc quæſitum fuit primùm, de ipſo
Bulimi nomine: deinde, quid uellet uſitatus ille uerſiculus, quem ad eliminari ſolitum di-
ctitarent identidem: præcipuè uerò, unde naſceretur iſta affectio, quidq; in ea accideret.
Itaq; Bulimum ingentem aut publicam famem ſignificare, quorūdam fuit ſententia, præ-
ſertim apud nos Aeoles, qui loco b, utimur p: nec enim bulimum, ſed polylimū, quaſi po
limum dicas denuò, efferimus. Nam Bubroſtis diuerſum quid à Bulimo eſſe uidebatur. *Bubroſtis, uehemens fames.*
Huius rei fidē petebamus ex Metrodori de rebus Ionicis cōmentario. Narrat enim Smyr
næos, qui priſcis temporibus Aeoles fuere, Bubroſti taurū pullum immolare, quem diſſe
ctum, integrum nec excoriatū, ignibus adolent. Porrò quia fames in genere, morbi ſpe-
ciem habet, ac præſertim canina iſta, affecto præter naturam corpore, inuadit, perquàm a-
ptè illi ceu defectui opponunt diuitias: ut morbo, ſanitatem. Quemadmodū autē nauſea
nomen obtinuit propriè in ijs, qui inter transfretandū in nauigio eijciūt ſtomachū: uſus
tamen inualuit poſtea, ut iſtius affectus nomē tranſiret ad eos, qui quomodocunq; ita affi
ciuntur: ſic utiq; & bulimi nomen inde natum, hucuſq; pertendit. Atq; iſta quidem pro-
miſcuè ab omnibus dicta, quaſi è cōmuni collatitiam cœnam impleuere. Veruntamē ubi
cauſam affectus attingere cœpimus, primo loco in controuerſiā uenit, quid rei eſſet, quur
per niuem iter facientes canina fame impetantur. Quemadmodū Brutus Dyrrachio ad
Apolloniam expeditionem mouens, ex hac affectione uitæ diſcrimen incurrit. Nix erat
alta, & cōmeatus conuehentium nullus ſequebatur: itaq; cùm collapſus animo deficeret,
cogente neceſsitate milites ad mœnia accurrerunt, panem flagitaturi ab hoſtibus mœnia
B præſidio tenentibus. Quo cōfeſtim impetrato oblatoq;, Brutus animū reſumpſit: eoq; no
mine redacta pòſt in poteſtatē urbe, pepercit omnibus, humaniterq; uſus eſt. Hoc morbi
genus incurrunt cum equis & aſini, tunc præſertim quando ficus recentes, aut mâla baiu
lant. Quodq; admiratione digniſsimum eſt, non homines modò, ſed & iumenta, inter om
nia edulia, præcipuè panis reficit, adeò ut uel minimo eius eſu remedium ſentiant, ac pro-
gredi queant. Hîc oborto ſilentio, conſcius ego quantopere ſenum argumenta, degene-
res, tardos, indoctosq; homines ſopire quodammodo & exatiare ſoleant: rurſus genero-
ſis quibuſq; & eruditis ſeminariū inſerant, atq; audaciam rimandæ inueſtigandæq; uerita
tis, Ariſtotelis ſententiā protuli dicentis, Interna uehemēter incalfieri, urgente forinſecus
magno frigore, ac naſci inde colliquationem haud paruam, quæ ſi in crura defluat, laſsitu
dinem oriri & grauitatem: ſi in motus reſpirationisue fontes atq; principia, animi deli-
quium, eademq; ratione uiriū quoq; debilitatem ſequi. Atq; in iſto uerſari probabilem
narrationis antedictæ cauſam, concluſum fuit. Aſſentientibus autem huic ſententiæ alijs,
alijs rurſus impugnantibus, Soclarus primam rationem perbelle conſtare inquit: refrige
ſcere enim plus ſatis atq; condenſari eorum qui per niuem ambulant corpora: præterea ui
caloris naſci colliquationem, unde quaſi à globo ſanguinis, reſpirationis fons & origo in
terſepiatur atq; occupetur: uideri tamen ſibi potius, calorem coactum exundantemq; in-
tus, alimoniam conſumere, qua deficiente, ille ad inſtar ignis contabeſcat & extinguatur.
Hinc fieri, quòd eſuriant uehementer, & pauxillum omnino comedentes, confeſtim reſo
cillentur: id ipſum enim quod porrigitur ueluti quendam caloris eſſe fomitem. Cæterùm
medicus Cleomenes *λιμὸν*, hoc eſt, famem in huius dictionis compoſitionem irrepſiſſe te-
merè, aſſerebat, citra rei ipſius expreſsionem: quemadmodū fit in *καταπίνειν*, id eſt, degluti
re, temerè iungitur *τὸ πίνειν*, quod bibere ſignificat: aut in *ἀνακύπτειν*, hoc eſt, emicare, locū
non habet *τὸ κύπτειν*, quod ſonat inclinare. Neq; enim Bulimon, famem eſſe, uti uidetur,
ſed uentriculi affectum, qui animi deliquiū propter concurſum famis inuehat. Proindeq;
eadem ratione canino appetitu laborantes pane refocillari, qua odores animo deficienti-
bus medentur: non quia cibi indigi ſint (conſtat nanque uel exiguo penitus alimenti uſu
recreari eos) ſed quia ſpiritus & uires fugientes panis odor reuocet. Quòd uerò Buli-
mus ſit quidam animi defectus, nō fames, fidem facit id quod in iumentis uſu uenit de fi-

cuum & pomorum odore: qui non famem, ſed quandam potius oris uentriculi morſicationem laniatumq́; ac aſsiduam cõmotionem inuehit. Mihi quidem & iſta ſat bene dicta uiſa ſunt à contraria origine deprompta, fieri poſſe, ut non conſtipatio ac compactio, ſed raritas & diſſolutio in cauſa ſit, ſi decretum eſt aſſentiri uериſimilibus. Spiritus enim qui à niue diffluit, eſt quidam ueluti aër eius concrementi, & minutiſsimũ quid: habetq́; facultatem penetrandi diuidendiq́; non carnem modò, uerùm etiam argentea atq; ærea uaſa: uidemus enim ab iſtis non cohiberi niuem, quippe quæ in flatus reſoluta, liquitur, atq; externam uaſis ſuperficiem madore implet tenui & glaciali, quem occulta ratione per meatus inſenſiles ſpiritus diffluens dimittit: qui quidem ſpiritus iter per niuem ingreſsis, acutè penetrans ac flãmicans, adurere extremos artus uidetur, diuidendo tranſuerberandoq́; carnem, non ſecus atq; ſolent ignita facere. Itaq; laxitas difflatioq́; fit in corpore magna, & calor effluit, ac extincto ſpiritus illius frigore cutim ambiente, roreũ exhalat ſudorem ac tenuem, ita ut diſsipentur contabeſcantq́; etiam uires. Si quis igitur cõquieſcat, parum caloris dilabitur: at ubi corporeus motus alimentum in calorem ui magna conuerterit, & calor effertur diducta carne, inde neceſſe eſt ſubitũ quoddam (ut ſic dixerim) deliquium uiri naſci. Cæterùm quòd non cogat modò, ſed eliquet etiam corpora frigus ingens, hinc diſcas licebit: uehementiſsimo nanq; frigore plumbi laminæ colliqueſcunt interdum per exudationem quandam atq; defluuium. Deinde quòd pleriq; etiam non fameſcentes caninam hanc famem incurrunt, arguit potius diſſolutionem, quàm corporis conſtipationem. Naſcitur autẽ ea raritas hyeme præcipuè ob exilitatẽ partiũ, uti dictum eſt: aliter uerò etiã ubi labor motusq́; acuerint atq; intenderint calorẽ natiuũ, qui tenuatus ac laborando defatigatus, multus fluit ac diſſeminatur per corpus paſsim. Quod uerò ad mâla & caricas attinet, ueri non eſt diſsimile ea talem expirare odorem, unde iumentorũ calor extenuetur, & depaſtus minuatur: alia nanq; alijs & refocillare ſpiritus & exoluere ualent.

PROBLEMA NONVM.

D *Cur Homerus cæteris quidem humoribus peculiaria tribuit epitheta, ſolum uerò oleum liquidum appellat.*

NAta fuit quodam tempore controuerſia, cur inter humorum, qui ſunt non pauci, genera, cætera proprijs epithetis inſignire ſoleat Homerus: ueluti lac candidum, mel flauum, uinum rubrum uocitans: at oleum ſolum, accidente omnibus ex æquo cõmuni, liquidum appellet, noua quadã ratione. Ad quã quæſtionẽ ſic fuit reſponſum: Dulciſsimũ eſſe quod tota ſubſtantia ſit dulce: candidiſsimũ, quod ex toto candidũ. Tale autem eſt unumquodq; cui nulla portio repugnantis naturæ permixta fuerit. Ea ratione dicemus, liquidum eſſe uel maximè, cuius pars nulla ſicca ſit: id quod oleo competit. Primũ nanq; læuitas eius docet, quàm ſint æquales inter ſe partes omnes: quo ipſo fit ut mixtioni toto genere repugnet. Deinde limpidiſsimũ ſe præbet oculis ad inſpiciendũ uelut in ſpeculo effigiem: caret enim aſperitate omni, quæ diducere humanũ intuitum queat: imò undequaq; indiuulſum, ob liquiditatem, & minimis etiam portionibus expreſſum lumen ad oculorum aciem reflectit: quemadmodũ è diuerſo inter reliquos humores ſolum lac, quia permixtam habet bonam terræ portionẽ, nõ exprimit effigiem ſpeculi more. Accedit, quòd concuſſum agitatum'ue oleum minimè inter humores omnes ſtrepitũ ædit, quia tota ſubſtantia humidũ. Atenim aliorum liquorũ, dum fluũt atq; decurrunt, aſperæ terreæq́; partes offendiculum obicem'ue nactæ, & repercuſſum, ſtrepitant, ob partium minutias, earumq́; interciſionẽ. Adde quòd ſolũ permiſceri contemperariq́; alijs reſpuit, quia denſiſſimum facilè ſit: caret enim inanibus interuallis, quę inter ſiccas & terreas eius partes ineſſe poſsint: caret & poris, quibus intercurrentem aërem prehendat excipiat'ue. Quid, quòd ob partium ſimilitudinem, indiuulſum manet atq; indiuiduum? ac proinde ubi ſpumat, aërem non admittit oleum, præ denſitate cõtinuitateq́;. Iſta eſt ratio, cur ignem alat: & cùm nullo humore alio nutriatur ignis, ſolum oleum eius materia eſſe poteſt. Quapropter è lignis naſcens aër, in fumum abit: quod terreum eſt, in cinerem cõmutatum ſubſidit: ſolus interim humor ab igne depaſcitur, quippe quo nutriatur. Aqua igitur, uinum, & id genus alia quæ turbida terreſtriq́; ſubſtantia nõ exigua conſtant, in ignem coniecta flammã diſiungunt ſuarũ partiũ exilitate, grauitate opprimunt, extinguũt deniq;. At oleum quoniam purè puteq́;, ſi quod aliud, humidum eſt, ob ſubſtantię tenuitatẽ mutatur,

A uictumq́; celeriter inflammatur. Euidens humiditatis teſtimonium præbebit, quòd quantumuis exigua olei guttula in immenſum diffunditur, diſpergiturq́;. Neq; uerò aut mellis aut aquæ, alterius'ue humoris cuiuſpiam exigua adeò guttula tantum accepit incrementi, ut non ferè perſiccata eueſtigio aboleatur. Oleum uerò ut eſt lentum & molle, quouis per corpus, ſi inungas, rapitur, longiſsimeq́; diffluit, ob partium uidelicet uuiditatem, ſic ut & ineluibile perſtet. Veſtes aqua madefactæ, nullo negocio ſiccantur: olei uerò maculas expurgaſſe, res eſt non parui negocij: quoniam penetrat maximè, propterea quòd tenue cumprimis ſit & humidum. Siquidem uinum quoq; permixtum maiore negocio è ueſtibus educitur, ut autor eſt Ariſtoteles: quippe tenuius, altiusq́; in poros imbibens.

PROBLEMA DECIMVM.

Quid cauſæ cur quæ de fico arbore ſuſpenduntur mactatorum carnes, citius tenereſcant.

ARiſtionis coquus apud conuiuas bene audiebat, quòd inter cætera uenuſtè opipareq́; concinnata, gallum quoq; pridem Herculi immolatum, appoſuiſſet tenerum, uelut pridie mactatum, recentem admodum & nouum. Itaq; Ariſtione dicente expeditè iſtud fieri, ſi iugulatus cōfeſtim de fico ſuſpendat̃, cauſam rei cœpimus inueſtigare. Nam quòd è fico ſpiritus exeat grauis atq; uehemens, etiam uiſus teſtatur: item illud quod de tauro narratur, qui ficui alligatus quantumuis immanis cicuratur, palpationemq́; nō detrectat, ſed iram prorſus deponit, quaſi euanidam. Potiſsima autem & cauſa & uis in amaritudinem conferenda eſt: planta enim illa omniū maximè ſucculenta eſt, unde fit ut tam ficus ipſe, quàm truncus, ramiq́; ſaturati uideantur. Hinc eſt quòd ardentis fumus oculos mordet in primis: combuſtæq́; cinis lixiuiū abſtergendi ui maxima præditum reddit: quę caloris munere proueniunt omnia. Quin & ſucco cogi lac in coagulum arbitrantur quidam, non implicando obliquis ductibus compingendoq́; lactis ſubſtantiam, nimirum lęuibus in ſuperficie planiſq; partibus expreſsis: ſed caloris ui eliquando depaſcendoq́; hu-
B moris aquoſitatem ac diffluentem liquiditatē. Argumento eſt quòd coagulū dulce quidem ſucco tenus, potus tamen ſit facilè deterrimus. Nec uerò ab obliquis commeatibus læue cogitur, ſed quod frigidum eſt & incoctum, caloris præſidio cōcreſcit: ad quam rem confert opis nonnihil ſal, qui natura calidus eſt, quanquam repugnent cōplicationi concrementoq́; iam antedicto, quippe qui diſſoluendi natura potiſsimū ſit præditus. Quocirca feruidam auram, & acrem, tenuantemq́; expirat ficus, qua confringit maturatq́; alitis carnem. Idem caloris munus experietur auis, aceruo frumēti obruta, aut nitro aſperſa. Quòd autem quandam coquendi uim frumentum obtineat, euidens argumentum petitur ab amphoris, è quibus frumenti aceruo conditis uinum citiſsimè abſumitur.

PLVTARCHI CONVIVALIVM PROBLEMATVM SEPTIMAE DECADIS PROOEMIVM.

ROMANIS in ore eſt, Soſsie Senecion, lepidi cuiuſdam & perurbani uiri dictum, qui ediſſe ſe, haud cœnaſſe, quo die ſolus cœnam fecerat, dictitare fuerat ſolitus: perinde ac ſi cœna uitę atq; uictus communitatē coniunctionēq;, & delectationem nullo non tempore deſideret. Solebat nimirū gratiſsimum condimentum, ignem prædicare Euenus: & ſalem diuinum appellat Homerus. quem Gratiarum quoq; nomine ſunt qui efferant, quòd pleriſq; edulijs admixtus, palato ea commendet, guſtuiq́; grata atq; amica reddat. At uerò cœnæ menſæq́; diuinū in primis, ſi quod aliud, condimentum eſt, amici cùm familiaris, tum intus & in cute nobis cogniti præſentia, non tamen eo nomine quòd compotet aut commanducet, uerū quoniam & accipit aliquid & regerit collatis ſermonibus, utiles modò ſint, & aliquid doceant, ac de rebus priuatis inſtituantur. Quippe intempeſtiua inter compotandum garrulitas, pleroſque dum nugantur, tranſuerſos rapit, & animi libidini obſecundare compellit. Proinde non minore cura probæ notæ ſermones, quàm ſpectatæ fidei amicos in cœnā allegere conſentaneum eſt: qua in re diuerſum à Lacedæmonijs ſentimus atque dictamus. Illi enim hoſpiti aut iuueni in Phidinium ad cœnam accito, commonſtratis foribus dicere ſolebant, Hàc non egredietur dictum. Nos uerò ipſi ijs utendū cenſemus ſermoni

C bus, qui & à communi uſu non abhorrebunt, & apud quoſuis eliminari poterũt, ob argumenti genus quod nec flagitioſum aliquid, nec maledicum, nec contra bonos mores faciens, atque adeo ne illiberale quidem habeat quicquã. Id quod ab exemplis, quorũ ſeptimam decada liber iſte continet, iudicare cuiuis promptum eſt.

PROBLEMA PRIMVM.

Aduerſus Platonem calumniantes, quòd dixerit potum per pulmones ferri.

FOrtè è conuiuis unus æſtiuo tempore decantatum omnibus illud & tritũ exclamauit,

Οἴνῳ πνεύμονα τέγγε, τὸ γὰρ ποτὶ τέλλεται ἄστρον. id eſt,

Aeſtuat igne aſtrum, iam pulmo rigandus Iaccho.

Hîc Nicias Nicopolita medicus, Nil mirũ, inquit, ſi Alcæus poëta ignorauit, quod & philoſophum Platonem latuit. Quanquã facili alioqui remedio poſsit Alcæo ſubueniri: pulmones enim ab uicino ſtomacho liquoris delibare nonnihil, ac proinde irrorari, ueri eſt Plato in Timæo. ſimile. At Philoſophus adeò non obſcurè ſcripſit, in pulmones poculenta defluere, ut nulli, quantumuis argumenta retundere parato, tolerabilem ſui defenſionem reliquerit. Latè enim patet is error. Primùm quidem quum neceſſarium ſit humidum alimentum cum ſicco commiſceri, conſentaneum eſt utriq; unum atq; idem ſubſterni conceptaculum, ſtomachum uidelicet, qui inferiori uentriculo mollitũ atq; humectum tranſmitteret cibum. Deinde cùm pulmo ſit uſquequaq; læuis & ſpiſſus, quomodo ebibita farina cum miſcellanea ſorbitiũcula, perlabitur, nec uſquam reſtitat? Hoc certè argumentũ Eraſiſtratus non temerè in Platonem uibrat. Proindeq; ille recenſitis non paucis corporis partibus, & in quem uſum quælibet pars à natura fuerit condita, uolens (id quod philoſophum decuit) non uulgare aliquid & omnibus obuium ſapere uideri, lingulæ (ἐπιγλωττίδα uocant illi) munus ea gratia aſsignatum ait, ut in deglutiendo cibum arteriã illa uocalem obſtruens atq; comprimens, delabi in pulmonem quicquam prohibeat. Grauiter enim is exaſpera-
D turlancinaturq; tuſsi, ſi quando elata anima, lubrico tramite deuiet cibus. Ipſa autem parua lingua uelut ſequeſtra, utranq; in partem flexilis, uocem ædentibus nobis, gulæ incumbit: at cibum potum'ue tranſmittentibus, arteriæ: liberum atq; purum animæ reſpirationiſq; curſum ſeruans. Ad hæc compertum habemus, inquit, eos qui ſenſim potum dimittunt, humectiores obtinere aluos, quàm qui auidè raptimq; plurimũ liquoris exorbent: in his nanq; cõfeſtim ad ueſicam fluoris impetu peruadit, in illis uerò diutiuſculè moram inter cibos trahit, quos & humectatos permollit, donec mixtura quædã & temperies conficiatur, cuius occaſione reſtitent. Tale utiq; nihil fieri, ſi confeſtim ſeorſum diſcretus fuerat in ipſo hauſtu humor: ſed implicantibus pariterq; tranſmittentibus nobis eſculentum, cui humor uehiculi loco (ut ab Eraſiſtrato dictum eſt) cedit, ea fiunt. Talia referente Nicia, Grammaticus Protogenes ſubiecit, primum id perſpexiſſe Homerum, quòd cibi, gula, ſpiritus uerò conceptaculum ſit gurgulio, qui ἀσφάραγος, id eſt, guttur, ueteribus Græcis dictus eſt: qua ratione clamoſos, ἐρισφαράγους, hoc eſt, gutturoſos uocitare ſolebant. Achilles apud Homerum Hectori telum

Iliad.20. In ſtomachum infregit, qua mors ſubit ocyus atrox,
Nec uerò inſecuit guttur,

qui proprius eſt uocis ac ſpiritus canalis, uerùm gulam ſiue ſtomachum inſecuit. Hîc oborto ſilentio, Florus, Itáne, inquit, conniuebimus diſsimulanter, & indefenſam rei Platonis cauſam iacere patiemur? Minimè gentium, inquam ego: producemus nanq; pro Platone & ipſum Homerum, qui tantum abeſt ut arteria humidum iſtud excludat atq; uindicet, ut etiam cibum inde reijci tradiderit: ait enim,

Odyſſ.1. Pando de gutture uinum,
Fruſtaq; proiectat tetro fluitantia tabo.

Niſi dicat quis, Cyclopẽ ut unum oculum, ſic unum eundẽq; quo & uox & cibus mearet, canalem habuiſſe. aut dicat guttur pro gula dici, non broncho ſiue pulmonis canna, quomodo omnes & antiqui & recentiores id uocabuli uſurpant. Atq; iſtud quidem haud inops à teſtibus, ſed rei ueritate compulſus, in medium attuli. Nam complures ſunt à Platone teſtes, iiq; neutiquam proletarij. Miſſum fac Eupolin, ſi lubet, in fabula, quæ Colaces inſcribitur, dicentem:

Potare nanq; iuſſerat Protagoras,
Pulmone ut eloto Canem præuerteret.

Quin

A Quin & delicatum illum Eratoſthenem ualere iubeas, qui ait:

Pulmonis latebras ille rigare mero.

Saltem Euripides haud ambiguè in hoc uerſu,

Pulmonios means per anfractus merum, oculatius aliquanto, quàm Eraſiſtratus, inſpexiſſe uidetur. Quippe perſpexit ille, cauernoſis fiſtulis, rimoſisq; ductibus perforatos eſſe pulmones, per quos humor commeat. Siquidem ſpiritui meanbus illis opus nõn erat, per quos educeretur & expiraret: uerùm in gratiam liquidorũ, & quæ cum ijs lubrica ſemita deuoluuntur, pulmo coli modo pertuſus foraminulentusq; eſt factus. Nec abſurdum eſt magis, bone uir, quòd pulmo polentã tranſmitteret, aut pultem aſſumptam, quàm quòd gula: hæc nanq;, non (ut quidã dicũt) leuis eſt, & lubrica, uerùm habet crenulosas etiam ſalebras, in quas uerisimile eſt exiles ciborum minutias impingere & reſtare, eaq; ratione deglutitionẽ ſubterfugere. Veruntamen ſiue hoc, ſiue illo modo dicas, non bene habet. Naturæ enim in actionibus ſuis induſtriam, nulla orationis Venere queas aſſequi: nec eſt exactam illius organorũ, quibus utitur, uerbi gratia, ſpiritus & caloris, rationem pro merito dicẽdo explicare. Præter alios teſtes pro Platone cito & Philiſtionem Locrenſem, ex uetuſtiſsimis unum, & claſsicum in ueſtra arte cumprimis autorẽ, & Hippocraticum, qui non aliam uerbis præit oris uiam, quàm Plato. Porrò epiglottis ſiue ligula ad plurimos uſus laudata, Dioxippum non fugit, quippe propter quam dicit liquorem inter degluriendum diſcretum, in arteriam defluere: ſolidum uerò cibum in gulam deuolui: nulla ueſca in arteriam incurrere: deinde & gulam aliquam liquidi portiunculam cum ſiccis cibis commiſtam excipere: id quod à uero non abhorret: ſiquidem epiglottin aſperæ arteriæ uelut ſeptum quoddam & operculum eſſe obiectã, quò ſenſim paulatimq; percoletur potus, nec celeri ſubitoq; impactu ſpiritum intercludat, eiue impedimentum adferat. Hinc eſt, quòd auibus epiglottin natura non produxit, quoniam non trahendo, aut ſorbendo, ſed potius immerſo roſtro potum paulatim tranſmittendo, irrorant arteriam & humectant. Sed teſtium abundè. Enimuero Platonis dictis primùm ſenſus adſtipulatur, fidemq; arrogat. Nam diſciſſa uulnere arteria, non demittitur potus, uerùm ceu rupto canaliculo reijcitur foras, ac ſcaturiendo proſilire conſpicitur, incolumi etiamnũ & integra

B manente gula. Deinceps nouit nemo non, in pulmonis affectibus ſitim ſuccedere ardentiſsimam, præ calore ſiccitatéue, aut alia quapiã de cauſa, quæ cum phlegmone ſimul potus appetentiam inuehit. Hocq; euidentius eſt etiam argumentum, quòd quibus animantibus natura pulmonem negauit, aut certè perpuſillum largita eſt, ea omnino potu opus non habent, ac ne appetunt quidem, propterea, quòd membro cuilibet innatũ ſit quoddam humidi deſiderium. Hinc adeò fit, ut quibus particula quæpiam deeſt, his neq; uſus; neq; propenſum illud inſtituendæ per eam functionis deſiderium adſit. Adde, quòd in uniuerſum ueſicæ ſuperfluus uidebitur uſus. Nam ſi gula cum eſculẽntis poculenta ſimul adſumit, & uentriculo tradit, nihil excremẽto humidi alimenti opus fuerat peculiari meatu, per quem ferretur, at unum & cõmune utriq; in idem loci per eandem uiam ingerenti, quaſi ſentinale foramen ſatisfeciſſet abundè: nunc uerò priuatum obtinet locum ueſica, priuatum etiam inteſtina: illa, quod à pulmone prodit, excipit: hæc, quicquid è gula ueſtigiò in ipſa deglutitione diſcretũ fuerit. Qua ratione conſtituitur, cur nullum ſicci recrementi ueſtigium, uel colore, uel odore accedens, omnino in lotio appareat: tametſi interim dum fieret in uentriculo commixtio ac fermentatio, naturę ratione iſtud illius (ſicci recrementi inquam) qualitatem induere potuerit, nec adeò probè defecari, nullo imbutum coloris fuco. Præterea in uentriculo concreuiſſe calculum, lectum eſt nuſquam: quamuis ratio conuinceret, non minus ibi loci quàm in ueſica coaleſcere humorem ac lapideſcere poſſe, ſi certè in uentriculum omnis per gulam potus ſecederet. Veruntamen gula, detracto arteriæ quod ſatis ſibi eſt humoris deuij, idq; mediocri quantitate, eo ad molliticandum cibum atq; inſuccandum uti uidetur, ac propterea nullum humoris recremẽtũ ſeponere. Verùm pulmo, ut ſpiritum humoremq; e ſe membris indigis elargitur & impertit, ita reliquum in ueſicam exonerat. Sanè omnino hæc ad ueritatem accedunt propius longè, quàm illa: ipſam tamen rei ueritatem nec hîc fortaſſe attigimus: ſaltem æquũ non erat inſolenter adeò in philoſophum & opinione & re ipſa facilè primum inuehi, præſertim in re ambigua & obſcura, quæq; tantum cauſarum pelagus ſuppeditare queat, Platonica conferenti ſcripta.

C PROBLEMA SECVNDVM.

Qui dicatur apud Platonem Cerasbolus, & quæ cauſa, ſemina quæ in boum cornua impingunt, effœta & contumacia reddat.

COntrouerſum diu multumq́ fuit de uocabulis hiſce κερασβόλος & ἀτεράμων, nõ adeo
quid ſignificarent, (in confeſſo nanq; erat ex iſthac credulitate fuiſſe natum, qua ſe-
men cornibus boum obuium atque impactum, contumacem frugem producere putatur,
ut inde præfractum hominem & refractarium κερασβόλον, quaſi cornu ſatum: & ἀτεράμονα,
hoc eſt, minimè tenerum, nuncuparint.) uerùm de cauſa, cur ſemina in boum cornua cõ-
iecta, hoc mali ſentirent, agitabatur diſceptatio. Equidem ſæpenumero cum familiaribus
meis non leuiter ſuper hac re contendi, nihilominus tamen obſcurè hoc inter cętera, quę
multa congeſsit & prodidit eorum, quæ cauſam nobis dubiam & cæcam obtinent, Theo
phraſtus innuit. Cuiuſmodi ſunt iſta: Gallinæ quando parturiunt, feſtuca ſeſe luſtrant.
Vitulus marinus pinnam conſumit, non tamen deglutit. Cerui deflua cornua humi defo
diunt. Eryngium uel ab una modò capra ore pręſectum detentumq́, totum gregem ſiſtit.
Inter cætera recenſet & iſtud de ſeminum in cornua appulſu, aſſeritq; bona fide rem hanc
fieri, ſed cauſam eſſe ambiguam, aut ſaltem perdifficilẽ. Itaq; Delphis è familiaribus non-
nulli urgebant, quoniam non modò, ut aiebant,

Conſilium & melior ratio, ſaturo obuenit aluo:

ſed & quæſtiones promptius expeditiusq́ enucleant̃, ac maiori cum fiducia reſponſa ſuc
cedunt, præſtante hæc omnia uino: uolebátq; de problemate propoſito me pauliſper diſ-
ſerere. Ego uerò prouinciã recuſaui, ſucceſſores nactus haud pœnitendos, Euthydemum
in auguratu meo collegam, & Patroclem generum non pauca eius generis ex agricultu-
ræ uenationisq́ obſeruatione proferentes: cuiuſmodi eſt, quod grandinem procurantes
factitant, eam talpę ſanguine, aut mulierum pannis obſoletis, amoliuntur. Caprifici groſ-
ſus domeſticæ appenſus ficui, fructum iſtius defluere non ſinit, ſed cohibet, maturitatéq;
ei conciliat. Cerui ſalſas emittunt lachrymas: ſues, dulces, quando capiuntur. Iſtud ſi quę-
D ritur, inquit Euthydemus, protinus & de apio cyminoq́ explicanda ueniet ratio: quorũ
illud quidem proculcatum dum germinat, pedibusq́ extritũ, lętius prouenire autumant:
hoc uerò cum dirarum imprecatione conuicijsq́, terræ mandant. Floro rem eſſe friuo-
lam atq; ridiculam dicente, nec ullam cauſę, ut obſcurę, indagationem proferre illo ualen
te, tandem ego: Inueni, inquam, remedium, quo rationibus adductus iſte, in noſtra coga-
tur uerba iurare, ſimulq́ eorum, quæ propoſita ſunt, diſſoluantur quædam. Igitur meo iu-
dicio frugibus leguminibusq́ contumaciam illam incoctilem frigus inuehit, comprimen
do cogendoq́ eorum habitum, uel ad duritiem uſq;: contrà quàm calor, cuius munus eſt
reſoluere atq; mollire. Quocirca qui dictitant illud,

Non tellus producit, at annus: perperàm præter Homeri ſententiam loquuntur.
Calidi ſiquidem natura agri, placidam temperiem permittente aëre, mitiores producunt
fruges. Quò fit, ut quæ confeſtim è manu in terram prolabitur ſementis, obruta humo at-
que deliteſcens, calorem eius humoremq́ præſentius ſentiat, & delibet. Contrà, quod in
boum cornua appellitur atq; impingit ſemen, non aſſequitur conuenientiſsimã illam (ut
Heſiodus inquit) poſitionem, ſed aberrans ac deuiũ, neglectim proiecti, quàm ſemina-
ti ſimilitudinem habet potius. Itaq; fit, ut id à frigore aut in uniuerſum aboleatur & inte-
reat, aut nuda incumbens tunica, idem ęgrè auctile, exuccum, lignoſumq́ euadat. Vides,
uti tepor lapidũ partes terreas, & (ut ſic dicam) plantamines molliores conſeruet, quàm
in terræ ſuperficie extantes. Hinc eſt, quòd quadratores humi defodiunt lapides, quos ad
opera deſtinant, ut à calore coquãtur. Qui uerò ſub dio nudi iacent, ob frigus refractarij,
rigidi, atq; contumaces, opera reſpuunt. Adde, quòd frumentũ ſi diutiuſcule in area, ſub
diuo, abſq; operimẽto remaneat, minutius magiſq; incoctile, quàm quod eueſtigiò ſubla
tum fuerit, euadere teſtantur. Interdum uentus quoq; irruẽs, dum uentilatur frumentum,
ſuo frigore contumax reddit: quod in Philippis Macedoniæ fieri proditum eſt. Opitula-
tur autem ſeminibus ſparſim diſiectis intectisq́, infuſa palea. Nec mirabimur ſi dicant a-
gricolæ, inter ſulcos æquali tractu deductos, in altero contumacem reddi meſſem, in alte
ro minimè: quodq́ maius etiam eſt, fabarũ folliculos alios huius generis fabas, alios diſsi
miles producere, prout nimirum his plus minúsue uel auræ frigidæ, uel aquæ, quàm illis,
appulſum fuerit.

A

PROBLEMA TERTIVM.

Cur uini pars media, olei quod in ſummo eſt, mellis imum, præſtantiora habeantur.

ALexion ſocer Heſiodum ridebat, cuius illud eſt præceptum:

Dolia quum ad ſummum turgent diſtenta Lyæo,
Aut dum ſe oſtendit fundus, ſatiere memento,
At bibito parcè, media dum ſubſidet aluo.

Eò nimirum loco uinum eſt præſtantiſſimum. Quis eſt, inquit, qui ignorat, uini medium optimum eſſe, ut olei ſupremam regionem, & mellis imam, bonitate antecellere? At ille uino parcendum, ubi ad medium uentum eſt, commonet, expectandumq́; donec uapeſcat, inaniori iam facto dolio. His dictis ualere iuſſo Heſiodo, ad inueſtigandam cauſarum uarietatem placuit deſcendere. Ac de melle quidem ratio non adeò multum negocij nobis exhibuit: quippe omnibus (abſit inuidia dicto) perſpectum exploratumq́; erat, ut quodq; eſt leuiſſimum, ita hoc raritati acceptũ ferre: è contrario denſum ſpiſſumúe, quia ponderoſius, reliquæ moli ſubſidere: quòd ſi uas inuerteris, paulò pòſt tempore debitum ſibi utrunque capeſſere iteratò locum cernas, illo ſupernatante, hoc ſubſidente. Nec interim uinum caruit probabilium argumentorum aſſertione. Primùm enim calor, quæ uini eſt facultas, optima ratione ad medium referri uidetur, idq́; quam optimum tueri, atque conſeruare. Deinde imam regionẽ propter fæces eſſe deteriorem: ut ſuperficiariam partem aëris uicini cõtagio uitiari, ratio eſt. Quòd nanq; ambiens aër exuat bonitate ſua uinum, quod alioqui facilè mutabile eſt, & iniuriæ opportunũ, quis neſcit? Hac de cauſa defodiuntur ſub humo dolia, & tegmine obmuniuntur, ut quamminimũ aëris ea contingat. Præcipuè uerò dolio pleno, haud perinde facilè ut inanito, uinum degenerat: nam ubi multus aër in uacuum uas adfluxerit, citius uapidũ euadit: at in pleno dolio ſui pertinax uinum omnibus ſuis partibus cohæret quodammodo & incolume conſtat, excluſa aëris contagione. Cæterum non leuis uelitationis anſam præbuit oleum: unus aiebat

B imum in oleo deterius euadere, quoniam ab amurca obturbaretur, non tamen illicò ſummum in eo eſſe optimum, ſed ita uideri, quia longiſsimè à nociua parte diſsideret. alius cauſam referebat ad ſpiſsitiem, cuius occaſione minimè omnium cum alijs humoribus permiſceretur, nullum in ſe penitus admittens, niſi ui concuſſuq́; agitatum. Quo fit, ut nec aëri cedat admiſcendi ſui poteſtatem, imò repellit eum atq; excludit, propter exilitatem partium continuitatemq́;, qua præditum eſt: ac propterea minus ab eo, utpote uiribus inferiore, alterari poteſt. Viſus fuit poſtea huic rationi reclamare Ariſtoteles, qui obſeruatum ſibi aſſerit, odoratius præſtantiusq́; omnino bonitate effici oleum, quod inopertis in dolijs conditur: aſsignatq; bonitatis rationem aëri: ſic enim plus eius adeſt, meliusq́; uim exerit ſuam, ubi inanius dolium ſubit. Fortaſſe, inquam ego, & oleum ab aëre emolumentum ſentit, & uinum noxam, eadem ex facultate: ſiquidem oleo inutile ſeniũ, uino etiam cõmodò exiſtere, uerùm aër allabens, utriq; iſtud beneficij adimit: hoc recens poſtquàm deferbuit, excellit: illud uerò tranſpiratu carens ob lentitiam, citò inueteraſcit atq; conſeneſcit. Videtur itaq; probabiliter dictũ eſſe, quòd ſuperficiẽ olei attingens aër uicinus, recens illud facit. Eaq́; de cauſa uini pars ſuprema deterrima eſt, olei optima: uetuſtas nanq; alteri optimam, peſsimam alteri conciliat naturam.

PROBLEMA QVARTVM.

Cur apud priſcos Romanos receptum fuerit, neq; menſas iam ſublatas inanes conſpici, neq; lychnum extingui.

FLorus candidatus uacuam tolli menſam non patiebatur, ſed eduliorum ſemper aliquid in ea relinqui uolebat. Nec id modò à patre ſuo & auo obſeruatum enixè adſerebat: uerùm etiam illud, ut ne lychnus quidem à cœna extingueretur, quò uidelicet haud temerè oleum conſumeretur. Quandò Athenienſis Euſtrophus qui fortè aderat, Ecquid tandem inde emolumenti illis acceſsit, inquit: ni Polycharmi noſtri prudens factum didicerint, qui poſt diutinam meditationem, uix tandem rationẽ inuenire, qua pueris olei ſuffurãdi occaſionem adimeret, potuit. Solebat autem ille lychnis extinctis oleum ad ſummum uſque affundere, poſteraq́; luce inſpicere denuò, ecquid ſupereſſent pleni. Tum Florus ridens: Quin igitur ſoluto iſto problemate, inquit, rationem inueſtigamus

C probabilem, quare ueteres ita anxij religioſiq; tum circa lychnos, tum circa menſas exti-
terint. Primo itaq; loco diſcuti cœpit de lychnis quæſtio. Ac gener quidem Flori Ceſer-
niꝰ exiſtimabat, apud maiores noſtros piaculare fuiſſe habitum, ſi quis quencunq; tan-
dem ignem extinxiſſet, ob affinitatem cum ſacro & ueſtali igne. Geminos enim eſſe reor,
inquit, eius, ut hominis, interitus: uiolentum extincti, naturalem exoleſcentis. Quapro-
pter igni quidem ſacro opem adferri, utriuſq; interitus cauſa, neceſſe eſt, addito ſemper fo
mite conſeruando eum incolumem. At uerò alterum ignem per ſe cadentem non magno
pere curabimus, neq; compellendo eum uiuere, neq; rurſum inuidendo, ſi ueluti à pecore
uita auferatur, ne uidelicet incaſſum nutriatur. Lucius Flori filius cætera rectè dicta præ-
dicabat, niſi quòd non maiore digniore'ue cultu aut ſtudio, ſacrum ignem quàm alterum,
proſecutos fuiſſe priſcos illos homines cenſeret: ſed quemadmodũ ex Aegyptijs nõnulli
uniuerſum canum genus diuino dignabantur honore, alij è luporum aut Crocodilorũ ge
nere unum ſaginabant, hic canem, ille lupum, tertius Crocodilũ: uniuerſos enim impoſsi
bile erat: ita hic circa cultum curamq; iſtiuſmodi rerum, ignem eſſe ſymbolum totius uni-
uerſi reuerentię: nihil enim ad animati naturam accedit propius, quàm ignis, qui ſua ſpon
te & mouetur & nutritur, ſuoq; ſplendore illuſtrat cuncta atq; manifeſtat, ueluti anima:
cuius, dum extinguitur & interit, uis uel maximè eluceſcit, quà uiuifici principij non eſt
expers: uociferatur enim & ſtridet, quando interit, ſeſeq; uindicare conatur, nõ aliter atq;
animans quodpiam uiolenta nece ſublatum, iugulatúmue. Hîc coniectis in me ille ocu-
lis, haberem'ne aliquid rectius iſtis ſciſcitatur. Nihil eſt, inquam ego, quod in tuis cauſer
dictis: illud tantùm ſermoni adiecero, morẽ hunc humanitatis beneuolentiæq; documen
tum eſſe. Nec enim pium eſt, affatim expletos cibo, eum amoliri: nec potu exatiatos, fon-
tem abſcondere & obſtruere: neq; nauigij ueſtigia aut callem confundere, poſtquàm iter
cõfeceris. Permittenda ſunt iſta ac relinquenda poſt nos alijs uſui futura. Quapropter ho
neſti rationi reclamat, candelę lumen utcunq; non indigeamus, parſimonię cauſa obruiſ-
ſe: imò ardentem conſeruaſſe conuenit & reliquiſſe, ſi fortè qui ea præſente & accenſa o-
pus habeat. Nam ubi pateretur natura, pulchrum utiq; foret, ſi dormituri aut quietem a-
cturi, etiam oculorum auriumq; uſum, ac mehercle ingenium quoq; & uires alteri cõmo-
D dare poſſemus. Agè obſerua, an non maiores in gratiam apum ſimilia illarum beneficen
tię tribuentes, ritè quercus frugiferas coluerunt? Ficum quandam Athenienſes ſacram ap
pellarunt: ijdem Morum arborem excîdi uetuere. Nõ reddunt iſta pronos ad ſuperſtitio-
nem homines, ut arbitrantur quidam, ſed inſtruunt nos exemplo rerum inſenſibilium at-
que inanimatarum, quomodo mutuis inter nos beneficijs certare, cõmerciaq; habere de-
ceat. Hinc rectè Heſiodus, nullum opſonium cibum'ue ex ollis, quibus non fuerint prius
oblata libamina, uult apponi, ni prius igni primitias miniſterijq; pręmium obtulerint. Re
ctè quoq; Romani lychnis utentes, prębitam ſemel alimoniam non deducebant, permit-
tentes ea frui, donec uiuerent lucerentq;. Quum iſta dixiſſem, infit Euſtrophus: Nę igitur
commoda hinc ad ſermonẽ de menſa patebit tranſitio, perſuaſum habentibus nobis, par
eſſe ut è cœna aliqua relinquatur famulis eorumq; liberis portio: amant enim non tam ca-
pere, quàm tradita acceptare. Huc ſpectat quòd Perſarum reges, ut perhibent, nõ amicis
tantùm, ducibuſq; ac ſtipatoribus portiones eſcarias ſemper dimittũt, imò uernarũ quo-
que & canum eſca in illorum menſa proponi uſq; ſolet, quaſi qui cunctos, quorum opera
miniſterioq; utuntur, quoad eius fieri poteſt, menſæ fociq; unius participes reddant: nam
& immanes quæq; belluæ cibi cõmunione cicurantur. Ego hic riſu concitus: Agè uerò,
inquam, quin extrahimus huc in medium, piſcem (de quo extat parœmia) ſepoſitũ, ſimul
cum Pythagoræ chœnice, in qua ille conſideri uetuit, numquã non è præſentibus aliquid
in poſterũ relinquendũ, craſtiniq; diei in hodierno memores eſſe debere, docens? Ac pro
inde Bœotis nobis in ore eſt illud, Relinquito & Medis quippiã, ab eo uſq; tempore, quo
Medi Phocidẽ atq; extimos Bœotiæ fines agendo ferendoq; populabundi incurſarunt.
Quo magis & paſsim & ſemper in promptu illud eſſe debebit, Relinquito & uenturo ho
ſpiti quidpiam. Eaq; de cauſa uacuam & famelicam ferè Achillis menſam nõ poſſum non
damnare. Aduentantibus nanq; Aiace atq; Vlyſſe ad eum legatis, nihil habens apparati,
cogitur eo ipſo temporis articulo opſonia parare, & culinam inſtruere. Item quum Pria-
mum pararet humaniter excipere, denuò

Partitur niueã iugulatq; bidentẽ, atq; aſſat: bona noctis parte in hoc apparatu con
ſumpta. At Eumæus prudens prudentis uiri alumnus, ſuperueniente derepentè Telema
cho, nihil torquetur, quin illicò conſidere iuſſum excipit appoſitis aſſatarum carnium lan

cibus

A cibus, quæ pridianæ reliquiæ ſuperfuerant. Quòd ſi iſtud exigui eſſe momenti uideatur, illud ſaltem neutiquã fuerit minimũ, cohibere ac refrenare appetentiã, dum etiamnũ adſunt gulæ irritamẽta. Minori tanguntur abſentiũ rerum deſiderio, qui aſſueti ſunt pręſentibus abſtinere. Subijciens tum Lucius, meminiſſe ſe ait ab auia audire, menſam rem eſſe ſacram: decere autem ſacrarũ rerum nihil uacuũ relinqui. Ad hæc uerò, inquit, menſa terræ exemplar eſt, ut mihi quidem uidetur. Nam præterquàm quòd alimoniam nobis ſubminiſtrat, etiam rotunda eſt & ſtabilis, rectéq; à nonnullis Veſta nuncupatur. Vt enim in rem noſtram quòd faciat, proficuumq; ſit, Tellurem & habere & proferre ſemper iudicamus: ita nec menſam oportere nos uacuam, apparatúq; omni nudatam uidere, putamus.

DECADIS OCTAVAE

PROBLEMA PRIMVM.

De diebus illuſtrium uirorum natalitijs. Ibidem de deorum generatione.

QVI philoſophiam è conuiuijs ablegant atq; exterminant, non prorſus idem faciunt, quod ij qui lumen extinguunt, ſed eò peius, quò accẽſa lucerna frugi homines & modeſti temperantesq; nihilo erunt deteriores, ut qui reuereri alter alterum, quàm mutuo conſpectu frui, potius ducant. Nam ubi imperitia & inſcitia inter pocula rerum potiuntur, ne aureus quidem ille Mineruæ lychnus hilare ac moderatum conuiuium effecerit. Taciturnos enim multo cibo & potione cõpleri, ſuinum planè uidetur, ac neſcio quomodo impoſsibile. Sanè qui ſympoſium colloquio quidem non defraudat, ſed tamen definitam certa de re & utilem diſputationem non admittit, is multò magis rideri meretur, quàm qui conuiuas cœnantes, cibum potumq; continuè ſumere arbitrat, quod affuſum illis erat, mero effuſo, inſipidóq; opſonio & ſpurco appoſito. Nullum deniq; eſculentum poculentum'ue non ſuo, hoc eſt, debito modo concinnatũ, uſqueadeò graue & noxium eſt, ut obambulans in ſympoſio, & intempeſtiua & fatua oratio, ſi-
B nemente ſonus. Proinde philoſophi, qui in ebrietatem inuehuntur, eam temulentam nugationem nuncupãt. Nugari autem quid aliud eſt tandem, quàm futili ſermone & uano uti? Quando uerò incompoſitè garritur, & ad futilia nugamẽta res redierit, finis ſolet ſubſequi à Muſis & Gratijs alieniſsimus, ut contumelijs demum & conuicijs debacchentur. Non male igitur apud nos in Agronijs feſtis Bacchum ceu fugitiuum perquirunt fœminæ, mox ceſſant inueſtigare ulterius, dictitantes, ad Muſas illum confugiſſe, illícq; occultari: paulò pòſt finita cœna, proponunt inter ſe ænigmata & griphos. Nimirũ docet nos iſtius rei myſterium, oportere inter potandum colloquia miſcere haudquaquam ocioſa, ſed quæ commentatione quadam & induſtria ac lepôre conſtent: iſtiuſmodi enim colloquijs id, quod in ebrietate indomitum eſt & furiale, opprimitur placidè à Muſis, atq; obducitur. Cæterùm quæ pridem, quando Platonis natalem celebrauimus, audita fortè nobis ſunt & dicta, primo loco præſens liber (qui conuiualium eſt octauus ordine) continet. Pridie Nonas Apriles Socratis natalitium anniuerſario ritu celebraueramus. Nonis deinde ipſis, Platonis natalem. Quæ certè res colloquij haud pœnitẽdi, quod auſpicatus fuit Diogenianus Pergamenus, anſam nobis prębuit. Non abſurdè iſtud (infit ille) de fortuna extulit Ion poëta:

Longiſsimè à ſapientia ſors diſsidens,
Illi tamen ſimilia pleraq; perficit.

Equidem exiſtimo ritè atque concinnè ita cecidiſſe, ut non tam propinquo ortu, quàm prior etiam is naſceretur, qui ob nominis ſplendorem honoratior, & alterius doctor erat futurus. Hîc ſubijt mihi, plura eius generis exempla eorum quæ in idem tempus inciderint, præſentib. referre: cuiuſmodi fuit quod de Euripidis ortu atq; interitu narratur. Natus enim quo die Græci ad Salaminem nauali prælio cum Perſis congreſsi ſunt: è uita exceſsit ipſo natali Dionyſij inter Siciliæ tyrannos ſenioris: fortuna uidelicet eodem tempore & imitatorem Tragicarum ærumnarum reuocante, & agoniſten in ſcenam producente, quod ait Timæus. Commemorabatur & Alexander rex, & Canis Diogenes, eodẽ die fato conceſsiſſe. Itemq; conueniebat inter omnes, Attalo regi eundem & natalem & mortis extitiſſe diem. Pompeiũ Magnum erant qui natali ipſo, nõnulli pridie in Aegypto extinctũ, aſſererent. Facta fuit & Pindari mentio, qui Pythijs natus, multos præclaros hym-

C nos uelut choragus deo accinuit. Florus negabat Carneadem quoq; ſilentio obliterandũ in ipſo Platonis natalitio, clariſsimũ Academiæ orgiaſten: uterq; enim in Apollinis feſto æditus eſt, hic Athenis in Thargelijs, ille uerò dum Carnea Apollinis feſta agunt Cyrenæi. utrunq; autem feſtũ ſeptimo menſis die obitur: proindeq; deum illum ceu eo die natum, uos uates, inquit, & flamines Septimanigenã uocare ſoletis. Itaq; neminem eorum qui Apollini Platonis genituram adſcribunt, dicturum arbitror, quòd hic nobis ad grauiſsimos morbos & uitia, medicus opera Socratis, ceu alterius Chironis, effectus, genitorem ſuum, deum dedecorarit: ſimulq; cõmemorabat hiſtoriam de uiſo, quod per ſomnum Ariſtoni Platonis patri accidiſſe perhibent, deq; uoce quæ illi interdixerat, ne cum uxore cõgrederetur, neúe totis decẽ menſibus eam contingeret. Hîc excipiens illum Lacedæmonius Tyndares, Enimuero, inquit, ſummo iure de Platone illud canere & dicere licebit,

Lege Laërtiũ in uita Platonis.

Iliad. ω.

Creditur ille deo, haud mortali ſanguine cretus.

Nam quod ad numẽ attinet, uereor ut parens non minus pugnet cum mortalitate & interitus ratione, quàm fœtus ipſe: eſt enim hîc & mutatio quædam & paſsio, quod Alexander etiam ſenſit, quando concubitu potiſsimum & ſomno mortalem eſſe ſe, deprehendere dixit, tanquam ſomnus præ imbecillitate naturæ ad refocillandam eam obueniat: generatio uerò quælibet, quæ proprij in aliud degeneratio eſt, eam corrumpat, & ad interitum perducat. Rurſus tamen erigor atque confirmor, ubi audio à Platone, parentem & creatorem orbis, quæq; in rerum natura ſunt omnium, ingenitum uocari & ſempiternum Deum, neutiquam è ſemine productum: nimirum dum alia ſecretiore facultate, materiæ fœcundum prolificumq; principium, à quo & mutari & fingi ſe illa patiatur, deus inſeuerit. Quanquam & uentorum flatus maritant atque fœcundant aues fœmellas: uerùm id quando fœtandi tempus adeſt, non prorſus abſonum & graue exiſtimo. Alioqui deus humano more congrediens, ſed diuerſa contrectatione & contactu, per aliorum interuentum, uegetat atq; implet diuiniore fœtura animantia. Nec uerò meum eſt iſtud cõmentum, at Aegyptij Apin hoc pacto gignere fabulantur Lunæ contactu. Imò in uniuerſum mari deo cum mortali fœmina conſuetudinem permittũt: econtra uerò mortalem uirum deæ poſſe fœtus conceptioniſq; principium præbere negant: ponunt nanq; deorum ſubſtantiam in aere, uentis, calore certo, & humiditate conſiſtere,

D

PROBLEMA SEXTVM.

De tarde ad cœnam commeantibus. Ibidem unde ientaculum, prandium & cœna, nomen inuenerint.

MInores natu è liberis meis, quoniam theatralibus acroamatibus intenti diutius moram traxerãt, ſerius ad cœnã reuerſos, Theonis filij κωλυσιδείπνους & ζοφοροδορπίδας, quaſi remoricœnas, & nocticœnas, & alia ſimilia per iocũ cauillabant: rurſus illi iniuriã propulſantes, τρεχεδείπνους, quaſi curricœnas eos nominabant. Tum fortè è natu grandioribus unus ſubiecit, τρεχέδειπνον dici, qui ſerius ad cœnam accederet: talem enim quoniam tardauit, uideri curriculo potius, quàm pedetentim profectum. Cõmemorauit quoq; Batti, qui apud Cæſarem morionem agebat, lepidum dictum, qui tardè ad cœnam aduenientes, ἐπιθυμοδείπνους, hoc eſt, cœnipetas uocare ſolebat, eò quòd iſti negocijs diſtricti, ob cœnulæ tamen cupiditatem, inuitationem non excuſarent, detrectarent úe. Ego addidi, Polycharmum in Athenienſi Repub. Tribunitia poteſtate functum, cùm uitę ſuæ rationem redderet, pro concione ita dixiſſe: Præter cætera quæ commemoraui, Athenienſes, nunquam ad cœnam uocatus, poſtremus acceſsi. Populare admodum iſtud factum uidetur: è contrario illos plerunq;, qui ſerius accedunt, ceu cerebroſos, improbos, & oligarchicos homines, grauatim ferimus, utpote operiri eos coacti. Tum Soclarus ſuſcepto adoleſcentulorum patrocinio, Atqui, inquit, neq; Pittacũ Alcæus ζοφοροδορπίδα creditur appellaſſe, quòd ſerò cœnitaret, ſed quòd alioqui obſcuris, ſordidis, nihiliq; conuiuis delectaretur. Olim ante cœnæ tempus cibum ſumpſiſſe, infamiæ loco habebatur: & ientaculum ἀκράτισμα, ab intemperantiæ gulæq; ſtudio nomẽ adeptũ fuit. Hîc Theon ſermonem excipiens: Minimè, inquit, gentium iſtis, qui priſcam uiuendi normam reuocant, fides erat adhibenda: aiunt enim illos, ut in laboribus erant ſeduli, & frugi homines temperantesq;, ita panem mero imbutum mane eſitaſſe, nec præter eum aliud quicquam: atque inde nomen inueniſſe ientaculum, ut à mero ἀκράτισμα diceretur: & ὄψον, opſonium, quod in cœnam illis apparabatur: ſerò nanque (quod ὀψὲ ſignificat) peractis negocijs cœnam ſumebant.

ἀκρατίζω intemperans ſum.

ἄκρατον, merũ.

A bant.Iſtares occaſionem præbuit,ut unde & cœna & prandium nomen ſumpſiſſent,inquireretur. Viſum itaq; fuit prima fronte,& ἀκράτισμα,quod ientaculum eſt: & ἄριστον,hoc eſt,prandium,in idem cadere,teſtante Homero,ubi ait Eumæum prandium inſtruere,

Quum iam Titanis ſe oſtenderet humida terris.

Nec abſonum eſt uiſum,ἄριστον,id eſt,prandium,à matutino tempore nominis rationẽ deducere,uelut αὔριον,hoc eſt,manè: δεῖπνον uerò,hoc eſt,cœnam,quòd à laboribus ſuperſedere faciat: nam aut tranſacto negocio,aut interim dum negocium peragеretur, cœnam captabant.Iſtud ab Homero diſcere eſt,dicente:

Quum cœnam inſtrueret,paret cui cædua ſylua,

Ruſticus. Niſi fortè inde,quia prandium inelaboratum,& ex obuijs quibuſcunq; facilè concinnarent: cœnã uerò non abſq; apparatu apponerent: propterea illud ἄριστον,quaſi ῥᾷστον,id eſt,facillimum: hanc uerò δεῖπνον, quaſi elaboratitiam nominarint. Cæterùm Lamprias,frater meus,ut eſt natura iocoſus & facetus,aiebat,multis modis declaraturum ſe,Romana uocabula,quàm Græca,magis eſſe appoſita,quandò iam tanta licentia in nugacitatem eruperit.Nam quod Græci δεῖπνον,illi cœnam,à uictus communione uocant: ſeorſim nanq; priſci Romani moderatè pranſitabãt,cum amicis cœnare ſoliti. Prandium uerò à diei tempore nomen habet:nam ἔνδιον matutinum ſignificat,& ἐνδιάζειν, à prandio quieti ſe dare. Vel ea uoce matutinam eſitationẽ cibationemq; innuere uolunt, qua utantur prius,quàm ἐνδεεῖς,id eſt,famelici fiant. Iam ut miſſa, inquit, faciam ſtromata,uinum, mel,oleum,guſtare,propinare,& alia eius generis complura,quibus ut Græcis uocabulis,& Græco fonte cadentibus clarè utuntur,quis negarit Græcè dici,Comiſſatum,& miſcere,pro diluere: quod eſt apud Homerum,

Miſcuerat mollis laticem cratere Lyæi.

Et menſam,eò quòd in medium apponatur: panem,eò quòd placet famem: Coronam à capite: quemadmodum galeam,coronam dixit Homerus: quos nos ὀδόντας uocamus,illi dentes: & labra,quòd ijs eſca prehendatur, appellationem ſunt ſortita. Aut igitur audienda ſunt iſta ſeriò,& abſq; riſu dicta, aut nec illis uſqueadeo facilè aditum dabimus,qui per nomenclaturas uelut quiſquilias & capillamenta, partes quaſdam excindunt, quaſdam
B putant atque detruncant.

Scholia inſequentia,quia Problematum conuiualium interpretes ſunt, & ad eorundem intellectum haud parum facere uidentur,omittenda nequaquam cenſuimus.Tu igitur, optime Lector,ijs pro arbitrio utere.

DECADIS 1.Problemate 1. pag.196

Lyſius & Lydius.) Quod ad horum Bacchi cognominum explicationem attinet, non poſſum non ex ueterum ſcrinijs aliquid hoc loco depromere. Eandem,quam hic,rationem reddit Plutarchus libro ſeptimo ſympoſ.cap.ultimo. Pauſanias ad fabulam refert: Bœoticis prope theatrum,inquit, delubrum extat Bacchi, cognomento Lyſij: fertur enim Bacchus Thebanos,qui à Thracibus capti apud Haliartum abducebantur,exuiſſe uinculis,feciſſeq; illis poteſtatem ſopitos Thracas obtruncandi. Apud Cornutum ἐν τῷ περὶ ἑλληνικῆς θεολογίας ſcriptum inuenio, ἀλύσιον,ſed uitio,ut arbitror ſcriptoris adrepſit α,imò reclamat ipſius ratio quam ſubiungit: ſic enim habet, ἀφ᾽ οὗ καὶ λύσιον αὐτὸν ἢ λυαῖον ἐπωνόμασαν,λύοντα τὰς μερίμνας,quòd curas ſoluat: quod ipſum genuinæ lectionis fidem facere poteſt. Itaq; λύσιον eo loco conſtanter legendum cenſeo. Lydius uerò eadẽ ratione dictus uidetur,teſtante hoc ex Pindari autoritate Plutarcho alicubi, λύδιος ὃς ἐκ λύεται τὸ τῶν δυσφόρων σχοινίον τῶν μεριμνῶν,κατὰ Πίνδαρον.Lydius deus Bacchus,qui moleſtiarum curarumq; funiculũ ſoluit. Niſi quis etiam à peculiari Lydorum mollitie notari Bacchum uelit. Sed de his ſatis ſuperq;: plura uolente deo in noſtris τῶν γραμμάτων libris, in quibus Græca Epitheta fuſiſsimè enucleabimus.

Eodem problemate. pag.197.

Obliqua dicta carmina.) De ratione ſcholiorum (quæ ego obliqua,certa ratione,quàm,ut in lib.de diuinatione Cicero,flexiloqua,dicere malui) uariãt ſcriptores. Quòd ſi Tyrannionis grammatici liber Caij Cæſaris iuſſu cõſcriptus de ſcholio carmine, extaret, aut Didymi Sympoſiaca (in quorum tertio libro diuerſas etymologias explicuiſſe ab Etymologici autore adnotatur) certius aliquid poſſet adduci. In eo ſolo conueniunt omnes,σκολιὸν carmen eſſe conuiuale. Orus grammaticus etymon eius tradit,quòd ab ebrijs, quibus ſenſuum organa perturbata ſunt, & obliquè ſe quodam modo habent,cantari ſoleat. Sudas antiphraſticôs pro facili & minimè ambagioſo, ut quod paucis conſtet uerſibus, interpretatur. Heſychius,quod non à quibuſuis,ſed à doctis caneretur. Dicæarchus lib. de Muſicis rebus,triplex odarum genus ſuccini teſtatur: primum, quod uno cõcentu omnes ſimul accinebant: alterũ,quod uiritim ſinguli per ordinem: tertium,quod à peritiſsimo & ingenioſiſsimo quoq;,ut res in ordine cadebat,cantabatur,ita ut ab eo ordine σκολιὸν diceretur. At Ariſtoxenus & Phyllis Muſici (ex quibus fortaſſe ſuam ſententiam hauſit Plutarchus noſter) dicunt in nuptijs,diſpoſitis uarijs circa menſam unam lectis accumbentes myrteis per uices ſertis redimitos, ſentẽtias & amatorias cantilenas ſuccinere conſueuiſſe: circuitus autem ordo ob lectorum ſitum obliquo modo peragebatur. Porrò à Cicerone etiam ſcholij rationem aliquam peti poſſe autumo, qui libro quarto Tuſculanarũ,ni fal

lor, ex Catonis Originibus refert, morem hunc epularum apud maiores fuiſſe, ut deinceps qui accubarent, ad tibiam canerent clarorum uirorum laudes atque uirtutes. Id ſiquidem in ſcolijs carminibus ferè obſeruatum uideo, ut aut encomia illuſtrium hominū, aut præclaras ſententias, aut mixtim utrunq; continerent: nec pigebit aliquot exēpla adſcribere, unde qualis qualis iniri eorū ratio poterit, ſi prius hoc ſolum dixero, Terpandro τῶν σκολιῶν μελῶν inuentionem à Pindaro adſcribi, ut lib. de Muſica Plutarchus teſtatur. Scolion de Admeto Athenis decantatū ex Pauſaniæ lexico adnotat in Bœotia Euſtathius longè diligentiſsimus Homeri interpres, de cuius autore multa lis: eius tale eſt initium: Ἀδμήτου λόγον ὦ ἑταῖρε μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει, τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις. quod carmen & clari uiri hiſtoriam perſtringit, & ad fortitudinem parænecticū eſt. Videtur autem per fortes iuuenes generoſam maritiq; amantem Alceſtin: per timidos uerò Admeti patrem, qui pro filio mortem oppetere tergiuerſatus fuerat. Eodem in cōmentario & tale ſcolij exordium Euſtathius commemorat, παῖ Τελαμῶνος Αἶαν αἰχμητά, λέγουσί σ' ἐς Τροίαν ἄριστον ἐλθεῖν Δαναῶν μετ' Ἀχιλλέα. Iſtud carmen ut in prædicanda Aiacis fortiſsimi uirtute uerſatur: ita ſequēs, ſub gnome quadam, quòd amore ad præclara audenda facinora animentur homines, hiſtoriam ſtrenui uiri tegit: ὦ παῖδες οἳ χαρίτων τε καὶ πατέρων λάχετ' ἐσθλῶν μὴ φθονεῖθ' ὥρας ἀγαθοῖσιν ὁμιλίαν, σὺν γὰρ ἀνδρείᾳ καὶ ὁ λυσιμελὴς ἔρως ἐπὶ χαλκιδέων θάλλει (quanquam apud Plutarchum in ἐρωτικῷ malè βάλλει legatur) πόλεσιν. Solebat autem hoc apud Eretrienſes cantari, uideturq; indicare Cleomachū, qui in gratiam amaſij præſentis, in confertas hoſtium turmas inuectus, ordinibus eorum diſturbatis, uictoriam Chalcidenſibus peperit: quamuis alij Antonem quendā eadem uſum fortuna ſignificari uelint. Rhodius quoq; Timocreon in opulentiæ deteſtationem huiuſmodi ſcripſiſſe ſcolion à Suda commemoratur: ὤφελές σ' ὦ τυφλὲ πλοῦτε μήτε ἐν γῇ μήτε ἐν θαλάττῃ μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανῆμεν, ἀλλὰ τάρταρόν τε ναίειν κ' ἀχέροντα, διὰ σὲ γὰρ πάντ' ἐν ἀνθρώποις κακά. Adeoq; latè ea res patuit, ut Pericles plebiſcita & leges ſcoliorum in modum concinnata promulgaret, quale fuit illud eius, Μεγαρέας μήτ' ἀγορᾶς, μήτε θαλάττης μήτ' ἠπείρου μετέχειν. Atq; hæc de ſcolio carmine hactenus, cui τὸ ὄρθιον μέλος opponi arbitror, cuius in Muſica meminit Plutarchus, dicens Terpandrum adinueniſſe τὸν τῶν ὀρθίων μελῶν ῥυθμόν. & Herodotus κατὰ Ariona cytharœdum ςάντα ἐν τοῖς ἑδωλίοις, διεξελθεῖν νόμον τὸν ὄρθιον narrat. & ad Iamblichum Iulianus dixit, καὶ ἐκλαμπρὸν τὸ ὄρθιον ᾄδοντα πρὸς τὸ ἰλλαῖον τῶν χορδῶν, &c. Quin hic iam ſuperſedeo: nam ſi reliqua perſequi uelim, uoluminis materiam naſci mihi uideo: nec hic librum teximus, ſed ſcolij rationem oſtendimus. Reliqua ex Plutarcho petenda, ne actum agamus.

Eadem decade, problem. 5. pag. 199.

Muſicam amor docebit, &c.) Equidē arbitror ſenarium hunc eſſe trimetrum, contrà quàm ſentit Eraſmus meus: eumq; ex Euripide depromptum, apud quem ita extare certus propè ſum, Μουσικὴν δ' ἄρα
ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν,
Ζηλωτήν τι ποιεῖ κἂν ῥάθυμος ᾖ τὸ πρίν.
quemadmodū ex Plutarchi ἐρωτικῷ colligere eſt, ubi fuſius eandem quam hic de amore ſententiam effert: quanquam ibi loco πρίν, legatur πρᾶγμα. Quod attinet ad Philoxeni de Cyclope teſtimonium, res ita habet. Fertur Polyphemus (à circinato media in fronte oculo Cyclops dictus) ob bene habita pecora, lactisq; abundantiam, fœnum nō procul ab Aetna Siciliæ monte Galathææ (id nymphæ nomen à lactis ubertate inditum) conſecraſſe. Cuius rei cauſam ignorans Philoxenus Cytherius, eò loci delatus hoſpes, finxit Galathææ amore captum Cyclopem. Itaq; eum induxit conſolantem ſeipſum in amaſiæ amoribus, mandantemq; Delphinis, ut ſibi nuncient, qua ratione Camœnes medicari amoris æſtum queat. Huc alluſit Callimachus inquiens, ὡς ἀγαθὸν Πολύφαμος ἀνεύρατο τὰν ἐπαοιδάν, αἱ μίσευς τὸν ἔρωτα καθίσχανεν. Atq; hæc quidem fabuloſa hactenus, rei autem ueritas ita habet: Philoxenus opus ſcripſit de tibicina quam deperibat, & quam cōpreſsiſſe deprehenſus ad lapidicinas damnatus eſt, in quo ſe Vlyſſem appellat: Galatheam, adamatam tibicinam: Cyclopem uerò Tyrannum Dionyſium: quod opus cùm ſcriberet, exiguum mullum auribus admouit, quaſi de Galathæa comperti aliquid habere uolens, ut lepido hoc commento, prægrandem mullum Dionyſio appoſitum, cui inhiabat, extorqueret. Hæc in gratiā ſtudioſæ iuuentutis (grandibus enim σοφοῖς iſta non cudimus) ex Græcis commentarijs in Theocritum, uetuſtis illis quidem, & Athenæo, adnotaſſe libuit.

Eadem decade, Problem. 6. pag. 200.

Videtur enimuero & Calliſthenes.) Illud Calliſthenis dictum Plutarchus lib. περὶ ἀοργησίας, hoc eſt, de frenanda ira, paulò aliter refert: atq; omnino Athenæus Dipnoſoph. lib. 10. plenius id tradidit. Nec dubito quin aut iniuria temporum, quæ bonam partem illi commentario deraſit: aut typographi incuria, cuius μυρίους etiam errores in Aldino deprehenderis, aliquot illic uoces deſiderent. Sed libet eius uerba adſcribere, ut lectoris haud oſcitabundi oculos aperiam, expenſoq; indicio, quid eo loco deſit, mecum ille cōſideret. Καλλισθένης δ' ὁ σοφιστής, ὥς φησι Λυγκεὺς ὁ Σάμιος ἐν τοῖς ἀπομνημονεύμασι, καὶ ἀριστόβουλος καὶ χάρης ἐν ταῖς ἱστορίαις, ἐν τῷ συμποσίῳ τοῦ Ἀλεξάνδρου, τῆς ἀκράτου κύλικος ὡς αὐτὸν ἐλθούσης ὡς διωθεῖτο, εἰπόντος τινὸς αὐτῷ, διὰ τί οὐ πίνεις; Δαρμοῦ δέ, &c. Dicā & latinè ut poſsim. Calliſthenes rhetor (quod in commentarijs refert Lynceus Samius, Ariſtobolus quoq; & Chares in hiſtoriarum libris) quum in cōuiuio Alexandri, poculum meraci uini ad eum ueniſſet, illeq; à ſe repelleret, interrogatus à quodam, cur non biberet: Hic deeſſe Calliſthenis reſponſum, quis eſt adeò tardus qui non animaduertat?

DECADE 3. Problem. 2. pag. 204.

Apollinaris herba inueliit.) Græcum exemplar habet κύαμος, hoc eſt, faba, cui ſi præponas ὗς, ſuis faba erit, alio nomine Apollinaris dicta: de hac loqui Plutarchū arbitror, cui inſaniæ effectum grauiſsimi quique autores tribuunt. Quanquam legiſſe memini Pythagoreos eam ob cauſam à fabis abſtineri præcepiſſe, quòd animi tranquillitatem turbarent: nunquam tamen inſaniam ab ijs gigni crediderim. Contrà de hyoſcyamo hoc mihi conſtat, Philiatrum quendam olim mihi notiſsimum, periculi faciendi gratia, ceruiſiæ eam inieciſſe, totoq; triduo uerum Oreſten egiſſe. Quin & ceruiſiariorum coctorum flagitioſam temeritatem in eo notatam memini, qui ceruiſiæ hyoſcyamum incoxerant, quò caput is potus tentaret: iſtud enim bonitatis eſſe argumentum exiſtimāt quidam, ſi caput feriat, aut mentē potus furiatā reddat. Itaq; melior fortaſſe lectio fuerit, ὑοσκύαμος. ſi cui ea nō probatur, nihil repugno, quo minus pro Apollinari Fabam ſubſtituat: alioqui ſcio in uulgari ioco fabarum flores hoc nomine laborare, quòd ſtultitiam pariant.

DECADE 5. Problem. 10. pag. 209.

Sale tenus & cumino.) οἱ περὶ ἅλα καὶ κύμινον. Ita & ſuperius lib. 4. Sympoſiacorū ſcriptū legitur. Memini ab Eraſmo meo in Chiliadū opere adnotatum paulò

aliter

aliter ex Diogeniano, ni fallor, εἰ περὶ ἅλα καὶ κύαμον, Sale fabaq́ tenus amici. Quę lectio, neſcio quomodo arridet mihi magis, ut ſimplicior, ac propterea uerior: nam menſura quantumuis tenui & ruſticana, fabulas appoſuerit, obuium magis edulium placandæ famis iniuriæ, quàm cuminum.

τὴν τοῦ σώματα κρέα γεγονέναι.) Locus iſte primore fronte parum perſpicuus, & alioqui αἰνιγματώδης, gręca legenti negocij faceſſere queat fortaſſe nonnihil: proinde exiſtimaui mei eſſe muneris (ſi interpretis nomini ritè, quoad eius fieri poterat, reſpondere uellem) obſcurè dictis lucem addere, ſimulq́ eadem opera uerſionis laciniosę cauſam ſubtexere. Itaq́ animaduerſo ex ambigua duarum dictionum, quarũ utraq́ carnem notat, ſignificatione obſcuritatem omnẽ naſci, uiſum eſt multa lectione à nobis obſeruata, qualiacunq́ illa tandẽ ſint, paucis depromere. Binæ ſunt Græcis dictiones quæ carnem ſignificant, nimirum σὰρξ & κρέας: hanc ego animatam carnem interpretatus ſum: uidetur enim τὸ κέαρ, quod animam ſignat, nominis occaſionem illi dediſſe, quaſi ſit animata caro: quæ etymi ratio ad amuſsim expenſa, huic loco congruit peroptimè: quamuis & παρὰ τὸ κερᾶν, nõ abſurda uideri queat deductio, quòd è quatuor elementis conflata contemperataq́ ſit: nam eos qui uim uocabuli ἀπὸ τοῦ κρατεῖν τὸ σῶμα trahũt, ualere iubebimus. Altera dictio eſt σὰρξ aut σύρξ lingua Aeolica, uicinio re ortui ſuo uoce: nam ἀπὸ τοῦ σύρω, σύρξω deriuari autumant, quòd carni mortuæ (quam propriè Donatus in Terentio carnem, ſi bene conſtat memoria, uult dici, unde & carnifex, quòd carnem faciat, nomen habuerit) corium detrahatur. Itaq́ ſi iſtam uocum originem ſpectemus, σὰρξ, mortua, κρέας animata fuerit caro: ſed eam rationem nuſquam ferè, quod equidẽ nouerim, apud autores Græcos tam ſacros quàm profanos obſeruatam reperias, adeò Philoſophorum τὴν ποικίλην στοὰν frequentantium (inde enim nomen habent Stoici) ſupercilium laborauit ubiq́ obſcurũ fieri, ut de cæteris taceam.

DECADA 7. in procemio. pag. 214.

Phiditium.) In Aldino exemplari φιλίτιον legitur. Ego cur Phiditium reddiderim, ne quis miretur, cauſam quæ me mouit attexam. Multa ſunt & innumera hiſce in libris ἄτοπα, ſed omnibus Pæoniam manũ addere infinitæ eſſet operæ: hunc tamen locum adeò conniuenter tranſmittere non poſſum, præſertim data occaſione unum aut alterum etiam locum reſtituendi. Septimæ decadis penultimo capite legitur ita: τὰ γὰρ παρὰ κρησὶν ἀνδρεῖα καλούμενα, παρὰ δὲ σπαρτιάταις φιλίτια: ubi φιδίτια legendum eſſe quis nõ ſubodoratur? ſic enim apud hunc eundem autorem in Lycurgo ſcriptum eſt, τὰ δὲ συσσίτια κρῆτες μὲν ἀνδρεῖα, οἱ λακεδαιμόνιοι δὲ φιδίτια προσαγορεύουσι. Athenęus lib. 5. habet, τὰ δὲ ἐν σπάρτῃ φιδίτια καὶ παρὰ τοῖς κρησὶν ἀνδρεῖα. Vtitur & Cicero libro 5. Tuſculanarũ quæſt. Quid uictum Lacedæmoniorum in phiditijs nónne uidemus? Sed de hoc plura cõmodius aliàs. Porrò quod hic de Spartanorum more in conuiuij publici loco commemorat, idem in Lycurgo his uerbis docet paulò clarius: τῶν δὲ εἰσιόντων ἑκάστῳ δείξας (ſic enim lege, non δίξας) ὁ πρεσβύτατος τὰς θύρας, διὰ τούτων, φησίν, ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται. hoc eſt: Natu maximus ingredientib. cõmonſtrat fores, addens, per has uerbum foras non egreditur.

Eadem decade, problem. 1. pag. 214.

Τέγγε πλεύμονας οἴνῳ &c.) Memini legiſſe alicubi in Græcorum commentarijs, carmen iſtud, ſic uti deſcripſi, heroica lege cadens, οἴνῳ πλεύμονα τέγγε, τὸ γὰρ περὶ τέλλεται ἄστρον. nam περὶ etiam apud Athenæum in primo legitur, οἴνῳ πλεύμονα τέγγε, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται, ἡ δ' ὥρα χαλεπά, πάντα δὲ διψᾷ ὑπὸ καύματος. quamuis libro 10. rurſus aliter legatur. Apud A. Gellium Noctium Atticarum lib. 17. cap. 11. ubi eadem hæc quæſtio pertractatur, inſigne mendum in libros & nuper & pridem excuſos irrepſit, imò monſtrũ uerius, quando hæc Alcæi ſententia adfertur: ita enim ſcriptũ illic inueni, τέγγε πνεύμονα οἴνῳ τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται. Adiecta eſt & huius interpretatio à uiro alioqui inſigniter docto: Pulmonem uino, ſummũ enim ipſius pulmonis cõtrahitur. Quo dij boni quid ineptius? quid prodigioſius? germana enim lectio erit, τέγγε πνεύμονα οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται. Viſum eſt per occaſionem iſtam Gelliani codicis maculam indicare, quò adnotatione hac noſtra admoniti ſtudioſi, calamiſtro locũ inurant, & emaculent ſuos quiſq́ codices. Porrò qui ex Eupoli Comico uerſus in Plutarcho legitur, ſic reſtituendus, ἵνα πρὸ τοῦ κυνὸς τὸν πλεύμον' ἔγκυρον φορῇ: non, ut in Athenæo eſt, ἔκλυτον. ait enim Protagorã medicum imperaſſe Calliæ, ut antequàm Sirius flagraret, pulmonẽ epoto uino dilueret. Eſt autem ἔγκυρον irriguũ: at ἔκλυτον flaccidum ſonat & reſolutum: quæ lectio apud Macrobium etiam corrupta legitur, Saturnaliorum ſeptimo. Nec illud ſilentio trãſmiſerim, me cum A. Gellio & Macrobio pro μέτρια[?] ſcribere μεταλλος[?], ita nanq́ legiſſe illi uidẽtur: ſiquidem moderatricem quandam arbitramq́ reddũt illi, ego uerò ſequeſtrã. Quod autem ad Platonici huius, qui in Timęo extat, loci ueritatem attinet, latius Galenus libro de Hippocratis Platoniſq́ dogmatibus octauo exequitur: ſi φιλομαθὴς εἶ, eum adi. Tractat & Ariſtoteles eandẽ quæſtionem lib. 3. de partibus animalium, cap. 3. ſecundũ Theodori Gazæ diſtinctionem.

Eadem decade, problem. 2 pag. 215.

Κεραοβόλος.) Semel hac uoce uſus fuiſſe Plato adnotatur, innuereq́ duræ ceruicis hominem, quiq́ animi cultum non recipit, nec legibus audit. Semina uerò κεραόβολα & ignis iniuriæ inulcta reſiſtere, in decimoquinto τῶν νόμων legitur: nec aqua macerata teneſcere, etymologici autor addit.

DECADA 8. problem. 6.

Διὰ τῶν ὀνομάτων ὥσπερ ψοφῶν.) Fuit, quando ita lectionem genuinam conſtare ſum arbitratus, διὰ τῶν ὤτων ὥσπερ τοίχων: nam alioqui τὸ ὀνομάτων, ut ſępe aliàs, corruptè legitur in uulgatis Plutarchi exemplaribus: ita proximè lib. 8. ſympoſiac. cap. 2. pro ὀμμάτων adulteratum eſt, ubi ſic habetur, καὶ τὸ μυρίων κρεῖσσον ὀνομάτων ὄργανον ψυχῆς καὶ φέγγος ἀπολλύουσιν, quo loco indubitanter ὀμμάτων ſubſtituendum eſt, id quod & apud Proclum extare noui. Veruntamen hoc in loco expeditior erit ſenſus & ſimplicior dictio, ſi ſic, ut antea dictum eſt, legatur, ut ea ſit orationis facies: Aut nec illis uſqueadeo facilè aditum per aures, uelut parietes, dabimus, qui &c. Iſtud Lectori candido indicare malui, quàm temerè commutare.

SCHOLIORVM FINIS.

C

Plutarchi, ſeptem ſapientum conuiuium.

EDVARDO HENRISONE INTERPRETE.

DIOCLES VATES.

NAE longinquitas & dies magnas, Nicarche, tenebras ſunt rebus offu
ſuræ, & eas prorſus obſcuraturæ, ſi in recenti adeò memoria ueritatis
fidem confictę fabulæ mœrentur. Non enim à ſolis illis ſeptem, ut uos
accepiſtis, celebratum eſt conuiuiũ, ſed ab amplius bis totidem: inter
quos & ipſe fui, quum artis meæ cõmendatione Periandro familiaris
eſſem, ac Thaletis hoſpes: nec fideliter dicta referebat, quiſquis erat
ille, qui uobis narrabat, quem conuiuio non interfuiſſe ſit ueriſimile.
Sed quoniam magnum nobis ſuppetit ocium, eſtqꝫ ſenectus parum locuples ad ſponden
dam ſermonis dilationem, ut ueſtro ſtudio ſatisfiat, omnia à principio narrabuntur. Nam
apparatum ad eos accipiendos Periander inſtruxerat, non in urbe, ſed ea in cœnatione,
quæ eſt in Lechæo prope Veneris templum, cui tunc quoqꝫ ſacrificabatur. Nam poſt a-
mores illos inceſtos, cùm ipſius mater uiram profudiſſet, Veneri ſponte ſua non opera-
tus, tum primùm ex quibuſdam Meliſſæ ſomnijs ad deæ uenerationem & cultum incita-
batur. Singulis porrò inuitatorum ſatis ornata biga fuit adducta, propterea quòd æſtas
erat. & uia præ multitudine plauſtrorũ & hominũ uſqꝫ ad mare pulueris ac turbæ plena.
Sed Thales, ut pro foribus bigam uidit, eam hilari ac arridenti uultu dimiſit. Proficiſceba
mur itaqꝫ extra turbam per agros declinato itinere, ac tertius nobiſcum Niloxenus Nau-
cratita, uir probus, & familiaris Soloni ac Thaleti in Aegypto factus, qui quidẽ ſecundũ
miſſus erat ad Biantem, ſed legationis cauſam ignorabat, niſi quòd alteram quæſtionem
in obſignato codicillo ſe afferre ex eo ſuſpicabatur, quód in mandatis habuerat, ut ſi Bias
difficultate uictus eſſet, Gręcorum ſapientiſsimis oſtenderet. Percommodè mihi cecidit,
inquit Niloxenus, quòd hîc omnium ueſtrûm facta ſit mihi copia: portóqꝫ, ut uides, libel
D lum ad cœnam: & ſimul eum nobis oſtendebat. Tum ridens Thales: Si quid mali eſt, rur
ſus Priennam faceſſat, cùm diſſoluturus ſit Bias, ut prius illud diſſoluit. Quodnam erat, di
cebam ego, prius illud? Tum Thales: Hoſtia miſſa, rex Biantem iuſsit peſsimam & opti-
mam carnem ex ea remitteret. Hic uerò noſter ſcitè & uenuſtè exemptam linguam miſit,
unde hauddubiè famæ celebritatem, & hominum admirationem eſt aſſequutus. Non ſo-
lùm ob hoc, aiebat Niloxenus, ſed eum etiam regum commendat amicitia, à qua non ab-
horret, ut uos. Quandoquidem te cùm alijs de rebus admiratur, tum uerò mirificè ample-
xatus eſt illam tuam Pyramidis menſionem, quòd nullo negocio citráqꝫ ullius inſtrumen
ti auxilium, baculo tantùm in extrema umbra, quam Pyramis reddebat, erecto, cùm duo
triangula radiorum appulſu exiſterent, oſtendiſti eandem eſſe proportionem Pyramidis
ad baculum, quæ eſſet umbræ ad umbram. Verùm, ut dicebam, tuum in reges odium cri-
minabatur, ac quædam contumelioſè abs te dicta de tyrannis, ad eum referebantur: quo-
modo à Molpagora Ioue interrogatus, Ecquid admirabile præterquàm opinionẽ uidiſ-
ſes: reſponderis, Tyrannum ſenem. Rurſuſqꝫ, cùm in quodam loco de beſtijs ſermo inci-
diſſet, dixeris: Peſsimã eſſe ferarũ quidem beſtiarũ, Tyrannũ: cicurum uerò, adulatorem.
Hæc enim ad regum aures minimè iucunda accedunt, tametſi ſtudioſè ſimulent ſe tyran-
norum eſſe diſsimiles. Non eſt ita, inquit Thales, ſed hoc eſt à Pittaco dictũ, cùm in Myr-
ſilum aliquando iocaretur. Ego uerò dicebam, miraturum me, non ſi tyrannum, ſed ſi gu-
bernatorem uiderem ſenem. Sed me tamen hæc commutatio afficit, ut iuuenem illum ia-
ctu aberrantẽ, qui cùm canem petens nouercam ferijſſet, ſed nec hoc modo male cecidit,
dixit. Quamobrem & Solonem ſapientiſsimum ducebam cùm imperium recuſabat. Et
Pittacus niſi ad ſummam Remp. unus acceſsiſſet, illud nõ enunciaſſet: Quàm difficile eſt
bonum uirum eſſe. At Periander ut paterno morbo, ſic & tyrannide oppreſſus, uidetur ex
ea non male conualeſcere, dum ſalutari colloquio in hunc uſqꝫ diem utitur, ſapientium ui
rorum adhibet conſuetudinem, illas autem cacuminum reſectiones reijcit, quarum ei au-
tor eſt ciuis meus Thraſybulus. Etenim ab agricola locuſtas & auiculas pro frumento &
hordeo colligere uolente nihil differt tyrannus, qui abiectis mancipijs quàm uiris domi-
nari malit. Nam regna unum honoris ac gloriæ fructum cum multis incommodis cõpen-
ſant, ſi quidem reges bonis ut meliores imperitant, ac maiores magnis conſpiciuntur. Sin

inho-

A inhoneſtè in ſecuritate delitéſcere appetunt, nõ hominibus, ſed ouium, equorũ, & boum
multitudini eos præeſſe oportebat. At nos hoſpes hic in alienum ſermonem coniecit, ne-
glectis ijs quæ propriè dicenda quærendaq́; ſunt ad cœnã euntibus. An non putas ut fa-
cturi, ſic inituri conuiuium quandam eſſe præparationem? Nam Sybaritę, ni fallor, anno
antè mulieres inuitant, ut liceat ſummo ocio ueſte & auro adornatas ad cœnam uenire.
At ego ueram rectè cœnaturi præparationem arbitror eò longius tempus requirere, quò
difficilius eſt moribus aptum & congruentem, quàm luxurioſum & inutilem corpori or-
natum adinuenire. Non enim uir prudens ad cœnam ſe, ut uas, implendum affert, ſed ut
& ſeriò aliquid agat, & lucter, & tum audiat, tum dicat, prout tempus fert, ac inuitet con-
uiuas, ſi modò iucundè ſunt conuicturi. Nam opſonium quidem malum licet reijcere, ac
uino uitioſo ad lymphas confugere: conuiua uerò moroſus, moleſtus ac intractabilis, om
nem omnis generis uini, opſonij, pſaltriæ gratiam ac uoluptatẽ perdit & corrumpit: tum
iſtiuſmodi morum odium ne ablegatu quidem facile eſt, uerùm nonnullis in omnem ui-
tam inhæret in conſuetudine moroſitas, uelut longa quædam & diuturna cruditas ex in-
iuria & rixa ſuper uino nata. Quare optimè fecit Chilo, ut cùm heri uocaretur, non antè
condiceret, quàm unumquenq; inuitatorũ cognouiſſet: dicebat enim ferendam quidem
eſſe ſocij in nauigatione ac contubernalis moleſtiam, ut quibus cum neceſsitas cõmunis
nauigij ac militiæ imponeretur: ſed quibuslibet ſeſe conuiuiis immiſcere, hominis amen-
tis eſſe. Ac illud Aegypriorũ oſſeum cadauer, quod ſæpenumero in cõuiuijs proponunt,
ſimul adhortantes, ut meminerimus nos breui tales fore, quanquã ingratus ac intempeſti
uus comeſſator ſuperueniat, habet tamen commoditatem quandam, ſi modò non ad bi-
bendum & uoluptuandum, ſed ad amiciriam ac charitatem mutuam nos adhortatur, ue-
tatq́; breuem uitæ diem moleſta uiuendi ratione producere. Dum in uia huiuſmodi ſermo
nes inter nos conferimus, domum uenimus. Ac Thales quidem lauare noluit, quòd un-
ctum ſe diceret, ſed obambulans curricula & palæſtras contemplabatur, itemq́; nemus
quod propter mare ſaris ſolerti dimenſione & deſcriptione eſt ornatum, cùm tamen nihil
iſtorum obſtupeſceret, ſed id ageret, ut ne Periandrum contemnere, ac eius magnificen-
tiam non aſpiciendo condemnare uideretur. Reliquos autem ut quiſq; unctus aut lautus
B erat, famuli in uirilem cœnationem per porticum introducebant. In porticu autem Ana-
charſis ſedebat, ac à fronte ſtabat puella eius comam manibus diſcriminans. Eam Thales
liberaliſsimè occurrentem deoſculatus eſt, ac ridens dicebat, Pulchrum nobis redde ho-
ſpitem, ut ne, cùm ſit manſuetiſsimus, aſpectu terribilis ac ferus appareat. Hîc interrogan
te me, quænam eſſet puella, reſpondit: Ignoras ergo ſapientem ac celebrem ubique gen-
tium Eumetim? Sic enim pater eam nuncupat, alij uerò à patre ducto nomine Cleobule-
nam appellant. Tum Niloxenus: Puellæ nimirum in ænigmatis uerſutum ingenium ac
ſcientiam laudas: nam in Aegyptum nonnulla ab ea quæſita peruenerunt. Minimè uerò,
dixit Thales: his enim perinde ac talis quories ludit, utitur, & in obuios iacit. Verùm &
ſpiritus habet mirabiles, & animum politicũ, & humanos mores: patrem deniq; ciuibus
mitiorem ac populariorẽ principem reddit. Tum Niloxenus: Eſt ita, apparetq́; reſpicien-
ti ingenuam quandam puellæ ſimplicitatem. Verùm quî fit, quòd tam amanter ornet A-
nacharſim? Quoniam, inquit, eſt uir modeſtus & abundanti doctrina, & diętam ac purga
tiones, quibus in ægrotis Scythæ utuntur, animo candido & prompto tradidit. Nuncq́;
arbitror ipſam fouere uirum, ac amanter tractare diſcentem ſimul & diſſerentem. Porrò
cùm iam prope uirilem cœnationẽ eſſemus, obuiam fit Alexidemus Mileſius Thraſybuli
tyranni nothus, qui perturbatus exierat, ac iracundè quædam ipſe ſecum, nihil tamen ut
nos intelligere poſſemus loquens. Vt uerò Thaletem uidit, repreſſo paululum gradu con
ſiſtens: Qua nos, inquit, iniuria Periãder affecit, qui cùm nõ ſiuiſſet me enauigare ſummè
cupientẽ, ſed ad reliquã morã precatus eſſet etiam cœnã expectare, ut ueni, aſsignat igno
minioſum locum, Aeoleas ac inſulanos quoslibet deniq; Thraſybulo præferens? Quòd
enim Thraſybulo, qui me miſit, in perſona mea labeculã aſpergere ſtudeat, eumq́; abijce-
re, ut certus contemptor manifeſtò declarat. Num, inquit Thales, uereris, ne quemadmo
dum Aegyptij dicunt ſtellas in locorũ traiectione depreſſas aut elatas meliores aut peio-
res fieri, q̃ ipſarum ferat natura, itidem te obſcurum aut humilem locus reddat? ſiſq́; Laco
ne illo contemptior futurus, qui in ultimum chori locũ detruſus à chorago, Probè, ait, re-
periſti, quà locus etiam honorabilis fiat. Non enim uidendũ eſſe dicebat poſt quos occu-
patis locis accubamus: ſed potius ut nobis bene cum accumbentib. conueniat, initium ac
anſam amicitiæ ſtatim è nobis ipſis dando, atque adeo nõ indignãdo, ſed laudi ducendo,

Qui ſint Aeo-lee, uide Plutar-chũ in problem. pag. 82.

C quod cum eiuſmodi ſociati ſimus. Cùm quẽ locus mouet, is de propter accumbẽte magis
indignetur quàm de conuiuatore, ne amborum odium incurrat. Verba iſthæc ſunt, aliud
nihil, dixit Alexidemus. Re ipſa uerò uideo, etiam uos ſapientes honorem perſequi: & ſi-
mul nos prætergreſſus abijt. Hominis importunitatem admirantibus nobis, dixit Tha-
les: Bardo & abſurdo eſt ingenio, quippe qui etiam adoleſcentulus adhuc, unguentum,
quod propter excellentiam in delicijs habendum Thraſybulo allatum erat, in magnum
pſycterem infuſum mero quoq; affuſo ebibit, ex quo inimicitias pro amicitia ſibi pepe-
rit. Deinde famulus accedens ait: Periander iubet te, aſſumpto etiam Thalete, inſpice-
re, quod recens ei allatum eſt utrum aliàs unquam extiterit, aut quid portenti & monſtri
ſit. Videtur enim ipſe admodum perturbatus eſſe, uitium id, ac maculam ſacrificij ſui du-
cens: & ſimul nos abduxit in domunculam quandam ex ijs, quę horto adiacent: ubi iuue
nis paſtor, ut uidebatur, adhuc imberbis, ſed nec forma illiberali, explicata ſcortea penu-
la, oſtendit nobis infantem ex equa, ut aiebat, natum: in ſuperioribus quidem partibus
collotenus ac manibus humana præditum figura, in reliquis uerò equina ac more recen-
tium a partu infantulorum uagientem. Niloxenus igitur inuocato Auerrunco Deo ocu-
los auertit. Verùm Thales in adoleſcentẽ diu intuitus, deinde arridens, ut ſolitus erat me-
cum in artem iocari, Num expiationes, inquit, mi Diocles cõmouere cogitas, & negociũ
faceſſere dijs Auerruncis ut in terribili ac graui aliquo euentu? Quid ni ego, inquam, id fa
cturus ſum? Seditionis enim ac diſcordiæ ſignum eſt, mi Thales: uereorq;, ne ad connu-
bium & prolem pertineat deæ ſecundã, ut uidetur, iram antè oſtendente, quàm priorem
placauerimus. Ad hoc nihil reſpondens Thales, cum riſu diſceſsit: ac cùm obuiam ad fo-
res factus Periander percunctaret, quid uidiſſemus: me dimiſſo, ac illius apprehenſa ma-
nu, Ad quæ, inquit, te Diocles hortatur feſtinanter nihil facias. Equidẽ tibi ſuadeo, hunc
morem teneas, ut aut non utaris equorum paſtoribus, aut des eis uxores. Iſthac oratione
uiſus eſt mihi admodum delectari Periander: riſu etenim effuſo Thalem cõplexus & deo-
ſculatus eſt. Ac arbitror, aiebat, mi Diocles hoc prodigium finẽ habet. Vides enim quan-
tum mali nobis acciderit Alexidemo nobiſcũ cœnare recuſante. Poſtquàm uerò ingreſsi
ſumus clariore iam uoce locutus Thales: Quem, inquit, diſcumbendi locum uir ille mole
D ſtè tulit? Eo autẽ monſtrato circumibat, nos ſeq; illic compoſuit, hoc adiecto: Quinetiam
unius menſæ cum Ardalo cõmunionem redimerem. Is autem tibicen erat, & Ardaliarum
muſarum ſacerdos, quas priſcus ille Ardalus Trœzenius cõſecrauit. Tum Aeſopus (miſ-
ſus enim erat recens à Crœſo ad Periandrum, & Delphos ſimul ad Apollinem, ſedebatq;
in humili ſella iuxta Solonem, qui ſuprà accumbebat) Mulus, aiebat ille, Lydius in flumi
ne conſpicatus faciei imaginem & pulchritudinẽ proceritatemq; corporis admiratus, ſe-
ſe ad curſum incitauit equi more iactata iuba. Deinde cùm ſecum cogitaret, quòd aſini fi-
lius eſſet, curſum ſtatim repreſsit, ac faſtuoſum fremitum & animos depoſuit. Chilo au-
tem laconicè effabatur, καὶ τυὶν βραδὺς, καὶ τρέχεις τὸν ἡμιόνον, & tu tardus, & muli more cur-
ris. Poſtea Meliſſa accedebat, ac propter Periandrum diſcumbebat. Lumetis uerò in cœ-
na ſedebat. Thales autem me, qui ſupra Biantem accumbebam, compellans: Cur non, in-
quit, nunciaſti Bianti Naucrantam hoſpitem ſecundum ad eum uenire cum problemati-
bus regijs, ut ſobrius & conſideratus ea recipiat? Tum Bias: Hic me iandiu territat iſt-
hac admonitione. Sed ego Dionyſium noui cùm alias aerem, tum etiã λύσιον propter diſ-
ſoluendi ſcientiam appellatum. Quare nihil uereor, ne Deo plenus timidius certem. Hu-
iuſmodi iocos inter ſe ſuper cœnam agitabant. Mihi uerò cœnam ſolitò frugaliorẽ intu-
enti ſubierat cogitatio, quomodo ſapientes ac boni uiri inuitati & accepti ad ſumptum ni
hil adderent, quinimò reſtringerent, efficientes ut ſuperuacanea & exquiſita opſonia, un
guenta exotica, bellaria, precioſorum uinorũ diffuſiones tollerentur, quibus prolixè cùm
quotidie in tyrannide, diuitijs ac rebus gerendis quotidie uteretur, tunc tenuis ac frugali
ſumptu ſeſe uiris illis uenditabat. Non ſolùm enim de reliquis, uerumetiam de uxore de-
tracto & abſcondito quotidiano mundo, eam leuiter ac modicè ornatam exhibebat. Re-
motis autẽ menſis diſtributisq; à Meliſſa corollis, & nos libabamus, & tibicina ut paucula
ſuper libationes incinuiſſet, è medio diſceſsit. Hîc compellatum Anacharſim Ardalus in-
terrogat, eſſent' ne apud Scythas tibicinæ. Ille uerò ex tempore reſpondens: Sed ne uites
quidem, inquit. Cumq; rurſus Ardalus diceret: At ſaltẽ deos habent Scythæ? Habent ue-
rò, ait, humanæ linguæ intelligentes: nec in ea opinione ſunt, in qua Græci, qui ſe melius
Scythis loqui putantes, deos tamen oſſa & ligna ſuauius, quàm humanã uocem audire ar
bitrantur. Tum Aeſopus: Vellem ſcires amice, quòd tibiarum opifices, reiectis hinnulo-

rum

A rum oſsibus, aſinina meliorem ſonum efficere dicant. Quare & Cleobulum duris auribus hominem ad Phrygiam tibiam hinnulium crus ſonans, in admirationem ſoni gratia impulit, ut aſinum craſsiſsimum ac à Muſis alieniſsimũ animal, tenuiſsimum tamen os & ad muſicam accõmodatiſsimum præbere miraretur. Et certè, aiebat Niloxenus, hoc nobis Naucratitis exprobrant Buſyritæ. Nam nos utimur aſininis ad tibiarum confectionem: illis uerò nefas eſt uel tubam audire, quòd aſininum quiddam ſonet. Probè porrò noſtis Aegyptios aſinum propter Typhonem omni turpitudine & obſcœnitate contaminare. Facto deinde ſilentio Periander oculos in Niloxenum circunferens, uolentem illum quidem ſed reuerentem tamen exordiri ſermonem, Equidem laudo, dixit, ciuitates ac reges, qui exteris primùm, deinde ciuibus dant operam. Quamobrem nunc mihi placet noſtris ſermonibus ut patrijs ac familiaribus ſuperſedere, ac aditum uelut concionem dare Aegyptijs illis ac regijs, quos uir optimus Niloxenus affert Bianti, quem ſcio uelle nobiſcum eos in medio propoſitos cõſiderare. Vbinam gentium, aiebat Bias, ac quibus cum libentius in iſtiuſmodi reſponſis ingenij uires, ſi quidem oportet, quiſquam periclitatus fuerit, regê præſertim iubente priores meas eſſe in hac quæſtione diſquiſitioneꝗ́ partes, poſteriores uerò ueſtrûm deinceps omniũ? Itaꝗ́ Niloxenus ipſi libellum tradebat, iubebatꝗ́ ſolutis uinculis palàm omnino recitare. Porrò huiuſmodi erat ſcriptorũ ſententia. Aegyptiorum rex Amaſis dicit Bianti ſapientiſsimo Græcorũ: Eſt mihi cum Aethiopum rege contentio de ſapientia, in qua in hunc uſꝗ́ diem uictus, abſurdum tandem & difficile imperiũ cõmentus eſt, me iubẽs mare ebibere. Hoc ego ſi ſoluero, uicos ac urbes illius multas accipiam. Sin minus, urbibus quæ ſunt in Elephantina, cedere debeo. Quare ſtatim, ut conſideraueris, dimitte Niloxenum. Quæ uerò noſtra in tuos amicos aut ciues eſſe debent officia, quo minus ea conſtent, per me non ſtabit. His recitatis nõ diu cunctatus, ſed pauliſper in cogitatione defixus, collocutusꝗ́ cum Cleobulo propè accũbente, Quid ais, inquit, ô Naucratita? tantæ hominum multitudini & tam amplam regionem, eamꝗ́ optimam poſsidens, uolet ob ignobiles ac ſteriles uicos mare epotare? Niloxenus autem ridens, Vt potes, ipſe, quid effici queat, uideas. Tum ille: Dicat itaꝗ́ Aethiopi, irruptiones fluuiorum in mare inhibeat, donec Amaſis hoc præſens mare ebibat, cùm de hoc tantùm
B mari, de futuro nihil imperarit. Hæc Biantis uerba tanta perfuderunt uoluptate Niloxenum, ut ad amplexandum oſculandumꝗ́ Biantem ſit incitatus. Porrò laudantibus hæc approbantibusꝗ́ reliquis, ridens Chilo, Hoſpes Naucratita, inquit, priuſquàm pereat nobis epotum mare, Amaſidi nunciatum nauiga, ne rationem exquirat tantæ ſalſilaginis congerendæ, ſed ut uideat potius, quomodo regnum potabile ac dulce popularibus efficiat. Nam plurimum in hac re ualet Bias, eius'que optimus eſt magiſter, quam doctus Amaſis non amplius egebit aureo pelluuio ad Aegyptios captandos, ſed colent ipſum omnes, charumꝗ́ habebunt ob probitatem, etiamſi ſexcenties, quàm nunc eſt, ignobilior exiſteret. Atqui certè, dixit Periander, dignè fiet, ſi omnes regi contulerimus huiuſmodi primitias uiritim, ut dicebat Homerus: ſic enim fiet multò præſtantius ipſa negociatione additamentum, nobis'que in primis utile. Cùm itaque diceret Chilo, meritò Solonem exordiri debere, non ſolùm quòd omnes ætate anteiret, & primus accumberet, ſed etiam quòd ſummo ac perfectiſsimo magiſtratu fungeretur, Athenienſium nimirum legumlator: Niloxenus mihi inſuſurrauit, Multa quidem mi Diocles, falſò creduntur, ac multi eius abſurdis commentis de ſapientibus gaudent, & ab alijs conficta facillimè recipiunt: quorum in numero eſt, quod nobis in Aegyptum nunciatum eſt de Chilone, diſſoluiſſe eum ſuam cum Solone amicitiam ac hoſpitium, quòd is diceret leges mutabiles eſſe. Tum ego, Ridicula fabula: iſthac enim ratione, nos primùm Lycurgo cum ſuis legibus renunciare deberemus, cùm uniuerſam Lacedæmoniorum Rempub. immutarit. Solon igitur poſtquàm ſe pauliſper continuiſſet, aiebat, ſua quidem ſententia clariſsimum & regem & tyrannum fore, ſi ciuibus de unius principatu imperium populi conſtituat. Secundus Bias: Si primus ipſe patriæ legibus utatur. Pòſt Thales: Regis felicitatem eſſe, in ſenectute uitam naturæ reddere. Quartus Anacharſis: Si ſolus ſit ſapiens. Quintus Cleobulus: Si nemini eorum, qui circa ſe ſunt, credat. Sextus Pittacus: Si ſuos non ſe, ſed de ſe timere faciat. Poſt eum demum Chilo: Qui præeſſet, nihil mortale, ſed omnia immortalia debere animo agitare. His pronunciatis poſtulabamus & ipſum Periandrum aliquid effari. At is nequaquam ualde hilaris, ſed contracto uultu: Ego igitur inſuper pronuncio, propemodum omnes iam dictas ſententias à Republica gerenda uirum prudentem auocare. Tum Aeſopus ut reprehenſor: Debebatis

C ipſi apud uos hoc definire, nec imperantibus conſilium & amicitiam profeſsi, eorum accuſatores exiſtere. Hîc Solon tacto Aeſopi capite ridens, An nõ uidetur tibi modeſtiorem Regem ac æquiorem Tyrannum efficere, qui ſuadet, præſtare priuatum eſſe, quàm cum imperio? Cui hoc, inquit Aeſopus, probaueris tu, aut Apollo, cùm hoc oraculum tibi ędiderit, Vrbicula eſt felix, quæ præconem audiat unum? Atque nunc, aiebat Solon, Athenienſes unum pręconem & regem audiunt legem, ipſi ſummã Rempub. tenentes. Tu autem peritè intelligis coruos ac graculos, ſed tuam ipſius uocem perfectè ac plenè nõ exaudis: uerùm arbitraris urbem ſecundùm dei ſententiam felicisſimam eſſe, quę unum audiat: conuiuij uerò pręſtantiã eſſe putas, ſi omnes, & omnibus de rebus loquantur. Nondum enim, reſpondebat Aeſopus, ſanxiſti, quemadmodũ ne pueros amarent, néue inebriarentur ſerui, ſic uelut in pari flagitio ne illoti ungerentur. Hoc cùm riſum mouiſſet Soloni, Cleodorus medicus, At paria ſunt, aiebat, illotum ungi, & madidum ad uinum garrire: eſt enim ſuauisſimum. Subſequutus igitur eſt Chilo: Sic abſtinendum ergo eſt ab ipſo. Rurſus uerò Aeſopus: Atqui uiſus eſt dixiſſe Thales, quòd celerrimè conſeneſcet. Ridens itaque Periander, Meritò, inquit, nos uexas, quòd quum inſtituerimus omnes Amaſidis ſermones in mediũ proferre, ad alios delapſi ſumus. Vide ergo Niloxene epiſtolæ reliqua, horũq; uirorũ præſentia in hac re utere. Atq;, dicebat ille, Aethiopis iuſſum nihil aliud quiſquã eſſe dixerit, q̃ ut cum Archilocho loquar, ἀχνυμένην σκυτάλην, triſtem Scytalam. At uerò tuus hoſpes Amaſis humanior in huiuſmodi problematibus ac doctior fuit. Iuſsit enim eum dicere quid uetuſtisſimũ eſſet, item quid pulcherrimum, quid maximum, quid ſapientisſimũ, quid maximè cõmune, inſuper quid utilisſimum, nocentisſimum, ualidisſimum, facillimum. Periander: Vtrũ igitur reſpondit ac diſſoluit ſingula? Sic, inquit Niloxenus: uerùm uos iudices eſtote. Eſt enim regi antiquisſimum, ut neq; in calumnia deprehendatur, neq; ſi quid errat reſponſor, hoc ſic elabi & abire citra reprehenſionem patiatur. Verùm recitabo uobis quemadmodũ reſponderit. Quid uetuſtisſimum? tempus. Quid maximum? mundus. Quid ſapientisſimum? ueritas. Quid pulcherrimum? lux. Quid maximè commune? mors. Quid utilisſimum? Deus. Quid nocentisſimum? dæmon. Quid robuſtisſimum? fortuna. Quid facillimum? ſuaue. Eiſdem de-

D nuò lectis cùm undequaq; refrixiſſet ſermo, Thales Niloxenum interrogat, num Amaſis omnes diſſolutiones approbaſſet. Cùm autem reſpõderet, quaſdam regem recepiſſe, alijs contentum non fuiſſe: Atqui certè, dicebat, nõ eſt reprehendendus, atque adeò errorum magnorũ & ignorãtiæ plena ſunt omnia, ut ſtatim in initio quod de tempore reſponſum eſt. Quî enim tẽpus eſſe posſit uetuſtisſimũ, ſi una pars eius eſt tranſacta, altera præſens, tertia futura? Tempus enim, quod poſt nos eſt futurũ, præſentibus rebus & hominibus iunius uideri poteſt. Iam uerò, quòd ſapientiam arbitratur eſſe ueritatem, perinde eſt mea quidem ſententia, ac ſi diceret lucem eſſe oculum. Quòd ſi lucem, ut eſt, ſic putabat pulchram, quomodo Solem præterijt? Quod ad reliqua attinet, reſponſum de dijs ac dæmonibus confidentiæ ac temeritatis eſt plenum. Illud autem de fortuna, autoris ſui magnam inconſiderantiam arguit. Non enim facilè mutaretur, ſi eſſet omnium ualidisſimum & robuſtisſimum. Sed nec mors cõmune eſt: neq; enim uiuos attingit. Verùm ne uideamur aliorum tantum effata corrigere, noſtra cum illius conferamus. Ac ipſe me primum præbeo, quem Niloxenus, ſi uelit, de ſingulis interroget. Quemadmodũ igitur tunc interrogationes & reſponſiones fiebant, ſic eas nunc exponam. Quid uetuſtisſimum? Deus, inquit Thales. Nec enim genitus eſt. Quid maximum? locus. Nam reliqua quidem mundus, mundum uerò locus complectitur. Quid pulcherrimum? mundus. Quicquid enim ordine ſtructum & compoſitũ eſt, pars huius eſt. Quid ſapientisſimũ? tempus. Res enim partim iam inuenit, partim inueniet. Quid maximè cõmune? Spes. Nam qui aliud nihil, hanc ſaltem habet. Quid utilisſimum? uirtus, cùm reliqua reddat utilia eis honeſtè utendo. Quid nocentisſimum? improbitas, quòd poſſeſſori ſecum maximas affert calamitates. Quid ualidisſimum? neceſsitas. Sola enim inuicta eſt. Quid facillimum? quod naturæ eſt conſentaneum, quandò uoluptates ſæpenumero faſtidium ſui pariant. Cùm omnes hæc Thaletis approbaſſent, Cleodemus aiebat, huiuſmodi, Niloxene, interrogationes & reſponſiones dignæ ſunt regibus. In barbarum uerò illum, qui Amaſidi propinat mare, conueniebat breue Pittaci reſponſum, quo uſus ad Alyatem per literas ſuperbè quiddam Lesbijs imperantem, tantillum iuſsit eum cępas & calidum panẽ comeſſe. Suſcepto dein de ſermone Periander, Enimuero Niloxene moris erat etiam priſcis illis Græcis inter ſe huiuſmodi difficiles percunctationes proponere. Accepimus enim ad Amphidamantis

ſcpulturam

A ſepulturam Chalcidē conueniſſe ex ĳs, qui tunc ſapientes habebantur, nobiliſsimos poëtas. Erat autem Reip. gerendæ peritus Amphidamas, ac poſt egregiè uexatos Eretrienſes, in illis de Lilanto pugnis cecidit. Quoniā uerò apparata poëtarum carmina propter parem uirtutem arduum ac difficile iudicium reddebant, ac nomen nobile certantiū Homeri ac Heſiodi iudices æſtuare ac uerecundari faciebat, ad hoc genus quæſtionum ſeſe conuerterunt. Ac propoſuit quidem Homerus, ut ait Leſches:

Dic quæ nec fuerant, nec pòſt uentura trahuntur,
Muſa mihi.

Heſiodus autem ex tempore reſpondit:

Cùm Iouis ad tumulum furor impetuoſus equorum
Sonipedum currus palmæ contriuerit ergò.

Hac de cauſa maximam de ſe admirationem concitans, tripodem obtinuiſſe dicitur. Sed quid, inquit Cleodemus, hæc differunt ab Eumetis ænigmatibus, quæ illa, dum iocatur, ac zonulas reticulaq; ut gregales texit, mulieribus obĳcere ſolet? Viros autē prudentes ea ut res ſerias tractare ridiculum eſt. Eumetis igitur aliquid ei, ut apparebat, libenter reſponſura, pudore impediebatur, ac facies rubore ſuffundebatur. Sed Aeſopus uelut eius uicem ulciſcens: An non, inquit, magis ridiculum eſt uos iſta non poſſe diſſoluere, quale eſt, quod paulò ante cœnam proponebat?

Aera uiro igne uirum iungentem ut glutine uidi.

Quid hoc rei eſſe dixeris? At ne didiciſſe quidem uelim, reſpondet Cleodemus. Atqui certè, inquit, nemo te melius hoc nouit, nec facit peritius. Quod ſi negas, teſtes mihi ſunt ueſtræ cucurbitulæ. A riſu igitur temperare non potuit Cleodemus. Nam is plurimum cucurbitulis utebatur præter cæteros ætatis ſuæ medicos, ac ex illo maximè hoc remedĳ genus nobilitatum eſt. Mneſiphilus uerò Athenienſis amicus & ſectator Solonis, Equidem, aiebat, ęquum eſſe cenſeo, ut uinum, ſic ſermonem non ex cenſu nec ex primatu, ſed omnibus ex æquo, ut in populari Reip. ſtatu, cōmunem diſtribui oportere. Quare cùm ea, quæ paulò antè de imperio ac regno dicta ſunt, nihil ad nos populares pertineant, oportere arbitramur unumquenq; ueſtrûm denuò ſententiā aliquam de æquabili Repub. **B** conferre, initio rurſus à Solone ſumpto. Viſum eſt ergo ita facere, primusq; Solon: Audieras tu quidem ac omnes Athenienſes, quæ mea ſit de Repub. ſententia. Sed ſi nunc quoque audire deſideras, Beatiſsima mihi uidetur ciuitas illa, optimeq; populi maieſtatē tueri, in qua eum, qui iniuriam intulit, non minus læſo, ĳ qui nihil paſsi ſunt, auerſantur & puniunt. Secundus Bias, Optima, dicebat, democratia, in qua omnes legem nō aliter quàm tyrannum, pertimeſcunt. Poſt hunc Thales: Quæ neque nimis diuites, neque pauperes habet ciues. Deinde Anacharſis: In qua cùm cætera indifferentia definiuntur, uirtus optimum ſtatuitur, ac improbitas peſsimum. Quintus Cleobulus: Modeſtiſsimum populum eſſe, cuius magiſtratus uituperationem uehementius, quàm legem timent. Sexto loco Pittacus: Vbi improbi arcentur à gubernaculis Reipublicæ, ac probi adhibentur. Deinde Chilo ſecum meditatus, pronunciauit optimam eam Rempublicam, quæ leges maximè, oratores minimè audit. Poſtremus rurſus Periander, rem ſua quoque concludens ſententia, ſibi placere omni decorare laude popularem ſtatum optimatui ſimillimum. Cùm & huius ſermonis finis eſſet factus, petebam ego de domeſtica quoque rationum aliquid eos nobis proferre: quandoquidem regna & ciuitates pauci gubernant, focus uerò ac domus ad omnes pertinent. Hîc ædito riſu Aeſopus: Nequaquam, inquit, ſi quidem in omnium numerum Anacharſim etiam aggregas. Iſte enim domum non habet, atque adeo gloriatur, quòd tecto, quod ſubeat, carens plauſtro utatur, ut ſolem aiunt curribus circumuehi, aliàs aliam cœli plagam occupantem. Reſpondebat autem Anacharſis: Hac de cauſa aut ſolus, aut maximè inter deos liber eſt, & ſui iuris, omniumq; uictor nulli uictus regnat, & aurigatur. At uerò te latet, quòd eximia pulchritudine & admirabili magnitudine ſit eius currus, alioquin haudquaquā iocans riſum mouendi gratia illa noſtris comparaſſes. Sed mihi uideris, Aeſope, domum putare lutea hæc & figulina ſepta, ac ſi cochleam arbitrareris teſtam eſſe, non ipſum animal. Quamobrem non ſine cauſa riſum tibi excitauit Solon, quòd cùm uideret Crœſi domum ſumptuoſè ornatam, non tamen ſtatim pronunciauit dominum eius feliciter ac beatè habitare, ut qui maluiſſet ſpectator eſſe bonorum quæ in ipſo, quàm quæ propter ipſum eſſent. Ac tu mihi uideris nec uulpeculæ tuæ meminiſſe. Illa enim de uarietate cum panthera certans, iudicem interiora ſua cognoſcere poſtulabat: illinc enim ſe uariam magis apparituram. Tu uerò tignariorum &

C lapidariorum fabrorũ obambulans opera domum ea eſſe arbitraris, nõ autem ea quæ in-
tra unumquenq; ſunt, & ipſius propria, filios, cõnubia, amicos, ſeruos. Quibus cum enim
prudentibus ac modeſtis quiſquam, uel in formicæ cauernula aut auicularum nido, præ-
ſentium bonorum eſt particeps, domum habitat, eamq; beatam. Hæc igitur, inquit, & Ae
ſopo reſpondeo, & uelut ſymbolum Diocli cõfero. Reliquorũ uerò ſinguli debent ſuam
quiſq; ſententiam proferre. Sic Solon optimam ſibi uideri domum, in qua pecuniæ nec in
iuria comparantur, nec cum ſuſpecta aliorum fide cuſtodiuntur, nec erogatæ pœnitentiã
afferunt. Deinde Bias: In qua talem ſe ſpontè dominus præſtat, qualem foris eſſe leges co
gunt. Thales: In qua plurimum ocij domino datur. Cleobulus: Si eorum, qui amore & be
neuolentia dominũ proſequuntur, quàm eorum qui timent, maior eſt numerus. Pittacus:
Quæ nec ſuperuacaneorum & ad uoluptatem cõparatorum, nec ullo neceſſariorũ caret.
Chilo demum, ſimilem eſſe debere domum regali ciuitati: mox addidit Lycurgum dixiſ-
ſe cuidam iubenti populare imperium in ciuitate cõſtituere, primus uti hoc ipſe domi ſuæ
faceret. Poſtquã hic quoq; ſermo ad exitum perductus eſt, Eumetis cum Meliſſa exijt, &
Periandro bene magnum calicem Chiloni propinãte, rurſusq; Chilone Bianti, ſuper his
exurgens Ardalus ac Aeſopum compellans: Itáne uerò tu, inquit, nõ tranſmiſeris huc ad
nos poculum, cùm uideas iſtos, ut illum Bathyclis calicem inter ſe miſsitantes alijs mini-
mè cõmunicare? Tũ Aeſopus: Sed nec hoc poculũ populare ac cõmune eſt, quippe iam-
diu aſtat uni Soloni. Pittacus igitur Mneſiphilum interrogabat, quare Solon non biben-
do iudicij ſui teſtimonium contra poëmata ſua daret, in quibus ſcripſit:

Nunc Veneris, Bacchi, Muſarum dulcia nobis
Sunt opera, efficiunt pectora læta uiris.

Hîc Anacharſis reſponſionem occupans: Te timet enim Pittace, tuamq; atrocem illam le
gem, per quam ebrij quàm ſobrij peccatũ duplo maiori mulcta ſanxiſti. Ad hæc Pittacus:
Atqui tu legem adeò ſuperbè contempſiſti, ut antea & nunc ebrius uictoriæ præmiũ &
coronã petas. Quid ni, reſpondebat, cùm plus potanti præmia proponerentur, ea ego pri
mus inebriatus exigerem? Aut me, quæſo, docetote, quid interſit, multo te mero ingurgi-
tes, an inebrieris. Hîc ridente Pittaco, Aeſopus huiuſmodi fabulam narrabat: Lupus con
D ſpicatus in caſa paſtores ouem comedentes, propè accedens, Quàm, inquit, turbaremini,
ſi hoc ego facerem. Tum Chilo: Rectè ſuam uicẽ nos ultus eſt Aeſopus, quum paulò an-
tè os ei obturatum eſſet, & nunc uideret reſpondendi facultatẽ Mneſiphilo ab alijs ad-
emptam. Nam pro Solone reſponſum explicare non potuit. Porrò rationem Mneſiphi-
lus afferebat, ſcire ſe uideri Soloni omnis artis omnisq; uis tũ humanæ tum diuinæ opus
eſſe id potius, quod fit, quàm per quod illud fit: & finẽ potius, quàm quæ ad eum ſpectãt.
Textorem enim arbitror exiſtimaturum ſuum opus eſſe chlamidem & pallium potius, q̃
regularum diſpoſitionem ex ſtamine aptorũ lapidum excitationẽ. Item fabrũ ferrarium
ferruminationem & ſecuris temperationẽ potius, quàm quicquam huius rei gratia com-
paratorum, ut carbonum exuſcitationem, aut ſcobis lapideæ præparationem. Et cùm gra
uius nos adhuc reprehenderit Architectus, ſi proprium eius officiũ eſſe dicamus ligna te
rebrare, ac maceratũ lutum ſubigere, nauem autem aut domũ ædificare, non eſſe: tum ue-
rò grauiſsimè Muſæ, ſi arbitremur citharã & tibias earum proprias, morum uerò doctri-
nam ac perturbationũ ſedationẽ in ijs qui cantu & harmonia utuntur, alienas eſſe. Quam
obrem nec Veneris opus eſt coitus ac corporum miſtura, nec Dionyſij ebrietas & uinum,
ſed quam per hæc nobis ingenerant humanitatem, deſideriũ, conſuetudinem, familiarita
tem, quæ diuina opera Solon appellat, quæq; ſe iam ſenem factum ſummè amare & per-
ſequi dicit. Et Venus quidem inter uiros & mulieres concordiæ & amicitiæ eſt cauſa, uo-
luptatis magnitudine unà cum corporib. animos cõmiſcens colliquansq;. Dionyſius aũt
uulgò hominibus, & non magna conſuerudine coniunctis, nec uerò ualde inter ipſos no
tis, uino uelut in igne mores molliens & humectans, initium quoddam congruendæ iun
gendæq; amicitiæ facit. Sed cùm tales uiri conuenerint, quales uos Periander inuitauit,
nõ opus eſt, opinor, calice nec cyatho, uerùm Muſæ in medio propoſito ſermone uelut ſo
brio cratere, in quo non ſolùm uoluptatis, ſed etiam ioci plurimũ & ſerij inſit, hunc exci-
tant, & irrigant, diffunduntq; beneuolentiã, ſinentes ut plurimũ cyathum ſuper cratere re
quieſcere: id quod fieri uetuit Heſiodus inter eos, qui bibaciores q̃ diſertiores eſſent:

Nam etſi alij Græci bibant ad menſa comantes,
At ſpumans patera aſtat perpetuò tibi plena.

Nam & propinationes ipſas, aiebat, audio dictas à ueteribus unoquoq; ἀμοιβήν, ut aiebat
Homerus

A Homerus, & certa menſura bibente, deinde, ut Aiax, particulas cõmunicante cum pro-
pter accumbente. Quibus à Mneſiphilo dictis, Cherſias poëta (nam crimine ſolutus erat,
ac precib. Chilonis in Periandri gratiam nuper reſtitutus) Vtrũ, dicebat ille, etiã dijs Iup-
piter, quemadmodũ Agamemnon ijs, quorũ eximia opera in bello gerendo extitit, potũ
metitur, quẽ ſibi inuicẽ propinant apud ipſum conuiuantes? Ad hoc Cleodemus: Si Ioui
ambroſiam afferũt columbæ, ut uos perhibetis, Cyaneas erraticas difficiliter ac uix ſuper-
uolantes, an non arbitraris etiã nectar ipſum paratu difficile ac rarũ eſſe, ut neceſſariò par
cat, & conditũ unicuiꝗ promat? Veriſimile fit, inquit Cherſias. Sed quoniã rurſus in ſer-
monem de œconomia incidimus, quis ueſtrũ nobis reliquũ explicabit? Supereſt autẽ, ni
fallor, ut diſcamus poſsidendi modũ placentẽ pariter & ſufficientẽ. Tum Cleobulus: Sa-
pientibus modũ lex ſtatuit, ſtultis autẽ fabulam matris narrabo, qua ipſa ad fratrem uteba
tur. Aiebat enim Lunam oraſſe matrem ſuam, ut aptam ſibi tunicã texeret: illam porrò re
ſpondiſſe, quî poſſum tibi aptam texere, cùm te uideã nunc plenam, nunc in cornua cur-
uatam, aliquãdo utrinꝗ gibbam? Ad eundem certè modũ, amice Cherſia, etiam homini
ſtulto & nequam facultatũ nullus eſt modus: nunc enim hoc, nunc illo indiget, prout cu-
piditates ac ſors ferũt, cani Aeſopico ſimilis, quem aiunt hyeme, quòd frigore rigeret, con
tractum complicatumꝗ de ædificãda domo cogitaſſe: æſtate uerò extenſis dormientem
membris, ipſum ſibi magnũ uiſum eſſe, & nec rem neceſſariam duxiſſe, nec leuem, tantam
domum conſtruere. An non uides, Cherſia, etiam pauperes homines nunc ſe intra angu-
ſtos admodum fines contrahere, ut rotundè & laconicè uicturos, nunc niſi omnium diui-
tias poſsideant priuatorum pariter & regum, egeſtate ſe perditum iri arbitrari? Poſtquam
igitur conticuit Cherſias, ſermonem ſuſcipiens Cleodemus: At enim etiam uos ſapientes
impari latitudine diſtinctas tenere ueſtras poſſeſsiones uidemus. Tum Cleobulus: Lex
etenim, inquit, optime uir, ut textor ſingulis attribuit, quod decet, conuenit, ac quadrat,
tuꝗ ut lege ſic ratione dum nutris, dum diæta curas, dum laborantibus medicinam adhi-
bes, non omnibus æquũ, ſed quod ſingulis conuenit id tribuis. Deinde Ardalus: Vtrum
igitur, inquit, noſtrum etiam ſodalem & Solonis hoſpitem Epimenidem lex aliqua iubet
alijs cibis abſtinere, tantùm autem illius famem prohibentis exiguũ quiddam, quas ipſe
B ſibi delicias componit, in os ſumentẽ, diem tranſigere impranſum & incœnatũ? Cùm hic
iam ſermo attentos feciſſet conuiuas, Thales irridens, ſapere dicebat Epimenidem, quòd
nolit negociũ habere molendis ſibi ac coquendis cibarijs Pittaci more: Nam tum, inquit,
cùm in Leſbo fui audiui hoſpitem cantantem ad molam, Mole mola mole. Nam Pittacus
molit ſuperbas Mitylenas regens. Solon autem dicebat ſe mirari, ſi Ardalus nunquam le
giſſet illius uictus legem in Heſiodi carminibus ſcriptam. Ille enim eſt, qui primus Epi-
menidi ſemina huius alimenti præbuit, ac quærere docuit,

In malua quantum ſiet aſphodeloꝗ leuamen.

Num arbitraris, ait Periander, Heſiodum tale quicquam cogitaſſe potius, quàm parſimo
niæ aſsiduũ laudatorem ad tenuiſsima quæꝗ opſonia ut ſuauiſsima nos inuitare? Malua
enim bonus eſt cibus, & dulcis aſphodeli ſcapus. Iam uerò iſta famem ac ſitim depellen-
tia medicamenta potius nominanda, quàm cibaria audio, è melle atꝗ caſeo, neſcio quæ è
barbaria aduecto, itemꝗ ſeminibus bene multis & paratu difficilibus conſtare. Quî igi-
tur, ut in Heſiodo eſt, clauum in fumo ſuſpendere poſsis, Perpetuò & bos & toleratrix mu
la quieſcat, ſi tanto opus erit apparatu? Ac miror tuũ hoſpitem, Solon, cùm Delijs nuper
magnam luſtrationem fecerit, non aſpexiſſe allata in templum primi alimenti monimen-
ta, & metallorum ſpecimina, & ex natura ſponte prouenientibus maluam & aſphodelum,
quorum ueriſimile fit & Heſiodum nobis tenuitatem & ſimplicitatem cõmendare. Non
ob hæc ſolùm, inquit Anacharſis, ſed etiã præ cęteris oleribus ſalubritatis nomine utraꝗ
herba laudatur. Rectè dicis, ait Cleodemus: Heſiodus enim medicus eſt, ut conſtat ex ac-
curata & perita diſputatione de uictus ratione, de mixtura uini, de aquæ præſtãtia, de bal
neo muliebri, & rei cum mulieribus habendę opportunitate, itemꝗ infantium collocatio
ne. Verùm mihi iuſtius uidetur Aeſopus ſe diſcipulum Heſiodi oſtendere, quàm Epime-
nides. Huic enim uiam ad præclaram iſtam & uariam multipliciumꝗ linguarum ſapien
tiam, oſtendit ille accipitris cum luſcinia fabuloſus ſermo. Ego uerò libenter ex Solone
didicerim, quem ueriſimile fit noſſe propter diuturnam Athenis cum illo uiro conſuetu-
dinem, qua re motus, aut quid commentus ad huiuſmodi uictus rationem ſeſe contulit.
Tum Solon: Quid eſt quod illum interrogemus, cùm planum ſit, ad maximum & præ-
ſtantiſsimum bonorũ ſecundum eſſe, minimo indigere alimento: aut maximũ, ſi id uobis

C probatur,omnino nõ indigere. Minimè omnium,ait Cleodemus,mihi probatur,ſi quod
uidetur, dicendum eſt, ac maximè aſtante menſa, quam ijdem qui cibum, tollunt, deorũ
amicitiæ,& hoſpitij præſidum ſacram. Ac ut, ait Thales,adempta terra totius mundi con
fuſionem fore,ſic huius ſublatione domus diſſoluitur. Vnà enim tollitur ignis,domus,cu
ſtos,focus, crateres, conuiuia, hoſpitia, humaniſsimæ ac primæ hominum inter ipſos ſo-
cietates, uel potius uniuerſa uita: ſi quidem ea eſt traductio quædam continens hominis
actionum decurſum,quarum plurimas uictus neceſſaria præparatio elicit. Sic damnum
graue nobis datur in agricultura, quæ ſi deſerta perit, rurſum nobis terram relinquet de-
formem & ſpurcam, utpote ſyluis ſterilibus & fluentis erratico lapſu delatis ex ſegnitia
repletam, perditq; unà omnes artes ac opificia, quorum princeps & præſultrix eſt, qui-
bus fundamentum ac materiam præbet, quæ hac de medio ſublata diſſoluuntur, itemq;
deorum honores,paruam Soli, minorem Lunæ lucis tantùm & teporis nomine gratiam
hominibus habituris. Pluuio Ioui,proarali Cereri,plantario Neptuno,ubi aræ? ubi ſacriſi
cium? quomodo appellabitur χαριτοδότης, id eſt,gratiæ dator Dionyſius, ſi nihil eorum,
quæ dat,requiremus? quid immolabimus aut libabimus? cuius rei primitias offeremus?
Hæc enim omnia maximarum rerum euerſionem & confuſionem in ſe continent. Ac om
ni quidem omnino ſe uoluptati dedere brutum eſt, ut contrà omnem planè fugere ſtupi-
dum. Mens ergo alijs quibuſdam uoluptatibus fruatur licet, at uerò corpus iuſtiorem uo
luptatem inuenire nequit ea, quam alimenta offerunt, quod omnium hominum nemo
non ſentit. Hac enim in medio poſita,ipſi ſecum communicant cœnas & menſam. Vene-
reas autem res receptaculis ac magnis tenebris obtendunt: arbitrantes huius uoluptatis
uſum cõmunem facere, & illius cõmunionem tollere, paris impudentiæ & feritatis eſſe.
Cùm deſijſſet Cleodemus, ego ſermonem ſuſcepi. Illud præteris, nos unà cum uictu e-
tiam ſomnum expellere: qui ſi nullus relinquitur, nec iam ſomnium erit, ſed peribit no-
bis uetuſtiſsimum oraculum: tum uerò ſimplex erit & uniuſmodi uita, fruſtraq; quodam-
modo erit anima corpore circundata. Nam plurimæ eius ac præcipuæ partes, cibi ut in-
ſtrumenta eſſent, comparatæ ſunt, lingua, dentes, ſtomachus, hepar. Nihil ocioſum, nihil
ad alium uſum inſtitutum. Quare qui alimento non indiget, is nec corpore, quod eſt, ip-
D ſum ſe non indigere? Nam cum corpore unuſquiſque noſtrûm eſt. Nos igitur, dicebam
ego, hæc uentri ſymbola conferimus. Quòd ſi Solon, aut alius quiſpiam quicquam repre
hendit, ei operam dabimus. Tum Solon: Admodum, inquit, eſt quod reprehendamus,
ne etiam Aegyptijs minus iudicio ualere uideamur, qui cadauer diſſectum ſoli oſten-
dunt, deinde inteſtina in fluuium deijciunt, ac reliquum corpus iam purgatum ſtudioſe
curant. Nam reuera hęc ſunt carnis noſtræ inquinamenta, ac ut apud inferos Tartarus ter
ribilibus quibuſdam fluentis & ſpiritu ſimul cum igne cõmiſto & mortuis repletus. Nam
cùm uiuens ex uiuentium nullo nutriatur, nos animalia interimentes & plantas ex eo,
quòd nutriuntur & augentur, uitæ participes perdentes iniuriam facimus. Quod enim
in aliud immutatur, naturam ſuam deperdit, ac omni corruptione corrumpitur, ut alteri
ſit in alimentum. Iam uerò à carnium comeſtura ſeſe continere, quod priſcum illum Or-
pheum feciſſe tradunt, callidè potius ad uirtutis ſpeciem fit, quàm cum uera innocentia
ea fugiendo ſcelera, quæ deliciarum cauſa ſuſcipiuntur: cùm una fuga ac innocentia ſit in
iuſtitiam tendens, apta nimirum ex ſeſe habere omnia, nec cuiuſquã inſuper alterius in-
digere. Cui uerò deus tam difficilem ſalutis ſuæ rationem reddidit, ut eam tueri nullo mo
do poſsit ſine alterius pernicie, huic ad iniuriam addidit naturam ducem. Hæc cùm ſint
huiuſmodi, an non debent excindi cum ſua iniuria uenter, ſtomachus, hepar, quæ nullius
rei honeſtę ſenſum, ſed appetitũ cõmouent? Quorũ alia ſunt inſtrumẽtis coquinarijs ſimi
lia, ut cultris & lebetibus, alia piſtrinẽſibus, & caminis, & putearijs, & mactris. Facillimè
uerò quiuis è uulgo uidere poterit animã in corpore ut in piſtrino inuoluto capite ibi cir-
ca uictus neceſsitatẽ circulatim uerſari, quẽadmodũ certè & nos inter nos paulò antè nõ
aſpiciebamus, nec audiebamus, ſed unuſquiſq; pronus uictus neceſsitati ſeruiebat: cõtrà
uerò nunc ſublatis mẽſis liberi, ut uides, facti ſermonibus coronati uacamus, cõuerſamur,
ocium agimus, poſtq; eô peruenimus, ut alimẽto nõ indigeamus. An nõ igitur ſi pręſens
hic corporis habitus in omnem uitam perduraret, ſemper ocioſi cõſuetudine frueremur,
utpote paupertatis ſecuri & diuitiarum ignari? Nam admiratio ſuperuacaneorũ ſtatim
ſequitur neceſſariorũ indigentiã, eiq; contubernalis eſt. Verùm Cleodemus putat idcirco
cibum eſſe debere, ut menſæ & crateres ſint, quæ Cereri ac uirgini filiæ adhuc conſecran
tur. Hic alius aliquis pugnas ac bellum deſideret, ut mœnia, naualia, armamentaria ha-
beamus,

A beamus, & hecatomphonia fiăt, quo inſtituto aiunt Meſſenios uti. Rurſus alium arbitror
ſanitatem moleſtè ferre. Grauis enim iactura, ſi nemine laborante mollis ſtragulę & lecti
uſus peribit: ſi Aeſculapio, ſi Auerruncis dijs non ſacrificabimus: ſi iam medicina cum in-
ſtrumentis ac medicamentis reponetur tam nullo nec in honore nec deſiderio. Aut quid
hæc & illa inter ſe differunt? Nam cibus ut famis medicamentum ſumitur: ac ſeipſos cura
re dicuntur, qui diæta utuntur, nequaquam hoc, ut ſuaue quiddam & gratum, ſed ut natu
ræ neceſſarium facientes. Nam plures etiam moleſtias, quàm uoluptates enumerare poſ-
ſum è cibo naſcentes: uel ut melius dicam, uoluptas quidem & exiguũ in corpore locum,
& breue tempus habet: at uerò in ea adminiſtranda occupatio & difficultas, quid attinet
dicere, quot turpitudines & moleſtias nobis accumulent? Arbitror enim Homerũ in tot
res intuentem, deos immortales eſſe neceſſaria ratione cõprobaſſe, quòd nõ nutriantur:

Non edunt cibum, nec uina ardentia bibunt,
Hinc ſunt exangues, immortalesq; uocantur.

perinde ac ſi uictus non ſolùm uitæ, ſed etiam mortis ſit uiaticum. Ex hoc enim morbi cor
poribus turmatim collecti, fame ſaturitatem nõ leuius malum eſſe oſtendunt: quinetiam
ſæpenumero difficilius eſſe in corpus aſſumptum cibum rurſus diſcuſsiſſe, quàm eum pa-
raſſe, collegiſſe, & abſumpſiſſe. Sed ut ſi Danai filiæ dubitarẽt, quam uitã uiuerent, quidq;
agerent liberatæ illa dolij implendi ſeruitute: ſic dubitamus, ſi contigerit finis tot ex terra
ſimul & mari congerendi in inſatiabilem iſthanc carnem, quid agendum nobis ſupere-
rit, utpote præ rerum honeſtarum ignoratione uitam in neceſſarijs conſiſtentem ample-
xantes. Quemadmodum igitur qui ſeruitutem ſeruierunt, quando manumiſsi ſunt, quæ
olim dominis obſequentes faciebant, ea ipſi ſibi ac in ſuam gratiã faciunt: ſic anima nunc
quidem multis laborib. & moleſtijs corpus cibo ſuſtentat, uerùm ſeruitute liberata ſeip-
ſam certè in libertatem uindicatam nutriet, ac uiuet in ſe, ac ueritatem intuens, nullo di-
ſtrahente aut abducente. Atque hæc quidem ſunt, Nicarche, quæ de alimento dicta fue-
runt. Porrò adhuc loquente Solone, Gorgias Periandri frater ingreſſus eſt. Nam ex ora-
culis quibuſdam in Tænarum miſſus erat, ut Neptuno ſacrificium & pompam duceret.
Eum cùm ſalutaſſemus, ac Periander amplexatus exoſculatusq; eſſet, ubi aſſedit in lecto,
B neſcio quæ illi ſoli nunciabat. Periander autem auſcultabat, uariè, ut uidebatur, oratione
affectus: nunc dolere, nunc indignari uidebatur, ſæpenumero quoq; dictis fidem non ha
bere, deinde admirari. Tandem uerò arridens nobis, Cupio, inquit, in præſentia quod mi
hi noui eſt allatum, exponere: ſed refugio, quòd aliquando è Thalete audiuerim, uériſi-
milia dicenda eſſe, contràq; reticenda, quæ fieri nulla ratione poſſunt. Hîc reſpondebat
Bias: Sed & hæc quoq; eſt Thaletis ſapiens ſententia, Oportere inimicis quidem nec de
rebus credibilibus fidem habere, amicis autem etiam incredibilia narrantibus credere. E-
quidem ipſo autore inimicos duco improbos & ſtultos, ut contrà amicos, probos & ſapi-
entes. Quare, Gorgia, narrare debes, uel potius in nouos iſtos dithyrambos cõiectum,
quem affers, ſermonem clariſsima uoce pronunciare. Itaq; narrabat Gorgias, quòd cùm
triduo ſacrificium eſſet perfectum, ac ultimo luna pernox, choreæq; ac luſus quidam in lit
tore agitaretur, lunæ ſplendore completo mari, ac nullo flante uento, ſed placido aëre ac
tranquillo mari, è longinquo conſpiciebatur horror quidam iuxta promontoriũ deſcen-
dere, ſpumam quandam ac ſtrepitum magnũ impetu circa ſe uehens, ut omnes admirati
eô, quò erat appulſurus, decurrerent. Prius autem præ celeritate, quàm quid eſſet conijce
re poterant, delphini conſpecti ſunt, alij confertim in gyrum circundati, alij prænatantes
ad littoris planiſsimam partem, alij à tergo cum quadam uelut obſeruantia: in medio ue-
rò exiſtebat moles uectati corporis obſcura & incerta, donec in unum coëuntes ſimulq;
appellentes in terram exponebant hominem ſpirantem ac ſeſe mouentem. Ipſi uerò pro-
montorium repetentes magis quàm antè exiliebant præ gaudio, ut uidebatur, ludentes
& laſciuientes. E nobis uerò, aiebat Gorgias, multi perturbati à mari fugiebant, ac pauci
accedere auſi ipſum Ariona citharœdum agnouerunt, nomen ſonantem ſuum, & ex ami
ctu, quis eſſet, apparentem. Nam inſigni illo certaminis ornatu indutus erat, quo cùm ci-
thara caneret, utebatur. Cùm igitur ad tabernaculum eum portaſſemus (nequaquam ue-
rò ſe male habebat, præterquàm quòd ob motus celeritatem reſolutis uiribus defeciſſe ui
debatur) in tabernaculo, inquam, ſermonem audiuimus omnibus incredibilem, præter-
quàm nobis, qui rei exitũ ſpectauimus. Nam dicebat Arion, iamolim deliberato ſibi ex
Italia diſceſſu, cùm etiam Periandri literis magis incitaretur, oneraria naue, quam caſus
obtuliſſet, ſtatim conſcenſa ſoluiſſe. Mitius uerò uento ſpirante ſenſiſſe inſidias uitæ ſuæ à

C nautis fieri, ac deinde à gubernatore audiſſe, clàm indicante, quòd noctu hoc eis perpe-
trare conſtitutum eſſet. Itaq; deſtitutum auxilio, & conſilij inopem, diuino quodam im-
petu uſum eſſe, ut corpus ornaret, ac uiuens adhuc inſignem illum certaminis amictum
ſibi ſepulchralem futurum ſumeret, cantaretq́; in uitæ fine, nec ſeſe cygnis in hac parte ig-
nauiorem præberet. Apparatum igitur & præfatum, quòd alacritate quadam teneretur
carmen Pythium decantandi, pro ſua, & nauis, uectorumq́; ſalute, muro in puppi aſtan-
tem, ac proluſione in deorum marinorum inuocationem ędita, ceciniſſe carmen: & ſtatim
cùm in medio eſſet, in mare ſolem occidiſſe, Peloponneſumq́; apparuiſſe. Hîc igitur non
amplius noctem expectantibus, ſed ad cædem graſſantibus nautis, diſtrictos intuitum
gladios, ac gubernatore, ne aſpiceret, ueſte caput inuoluente, ſurſum incitato curſu ſeip-
ſum, quamlongiſsimè potuit, ab oneraria proieciſſe. Tum priuſquàm totum corpus de-
mergeretur, delphinis ſuccurentibus, ſeq́; ſupponentibus, alleuatum eſſe primùm æſtus
ignorationis ac perturbationis plenū, pòſt uerò, quàm uectionis facultas erat, ac mul-
tos uidebat circa ſe beneuole agglomerare, ac uiciſsim ſuſcipere ut neceſſarium munus &
officium cōmune, oneraria autem longè relicta celeritatis ſenſum præbebat, dicebat nec
tantum timorem mortis, nec uitæ cupiditatem tantam, quantum ſtudium ſalutis eſſe ſibi
exortum, ut pius erga deos uideretur, & certam de eis perſuaſionem indueret, ſimulq́; cœ
lum contuentem ſtellis refertum, ac lunam lucidè pureq́; exorientem, tum in mari uſque-
quaque tranquillato uelut uiam curſu diffiſſam, ſecū cogitaſſe, non unū eſſe iuſtitiæ ocu
lum, ſed hiſce omnib. deum circunquaq; inſpicere, quæ terra & mari gerantur. His igitur
cogitationibus aiebat laborantes & degrauatas iam corporis ſui partes alleuatas eſſe. Ac
poſtremò ubi à promontorio abrupto & alto, quod è regione erat, ſcita & cauta declina-
tione flexioneq́; facta (in ſumma enim aqua natabant) ad terram, quaſi in portum, in-
columem nauem ſubducentes, omnino ſenſiſſe ſe dei gubernatione uectatum fuiſſe. Hęc
cùm narraſſet Arion, dicebat Gorgias, interrogabam ipſum, quô nauem arbitraretur ap-
pulſum iri. Ille uerò, Corinthum omnino, ſed longo tamen interuallo ſubſequi. Se enim
ueſperi in mare delapſum, non minus quingentis ſtadijs uectatum fuiſſe, ac ſtatim tran-
quillitatem conſequutam. Verumenimuero, dicebat Gorgias, ſe audito naucleri, & gu-
D bernatoris nomine, nauiſq́; inſigni, milites in nauigijs ei miſiſſe eos, qui appellerent, ob-
ſeruatum: Arionem uerò abſconditum ſecum afferre, ne præſentientes eius ſalutem diffu
gerent. Itaq; prorſus uideri diuina quadam ſorte accidiſſe, ut ſimul & ipſi adeſſent, & à mi
litibus captam nauem, comprehenſoſq́; uectores, & nautas audirent. Periander igitur
Gorgiam iuſsit confeſtim ire uiros in cuſtodiam traditum, quò nullus eos aditurus eſſet,
nec dicturus ſeruatum eſſe Arionem. Tum Aeſopus: Vos'ne, inquit, deridetis graculos
meos & coruos loquentes, cùm tam noua & mira ſtrenuè ac iuueniliter delphini deſi-
gnent. Aliud quiddam eſt, Aeſope, quod dicimus, aiebam ego. Nam cùm fidem hæc res
apud nos habet, ac literis cōmendatur, amplius mille anni exierūt etiam ab Iouis & Atha
mantis temporibus. Ad hæc Solon: At iſta, inquit, mi Diocles, proximè ad deorum natu
ram accedunt, conditionem noſtram ſuperantia. Verùm res humana, ac quę in nos cadat,
eſt illud quod Heſiodo accidit: fortaſsis rem audiuiſti. Non equidem, reſpondebam: at-
qui operæprecium eſt audiſſe. Solon: Cùm quidam, ut arbitror, Mileſius, cuius in hoſpi-
tio ac uictu ſocius erat Heſiodus, apud Locros clàm hoſpitis filiæ ſtuprum obtuliſſet, &
deprehenſus fuiſſet, in innocentis Heſiodi perſona ſuſpicio conſiſtebat, quaſi ab initio
conſcij & flagitij occultatoris, ut immeritò in ipſam iræ tempeſtatem ac crimen inciderit.
Nam puellæ fratres eum ex inſidijs aggreſsi, iuxta Locrenſe Nemæū interfecerūt, itemq́;
eius comitem Troilum nomine. Cadauera porrò in mare deiecta: Troili quidem, cùm in
Daphnum fluuium ab alto ferretur, ad ſcopulum undique fluctibus pulſatum & paulu-
lum exiſtentem adhæſit, unde ad hæc tempora ſcopulus Troilus uocatur: Heſiodi uerò
ſtatim à terra ſuſceptum delphinorum grex ad Rhium promontorium & Molycriam tu-
lit: quo tempore à Locris in Rhio ſacrificium fiebat, ac mercatus celebrabatur, quem ma-
gno ludorum apparatu ſplendidè eodem in loco hodie quoque agunt. Vt uerò conſpe-
ctum eſt corpus appelli, admirati (ut in eiuſmodi re fieri uериſimile eſt) in littus deccurre-
runr, ac cógnito corpore recenti adhuc à cæde, ob nomen nobile uiri omnia ei inueſtigan
dæ poſthabuerunt: id quod ſtatim fecerunt interfectoribus repertis, quos in mare uiuos
demerſerunt, ac eorundem domum diruerunt. Sepultus autem eſt Heſiodus prope Ne-
mæum: locum uerò peregrinorum multi ignoranr, quòd occultatus ſit propter Orchome
niorum inueſtigationem, cupientium, ut narratur, ex oraculo illinc reliquias tollere, &
apud

A apud ſe humare. Quamobrem ſi familiarcs adeò & humani ſunt erga mortuos, etiam ue-
riſimilius ſituiuis opem ferre, & maximè tibijs ac cantibus delinitos. Eſt enim omnibus
notum, has animantes muſica gaudere, eam perſequi, remigantibus connatare, cantu ac
tibijs in maris tranquillitate delectatas. Gaudent præterea puerulorum natatu, & urina-
tionibus concertant. Quare ſecuritatis legem habent non ſcriptam. Nam nullus eos pi-
ſcatur, aut uexat, niſi quòd, cùm retia ingreſsi prædam improbi comedunt, uapulant, ut
pueri peccantes. Memorabat præterea ſe è Lesbijs hominibus audijſſe, puellam quan-
dam è mari à delphino ſeruatam: eam rem pro certo narrari. Atq; dicebat Pittacus eam
nobilitari, celebrariq́; multorum peruagato ſermone. Nam cùm Lesbi habitatoribus ędi
tum eſſet oraculum, ut ubi ad ſcopulum appuliſſent, qui Meſogœum appellatur, ibi Ne-
ptuno taurum, Amphitritæ uerò & Nereidibus uiuam uirginem in mare demitterent:
cumq́; ſeptem eſſent duces & reges, octauus uerò Echelaus coloniæ oraculo Pythio de-
ducendæ princeps conſtitutus, qui adhuc adoleſcens erat, ut pueri, quotquot è ſeptem il-
lis ſorte id munus obtinentibus cœlibes erant, matrem Sminthei ſors occupat. Hanc igi-
tur ueſte & auro exornatam, ut ad locum uenerunt, dcas precati in mare demiſſuri erant,
cùm eam fortè deperiens è uectoribus quidam generoſus adoleſcens, quem etiam Ena-
lum nomine perhibent, proiectæ quandam puellæ auxiliandi cupiditatem in illo caſu
concipit, ut in ipſo temporis articulo accurrerit, & arcto circumplexu adhæreſcens unà ſe
in mare cum illa demiſerit. Itaque ſtatim fama quædam de eorum ſalute & uectatione, in-
certa quidem illa, ſed tamen multis fidem faciens, in exercitu diſsipata eſt. Ac poſtea a-
iunt Enalum in Lesbo conſpectum dixiſſe, quòd à delphinis geſtati per marc incolumes
in continentem euaſiſſent. Licet alia iſtis diuiniora narrare, quibus obſtupeſcunt & de-
liniuntur uulgò homines, uerùm difficilè eſt de omnibus fidem feciſſe. Nam fluctu ingen
ti circa inſulam intumeſcente, ac reliquis hominibus ad mare prodire ueritis, ſolum Ena-
lum proceſsiſſe, eum autem polypos eſſe ſecutos ad Neptuni templum, à quorum maxi-
mo lapidem portatum, quem ἱ uocamus. Verùm ut uno uerbo rem totam complectar, di
cebat, ſi quiſquam diſcrimen nouit inter id, quod fieri non poteſt, & id quod inſuetum, &
id quod temerè, quodq́; præter opinionem accidit, maximè hoc tu Chilo noueris, nec te-
B merè credens, nec fidem abrogans, illud tuum, Ne quid nimis, ſeruando. Deinde Ana
charſis aiebat: Poſt egregiam illam Thaletis opinionem, in præcipuis ac maximis mundi
partibus animã ineſſe arbitrantis, non admirandum eſſe, ſi pulcherrimæ res diuina mente
perficiantur, & corpus quidem ſit animæ inſtrumentum, Dei uerò anima: ac ut corpus
multos quidem ex ſe motus habet, plurimos tamen ac pulcherrimos ab anima accipit:
ſic anima rurſus alia quidem ex ſeſe agitata faciat, in quibuſdam uerò utenti Deo ſe exhi-
beat, ut dirigat, uertatq́; quô uelit, omnium inſtrumentorum aptiſsimum. Indignares e-
nim, ſi igne quidem, ſpiritu, aqua, nubibus, ac imbribus multa ſeruat, nutritq́;, multa rur-
ſus perdit, tollitq́; de medio: animantibus uerò ad nihil prorſus eorum, quæ facit, utitur.
Sed certè multò uerius eſt hæc, cùm ex diuina ui ſit apta, ſubſeruire ac cum Dei motibus
conſentire haud ſecus, quàm cùm Scythis arcus, cùm Græcis lyræ tibiæq́; conſentiunt.
Cherſias autem poëta cùm alios præterea cõmemorabat præter ſpem ſeruatos, tum uerò
Cypſelum Periandri patrem, cuius nuper nati cædem, qui miſsi erant, cùm ad eos allude-
ret, auerſabantur: mox pœnitentes cùm requirerent, non inueniebant, à matre nimirum
in cumera abſconditum. Qua de cauſa etiam domum Delphis ædificauit, quaſi deus eius
fletum, ut ſcrutantes lateret, tùnc cohibuiſſet. Tum Pittacus Periandro compellato: Pro-
bè, inquit Periander, fecit Cherſias, ut de domo mentionem inferret. Nam ſæpenumero
te interrogatum uolebam, quid ſibi uelint ranæ illæ tanta multitudine circa palmæ radi-
cem inſculptæ: quid attineant, aut ad deum, aut ad eum qui conſecrauit. Cùm autem Pe-
riander iuſsiſſet eum interrogare Cherſiam, quòd noſſet, adfuiſſetq́; Cypſelo domum de-
dicanti: Cherſias arridens, Haudquaquam, inquit, prius dixero, quàm ex iſtis didicero,
quid ſignificet, Nihil nimis: &, Noſce teipſum: itemq́; illud, quod multos cœlibes, mul-
tos aliorum fidei diffidere, nõnullos etiam mutos eſſe fecit, Sponde, propinqua eſt noxa.
Quid, inquit Pittacus, opus eſt noſtra explicatione? Iandiu Aeſopum laudas, qui fabu-
lam, ut uidetur, in ſingula iſtorum fecit. Hîc Aeſopus: Quandò in me iocatur Cherſias,
tum me autorẽ laudat. Verùm cùm ſeriò agit, Homerũ oſtendit horum auotrem, qui He-
ctorem dicit noſcere ſeipſum. Nam alios inuadens,

Aiacem natum Telamone ląceſſere fugit.

Vlyſſem autem illius, Ne quid nimis, laudatorem ita iubere Diomedi:

C Ne Tytida nimis laudato aut carpito Vlyſſem.

Sponſionem uerò alij dicunt ipſum reprehendere ut rem miſeram & inanem, cùm dicat:

Infelix certè eſt & miſerorum ſponſio facta.

Cherſias autem hîc ait Aten ſiue Noxam à Ioue proiectam fuiſſe, quòd illi ſuæ ſponſioni intereſſet, in qua de Herculis ortu facienda ille offenſus eſt. Hîc Solon: Sapientiſsimo igitur Homero auſcultandum eſt,

Nunc fit nox, præſtat uerò decedere nocti.

Quare ſi uobis ita uidetur, Muſis, Neptuno, & Amphitritæ libemus, ac conuiuium dimittamus. Atq; hic fuit, Nicarche, illius cœtus finis.

Plutarchi, de his qui tarde à numine corripiuntur, liber.

BILIBALDO PIRCKHEYMERO, PATRITIO AC SENATORE NVRENBERGENSI, INTERPRETE.

TALIA Cynie Epicurus cùm dixiſſet, ac priuſquã ullum tuliſſet reſponſum (quandoquidẽ iuxta porticus uerſabamur extremitatem) oppido ſe noſtro proripiens, à conſpectu abijt. Nos uerò tanquam hominis admirati importunitatem, taciti inuicemq; defixi, aliquantiſper conſtitimus. Inde rurſus ad priſtinã reuerſi ſumus deambulationẽ. Prior itaq; Patrocles: Quin, inquit, ſi ita uidetur, quæſtionem hanc diſcutiamus, ſermonibusq; illatis, tanquam eo præſente, & non præſente, reſpondeamus. Suſcipiens uerò Timon: Sed minimè, infit, rectè ſe habet protectio, ſi iaculãs imminentem neſcit euitare ſagittam. Braſidas etenim, ut cernere licet, euulſa è corpore haſta, eadem ipſa iaculantẽ percutiens, ſuſtulit. Nos uerò uerbis temerarijs ac mẽdacibus in
D nos emiſsis, repugnare operæpreciũ haud eſt: ſat erit, ſi opinionem iſtam intactam explodamus. Quidnam igitur, inquam, maximè ex dictis ſuis uos cõmouit? Nam confuſè multa, & ullo abſq; ordine alterum alteri homo ille inculcans, deblacterauit, ac tanquam ira & cõuicijs præceps, in diuinam pariter inuectus eſt prouidentiam. Et Patrocles: Quæ de uindictæ, ait, malorum tarditate, numinisq; cunctatione protulit, mihi admodum moleſta uidentur, nuncq; ſermonibus illis, quantùm ad hanc attinet opinionem, fermè infans, alienusq; ſum redditus. Iampridem enim indignabar, cùm Euripidem dicentem audirem, Cunctatur: talis etenim numinis eſt natura. Siquidem nulla in re, minimè tamen in prauorum animaduerſione, ſegnem deum eſſe decet, utpote qui in perpetrandis ſceleribus minimè tardi, ſeu cunctatores exiſtant, ſed uehementi impetu, ab affectionibus ac paſsionibus ad iniquitates ferantur. Nam iniuriarũ repulſio, cùm animi perturbationes (ut Thucydides inquit) admodum ſunt propinquæ, confeſtim ſceleratis delinquendi uiam obſtruit, ac inhibet, ne longius malitia procedere auſit. Cui nil adeò opportunum accidere poteſt, ut iuſtæ animaduerſionis ſuſpenſio. Spem etenim reddit imbecillam, ac iniuria affectos humiliat & deprimit, at contrà flagitioſis audaciam præſtat, temeritatemq; adauget. Præſens uerò uindicta, & audacibus obuiam ire auſa, ſimul uenturam compeſcit iniuriam, pariterq; læſis maximum præbet ſolatium. Vnde mihi Biantis dictum recolenti, ſæpius turbatur animus. Nam ad ſceleſtum quendam dixiſſe fertur, ſe haud uereri quin aliquando pœnas lueret, etſi ipſe amplius ſuperſtes non eſſet. Quid enim Meſſenijs antea interfectis, Ariſtocratis profuit ſupplicium? qui quum illos Cypriaco prodidiſſet bello, ſupraq; uiginti inde delituiſſet annos, hisq; omnibus, imperans Arcadibus, tandem deprehenſus delicti pœnas dedit. Neque Orchomenij illi, qui ab Lyciſco proditi, patria, liberis, & amicis ſpoliati ſunt, ullum tulere ſolamen. Non enim amplius ſupererant, cùm proditoris corpus, ſuccedenti tempore, multis frangeretur ægritudinibus, adeoq; ſuccenderetur, ut identidem pedes abluere, ac flumini immergere cogeretur, iuraretq; ac fateretur, hæc illi ob proditionem & iniurias accidere. Athenis uerò ſceleſtorum corporum proiectio, mortuorumq; effoſsio, ne iugulatorum quidem filiorum filijs cerni contigit. Quapropter ineptè mihi Euripides in ſceleris diſſuaſionem his uſus eſſe uidetur:

Iniuria nos afficere nunc hi aduentunt,

A Ne metue, bile ferueant licet atra,
Mortalium nec cæterorum acta improba,
Tacita ſiquidem, tardante quoque pede
Fortuna corripiet malos in tempore.

Haud enim uerbis alijs, ſed illis ipſis flagitioſos ad perpetranda ſcelera ſe inuicem hortari ac admonere par eſt, tanquam nequitia confeſtim fructum temporaneum ac certum, pœnam uerò tardam, multaque priuatam fruitione producat. Quum hæc Patrocles diſſeruiſſet, ſuſcipiens Olympiacus illi dixit: Verè, Patrocles, hæ numinis cunctationes atque moræ, abſurdè ſe habent: quandoquidem tarditas prouidentiæ fidem adimit. Et quia poſt ſingula delicta ſceleratos ultio haud confeſtim corripit, ſed longo poſt tempore aliquando plectuntur, infortuniumque incidunt, calamitatem id, non uindictam appellantes, nullo afficiuntur commodo. Quamuis enim ob incidentes doleant aduerſitates, propter flagitia tamen commiſſa haud pœnitent. Quemadmodum enim pœna, quæ protinus errorem peccatumque ſubſequitur, uerberibus flagriſque homines coërcet, ad officiumque reducit: tormenta uerò, terrores, ac ſtrepitus poſtea & temporis interuallo incidentes, alterius cuiuſdam rei potius, quàm emendationis cauſa inferri uidentur, quandoquidem abſque inſtructione triſtitiam afferre ſolent: ita malitia, ni ob ſingula delicta & facinora e ueſtigiò uapulet ac plectatur, inhibeaturque ne ultrà progredi auſit, uix erga Deum ſe humiliat, formidat, ſaniorem induit mentem, tanquam iuſtitia diuina, res paſsionesque humanas tempore debito haud curet. Secura uerò tardipedaque illa iuxta Euripidem, ac tanquam fortuitò impijs incidens uindicta, ſponteque potius quàm diuina eueniẽs prouidentia, errorem immenſum, confuſionemque intolerandam in ſe continere uidetur: ita ut haud cernere ualeam, quid utilitatis inde poſsit euenire, ſi ſcelerati tardè in molares, ut aiunt, incidant deorum, præcipuè quum flagitiorum hoc pacto ſupplicium obſcuretur, ſceleris uerò timor reddatur exilis. Hæc quum me coram ab his dicta eſſent: Nunquid, Timon inquit, Colophonio huic rationibus perſuadeam, dubioque iſto liberem, an prius in his ipſum decertare ſinam? Sed cur, reſpondi ego, aquam tertiò inferre neceſſe eſt, ſermonesque inundare, ſi neque prima diſſoluere, ne dicam effugere, ſeu declinare poterit argumẽta? Id-

Vtilitas nulla in tarditate uindictæ.

B circo ſub initium, uelut à Lare inchoantes, quid de paterna Numinis ueneratione, in Academia philoſophi, qui ſibi aliquid de his dicere uiſi ſunt, ſenſere, ſummis delibemus labijs. Facilius etenim eſt, muſicæ rudes de muſica, ſeu inexpertos de re diſſerere militari, quàm nos, quũ ſimus homines, diuina dæmoniaque rectè conſiderare opera, tanquã artis expertes, artificis intelligentiam opinione ſolùm & mentis conceptu, remerè fortuitoque dijudicantes. Quemadmodum enim imperitus, medici conſiderationem, cur ægrum non pridem, ſed poſtea inciderit, ſiue heri, non hodie lauerit, conijcere haud poteſt: ita & de Deo firmum quid certum'ue aſſerere, hominis eſt officiũ minimè, præter hoc ſolum, quòd ipſe tempus optimè nouit, quo malitiæ medicinam adhiberi conueniat, ac tanquam pharmacum unicuique præbeat ſupplicium, quamuis non magnitudine, menſuraque æquali, ſeu tempore uno eodem'ue, in omnibus pariter medeatur delictis. Quòd uerò animæ medicina, quæ ius ac iuſtitia appellatur, omnium aliarum ſit artium maxima, inter multos alios Pindarus quoque teſtatur, qui optimum appellat artificem, gubernatorem & dominum rerum omnium Deum, utpote uerè iuſtitiæ factorem & creatorem, cui ſoli definire conueniat, quando, quomodo, ac quouſque ſceleſtorum unuſquiſque plecti debeat. Huius artis Plato Minoëm quoque ait, quamuis Iouis eſſet filius, fuiſſe diſcipulum, tanquam impoſsibile ſit quenquam in rebus iuſtis perfectè quid agere, ſeu rectè agentem diſcernere, qui artem hanc non antea didicerit, ſiue examuſsim calleat. Neque enim leges quas ferunt homines, abſolutè ſe rationabiliter habent, ſeu undique æquitati conſonæ eſſe cenſentur, ſed quædam fermè ridiculæ uidentur eſſe: ueluti Lacedæmone, protinus ut Ephori magiſtratum ineunt, ne quis barbam nutriat, legibusque tanquam nil difficultatis habentibus, cuncti pareant, per præconem edicunt. Romani quoque quos libertate donant, illorum corpora minuta conſpergunt feſtuca. Quum uerò teſtamenta conſignant, illos quidem hæredes inſtituunt, alijs uerò bona uendenda relinquunt, nónne hæc abſurda eſſe cenſentur? Denique omnium ineptiſsima lex illa Solonis, quæ honore eum priuat, qui in ſeditione nulli adhæret parti, ſiue diſſenſioni ſe haud immiſcere conatur ciuili. Multas præterea alias legum ineptias quis enumerare poſſet, quæ neque legiſlatoris ſententiæ probè conueniant, ſeu quarum rationem, aut cur ita ſint ſcriptæ, intelligere quiſpiam ualeat. Quid igitur mirũ, quum res humanæ ita caligent, ſi haud facilè

C nobis de Deo loqui concedatur, qua ratione ductus, ex ſceleratis hoc ſerius, illos uerò
citius plectat, & corripiat? Hæc itaq; non tergiuerſationis prætextu, ſed potius ueniæ
precatione dicta ſint, ut ſermo tanquam ad refugium & portum reſpiciens, liberius ad du
bij probationem euagari audeat. Primò itaq; conſiderate, quòd ex Platonis ſententia, o-
mnium bonorum ſeſe Deus in medium conſtituit exemplar, ut humana uirtus, quum illi
admodum conformis eſſet, haberet quem imitaretur, totiſq; ſequeretur uiribus. Etenim
rerum omnium natura confuſa quum eſſet, hoc ſortita eſt principium, ut ſimilitudine ac
cognatione quadam diuinæ uirtutis & ideæ transformaretur, fieretq; mundus. Aſpectu
cuius uir ille naturam quoq; noſtram attolli aſſerit, ut rerum quæ ſub cœlo feruntur admi
randarum contemplatione, anima decora & ordinata eligere & amare, diſcrepantia uerò
& errantia declinare conſueſcat, fugiatq; temeritatem, ac fortuita quæq;, tanquam praui-
tatis uniuerſiq; erroris originem. Nulla enim re magis Deo frui conceſſum eſt homini,
quàm ſi imitando ac ſequendo illius bona & honeſta opera, ad uirtutem uſurpet. Qua-
propter ſi tardè & lentè illum flagitioſos corripere uidemus, non ideo accidit, quoniam
ob præproperam animaduerſionis celeritatem, erroris uel pœnitentiæ crimen uereatur,
ſed ut à nobis feritatem ac uindictæ impetū auferat, doceatq; non ira accenſos, aut quum
furor æſtuat & feruet, rationemq; altius ſaltando exuperat (ueluti quum ſitim aut famem
exatiare conamur) inimicos, quiq; nos affecerunt iniuria, ulciſci, ſed illius imitatos man
ſuetudinem atque cunctationem, deliberare, ac hora conſultrice nos uindicare, ne pro-
tinus impetum ſera & inutilis ſequatur pœnitentia. Rapidæ enim quempiam incidere a-
quæ, eiuſq; ſe committere gurgitibus, leuius (ut Socrates aiebat) eſt periculum, quàm in
conſanguinei, aut contribulis cuiuſdam perturbati, ac furore & ira accenſi, cadere uin-
dictam, antequam deferbuerit, animiq; reſederit affectus. Non enim quum paſsiones
uindictæ proximæ, ut Thucydides dicebat, ſed quum admodum eſſent remotæ, hone-
ſtum ac rectum diſcerni poſſe aſſerebat. Quemadmodum enim ira (iuxta Melanthium)
quum mentem occupat, turpia indecoraq; perpetrat: ita ratio, quum furorem, animiq; æ-
gritudinem penitus è pedibus ſuſtulit, iuſta & moderata peragit. Quare auditores quo-
que humanioribus manſueti redduntur exemplis, ut de Platone fertur, qui quum con-
D tra ſeruum baculum ſuſtuliſſet, longo ſic conſtitit tempore, iram, ut ipſe aiebat, puniens,
& coërcens. Et Archytas, quum ruri domeſticorum ac ſeruorum negligentiam ac igna-
uiam deprehendiſſet, inde concitatiori aſperioriq; affectu erga illos ſe ferri intelligeret,
nullo maiori eos affecit incommodo, ſed tantiſper abiens, Valete, inquit, quoniam uo-
bis iraſcor. Proinde ſi hominum dicta memoratu digna factaq; iam relata, iræ aſperita-
tem uehementiamq; ſedare ualent, longè æquius eſt, quum Deum optimum ac maxi-
mum, qui neminē timet, nullius rei indiget, qui nulla pœnitentia duci poteſt, uindictam
tamen ſuſpendere cernamus, debitumq; ſceleribus expectare tempus, nos quoq; illum
imitari ac placidos reddi, manſuetudinemq; ac tolerantiam, diuinam uirtutis cenſere par-
ticulam. Quam Deus oſtendit, quum paucos puniendos corripit, tardius uerò animad-
uertendo multos hortatur, iuuat ac admonet. Secundo hoc animaduertamus neceſſe eſt,
humanam iuſtitiam leges habere, quæ ſcelera coërceant, & ob ſingula malefacta quid
unumquenque pati deceat examuſsim ponderent, ulterius uerò progredi haud audent.
Ideo publica cuſtodiunt iudicia, ut criminibus reſiſtere, maleq; facta è pedibus tollere
ualeant. Deum uerò, quum ægrotam animam affligere ſtatuit, longius introſpicere affe-
ctuſq; diſcernere decet, prudenterq; conſiderare, num aliquando ad pœnitentiam flecti
debeat, ſicq; tempus ad emendanda tribuere ſcelera. Vbi uerò ſynceri nil ineſſe deprehen
dit, malitiamq; perdurare immutabilem cognoſcit, protinus uindicare, & pro ſcelere
ulciſci conuenit. Et quandoquidem optimè nouit, quam uirtutis partem animæ quum
ab ipſo ad genituram feruntur, ituræ ſint, quodq; generoſum illis tanquam fortius &
non debilius inditum ſit, malitiam uerò præter naturam, cùm ob nutrimenti corruptio-
nem, tum malam germinare conuerſationem, nonnulloſq; rectè curatum iri, congruen-
temq; recuperaturos habitum, optimè tenet, non æqualiter in omnes animaduertit, ſed
quod immedicabile eſſe cognoſcit, confeſtim reſcindit, ex uitaq; delet, tanquam alijs aſsi
duè cum malitia conuerſari, penitus ſit nociuum, ſibijpſi uerò deterrimum. Quos uerò ob
honeſti ignorantiam potius, quàm uitiorum delectu temerè peccare nouit, illis emendan
di tempus tribuere ſolet. Qui ſi in flagitijs perſeuerant, tandem eos quoq; pro ſceleribus
iuſtò ulciſcitur. Haud enim ueretur, ne quandoq; ſibi fuga conſulant. Conſiderate ete-
nim quantæ in hominū uita & moribus acciderint mutationes, quotq; à ſceleribus & fla-
giti js

A gitijs,ad frugaliorem modeſtioremq́ conuerſi ſunt uitam. Vnde & conuerſio dicta eſt, quum quis à uitijs ſe auertit,ſanioresq́ induit mores. Proinde ambiguè priſcos de Cecrope fabulatos arbitror, non ut aliqui aſſerunt, ex optimo rege crudelem & immitem factum eſſe tyrannum,ſed contrà, quum ſub initiũ moroſus ac terribilis fuiſſet, poſtea perquàm humanè ac placidè imperaſſe.Etſi hoc incertum, ſcimus tamen Gelonem & Hieronem Siculos,Piſiſtratumq́ Hippocratis filium,quamuis per ſummum nefas tyrannide potiti eſſent,ad uirtutem uſurpaſſe.Quumq́ illegitimè ad principatus ſubrepſiſſent faſtigium,admodum tamẽ moderati ac populares euaſere principes. Quum enim ualidas ac optimas tuliſſent leges,terræq́ curã gerere ciues docuiſſent, ex ridiculis atq́ loquacibus prudentes,ex ignauis uerò admodum reddidere operoſos. Gelo inſuper cùm bellicis in rebus egregiam nauaſſet operam,pugnaq́ ingenti Carthaginenſes ſuperaſſet,non antea pacem cum illis ſanciuit,&quidem rogatus,quàm diſertè fœderibus adſcriptum eſſet,Saturno filios dehinc haud ſe immolaturos. Erat quoq́ tyrannus in ciuitate magna Lydiades,qui quum tyrannidem permutare conſtituiſſet,iniuſtitiamq́ deteſtatus fuiſſet,ciuibus leges reſtituit,ac pro patria contra hoſtes dimicans generoſè cecidit. Miltiadem quoque in Cherroneſo tyrannidem exercentem, ſi quis tum interfeciſſet, uel Cimonem ſtupri conſuetudinem cum ſorore habentem, perſecutus ſuſtuliſſet, aut Themiſtocli ob ea quæ laſciuè ac petulanter in foro egerat, ciuitatem ademiſſet, quo pacto poſtea ab Alcibiade ſcribi potuiſſet?

At nondum clari Marathones & Eurymedontes
Deſunt,nec pulchrum nos deficit Artemiſeum,
Cecropidum pubes ubi libertatis adepta eſt
Victrices crepidas.

Siquidem haud mediocriter magnæ aliquando exorbitant naturæ, ob ſubtilemq́ ingeniorum uehementiam efficaciamq́ quieſcere non ualent,ſed in ſalo fluctuant, antequàm ad ſtabiles ſedatosq́ perueniant mores. Quemadmodum igitur agriculturæ inexpertus, regionem quam denſis cernit obſitam uirgultis, plantisq́ ſylueſtribus incultam, feris refertam,fluminibus ac fontibus uarijs irriguã,cœnoq́ plurimo quoquouerſum inuiam,
B floccipendit: rei uerò ruſticæ gnarus , hæc omnia fertilitatis indicia eſſe cognoſcit,terræq́ ubertatem hinc diſcernit:ita & abſurda,praua,ac importuna,magnę aliquando producunt naturæ, quæ nos confeſtim(quandoquidem aſperitatem ac ſtimulos haud ferre poſſumus)præcidi,penitusq́ eradicari oportere arbitramur. At optimus ille iudex utile ac generoſum ex his diſcernens,ætatem,horamq́ rationis & uirtutis cooperatricem,quã natura fructum debitum & opportunũ ferat ac reddat, benignè præſtolatur & expectat. Et hæc ita ſe habent.Aegyptiacam uerò legem,quæ grauidã,donec pariat, in mortis carcere cuſtodiri iubet,nónne Græcorum quidam conſultè uobis tranſcripſiſſe uidentur? Et ſanè quidem,illi aiebant.Intuli itaq́:Si infans nondum æditus, ſed adhuc latens in utero,potis eſt tempore opus ſiue conſilium abſconditum in ſolis proferre lucem, oſtende req́ noxam iſtam ſalutis cauſa,ſeu aliqua neceſſitate cogente,perpetratam eſſe,nónne ſatius pœnæ erit ſuſpenſio,quàm inconſulta accelerataq́ uindicta? Mihi quidem ita uidetur:& uobis Patrocles?inquam. Rectè,ille ait. Conſiderate itaq́, ſi Dionyſius ſub tyrannidis initium pœnas dediſſet,neminem Græcorum Siciliam habitare potuiſſe. A Carthaginenſibus enim cuncti extorres acti fuiſſent.Quemadmodũ neq́ Apolloniam ſeu Anactorium,Leucadorium'ue Cherroneſum Græci incolerent,niſi Periander nõ confeſtim, ſed longo pòſt tempore pœnas luiſſet.Caſſandri quoq́ ultionẽ ideo ſuſpenſam arbitror, ut rurſus Thebæ inhabitarentur. Mercenarij nanq́ milites,qui cum illo templum ſpoliarunt,quorum plurimi cum Timoleonte in Siciliam tranſgreſsi ſunt,quum Carthaginenſes deuiciſſent,tyrannidesq́ ſoluiſſent,mali male poſtea periere. Quoſdam enim numen negligit,ideoq́ parcit,ut cum ſceleratis flagitioſos plectere ualeat(quemadmodũ Demo cœnis per oraculũ dæmoniũ reſpondit) inde uerò illos quoq́ conterit ac funditus tollit, ut opinione mea compluribus euenit tyrannis.Quemadmodũ enim hyænæ fel, phoceq́ coagulum,ac feræ aliæ quamplurimæ, quid ſalubre, ægritudinibusq́ humanis utile in ſe continent,ita quibuſdam qui fręno animaduerſioneq́ indigere uidentur,Deus amaritudinem quandam tyranni inexorabilem,uel ſæuam principis cuiuſdam aſperitatẽ immittit,nec prius ab afflictione ac perturbatione deſiſtit,quàm ægritudinem omnem expulerit,penitusq́ morbum purgauerit.Tale Acragantinis Phalaris,Romanis uerò Marius erat pharmacũ.Sicyonijs quoq́ palàm Deus prædixit,flagellatoribus indigere ciuitatem,

Conuerſio unde dicta.

Mali à malis corripiuntur.

C quum Teletiam puerum, qui in Pythijs coronandus erat, honore priuarunt, ac Cleonæorum quendam tanquam ſuum prætulerunt ciuem. At quum Orthagoras Sicyoniorũ inuaſiſſet tyrannidẽ, ac poſt illum qui cum Myrone & Cliſthene rerum potiti ſunt, eorum ſedauerunt intemperantiam. Cleonęi uerò quũ ſimili purgati medicamento haud eſſent, funditus corruerunt. Proinde Homerum dicentem audite:

Egregia eſt ſoboles ſcelerato nata parente.

Deus ſæpe parcit malis, à quibus optimos orituros nouit.

Ecce quemadmodum ille qui nil decens aut clari unquam operatus eſt, optimum genuit filium. Siſyphi quoq;, necnon Autolyci, & Phlegij genus, in gloria & uirtute magnorum floruerũt regum. Pericles quoq; Athenis in ſceleſta natus eſt domo. Et Romæ Pompeius magnus Strabonis fuit filius, quem uita functũ Populus Romanus ob inoffenſum odium pedibus conculcauit, inſepultumq́; proiecit. Nunquid igitur abſurdũ, ſi quemadmodum ruſticus ſpinas haud extirpet priuſquàm aſparagos collegerit: & Aphri ſarmenta nõ comburant, antequàm ab illis ladanum abſtulerint: ita Deus ſceleſtam ac pernicioſam ſplendidi ac regij generis ſtirpem haud antea euellat, quàm fructus debitus ex ea ſit productus & generatus? Longè enim Phocenſibus fuit utilius, innumeros Iphiti perire boues & equos, plusq́; auri & argenti ex Delphis ſurripi, quàm Vlyſſem & Aſclepiũ natos non fuiſſe, ſiue alios complures, qui ex flagitioſis ac ſceleratis optimi magnæq́; frugis euaſere uiri. No'nne igitur modo ac tempore conuenienti in facinoroſos animaduertere, longè exiſtimandum melius eſſe, quàm inconſultè confeſtimq́; ſupplicium ſumere? ut de Calippo fertur, qui quum ſub amici prætextu Dionem interfeciſſet, eodẽ enſe rurſus ab illius perculſus familiaribus, occubuit. Mitij quoq; Argiui, qui in ſeditione cæſus eſt, interfectorẽ ænea in foro deæ ſtatua decidẽs oppreſsit. Nunquid præterea Patrocles, quid Beſſo, Pęoni, Ariſtoniq́; Oethæo militum præfecto aliquando acciderit audiuiſti? Minimè, ait, ſed admodum diſcere cupio. Ariſton, inquam, Eriphyles mundum muliebrem ibi repertum, concedentibus tyrannis rapuit, uxoriq́; dono attulit. Cæterùm filius eius quandam ob cauſam matri ſuccenſens, domum incendit, & cunctos qui in illa erant concremauit. Beſſus uerò quum proprium interfeciſſet patrem, multo delituit tempore. At quum aliquando ad hoſpites cœnatum pergeret, hirundinũ nidũ haſta impellens deturbauit, pulloſq́;
D pedibus contriuit. Quumq́;, ut par erat, aſtantes dixiſſent, qua cauſa homo impulſus rem tam nefandã perpetrare auſus es? No'nne, reſpondit, iamdiu falſum aduerſum me ferunt teſtimonium, clamantq́; proprium me occidiſſe patrem? Præſentes uerò quum admiratione ducti, uerba ad regem detuliſſent, reſq́; diligẽtius diſcuſſa eſſet, meritas Beſſus pœnas dedit. Hæc ideo uobis retuli, ut planè cauſas intelligatis, ob quas flagitioſis aliquãdo uindictæ concedatur ſuſpenſio. Reliqua uerò ex Heſiodo uos audire exiſtimetis. Ait enim uindictam non admodum remotam eſſe iniuſtitiæ ſectatricem, ſed coętaneã, ac ex eadem regione ſtipiteq́; pullulantem, inquiens:

Conſultum male, conſultori peſsima res eſt.
Qui ſtruit inſidias alij, ſibi conſtruit ipſi.

Cantharis enim in ſeipſa remedium, ex contraria paſsione concretum, habere fertur.

Malitia ſeſe affligit.

Malitia uerò coniunctum, aſsidueq́; ipſam torquentem ac affligentem geſtat dolorem, non poſtquàm ſcelus perfecerit, ſed tum maximè flagitiorum pœnam exoluit, quum iniuriam atrociter inferre uidetur. Quemadmodum enim facinoroſus quiſque ultimo affligendus ſupplicio, corpore ſuo propriam fert crucem, ita improbitas ex ſeipſa ſupplicium ſibi ſtruit ipſi, grauis quædam uitæ artifex, calamitates ingentes, cumq́; turpitudine formidines innumeras, paſsionesq́; moleſtiſsimas, pœnitentias, ac indeſinentes in ſe continens perturbationes. Sed nonnulli nil à pueris diſtant, qui quum ſceleratos in theatris nonnunquam amictu aureo circundatos, chlamydéue purpurea indutos, coronatos ac tripudiantes conſpiciunt, admirari, beatoſq́; exiſtimare non deſinunt, antequàm eos ſtimulis agitari, flagris cædi, ignemq́; ex florida illa uariaq́; ueſte emittere conſpiciunt. Multi enim flagitioſorum ingentibus ſepti ædibus, principatus ſplendidiſsimos, potentatusq́; obtinentes immenſos, ut plurimum quantum plectantur latet, donec iugulati

Mors malorum non pœna, ſed finis pœnæ.

aut ab alto præcipitati, iacere cernantur. Quæ rectè quis non pœnam, ſed ſupplicij finem, pœnæq́; conſummationem appellare poteſt. Quemadmodum enim Herodicus Silymbrianus, quum phthiſim morbum incidiſſet immedicabilem, exercitationemq́; medicinæ primus, ut Plato ait, immiſcuiſſet, ſibijpſi cæteriſq́; laborantibus ægritudine ſimili, multò prolixiorem reddidit mortem: ita ſcelerati qui præſentem cenſentur effugere pœnam, haud poſt multũ temporis, ſed multo in tempore, uindictam non quidẽ tardiorem,

A ſed admodum prolixiorem ſuſtinent ac extendunt, neq; ſeneſcentes ſolùm corripiuntur,
ſed etiam cruciatu aſsiduo ſeneſcunt. Quantum ad nos autem, facinoroſos longo aio tem
pore puniri ac torqueri. Apud Deum etenim uniuerſæ humanæ ſpatium uitæ, atqueadeo
præſens momentum, nihil eſt: quin anni triginta in illius conſpectu ueluti crepuſculum,
ne dicā hora ſunt matutina. Proinde flagitioſi tanq; carcere clauſo ac cæco, nulla euaden
di ſpe detenti, ſceleſta cuſtodiunt̃ uita. Et quamuis interim conuiuent̃, negocientur, dona
tionibus & delectationib. oblectent̃, optimasq; negligant diſciplinas, nil tamē à noxijs di
ſtant, qui in uinculis ad ultimū ſeruātur ſupplicíū. Nam & ij aliquando fune ſuper capite
pendente ludunt, cātillant, & ociantur. Quid enim prohibet opinari eos, qui ad mortem
clauſi detinentur, minimè affligi, donec capitali plectantur ſupplicio, nec eos qui uene-
num hauſerunt ac deambulant, expectantq; donec crura degrauent̃, torqueri, priuſquàm
uitalem ſpiritum extingui, paulatimq; euaneſcere ſentiant, ſi ultimū ſupplicij tempus pœ
nam eſſe arbitremur, paſsiones uerò, timores, expectationes, & pœnitentias, quę interim
animū diſcruciant ac perturbant, quibusq; unuſquiſq; ſceleratus obnoxius eſt, prætermit
tamus, ac nihili pendamus? ueluti ſi piſcem qui hamum deglutiuit, haud eſſe captum dica
mus, priuſquam illum à coquo exenteratū, ſiue aſſum conſpiciamus. A iuſtitia enim faci-
noroſus quiſq; detinetur, ſcelerūq; dulcedine tanquā illecebris aſsiduè ineſcatur: quumq;
conſcientiam flagitijs onuſtam ac degrauatam ſentit,

Vt thynnus rapidus percurrens æquora ſæuit.

Violenta enim, effrenis, & temeraria illa ſcelerum audacia, ad facinora uſq; agilis, expedi
ta atq; uehemens exiſtit. Inde uerò à paſsionibus animiq; perturbationibus, tanquam ſpi
ritu deſtituta, imbecillis, humilis, ac languens, timoribus ſuperſtitionibusq; ſuccumbere
deprehenditur. Vnde non ineptè, ſed factis ac ueritati conſonans, Steſicborus de Clytem
neſtra ſomnium finxiſſe uidetur, quam ita loquentem inducit,

Allabier uiſus draco,
Summo capite depaſtus, ex
Quo apparuit rex Pliſthenides.

Etenim ſomniorum terriculamenta, diurnaq; ſpectra, necnon oracula, atq; portenta, &
B quæcunq; homines diuino accidere nutu opinantur, horrorem ac timorem his qui ſceleri
bus obruti, ſibiq; ipſis conſcij ſunt, incutere conſueuerunt. Quemadmodum aiunt Apollo
dorum aliquando per ſomnium ſe à Scythis excoriari, in fruſtaq; concidi conſpexiſſe, cor
uerò ex lebete loquens, ac dicens, Ego horum tibi cauſa ſum. Et iterum filias igni flagran
tes, totoq; corpore ſuccenſas, per gyrum ipſum circunſilire. Hipparchum item Piſiſtrati fi
lium, paulò ante obitum Venerem ex phiala quadam ſanguinem ſibi in faciem ſpargere,
ſomniaſſe narrant. Ptolemæi uerò Cerauni amici, ipſum à Seleuco in iudicium rapi uide-
runt, uulturibus lupisq; iudicantibus, & cauſam cognoſcentibus, carnesq; paſsim hoſti-
bus diſtribuentibus. Pauſanias quoq; Byzantij Cleonicen liberam ſtuprauit uirginem,
quam quum noctu quandam ob cauſam emiſiſſet, indeq; reuertentem terrore ac ſuſpi-
cione correptus peremiſſet, eam ſæpius in ſomnis aſsiſtentem ac dicentem uidit:

Adſis iudicio, mala res iniuria ualde eſt.

Quumq; phaſma haud deſiſteret, ſed aſsiduis illum terrotibus perturbaret ac moleſtaret,
Heracleam ad animarum nauigauit expiationem, placationibusq; nonnullis ac inferijs
puellæ animam euocauit. Quæ quum in conſpectum ueniſſet, finem malorum futurā prę
dixit, ubi Lacedęmonē perueniſſet. Quô quum ille applicuiſſet, confeſtim uita exceſsit.
Quapropter ſi poſt obitum anima nil penitus eſſet, ſed mors gratiarum ac pœnarum finis
exiſteret cunctarum, indulgentius ac mollius Numen quis dicere poſſet cum ſceleratis e-
giſſe, quos confeſtim ac non longo pòſt tempore corripuiſſet, uitaq; functos celeriter ex
multiplicibus abſtuliſſet ærumnis. Etenim ſi quis nil aliud mali improbis in hac uita, prę-
ſentiq; tempore accidere affirmaret, quàm quòd ſcelerum conſcientia flagitiorumq; recor
datione aſsiduè torquent̃, re admodū ſterili, moleſta, & ingrata, ac nihil boni, ſeu ſtudio
digni, ex tot tantisq; certaminibus referente, cognoſceret profectò acerbiſsimè ratione
propria illorum affligi animam. Quemadmodum de Lyſimacho referunt, qui ſiti coactus
quum Getis corpus uiresq; tradidiſſet uniuerſas, poſtquàm biberat, iam factus manci-
pium, dixiſſe fertur: Heu meæ improbitati, qui ob uoluptatem tantillam breuemq;, tanto
excidi regno. Proinde neceſsitati naturaliū reſiſtere affectionum, admodum eſt difficilè.
Quum uerò homo auaritiæ ac pecuniarū, inuidiæ ue ciuilisq; exiſtimationis ac potentiæ
gratia, ſeu ueneréas ob uoluptates iniuſti quid egerit ſiue perpetrauerit, inde paſsionum

C furore, animiq́; deſtitutus morbo, quum tempore cernit turpes uerendaſq́; improbitatis ac iniuſtitiæ remanere perturbationes, honeſti uerò, utilis ac recti ſupereſſe nihil, nónne ſæpius cogitationes moleſtiſsimas, curaſq́; grauiſsimas illi incidere par eſt, quód uana ſeductus gloria, ſeu uoluptatum captus dulcedine, rebus ſordidiſsimis, illiberalibus, ac ingratis, pulcherrima maximaq́; inter homines bona, fas, iuſtitiam, pietatemq́; peruerterit, uitamq́; turpitudine, infamia, ac perturbationibus fœdarit ac repleuerit? Quemadmodũ enim Simonides ludens aiebat, argenti ſe arcam ſemper inuenire plenam, gratiarum uerò uacuam: ita improbi, ſi rectè ſuam ſceleſtam perpenderint uitam, cõfeſtim ob uoluptates gratia uacuam, ſpeq́; deſtitutam reperiunt: timore uerò, triſtitia, iniucundaq́; recordatione, ac in futurum ſuſpicione, perfidia uerò ad præſens, ſemper cumulatam inueniunt. Quemadmodũ in theatris Ino loquens, ac de male actis pœnitens introduci ſolet:

Charæ mulieres, quomodo primùm incolui
Athamantis clarã regiam, decentiũ agens nihil?

Hæc peſsimũ quenq́; in animo uerſare ac cogitare decet, quo pacto uitia repellat, flagitia memoria deleat, conſcientiam purget, ex ea facinora deturbet, ſe à cunctis uindicet criminibus, ita ut penitus aliam ab initio uitam agere incipiat. In quibus enim malitia præualet ac ſuperat, in his ſyncerum, à labeq́; purum, firmũ, ac ſtabile nil eſſe poteſt. Niſi, per Iouem, ſapientes quoſdam eſſe dicamus, qui iniuſtè agunt. Nam ubi diuitiarum uoluptatumq́; cupidines inter ſe concertare inuenies, ſiue inuidiam cum inimicitijs ac malignitate ſibi ſedẽ conſtituiſſe deprehendes, ibi ſi ſolertius conſideraueris, infelicitatem ſubeſſe ac latêre inuenies, ſegnitiem laborum, mortis metum, uehementem perturbationum exceſſum, in gloria ob arrogantiã, mollitiem, uituperantes timere, laudatores tanquã deceptione circumuenientes uereri, maximeq́; improbis aduerſari, ut eos qui boni eſſe cenſent, promptius laudare uideãtur. Nam quod in flagitijs obduratio, id in malo ferro eſt rubigo: quòd ſi durius tetigeris, illicò frangitur. Quapropter quum ſcelerati temporis ſucceſſu, quemadmodũ habeant, exactius intelligunt, fremunt, dolent, indignantur, ac propriã execrantur uitam (de his loquor malis, qui non penitus à ſeipſis exciderunt, omninoq́; opinione errant, ſed & depoſitũ reddunt, pro amicis intercedunt, patriæq́; gloriam augentes magnificè illam tuentur) hi, inquam, non D confeſtim, ſed temporis proceſſu ob flagitia pœnitent, commiſsiſq́; dolent. Quandoquidem & homines in theatris aliquando plaudunt, confeſtim tamen uana reuertente gloria ac auaritia, gemere non deſinunt. At qui tyrannide abutũtur, hominesq́; fraudulenter circumueniunt, & è medio tollunt. quemadmodũ Apollodorus, amicosq́; pecunijs ſpoliãt, ut Glaucus, iſti haud pœnitẽt, aut ſeipſos oderũt, nec aliqua ob male acta afficiuntur mœſtitia: ſceleribus enim obruti, eò proceſſerunt ueſaniæ, ut facinora cuncta & quicquid improbi agunt, omni carere peccato cõtendant, ac quæcunq́; lubent licere arbitrentur. Ego proinde, ſi dicere fas eſt, flagitioſos, perditos ac facinoroſos homines, neq́; aliquo ſiue deorum, ſeu hominum indigere ultore arbitror, ſed pernicioſam ipſorum uitam omni prauitate, impietate, ac ſcelere corruptam, refertam & contaminatam, ſatis ſuperq́; ad ſeipſam plectendam ac torquendam ſufficere. Sed conſiderate, inquam, ne ſermo longius, quàm tempus exigat, procedere uideatur. Et Timon: Satisfactum eſt mihi, ait, de cunctatione, lentaq́; numinis tarditate. Nunc uerò tanquã in inſidijs ultimũ collocaui dubium, quandoquidem in prioribus mediocriter decertauimus. Cæterùm quod Euripides conqueritur, ac Numini obijcit,

Crimina ſæpe luunt nati ſcelerata parentum,

etiam nos tacentes reprehendere exiſtima. Si enim qui deliquerunt, iam pœnas exoluerunt, haud decet eos qui nil iniuſti egerunt, plecti. Quandoquidem nec illos qui facinora peregerunt, de una eademq́; re bis ſupplicium ſubire, iuſtitiæ ſeu æquitati conſonum eſſe cenſetur. Proinde ſi lentè diuina procedit uindicta, pœnaq́; quę improbis debita, ſerò tandem innoxios affligit, haud probè iniquitatem tarditate compenſat. Quemadmodum ferunt Aeſopũ olim cum auri pondere ingenti à Crœſo miſſum huc perueniſſe, ut Deo magnificè ſacrificaret, Delphiciſq́; ſingulis minas diſtribueret quatuor. Cæterùm quum ob indignationem quandam diſcordiæ ac rixæ inter ipſum & incolas interceſsiſſent, ſacrificium quidem illum peregiſſe, pecunias uerò Sardis remiſiſſe narrant, tanquam homines *Aeſopi mors.* illi indigni exiſterent, qui aliquo afficerentur cõmodo. At illi quum ſacrilegij eum inſimulaſſent, à petra quadam, quam Hyampeam appellant, præcipitatum interfecerunt. Exinde Deum iratum, terræ ſterilitatem uariaq́; morborũ genera illis immiſiſſe prædicant, ita ut in cunctis Græciæ panegyricis obambularent, ac per præcones, ob Aeſopi mortẽ pœ

nas

A nas ab eis exigere uolentes, identidē uocarent. Ac tertia uix tandē generatione Samium
quendam applicuiſſe Idmonem, mitimè genere ad Aeſopum attinentem, ab illis tamen
qui olim Sami Aeſopum emerant oriundum. Cui quum Delphici pœnas quaſdam exol-
uiſſent, uix eos tandem à malis quieuiſſe referunt. Exinde ſacrilegorum uindictā ab Hy-
ampea in Naupliam eſſe translatam aiunt. Nec Alexandrum, & qui mirè eum admiran-
tur ac amant, ex quorum numero nos quoq; ſumus, laudare ſolent, quòd Branchidarum
urbem funditus ſubuerterit, omnemq́; ætatem penitus exciderit, quoniā ab eorum maio-
ribus Mileti templū olim proditum fuerat. Agathocles quoq; Syracuſanorum tyrannus,
cum riſu Corcyrenſes cauillatus eſt. Nam quam ob cauſam inſulam uaſtaret, quum quæſi
uiſſent: quoniam per Iouem, reſpondit, patres ueſtri Vlyſſem ſuſceperunt. Quumq́; pari-
ter Ithacenſes cōquererent, eorum pecora à militibus abigi: At ueſter, inquit, rex ad nos
quum acceſsiſſet, paſtorē excæcauit. Atqui nónne longè his abſurdius Apollo? qui Phe-
neates, uniuerſamq́; eorum regionem terræ hiatu abſorpſit, quoniam ante mille, ut aiunt,
annos Hercules tripodem ſortilegum ſurreptum, Pheneum detuliſſet. Sybaritis quoque
prædixit, tum eos à malis ſolutum iri, quum tertia cæde iram Leucadiæ placaſſent Iuno-
nis. Non multum pręterea temporis interceſsit, ex quo Locri uirgines Triam mittere de-
ſierunt, quæ ob Aiacis petulantiam, ſeruili indutæ habitu, nudis incedebant pedibus, &
ſi adultam attigiſſent ætatem, ueluti ſeruæ, quæ Athenis ſine corollis circum aram uer-
runt. Quo pacto hæc rationis aut iuſti quid in ſe continere poſſunt? quum minimè Thra-
ces laudare ſoleamus, quòd in Orphei uindictam, ſuas hucuſq; pulſent uxores. Barbaros
quoque, qui Eridani ripas incolunt, irridere conſueuimus, quoniam ob Phaëthontis, ut
aiunt, luctum, nigris induantur ueſtibus. Siquidem longè magis, ut arbitror, ridiculū eſt,
homines qui Phaëthontis uixerunt tempore, ipſius neglexiſſe calamitatem: qui uerò illo
defuncto poſt quinq; ſeu decem nati ſunt ætates, ueſtem permutaſſe, ipſumq́; lugere cœ-
piſſe. Sed iſta ſolùm fatuitatem quandam præ ſe ferre uidentur, moleſti autem ſeu nefan-
di nihil. Cæterùm deorum iræ quo pacto confeſtim tanquam flumina nonnulla euane-
ſcunt, ac longè pòſt ſuper alios emergentes, ad ultimas perducunt calamitates? Hucuſq;
quum me continuiſſem, ueritus ne in maiores, longéq; intolerabiliores erumperet ine-
B ptias, cōtinuò interrogare cœpi: Nunquid, inquiens, hæc omnia uera eſſe exiſtimas? At
ille: Si non omnia, ait, ſaltem aliqua abſq; dubio uera eſſe contendo. Aequè, dixi, ut uehe-
menter febricitantibus, tibi accidit, qui ſi uel una pluribus'ue tegantur ueſtibus, eundem
tamen ac æqualem ſuſtinent calorem, cæterùm ob refrigerij ſpem ac ſolatium, indumen-
torum auferre oportet multitudinem. Atqui hæc, ſi placet, quandoquidem ut plurimum
fabulis ac fictionibus ſimilia uidentur, prætermittamus. Vt autem confeſtim in foris b.tes
pateat, claráq; reddatur, in memoriam ducatur honor, qui ijs haberi ſolet, quorum maio-
res hoſpitio deos ſuſceperunt, necnon pulchra ea pars, quæ Pindari ſucceſſoribus in The
barum direptione dclata eſt. Quis enim ea honoris præminentia, quæ tandiu inter Græ-
cos coaluit ac inoleuit, meritò non delectetur? niſi cui iuxta eundem Pindarum, frigida
flamma cor atrum fabricauit. Prætermitto nunc ſimile huic Spartæ præconiū, quod poſt
Lesbicum cantum, in memoriam ac honorem Terpandri illius priſci, proclamari ſolet:
nam eadem ratione conſtare uidetur. Cæterùm uos Philtiadæ appello, qui apud Bœo-
tios longè alijs præferri dignum ducitis, quoniā præclaris ortos parentibus uos eſſe præ-
dicatis, quiq́; apud Phocenſes ob Daiphati genus gloriari ſoletis, mihi, inquam, præſen-
tes auxilióq; ſitis, quum Lycormæ, Satilæiq́; patrium Heraclidarū inter ſe partiuntur ho-
norem, Stephanophoriamq́; inſtaurantes decantant, admodum decere ab Hercule pro-
gnatos, honores firmos ac gratos ſortiri. Quandoquidē quum ipſe Græcos immenſis affe
ciſſet beneficijs, & haud dignum præmium retributionemq́; cōſecutus eſſet: Pulcherrimū
hercle, ait, ac philoſophia admodum dignū certamē propoſuiſti. Omitte igitur, heus in-
quam, uehemens illud accuſationis genus, nec ægrè feras, ſi aliquando plectantur qui ſce
leſtis improbiſq; orti ſunt parentibus, aut honorata illa nobilitate, ac præminentia gloria
ri laudariq́; deſine. Decet enim, ſi uirtutis aut nobilitatis honorem in genere noſtro reti-
nere cupiamus, rationabiliter quoq; ob ſcelerum ultionem permanentem haud indigna-
ri, ſed rectè hæc inuicem concurrere, ac æqualiter digneq́; conuerti æſtimemus. Qui enim
à Cimone prognatos egregiè Athenis honorari, à Lachare uerò ac Ariſtone oriūdos de-
ſpici, cum indignatione dolens cernit, hic admodum uarius ac ſecors, imò potius conten-
tioſus, Numiniq; moleſtus eſſe uidetur. Incuſat enim, quū uiri iniuſti ac ſcelerati filiorum
filios feliciter agere cernit: rurſusq́; criminatur, ſi flagitioſorum improborumq́; ſtirpem

C coërceri ſeu funditus tolli conſpicit, pariterq́ Deum reprehendit & accuſat, ſiue iuſti, aut noxij patris filium affligit, ſeu incōmodo afficit. Et hæc tanquam obſtacula quædam tibi aduerſus admodum infeſtos, acerboſq́ accuſatores illos ſtatuo. Inde tanquam nexus reaſſumentes principium, ita circa diuinas affectos rationes, è tenebris ac irremeabilibus erroribus, cum intrepida pietate ad officium reducamus, illiſq́ perſuadeamus, nil Deum agere, quàm quod fas admodumq́ decens eſſe dignoſcatur, nos uerò neq́ in his quæ quotidie gerere ſolemus, manifeſtam ueritatem oſtendere ſeu exprimere poſſe. Veluti, cur liberos eorum qui phthiſi ſeu aqua intercuti interierunt, ſedere, pedeſq́ aquæ immergere iubemus, donec mortuus cremetur: eo etenim pacto morbus transferri, ſeu ad illos trāſ-

Eryngites. gredi minimè poſſe creditur. Ac rurſus, quam ob cauſam capella, ſi eryngitem herbam in os ſumpſerit, totū attrahat gregem, donec paſtoris ſuperuentu depellatur. Sunt & quamplurima alia, quæ uires continent latentes, effectuſq́ producūt incredibiles, uelocitateq́ aut tarditate ſtupenda ab alijs ad alia tranſgrediuntur. Nos uerò interualla iuxta tempus, non loca admirari conſueuimus. Vtrum enim magis ſtupendum? An peſtis, quæ in Aethiopia exordium ſumpſit, Athenas impleuit, Periclem ſuſtulit, Thucydidemq́ male affecit? Aut ſi ob Delphorum Sybaritarumq́ flagitia, in poſteros tandem ſcelerum uindicta defluxerit? Habent enim uires ab ultimis in prima relationes quaſdam ac cognationes, quarum cauſam etſi ignoramus, non tamen ſine ratione accidere certò ſciamus. Proinde cur non ſolùm in hominum ſtirpem, ſed publicè in ciuitates diuina uindicta aliquando graſſetur, iuſtitiæ prætextum habere uidetur, quum res una ac contigua ſit ciuitas, quæ nullam, ueluti animalia, mutationem admittit, neq́ alterum ex altero fieri ſolet, ſed ſemper cōformis, ſibiq́ ipſi ſimilis exiſtit, uniuerſaſq́ rerum quas agit cauſas ac gratias, quandiu communitatis nexum ſeriemq́ retinet, ac unitatem ſeruat, in ſe recipere conſueuit. Nam ſi ob temporis ſpatium, ex una ciuitate quis plures facere uellet, ſimilis ei eſſet, qui ex uno homine plures efficere conaretur: quandoquidem qui iam ſenior eſſet, prius iunior, olim uerò omnino adoleſcens erat. Eſſent equidem hæc Epicharmijs ſimilia, ex

D quibus Sophiſtarum ſermo auctus creuit, dum dicunt, qui olim mutuum accepit, nunc haud debet, quandoquidem alius factus eſt. Et qui heri ad cœnam uocatus eſt, hodie inuocatus uenit, nam alius exiſtit. Proinde mutationes in unoquoque noſtrûm maiores, quàm publicè in ciuitatibus, ætas facere ſolet. Si enim poſt annum trigeſimum quis Athenas reuiſeret, cognoſceret ſanè nunc quoque uigentes mores, motus, diſciplinas, ſtudia, populiq́ fauorem, iram & odium, ac reliqua id genus, admodū priſcis illis ac prioribus ſimilia, cōformiaq́: hominis uerò formam uix notus ac familiaris poſt tanti ſpatium temporis occurrens agnoſcere ualeret. At morum uariationes, qui omni ratione, labore, paſsione, legibus quoq́ facilè mutantur, illi qui ſemper præſens eſt, abſurditatem, admirandamq́ nouitatem continere uidentur. Cæterùm homo ex quo natus eſt, ad finem uſq́ unus uocatur: quumq́ idem ciuitati ita permanenti accidat, dignum quoq́ ducimus eam progenitorum opprobrijs obnoxiam eſſe, quandoquidē meritò illorum gloria, honore,

Heraclitius fluuius. ac potentia frui cupit, idq́ iuſtum eſſe arbitratur. Niſi uniuerſa negocia in Heraclitiū fluuium uelimus immergere, in quem neminem bis ingredi aiunt, quin penitus moueatur, ac in alienam tranſeat naturam. Si igitur ciuitas res quædam contigua, & una perpetuaq́ ſerie compacta exiſtit, neceſſe quoque eſt, genus ex eiſdem procedere principijs, potentiamq́ ac ſocietatem referre quandam. Nam genitum ab eo ex quo genitum eſt, ſecerni ſeu abeſſe tanquam opificium quoddam conſtructum minimè poteſt, quum ex ipſo, non ab ipſo genitum ſit, ita ut pars quædam & debitè honorandi, & iuſtè plectendi contineatur, circunferaturq́ in ſemetipſa. Et niſi ludere uiderer, aſſererem equidem Caſſandri ſtatuam ab Athenienſibus inæratam, longè iniuſtiora paſſam eſſe, ac Dionyſij corpus poſt obitum à Syracuſanis effoſſum, maiore affectum iniuria, quàm ſi in eorum filios diuina eſſet delata uindicta. Nam Caſſandri ſtatua ſui natura nullam iniuriam accipere poterat, mortuumq́ Dionyſij corpus anima iampridem reliquerat. Verùm Nyſæo, Apollocrati, Antipatro, ac Philippo, cæteriſq́ omnibus à ſceleratis parentibus ortis, admodum propria quædam progenitorum inſita pars eſt, illis quę adhæret, non moleſta ſiue one-

Filij quum maiorum poßideant bona, meritò etiam illorum luunt ſcelera. roſa, ſed qua in uita nutriantur, gubernentur, ac ſapiant. Non igitur mirum nec abſurdum, quum ex illis procedant, ſi ob eorum facinora uindictæ quoque partem deſumant, quandoquidem quæ apud homines beata cenſentur, propter illos conſecuti ſint ac poſsideant. Et uniuerſaliter, inquam, quicquid in medicina utile, idem quoque iuſtum eſſe cenſemus. Et profectò ridendus eſſet, qui iniquum eſſe aſſereret, pollicem urere, quum

coxarum

A coxarum doleret uertebrum: ſeu præcordia laniare, quum hepar ſanie marceſceret: uel ſi
quis ob ungularum debilitatem, ſumma boum perungeret cornua. Ita & in uindicandis
ſceleribus, qui aliud quid iuſtũ, quàm improbitatem ſanare exiſtimat, indignaturq; quũ
medicum cernit per uiam longè diuerſam ad curandũ procedere morbum, medicamen-
taq; ob alia per alia inſinuare, ueluti qui uenam incîdunt, ut ab ophthalmia leuentur, ille
profectò ultra ſenſum haud longè proſpicere uidetur, nec conſiderat præceptorẽ, quum
ex pueris aliquem corripit, cæteros admonere: ac imperatorem, quum decimũ quenq; tol
lit, omnes ad officium reducere. Proinde non ſolùm parti ob partem aliam, ſed & animæ
propter animam, longè plus quàm corpori ob corpus, affectus, uexationes, paſsiones, ac
emendationes accidere ſolent. Nam ibi, ut uidetur, paſsionẽ mutationemq; eandem in-
naſci neceſſe eſt: hîc uerò anima phantaſijs acta, ob timorem ſeu confidentiam, peior aut
melior efficiatur neceſſe eſt. Adhuc me loquẽte, ſuſcipiens Olympiacus: Videris, inquit,
ſermone iſto magnam ſuppoſuiſſe materiam, animæ uidelicet immortalitatem. Quando
quidem uos, reſpondi, occaſionem præſtitiſtis, ſeu potius impuliſtis. Quemadmodũ uerò
Deus optimus maximusq;, ex dignatione ac bonitate ſua nobis conceſsit, ita ab exordio
hucuſq; ſermo noſter proceſsit. Et ille: Quandoquidẽ, inquit, Deum omnia inſpicere, ſin
gulaq; inter nos diſtribuere cenſes, inde quoq; ſequi arbitraris, animæ eſſentiam penitus
incorruptibilem eſſe, an temporariam, ac poſt obitum aliquantiſper ſupermanentẽ? Non
uir, inquam, optime, adeò puſillus, ac leuicularum rerum curioſus eſt Deus, ut ſi nil diui- *Animæ immortalitas.*
ni nobis ineſſet, ſeu ad illius ſimilitudinem firmi quid ac durabilis inditum foret, ſed folio
rum, ut Homerus ait, inſtar marceſceremus, breuiq; omnino corrumperemur, tantam no
ſtri curam gereret & rationem haberet, ac muliercularum more, quæ Adonidis hortos in
teſtis quibuſdam uernantes plantant & ablaqueant, quotidianas animas in carnem tene
ram, mollemq;, ubi uitæ radicem haud altius agere poſſent ad germinandum, inde qua-
uis fortuita ſemper occaſione extinguẽdas infunderet. Et ſi placet, alios omittamus deos,
ſolumq; hunc noſtrum conſideremus, qui ut primùm animas mortuorum à corporibus
tanquam fumum aut nebulam exhalaſſe nouit, placationes uarias defunctis inſtaurare,
honoresq; ingentes, ac uenerationes ſolennes tribuere iubet, ſcilicet ut credẽtes circum-
B ueniat ac decipiat? Ego equidem animæ immortalitatem aſſerere haud deſinam, ni quiſ-
piam, ueluti Hercules Pythiæ auferens tripodem, funditus oraculum diripiat ac euertat.
Quandoquidem plurima talia apud nos circunferuntur reſponſa, qualia Coraci quoque
Naxio ædita ferunt:

Non homini ſanctum eſt animæ cognoſcere mortem.

Et Patrocles: Quiſnam, inquit, ille fuit Corax? qualeq; uaticiniũ? res enim incognita mi-
hi uidetur. Minimè, aiebam, ſed nominis id uariatione contigit. Nam qui olim Archilo-
chum in acie trucidauit, Callonides appellabatur, erat uerò ei cognomen Corax. Eiectus
itaq; à Pythia primò, ſacris quoque repulſus eſt, quoniam Muſis ſacrum peremiſſet ui-
rum. Inde quum placationibus quibuſdam, inferijs ac precibus manes placaſſet, ob Ar-
chilochi expiandam animam, ad Tettigi iuſſus eſt pergere habitaculum, quo Tænarus
ſignificabatur. Huc enim Tettigum Cretenſem cum claſſe applicuiſſe, ciuitatemq; condi
diſſe ferunt, ac iuxta animarum habitaſſe expiationem. Pariter quoque Spartani Pauſa-
niæ placare manes oraculo iuſsi ſunt: qui quum ex Italia ſacrificulos, animarumq; accer-
ſiſſent conciliatores, ſacrificijs nonnullis ex ſacello idolum extraxerunt. Vna igitur, in-
quam, eſt ratio, quæ diuinam pariter prouidentiam, humanæq; animæ immortalitatem
oſtendit ac confirmat, nec alterum repudiare, alterum uerò amplecti datur. Quum enim
poſt obitum anima ſuperſit, admodum decet, imò neceſſe eſt, illam aut præmijs, aut affici
ſupplicijs. In uita etenim quemadmodum athleta decertat: quum uerò certamen perege-
rit, tum debitum ex merito cõſequitur. Cæterùm quo pacto anima, quum illic exiſtit, ob
anteactam uitam remuneretur ſiue plectatur, nil certi, ſiue quod affirmare audeamus ui-
uentes habemus: id enim penitus nos celatum eſt, ac latet. Vindictam uerò quæ ob ma-
iorum facinora in filios, ac uniuerſum debacchatur genus, manifeſtè aliquãdo cernimus:
quandoquidem multos à ſceleribus auertit, ac ne ſimilia audeant, deterret ac admonet.
Quũ uerò nulla alia magis acerba, nec quæ anxiore afficiat triſtitia ſit pœna, quàm quum
quis cernit ſuos ob ſua ipſius male acta pati incõmoda, & affligi, admodum ueritati con-
ſonum ac credibile eſſe uidetur, animam impij ac flagitioſi uiri, quum poſt obitum conſpi
cit non ſtatuas aut honores quoſdã ſubuerti, ſed liberos, amicos, genere propinquos, ac
domeſticos maximis ſubijci tormentis, & ob ſuam ſceleſtam uitam pœnas luere grauiſsi-

C mas,etiam ob Iouis honores,ſi concederetur,iterũ iniuſtè agere ſeu peccare nolle. Haberem quoqꝫ ſermonẽ nuper auditũ uobis referre, ſed ne fabulas enarrare uidear, illũ ſilentio præteribo,ac ſolũ quæ manifeſtam præ ſe ferunt ueritatẽ,expediam. Minimè, Olympiacus ait,ſed nobis eum recenſeas. Cumq́ꝫ alij quoqꝫ idem peterent: Permittite,inquam, ad finem uſqꝫ, quæ dicere conor,perducere:inde, ſi uidebitur, fabulam quoqꝫ referã: uerè etenim fabula eſt. Bion,inquã,Deum quum in ſceleratorũ animaduertit filios,longè magis ridiculum eſſe aſſerit, quàm medicũ qui ob aui & patris morbum, nepoti ſeu filio medicamentũ porrigit. Cæterùm alicubi res ineptè & abſurdè ſe habent, alicubi uerò conuenientes ac ſimiles exiſtunt. Alius enim,niſi alter curatur,ab infirmitate haud liberaẽ. Nec qui oculorum dolore uexatur, ſeu febricitat, ideo melius habet, quoniam alteri emplaſtrum ſeu collyrium adhiberi conſpicit. At ſceleſtorum ſupplicia ideo manifeſtè cunctis oſtenduntur,quoniam uindictæ cum ratione inflictæ officium eſt, alios per aliorum animaduerſiones compeſcere ac cohibere. Proinde Bionis aſsimilatio ſi rectè diſcutiatur,cernere erit,ueritatem illum latuiſſe. Porrò ſi uir quiſpiam in morbum incidit grauem,non tamen penitus incurabilem ſeu exitialem,nec ſuccedenti tempore ægroti incontinentia ac mollitia languor creſcit,totumq́ꝫ corpus grauat & occupat: filium uerò ipſius nondum ęgrotantem,ſed ob paternam naturam eidem morbo obnoxium,ſi medicus familiaris,aut aliptes aliquis admoneat,eiqꝫ oſtendat,ſi bonus ille pater auſterã amplexus eſſet diętam, opſonia bellariaq́ꝫ intermiſiſſet,potationibus ac mulieribus abſtinuiſſet,medicamentiſq́ꝫ uſus fuiſſet,aſsiduoqꝫ exercitio corpus defatigaſſet,ingentes diſsipare ac repellere paſsiones ualuiſſet,ſcilicet quum parua illa ſemina ad tantam haud creſcere potuiſſent magnitudinem. Nónne qui filium ſic hortatur ac inſtruit,ut ſui curam gerat, diligẽter ſe obſeruet, & quum ualetudinarijs ſit ortus parentibus,principijs obſtet, ac dum morbus curari poteſt,illum anticipet,eum quoqꝫ hoc pacto ab infirmitate eripere ac liberare uidetur? Et ſanè,aiebant. Non igitur,inquam,rem abſurdam ſeu ridiculam,ſed admodum neceſſariam ac utilem peragimus,ſi regio morbo,melancholia,ac podagra laborãtium filijs nondum infirmis,ſed ne aliquando pari ægritudine corripiantur,exercitium, diætam, ac pharmaca adhibeamus. Nam corpus ex corrupto prognatũ corpore,nulla pœna,ſed cura potius
D ac cuſtodia dignum eſſe cenſetur. Quæ ſi quis ob timiditatem animiq́ꝫ mollitiẽ (quandoquidem uoluptatibus priuant,laboremq́ꝫ ac moleſtiam inferre uidentur) ſupplicium appellare uelit,penitus repellendus eſt. Proinde quum corpus ex ualetudinario ortum corpore,cuſtodiri ac obſeruari dignum ſit,nunquid malitiæ innatam ſimilitudinem, in adoleſcentum germinantem ac pullulantem moribus, eouſqꝫ ſufferre ac ſuſtinere decet, quoad prorumpens paſsionibus manifeſta reddatur,maleſapidumq́ꝫ,ut Pindarus ait,ex præcordijs fructũ euomat? An Deus nil Heſiodo ſapiẽtior eſſe uideẽ? qui iubet ac admonet,

Non ſerito triſti rediens de funere mœſtus
Progeniem,lauta ſed cœna Perſe deorum.

Et tanquam genitura non modò prauitatem ac uirtutem,ſed & triſtitiam ac gaudiũ,hiſqꝫ ſimilia referat ac ſuſcipiat,hilares,lætos,ac gaudio perfuſos,ad filiorum mittit procreationem. Verumenimuero perturbationum ac affectuum diſcernere ac præſcire ſimilitudines,priuſquàm apertè paſsionibus in nefanda erumpant ſcelera, ac manifeſtè cernantur, non humanę uirtutis,ſed diuinæ potius ſapientię opus eſſe dignoſcitur. Etenim urſorum, luporum,ac ſimiarum catuli,confeſtim,adhucq́ꝫ impuberes, à nemine præterquàm à natura inſtincti ſeu edocti,generis referunt ac repræſentant mores. At humana natura,moribus,doctrina, & legibus conſtricta,ſæpius ſcelera occultat, ac probitatem honeſtatemq́ꝫ præ ſe ferre uidetur,ita ut penitus innatam prauitatis maculam deleuiſſe, ſceleraq́ꝫ fugaſſe credatur. Multo enim ſæpe latet tempore, ac tanquam uelamine obducta,uniuerſa flagitia clanculum celaſſe deprehenditur,ita ut uix tormentis ac uerberibus improbitatis facinora quæqꝫ extorqueri,& manifeſta reddi ualeant. Nos uerò tum maximè homines iniuſtos fieri exiſtimamus,quum iniuria afficere inchoant,intemperantes quum uiolant,timidos quum fugiunt. Veluti ſi quis tum ſcorpioni aculeum inſeri quum pungit, aut echidnis uenenum infundi quum mordent,fatuè ac ſtultè credat ac arbitretur. Non enim ſceleratus quiſque pariter fit, ac manifeſtus redditur, ſed ab initio inſitam retinet prauitatem,tempore uerò dataq́ꝫ opportunitate ac facultate, fur ſurripit, tyrannuſq́ꝫ leges tranſgreditur. At Deus uniuſcuiuſqꝫ affectum ac naturam haud ignorat,utpote qui magis animæ quàm corporis ſcrutator exiſtit. Quapropter non eouſqꝫ pœnam differt, quoad uiolentia manibus,impudentia uoce,intemperantia pudendis perficiatur. Quamuis non,ue

lut

A lut ipſe male afficiatur, iniuſtum corripit, neq; raptori tanquã uiolatus iraſcitur, nec mœchum quaſi ipſe contumeliam paſſus ſit, odio proſequitur, ſed medicinæ gratia mœchũ, auarum, & flagitioſum quandoq; corripit, ut malitiam tanquam morbum comitialem, priuſquàm cuncta occuper, tollat, ac penitus auferat. Cæterũ paulò antè indignabamur, quoniam tardè Deus in ſceleſtos animaduerteret, nunc uerò quoniam nonnullorum habitum & affectum, antequàm iniuriam perficiant, occupat ac præuenit, accuſamus, ignorantes ſæpius præterito futurum, occultumq; manifeſto longè deterius ac terribilius eſſe. Vnde neque cauſas, ob quas aliquando improbos tolerare, nonnunquã uerò adhuc deliberantes præuenire ſatius exiſtit, intellectu noſtro comprehendere ualemus. Quemadmodum nec cur ualetudinarijs nonnullis aliquando medicamenta haud congruant, quibuſdam uerò nondum ægrotantibus, ſed longè periculoſius illis habentibus proſint, ac rectè conueniant, intelligere poſſumus. Cæterùm non omnia parentum delicta in poſteros Deus conuertit, ſed quum ex prauo gignitur bonus, quemadmodum ex ualetudinario ſanus, generis omnino pœna illi, tanquam à malitia immunis ſit factus, remittitur. Qui uerò ex ſcelerata natus eſt ſtirpe, morboq; in ſimilitudinem improbi labitur ac refertur generis, hunc decet quemadmodum in hæreditatis ære alieno, ita & in prauitatis ſuccedere ſupplicio. Non enim Antigonus ob Demetrium, aut ex malis Phyleus propter Augeam, neque Neſtor propter Neleum pœnas dederunt. Quamuis enim ex flagitioſis orti eſſent parentibus, optimi tamen euaſere uiri. Sed quorum natura generis cognationem imitari ac referre ſolet, illos quoque uindicta ſcelerum æmulata, ſimilitudinem exagitare conſueuit. Quemadmodum enim progenitorũ acrochordones ac lenticulæ quandoque in filijs haud apparent, attamen in nepotum corporibus inde erumpunt (nam & mulier quædam Græca, quum nigrum enixa eſſet infantem, ob idq; adulterij damnata, progenies Aethiopis quarta inuenta eſt. In corporibus quoque liberorum Pythonis Niſibenſis, qui nuper uita functus eſt, haſtæ figura ſignum Spartanis conueniens, poſt tanti reuolutionem temporis tanquam ex altiſsima generis emicuit ſimilitudine) ita plerunque mores animæq; paſsiones, quas priores celabant & occultabant generationes, natura longo pòſt tempore producit, ac per alios oſtentat & repræſentat, domeſticasq; ſeu
B uirtutes, ſeu improbitates, palàm cunctis in lucem profert, ac manifeſtè ſpectandas præbet. Hæc quum dixiſſem, obticui. Subridens uerò Olympiacus: Haud, inquit, te tanquam egregiè abſoluto ſermone à nobis laudari arbitreris, ne fabulam promiſſam manibus emittere uideamur: ſed tum demum ſententiam feremus, quum illam quoque audiuerimus. Sic itaque rurſus exorſus ſum: Soleus uir diuinus, Protogenis illius, qui aliquando nobiſcum uerſatus eſt, familiaris & amicus, quum primo tempore in magna uixiſſet prodigalitate, breui uniuerſam dilapidauit ſubſtantiam. Inde penuria ac neceſsitate cogente, omnium perditiſsimus effectus eſt hominum. Pœnitentia enim ductus, diuitias abſque diſcrimine inſequi cœpit. Contigitq; ei quemadmodum laſciuis illis hominibus, qui quum proprias haud obſeruent ac curent uxores, alienas tamen per iniuriam inſectari ac corrumpere nituntur. Quumq; à nullo abſtineret flagitio, dum ſibi ſpes lucri arrideret ſeu oſtenderetur, ſubſtantiam haud magnam, ſceleris uerò exiſtimationem ingentem, breui collegit. Præcipuè autem eum decepit uaticinium ex Amphilochi redditum oraculo: illuc enim Deum ſciſcitaturus miſerat, num melius reliquam uicturus eſſet uitam. Cui ille reſpondit, tum melius eum acturum, quum è uita migraret: quod & breui illi contigit. Quum enim ab alto ſuper collum decidiſſet nullo accepto uulnere, caſu tantùm extinctus eſt. Quumq; iam triduanus ad ſepulturam efferretur, ſubitò commotus ad ſeſe reuerſus eſt, admirandamq; deinceps uitæ mutationem inſtituit. Neq; enim iuſtiorem alium in humanis commercijs, ſeu diuinis ſanctiorem operibus, tunc temporis Cilices eſſe referebant, haudq; inimicis triſtiorem, quàm amicis iucundiorem, ita ut non paruo noti caperentur deſiderio, admodumq; cuperẽt tam repentinæ mutationis audire cauſas. Non enim fortuitò, quod & uerum erat, eueniſſe arbitrabantur, ut tam ſceleſtam anteactam uitam, tot tantisq; exornaſſet uirtutibus. Ille igitur Protogenis æqualibus & amicis ita enarrare ſolebat: Quum primùm corporis ſenſu excidiſſet, ſibi ueluti nautæ, qui euerſa naui profundo abſorptus eſt, ob mutationem accidiſſe. Inde quum aliquantiſper animum recepiſſet, ſeſeq; confirmaſſet, reſpirare uiſus eſt, animaq; corporis onere leuata, latè circunſpectare cœpit. Cæterùm priorum cernebat nihil. Aſtra uerò admodum ingentia, & multitudine inuicem diſtantia, ſplendoremq; immenſum atque calo-

C rem oſtendere mirandum uidebat, tonoq́; reſonare incredibili audiebat, ita ut animæ
in lucis tranquillitate perquàm facilè eſſet quoquouerſum uehi ac uelociter ferri. Cúm-
que multa & uaria præteriſſet ſpectacula, defunctorum animas aëre diſcuſſo, tanquam
bullas ardenres ſurſum leuari aiebat. Quibus intrepidè ac omni depoſita mole diruptis,
humana emergere forma. Non tamen æqualiter omnes moueri, ſed partim miranda
exilire leuitare, ad ſupernamq́; uehi quierem ac tranquillitatem. Alias uerò tanquam
penſi fuſos in gyrum rotari, nunc ſurſum, nunc uerò repere deorſum, ac turbato quo-
dam motu inuicem miſceri, cohærereq́; diutius, ac uix tandem diuelli. Cæteras itaque
quum diligentius conſideraſſet animas, agnoſcere haud ualuit. Duas tamen aut tres
olim ſibi notas quum conſpexiſſet, illis congredi alloquiq́; conatus eſt. At illæ auditu
priuatæ, extraq́; ſeſe poſitæ, penitus ſenſu carebant, ac uelut amentes & inſenſatæ, om-
nem contactum uiſumq́; refugiebant. Primoq́; inter ſe errabundæ uolitabant, inde in-
numeræ pariter occurrentes, inuicemq́; ſe complectentes cohærentesq́;, ac impetu tan-
quam connexæ ſine ullo diſcrimine in altum ferebantur, uocesq́; ignotas ac inarticula-
tas, luctu ac timore intermixtas emittebant. Aliæ uerò in ſublimi conſtitutæ, alacres
ac claræ, inuicemq́; cum beneuolentia aſsiduè uerſari conſpiciebantur, ac ut cernere erat
tumultuanres illas repellebant, appropinquantesq́; admodũ acerbè ipſæ gaudentes in-
crepabant. Ibi quendam, non tamẽ liquidò, ſe cognouiſſe aſſerebat: adhuc enim puero ſe
exiſtente, ille uita functus erat. Ea itaq; anima quum propius acceſsiſſet, Salue, dixit, The
ſpeſie. Quumq́; admiratione ductus reſpondiſſet, ſe non Theſpeſium, ſed Arideum eſſe:
antea, ait, dehinc uerò Theſpeſius, hoc eſt, diuinus eris. Haud enĩ occidiſti, ſed fato quo-
dam prouido deorum huc delatus perueniſti, aliam uerò animam tanquã ancorã in cor-
pore dereliquiſti. Nuncq́; huius rei certiſsimum tibi ſit indicium, mortuorũ animas haud
umbram facere, nec oculos contrahere ac aperire. Hoc quum Theſpeſius audiuiſſet, ma-
gis cogitare ſeq́; colligere cœpit: circunſpiciensq́; conſiderauit tenuem ſibi ac umbroſam
cohærere nubeculã, illas uerò undiq; tranſparentes ac lucentes, non tamen æqualiter om
nes. Quaſdam enim colore planè ſplendenti, ac limpido, puriſsimoq́; plenilunio ſimiles
eſſe animaduertit: nonnullas uerò tanquã ſquamis minutisq́; cicatricibus ſtigmoſas: alias
D autem facie inconcinnas ac admodũ deformes, nigrisq́; affectas notis, quaſdã uerò alias
quaſi obtuſas, hebetes, penitusq́; ſenſu priuatas conſpexit. Singula uerò ille Theſpeſij e-
narrabat comes (nil enim prohibet animas hominum appellare nominibus) quemadmo
dum Adraſtia Neceſsitatis ac Iouis filia, ſcelerum uindex acerrima, ſummo conſtituta eſ-
ſet loco, quam nemo flagitioſus, neque magnus neq; paruus, ui aut clàm effugere poſſet.
Quumq́; tres eſſent cuſtodiæ ac expiationes, alios alijs affici tormentis aſſerebat. Quoſdã
enim confeſtim, ac dum in corpore eſſent, pœnas dare, quiq́; corpore culpam luerent, eo-
rum breuiſsimũ eſſe ſupplicium, manſueto quodam modo multa purgatione digna remit
tenre. At quorum maiora eſſent delicta, ſceleraq́; uehementiorẽ expeterent medicinã, il-
los dæmonem poſt obitum tradere uindictæ aiebat. At qui penitus immedicabiles eſſent
ac undiq; ſceleribus obruti, hos tertiam atq; immitiſsimã Adraſtiæ miniſtrã Erinnyn, ad
pœnam rapere, & inter errantes, & hac illacq́; fugienres tranſcurrere, omnesq́; tandem de
prehenſos, ſæuè ac miſerabiliter in æternas, inauditas, nec uiſas demergere ac præcipita-
re cõmemorabat tenebras. Emendariones uerò quibus adhuc in corpore conſtituti affli-
gi ſolerent, barbarorũ pœnis perſimiles eſſe aiebat. Quemadmodũ enim apud Perſas qui
plectuntur, ueſtibus tiarisq́; expoliantur, ac flagellantur, lachrymantesq́; à tormentis ſol-
ui precantur: ita ſupplicia quæ in pecuniarũ ac fortunarum amiſsione, corporumq́; uerſa-
rentur cruciatu, non nimis aſperam habere afflictionem, nec quæ ex meritis ſcelera elue-
Qui ex hoc ſeculo impuniti euadunt, quomodo puniantur.
ret, ſed ut plurimũ ab opinione ſenſuq́; dependere referebar. Cæterùm qui ibi, inquit, im-
puniti euadunt, hucq́; immundi perueniunt, hos uindicta corripit, ac cunctis exutos tegu
mentis, animę cõmiſſa palàm oſtendit. Illa uerò nil retinet aut habet, quo facinora, ſcelera
ac flagitia tegere, abſcondere, ſeu palliare queat, ſed omnibus ſe paſsim ſpectandam præ-
bere cogitur. Primùm igitur bonis (ſi ſalrem ſunr) parentibus tanquã degener, ac talibus
indigna maioribus oſtentatur. Si uerò praui ei fuerint progenitores, illis quoq; ut maiori
afficiantur cruciatu, in conſpectũ perducitur, inde tormenris ſubijcitur, ubi tandiu pœnis
excutitur, quoad ærumnis, doloribus ac laboribus omne ſcelus eluitur. Hæc uerò ſuppli-
cia, magnitudine ac acerbitate tantũ carnales exuperare animaduerſiones aſſerebat, quã-
tum ab inſomnijs uera diſtare uiderentur. Proinde cicatrices ac notas ob has paſsiones a-

lijs

A lijs plus, alijs uerò minus permanere aiebat. Animarum enim, inquit, uarios illos omnige
nosq; conſidera colores. Ater enim ac ſordidus, illiberalitatis ac auaritiæ indiciũ eſt. San-
guineus uerò ac igni ſuccenſus, crudelitatis & atrocitatis. At glaucus color, intemperan-
tiam uoluptatibus intermixtam deſignat. Qui uerò execrando inuidiæ detinentur mor-
bo, hi uenenum ſanie mixtum, ueluti ſepiæ atramentum, ore euomunt. Siquidem anima
prauitate & paſsionibus immutata, corpus quoq; uarijs diſtinguit coloribus. Vnus ue-
rò tormentorum ac purgationis finis exiſtit uniuerſalis, quum cõcreta exempta eſt labes, *Finis purgatio-*
animaq; ſplendida, & ab omnibus maculis & labe redditur pura. Id niſi fiat, paſsionũ ſub- *nis, quum exem*
inde reuertuntur uiciſsitudines, notæq; iterum excreſcunt. Quædam tamen breuiter ac fa *pta eſt labes.*
cilè extinguuntur, nonnullæ uerò longius protelantur. Illæ igitur rurſus atq; iterum tor-
mentis ſubijciuntur, quoad tandem decentem ſortiantur habitum & affectum. Nonnul-
las uerò uiolenta ignorãtiæ ac uoluptatum ſpecies, in brutorum corpora impellit. Quum
enim rationis defectus, ac ſpeculationis ſegnities actuale ad generationem producit, ad-
modum inſtrumenti deſiderio tenetur, quo cum concupiſcentijs perfrui ualeat, corpuſq;
animi neglecta uirtute, luxu repleri queat. In pecora itaq; meritò anima ea detruditur, u-
bi omnibus priuata delitijs, neq; quietis neq; ſomni copiam conſequi ualeat. Hæc quum
dixiſſet, per ingens ſpacium eum uelociter duxit. Ferebantur autem lucis ſplendore tan-
quam alis perquàm facilè ac leuiter. Tandemq; ad hiatũ quendam applicauerunt immen
ſum. Quò quum perueniſſent, à priore ſpiritus ui deſtituti ſunt. Quod & alijs animabus
accidere uidebat, quæ collectæ, illucq; delatæ, tanquam aues per gyrum illum circumuo-
labant hiatum, propius tamẽ accedere non audebant. Aſpectus uerò Bacchicis antris ad-
modum ſimilis erat, locuſq; ſyluis, uirore, herbis, uarijſq; floribus ornatus apparebat. Au
ra uerò ex illo ſpirabat mollis ac lenis, odore mirando ſuauiq; temperata, quæ ingenti uo
luptate (ueluti uinum bibentes ſolet) animas afficiebat. Illæ uerò odoris captæ dulcedine
ueſcebantur, diffundebantur, ac placidè & feſtiuè inter ſe conuerſabantur. Locum uerò
amœnum per gyrum amplexabantur Bacchanalia, & riſus, quem intermixtæ Muſæ dul-
citer canentes ac ludentes iucunditate ac lepôre implebant. Dionyſiũ uerò illac ad deos
regreſſum eſſe ac Semelem reduxiſſe, locumq; Lethen uocari aiebat. Theſpeſiũ uerò ad-
B modum immorari deſiderantem ac conantem, haud permiſit, ſed ui eum diuellens abſtra
xit, enarrans pariter ac oſtendens intellectum dulcedine uoluptatum liquefieri ac irriga-
ri, irrationale uerò ac corporeum humectatum ac incarnatum corporis recordatione ca-
pi, qua inde ad genituræ deſiderium, & apperentiam traheretur. Idq; ille animæ humore
degrauatæ inflantem appellabat aſſenſum. Aliam itaq; uiam ingreſsi admodũ ingentem
conſpexere craterẽ, in quem uaria exonerabant flumina, aliud Aphrico mari, niueq; can
didius, aliud puniceum, iridiſq; inſtar uariatũ. Alia quoq; alijs coloribus infecta, propriũ
prę ſe ferebant ſplendorem. Quumq; propius acceſsiſſent, admirandi illi, ac floridi magis
ac magis præter candorem diſparuere colores. Tres uerò dæmones, triangulari ſimul aſsi
dentes figura, inuicemq; flumina menſuris quibuſdam commiſcentes ac temperantes cer
nebat. Hucuſq; Theſpeſij ductor Orpheum, quum uxoris reduxiſſet animam, perueniſſe
aiebat. Quumq; haud rectè meminiſſet, inter homines ſermonem diſſeminaſſe, Delphi-
cum oraculum, Apollinis ac noctis eſſe commune. Cæterùm nullum Apollinis ac noctis
eſſe conſortium. Sed hoc, inquit, noctis ac lunę commune eſt uaticinium, nullam firmam
obtinens ſedem, ſed ubiq; inter homines inſomnijs ac idolis uagum & errãs. Ex eo enim,
ut cernis, commixta prodeunt ſomnia, quæ uerum falſo, ſimplexq; uario cõmiſcentes, di-
ſpergunt. Apollinis uerò oraculum haud, ait, cernis, ne cuidere, aut altius aſcendere licet,
quamuis non animæ moles te deprimat, ſed terrenum ac corpori annexum uetat. Cona-
tus eſt tamen eum propius adducere, ac oſtentare lumẽ ex Tripode, ut referebat, per The
midis ſinus in Parnaſum tranſparens. Quod quum diligentius intueri uellet, ob ſplendo-
rem cernere haud potuit. Cæterùm quum acceſsiſſet, uocem audiuit ſonoram mulieris,
carmine nonnulla prædicentis, ac ut ſibi uidebatur, tempus interitus ipſius præſagientis.
Dæmon uerò Sibyllæ uocem illam eſſe narrabat, quam in lunæ globo circumrotatã, futu
ra canere aiebat. Quumq; plura audire cuperet, uehementi lunæ impetu, ac uertigine pro
hibitus eſt. Nonnulla tamẽ breuia intellexit, ueluti de Lesbio monte, ac Dicæarchiæ de-
flagratione, necnon & comma de tum imperante principe,

Quòd bonus exiſtat, ſed morte tyrannida linquet.

Deinde ad pœnarum uertebantur ſpectaculũ. Et primò quidem Theſpeſius ſolùm aſpe- *Malorũ pœnæ.*

C ctu miſerando, ac ærumnoſo afficiebatur: inde uerò inopinatus in amicos, domeſticos, &
contubernales uarijs ſubiectos incidir tormentis, qui cruciatus grauiſsimos, pœnasq; di-
ras ac horrendas ſuſtinentes, cum fletu appropinquabant. Tandem etiam proprium pa-
trem ex barathro quodam, ſtigmatis ac notis plenum emergentem, manusq; tendentem
conſpexit. Quem ſuppliciorum præfecti ſilere haud permittebant, ſed fateri ſubigebant,
quemadmodũ in hoſpites quoſdam extitiſſet ſceleratus, quos ob auri famem ueneno ſu-
ſtuliſſet: cumq; cunctos latuiſſet mortales, hîc ſe cõuictum pœnas partim exoluiſſe, non-
nullas autem adhuc exantlandas ſupereſſe referebat. Porrò Theſpeſius, metu ac horrore
ſtupefactus, pro patre ſupplicare auſus non eſt. Conuerſus itaq; ac fugere intendens, non
amplius manſuetum ac familiarem uidebat ductorem, ſed à quibuſdam alijs facie horren
da ſe impelli, ultraq; progredi coactum cernebat. Longius itaq; pergens, eos qui manife-
ſtè peccauerant, palamq; flagitia perpetrarant, ſeu ob commiſſa ſupplicio affecti fuerant,
non tam acerbè plecti, ſeu adeò affectu irrationali, ac tormentis affici intolerandis inſpi-
ciebat. Qui uerò clàm iniuſtè uixerant, prætextuq; ac uirtutis opinione delituerant, hos
ultra cruciamenta & anxietates, quidam inſiſtentes, interiora ac animæ ſecretiora propa-
lare, ac oſtendere, præterq; naturam inflexos ac euruatos, ueluti Scolopendras marinas,
quæ hamum deuorauerunt, ſeipſos inuertere cogebant. Quoſdam uerò protelantes ac
tergiuerſanres, ui deregebanr, innumeraq; ac latentia uitia in penitiſsimo ac remotiſsimo
animæ receſſu celare oſtendebant. Alias quoq; animas uidiſſe narrabat, quæ ſeſe ample-
xantes, pariterq; binæ, ternæ, ac plures cohærentes, uelut echidnę, ob inimicitiarum ac in
iuriarũ reminiſcentiam, animiq; prauitatem, ac eorum quæ in uita male egerant, ſeu per-
peſſæ fuerant, inuicem ſe deuorabant. Lacus quoq; tres æquales, unum auro feruentem
ebullientemq;, alium ex plumbo frigidiſsimum, tertium uerò ex ferro aſperrimum eſſe re
ferebat, iuxtaq; dæmones nõnullos, tanquam fabros inſtrumentis adſtare ferreis. Quibus
cum animas corripientes, partimq; deuorantes, eas quæ lucro inſatiabiles fuerant, ob aua
ritiamq; ſceleſtè egerant, primò in aureum præcipitare lacum aiebat: ubi igni ſuccenſas,
ac flammis relucentes, in plumbeum immergere: ibiq; extinctas, & uelut grandinem in-
duratas, rurſus in ferream transferre paludem: ubi quum admodum nigræ ac horribiles
D redditæ eſſent, ob aſperitatemq; exiccatæ ac confractæ, penitus formam immutaſſent,
denuò in aureum proijcere lacũ aſſerebat. Eas uerò animas grauiſsimos ac horrendos ob
immutationem illam ſuſtinere dolores & cruciatus enarrabat. Omnium autem miſerri-
mam uindictam, ac afflictionem earum eſſe aiebat, quæ quum pœnas iam exoluiſſe ui-
derentur, rurſus ac iterum comprehenſæ, tormentis ſubijcerentur. Illæ uerò erant, ob
quarum ſcelera in filios ſeu nepotes pœna redundarat. Quotieſcunque enim aliqua il-
larum in tortores incidebat, ſeu caſu aliquo obuiam ferebatur, cum ira, uociferatione,
ac clamore eam aggrediebantur: illæ uerò blaſphemantes, & improperantes, paſsio-
num ſigna oſtendere uidebantur: quumq; aufugere ac ſe abſcondere conarentur, haud
ualebant. Aderant enim confeſtim uindictæ exactores, & caſtigatores, qui eas depre-
henſas, eiulantes, ac ſeipſas deplorantes execrantesq;, ueluti pœnæ, crudelitatis ac im-
manitatis haud ignaras, iterum ad tormenta rapiebant ac trahebant. Pręterea complures
aliquando filios ac nepotes unà pendêre referebat, ac tanquam apes, ſeu ueſpertiliones
connexos ob iram, ac pœnarũ memoriam, quas propter progenitores perpeſſæ fuerant,
ſtupefactos, ac omni ſpe deſtitutos agere. Poſtremò animas ad ſecundam cogi genera-
tionem uidit, ac inſtrumentis quibuſdã appoſititijs ac plagis, ab eius rei opificibus, ui in
omnifaria uerti ac transformari animalia. Nonnullæ uniuerſa parte impellebantur, aliæ
uerò reuertebantur. Aliquæ autem omnino extinguebantur, ac euaneſcebant, ut alia ui-
ta, alijsq; damnarentur mortibus. Inrer quas & Neronis animam ſe uidiſſe aiebat, mul-
tis degrauatam incommodis, clauisq; ignitis undique transfixam. Quam eùm opifices in
Pindaricæ echidnæ ſpeciem uertere, ac ui transformare conarentur, ut per uiſcera erum-
pens partu matrem deuoraret ac laniaret, lumen confeſtim ingens eluxiſſe referebat, uo-
cemq; ex ſplendore redditam imperaſſe, ut in aliud bruti genus cicurius, ueluti in reptile,
iuxta lacus ac paludes cõmorans, tranſmutaretur. Eorum enim quæ iniuſtè egerat, par-
rim pœnas dediſſe: boni quoq; ſibi aliquid à deo deberi, quoniam optimum ac deo acce-
priſsimũ Græcorũ genus ex ſeruitute ac oppreſsione liberaſſet. Hucuſq; ſpectaculũ pro-
ceſsiſſe referebat. Cùm uerò reuerti deberet, in maximo ob timorẽ periculo ſe conſtitutũ
fuiſſe aiebat. Mulierem enim quandam ſpecie admiranda, magnitudineq; ingenti ipſum

corripuiſſe,

A corripuiſſe, dixiſſeꝗ: Heus tu, ut rectius ſingula reminiſcaris, huc adſis: uirgamꝗ ignitam tanquam ſculptoriam, qua illi characterem inureret protuliſſe, ſed ab alia quadã prohibitam eſſe. Ipſum uerò tanquam ſyringæ impulſu, flatu admodum uehementi ac uiolento, corpori incidiſſe, & ferè à recordatione ipſa ſuſpexiſſe.

Plutarchi, quòd non oporteat fœnerari, liber.

BILIBALDO PIRCKHEYMERO, PATRITIO AC SENATORE NVRENBERGENSI, INTERPRETE.

PLATO in legibus, aquam alienam uicinis haurire nõ permittit, ni ſuis in fundis ad argillam uſꝗ terram effoderint, regionemꝗ aqua carentem inuenerint. Etenim argilla naturam cùm habeat denſam ac pinguem, humiditatem conceptam ſuſtinet, nec facilè emittit. Eos enim aquam alienam tum demum auferre decet, cùm propriam poſsidere haud ualent. Indigentiæ enim, legem fauere æquum eſt. Proinde oſtenſum eſt, in re pecuniaria quoꝗ legem eſſe, quæ inhibeat homines ſub uſura mutuari, ad alienosꝗ accedere puteos, ni antea domi exactiſsimè ſubſtantiam eorum ſcrutati fuerint, ac tanquam ex prato florido collegerint, quid eis utile, quidue neceſſarium exiſtat. Nunc autem delicijs, ac mollitie, ſeu prodigalitate diffluentes, minus rectè ijs quæ poſsident fruuntur, ſed ab alijs ut plurimum quibus non indigent, mutuò ſumunt. Cuius rei manifeſtum eſt indicium, quòd ob indigentiam non fœnerantur, ſed ita demum cùm rem opulentam aliquam comparare uolunt. Ideoꝗ teſtes adhibent, ac cautionem præſtant, ne quis credat eos neceſsitate coactos, fœnebrem ſumere pecuniam. Et quid numularium, ſeu negociatorem ambis, cùm ex proprio peculio mutuari queas? Po-
B cula habes, paropſides argenteas, pelues? ſubijcias hæc neceſsitati. At menſam amœna Aulis, uel Tenedos figulinis inſtruet uaſculis, argenteis longè mundioribus, neꝗ moleſtum, ac grauem uſuræ odorem olentibus, quæ tanquam rubigo quotidie ſumptuoſitatẽ defœdat. Inſuper haud Neomeniæ Calendarúmue recordaberis, qui dies etſi ſacratiſsimi exiſtant, nefaſti tamen ac execrandi ab uſurarijs redduntur. Nam pignora illis pręſtita nec Iupiter ipſe ſaluare poſſet. Atqui uendere, preciumꝗ ſumere erubeſcunt, de rebus uerò proprijs uſuram perſoluere non uerecundantur. Cæterùm Pericles ille deæ ornatum quadraginta auri puri talentis diſtrahere haud turpe duxit, quoniam, ut aiebat, illo in belli uſum conſumpto, rurſus non deteriorem reddere poſſet. Proinde nos quoꝗ, tanquam in obſidionis neceſsitate, fœneratoris hoſtilis præſidium minimè recipiamus, ne cernere cogamur, cuncta noſtra in ſeruitutem rapi: ſed menſæ, cubilis, ſupellectilis, ac diætæ ſuperflua abſcindamus, nosꝗ liberos ſeruemus, ut cùm pinguior fortuna aſpirauerit, nobis rurſus ea reſtituere ualeamus. Equidem Romanorũ uxores Pythio Apollini muliebrem mundum primitias dono dederunt, unde aureus crater Delphos miſſus eſt. Carthaginenſium quoque mulieres capita raſerunt, ac capillos in machinarum ac inſtrumentorum uſum, pro patria impendere non dubitauerunt: nos uerò opulentiæ uerecundia, pactis ac pignoribus fœneratorib. turpiter ſeruire ſuſtinemus? Idcirco decens utilitate compenſantes, ex inutilium ac ſuperuacuarum rerum abſciſsione ſeu uenditione, libertatis templum nobis ipſis, liberis, ac uxoribus ædificare conemur. Siquidem in Epheſo Diana obæratis, cùm in illius confugerint templum, aſylum ac ſecuritatem à fœneratoribus præſtat: ac frugalitatis aſylũ, & inacceſsibile quidem, ubiꝗ modeſtis patet, regionem latam, ac multi ocij, hilarem & idoneam præbens. Quemadmodũ enim Medico in bello, ligneũ murũ deum Athenienſibus donare Pythia reſpondit, illiꝗ dimiſſa regione ac ciuitate, poſſeſsionesꝗ ac domos negligentes, ad naues ob libertatẽ confugerunt: ita & nobis deus ligneã tribuit mẽſam, peluim figulinã, ueſtitũ frugalẽ, ſi saltẽ in libertate uiuere uelimus. Porrò

Templum Dianæ Epheſinæ obæratis pro aſylo.

Si phaleratus equus deſit tibi fræna remordens,
Et currus uelox, auro decoratus & oſtro,

cæteraꝗ id genus, quæ uelociter fœneratores inuadunt ac diripiunt, at aſino fortuito, aut caballo quopiam inſidens, hoſtilem ac tyrannicum fuge daniſtam, non ignem ac aquam

C inſtar Medi exigentem, ſed libertatem inuadentem, mulctamq́ꝫ inſcribentē, & quum non reddis, conuiciantem, ſin uerò offers, haud accipientem, ubi uerò uendis, uili precio licitantem, quòd ſi non uendis, cogentem, & quum iure contenderis, obuiam euntem, ſi uerò ſubterfugeris, impellentē, & quum ad fores acceſſeris, excludentem, ubi uerò domi manſeris, inſectantem, ac oſtium pulſantem. Sapienter igitur apud Athenienſes Solon prohibuit, ne corpora pro debitis pignori darentur, ne tandem omnes in ſeruitutem redigerentur. Eſſet ſanè grauiſsimum, ſeruire tam iniquis, barbaris, ac agreſtibus ſeruis, quales Plato ait, ignitos ac pœnarum exactores, improborum animas apud inferos torquere. Etenim illi quoqꝫ forum, impiorùm ſedes debitoribus miſeris eſſe demonſtrant, uulturum inſtar eos deuorantes, ac laniantes, imiſq́ꝫ uiſceribus roſtrum condentes, cæteris autē uelut Tantalo inſiſtentes, eos ne ex proprijs quid guſtare, ſeu tangere ualeant, arcent. Proinde quemadmodū Darius Datem & Artaphernem catenis ac uinculis inſtructos, quibus cum captiui alligarentur, Athenas miſit, ita illi uaſa chirographis & obligationibus plena, tanquam laqueos in Græciam inferentes, ciuitates miſeras tranſcurrunt, implicant ac expilant, non ut Triptolemus domeſticū fructum ſeminantes, ſed debitorum radices admodum laborioſas, fœnebres, & ineuitabiles plantantes, quæ in gyrū pullulantes ac germinantes, ciuitates ſuffocēt & euertāt. Porrò lepores ſimul párere, in utero geſtare, & concipere ferunt: at maſtigiarum illorum ac barbarorū uſura, antequā conceperit, parit. Dantes etenim confeſtim repetunt, & ponentes tollunt, ex eoq́ꝫ fœnerant, quod antea pro uerſura extorſerunt. Et ut eſt apud Miſenios in prouerbio,

Eſt Pylus ante Pylum, ſequitur Pylus altera tandē: ita & de fœneratorib. dici poteſt:
Vſuram fugat uſura, uſura altera reſtat.

Quid quòd naturalia quoqꝫ derident, quæ aſſerunt ex nihilo nil gigni poſſe? quandoquidem apud illos ex eo quod non eſt, neqꝫ unquam fuit, uſura generatur. Proinde publicanos agere turpe ducunt, quamuis lege permittente: ipſi uerò præter legem publicanos agentes fœnerantur, ſeu ut uerius dicam, fœnerando debita cōpilant. Qui enim pluſquàm expenſum eſt ſcribit, debitum compilare rectè dici poteſt. Equidem Perſæ ſecundum arbitrantur delictum mentiri, primum uerò debitorem eſſe: quandoquidem qui debent, ut
D plurimum mentiri coguntur. At longè plus fœneratores in ſuis Ephemeridibus nugantur ac imponunt, ſcribentes miſero illi tantum mutuaſſe, quum tamen multò minus acceperit. Siquidem mendacium cauſa lucri, non neceſsitate, neqꝫ ob indigentiā ab illis fieri ſolet, ſed propter inſatiabilitatem: quæ tamen in fine ipſis infructuoſa, ac inutilis exiſtit, pernicioſa uero miſeris & iniuria affectis: minimè etenim agros quos debitoribus abſtulerunt, colunt, neqꝫ domos ex quibus illos eiecere, inhabitant, nec menſas apponunt, nec ueſtibus illorum induuntur, ſed primò debitores perdunt, inde deluſos uenantur. Paſcuntur enim tanquam ignis furens, ac aſsiduè auctus, pernicie ac uaſtitate infeliciter pereuntium, ex alio aliū cōſumentes. Quinimò etſi uorſura ſua ignem aſsiduè nutriant, illumq́ꝫ ſufflando accendant, minimè tamen plus habent, præter id ſolū, quod ſuccedenti tempore cognoſcere poſſunt, quot debitores peſſum dedere, quot bonis ſpoliauere, unde extorſerint, quóue congregatum & cumulatum collocauerint argentū. Et hæc haud exiſtimate me tanquam fœneratorum hoſtem enarrare:

Nanqꝫ meos nec equos mihi, nec rapuere iuuencos:

ſed ut oſtenderem illis, qui adeò parati ſunt fœnebrem ſumere pecuniam, quantum illiberalitatis ac turpitudinis res ea in ſe contineat, quodq́ꝫ uſuræ ſuccumbere, extremæ ſit dementiæ ac mollitiei. Habes? Ne fœnereris, quoniam non indiges. Non habes? Ne fœnereris, quoniam ſatisfacere haud poteris. Ita utraqꝫ per ſe diligenter conſideremus. Fertur Cato ad ſenem quendam improbum dixiſſe: Cur homo ſenectuti tot malis ac incommodis degrauatæ, ſcelerum quoque turpitudinem imponis? Pariter & tu, paupertati cui tot adſunt mala, ærumnas quæ ex uſuris & debitis ortum habere ſolent, ne accumula, néue paupertati ſecuritatem aufer, qua ſolùm à diuitijs differre uidetur. Eſt enim adagium facetum, Capram geſtare non ualeo, bouem tamen ſuperimponere laboro. Paupertatem ferre non potes, & tamen longè grauius tibijpſi onus, fœneratorem ſcilicet imponis, etiam diuitibus intolerabile. Quo pacto igitur effugiam? inquis. Rogas? quum manus habeas, pedes habeas, uocem habeas, homo exiſtas, cui peculiare eſt amare ac amari, gratificari ac gratiam recipere, literas doce, pueros inſtrue, ianitoris officio fungere, nauiga, renauiga: nihil horum adeò turpe, nihil'ue tam moleſtum, quàm audire, Redde. Rutilius ille Romæ aliquando Muſonium quum conueniſſet: Muſoni, inquit, Iupiter

Paupertas ærumnoſa, ſed ſecura.

A ſeruator, quē tu imitaris ac ſequeris, nunquid fœneratur? Et Muſonius ſubridens, nec fœ-
nerat quidem reſpondit. Rutilius etenim quum ipſe fœneraret, illi quòd fœneraretur im-
properabat. Quàm Stoicalis petulans hæc dementia. Cur enim Iouem ſeruatorem è cœ-
lo detrahere neceſſe eſt, ac rebus comparare manifeſtis, quum nec hirundines, nec formi-
cæ fœnerentur, quibus natura neq; manus, nec ſermonē, nec artem tribuit? Solent homi-
nes intellectus abundantia ac ſolertia, equos, canes, perdices, lépores, graculos inſtruere.
Cur igitur teipſum non excitas? indocilior graculis exiſtens, raucior perdice, ingenioſior
cane. Nam ſi à nullo homine iuueris, orando tamen, delectando, ac cuſtodiendo emerge-
re potes. Nónne cernis quemadmodū multa ſubminiſtret terra, multáq; pontus? Proinde
Mycillum aſpice, Crates inquit, lanam cum uxore uerberātem, ac cōmuni pugna famem
fugientem. Rex Antigonus quum aliquando Cleanthem Athenis conſpexiſſet, ita inter
rogare cœpit: Molis adhuc Cleanthes? Cui ille: Molo, inquit, rex, idq; uitæ ſuſtentandæ
gratia facio. Erat ſola uiri cura, ne à philoſophia deſiſtere cogeretur, ideo manibus quas
piſtrino ac molę locauerat, de aſtris, Sole, Luna, ac deis ſcribebat. Nobis uerò ſeruilia hęc
uidenť opera: nunquid igitur ut liberi ſimus fœneramur, uilibuſq; adulamur hominibus,
ſtipamus, cibamus, dona ac tributa perſoluimus? Atqui non ob paupertatem uſura præ-
ſtari ſoler, nemo enim inopi fœnerat, ſed propter ſumptuoſitatem: nam ſi uitæ neceſſarijs
contenti eſſemus, minimè uſurariorum genus peſſimum inueniretur, quemadmodū nec
Centauri, nec Gorgones. At delitiæ fœneratores fecerūt, non ſecus ac aurifices, unguen- *Luxus fœneratorum parens.*
tarios, ac tinctores. Haud enim uini ac panis gratia uſuram debemus, ſed ob fundos, man
cipia, iumenta, triclinia, ac menſas, liberaliterq; expendentes ac dilapidantes, gloriam ſte
rilem ac ingratam quærimus. Etenim qui ſemel in fœneratorū incidunt uoraginem, ſem-
per debitores remanent, alium ex alio, tanquam equus fręnatus aſcenſorem, ſuſcipientes.
Cæterum refugium nullum ad paſcua illa & prata patet, ſed tanquam fatis acti, & cœliua
gi illi Empedoclis dæmones, miſeri errant:

Impellit æther nanq; eos in pontum atrum,
Pontus ſubhinc in continentemq; proijcit,
Tellus eos rurſus agit ſolem in rapidum,
B Hic ætheris dehinc implicat uertigini.

Alium uerò ex alio ſuſcipit fœnerator uel inſtitor Corinthius, inde Patrenſis, poſtea Athe
nienſis, quoad tandem ab omnibus exenteratus, penitus in uſuras diſſoluatur & relige-
tur. Quemadmodum enim eum qui in lutum ceciderit, uel aſſurgere, uel ita permanere o-
portet, ne ſi madido ac humido corpore ſe circumagat ſeu uoluter, maiori inquinatione
defœdetur: ita in tranſcriptionibus & mutui permutationibus, qui uſuræ ſe immergunt
ac irretiunt, ſemper grauiores fiunt, niſiq; à cholericis diſtant, qui contempta cura, ac medi
ci neglecto præcepto, tantum aſsiduè humoris colligunt, ut ab infirmitate tandem libera
ri ualeant minimè. Pariter & illi purgari haud ſuſtinent, ſed ſemper ac omni anni tempo-
re cum dolore ac torſione uſuram offerentes, confeſtim uſura altera affluente ac inſtante,
iterum nauſeant & grauantur. Quo pacto enim decenti remoto, liberi ſynceri'ue euade-
re poſſunt? Nunc uerò ad opulentiores & molliores ſermonem conuertam, dicentes: At
ſeruis, lare, ac domo carebimus. Veluti ſi ęger tumefactus ad medicum diceret: Si aquam
bibero, extenuabor ac macreſcam. Sed cur id facere recuſas, dummodo ſanitatem adipi-
ſcaris? Et tu quoq; ſeruis careas, ut nō ſeruus fias: ſisq; poſſeſsionis expers, ne alterius poſ-
ſeſsio efficiaris. Vultutum præterea ſermonē audi. Nam altero uomente, & dicente ſe ui-
ſcera eijcere: alter reſpondit, nunquid id graue? nō enim propria, ſed mortui quem nuper
dilaniauimus, uiſcera euomis. Pariter & debitores fundos ſuos ac domos proprias haud
uendunt, ſed fœneratoris, quem iuxta legem dominum ſibi conſtituerunt. Atqui per Io-
uem, dicet quiſpiam, pater hunc agrum mihi dereliquit. Nimirum & libertatem quoque,
ac ingenuitatem pater tibi tribuit, quarum longè rationem maiorem te habere decet.
Nam & manus tibi & pedes, qui te genuit, fecit: at quum marcent, etiam merces illi qui
amputat, perſoluitur. Porrò Calypſo Vlyſſem ueſtem induit odoriferā, ab immortali cor
pore redolentem, donum & memoriam amicitiæ illius. At poſtquàm euerſa naui, udo &
graui indumento in profundum traheretur, illam exuit ac abiecit, nudóq; pectore tigno
innixus, in terram nando euaſit: periculo uerò liberatus, nec uictu nec ueſtitu caruit. At-
qui nónne tempeſtas apud debitores oritur, quum fœnerator elapſo tempore inſtat? di-
cens, Redde: quaſi diceret,

Condenſat nubes, pontum quoq; turbat ab imo,

C Cumq́ꝫ Euro incubuit Zephyrusq́ꝫ Notusq́ꝫ furentes,
uſuris uſuras impellentibus. At ille aſpera deprehenſus tempeſtate, tam grauiter ſpirantibus reſiſtere conatur flatibus: quum uerò enatare uel effugere haud poteſt, ſimul cum amicis ac fideiuſſoribus diſparens, in profundum mergitur. Proinde Crates ille Thebanus quamuis nullo ære alieno obſtrictus, à neminéue moleſtatus, ob curas tamen ſolùm domeſticas, moleſtiasq́ꝫ familiares, ſubſtantiam octo reliquit talentorum, ſumptoq́ꝫ baculo ac pera, in philoſophiam ac paupertatem confugit. Anaxagoras quoqꝫ non infertili ſe abdicauit fundo. Sed quid illos enarrare neceſſe eſt? Siquidem Philoxenus Melopœus uitam ac domum opulentiſsimam in colonia Sicula hæreditate nactus, quum delicias, uoluptates, ac indigenam conſideraſſet inelegantiam, Per deos, inquit, bona hæc haud me perdent, ſed ego illa: alijsq́ꝫ hæreditate relicta, enauigauit. At debitores quamuis ære alieno quotidie degrauentur, tributum perſoluant, ſeruituti ſubiaceāt, ac argento emungantur, ſuſtinent tamen ac tolerant tanquam Phineus harpyias illas pennatas paſcentes, quæ aſsiduè uictum diripiunt ac auferunt, non hora debita, ſed ante uernum tempus frumentum ementes, ac priuſquàm oliua decidat, oleum ac uinum colligentes, tanti, inquit, recepi, & ſcribendo precium perſoluit. At racemus adhuc firmiter pendet, uixq́ꝫ ſub Arcturi ſydere uindemia demum peragitur.

Plutarchi de tribus Reipub. generibus, Monarchia, Democratia, & Oligarchia, hoc eſt, regia, populari, & paucorum poteſtate, libellus.

GYBERTO LONGOLIO INTERPRETE.

D CVM diſputationem heſterni diei, qua apud uos ſum uſus, in hoc iudicium adferre pararem, uiſus ſum mihi per ſomnium ciuilis uirtutis ad me loquentis uiſum audire:

Aurea panguntur primordia carmine ſacro.

Ac ita quidem ad politiam oratio per admonitionem conuerſa: quoniam Attico quam polliciti eramus adhortando doctrinam exædificauimus, & nunc quoqꝫ ab illo ſuſcepta rerum cōmunium adminiſtratio eſt, quia hortatu & impulſu opus habet, à nobis præceptis Reipublicæ inſtructus habeat quibus (quatenus ab homine cōfici poteſt) & populi cōmodis in tranquillitate inſeruiat, & ipſe ſimul honore & iuſtitia ornatus, rem familiarem tueatur. Sed eſt quidem illud non alienum ab ijs quæ poſtea nobis ſunt dicenda: quod uerò hactenus dictis conſentaneum ſit, id nunc uidendum eſt. Optima quidē mater eſt Reſpub. Quoniam autem uitæ humanæ non eſt genus unum, ſic è Reip. generibus (eſt enim popularis politia uita quædam) optimam proponere neceſſe eſt. Quare uir politicus hanc deliget, aut ex reliquis illā quæ
Politiæ dictio tria ſignificat. ad hanc proximè accedit, ſi prioris compos fieri nequit. Politia autem aliquando proborum hominum in ciuitatem receptio nominatur. Hunc in modum publicis ſuffragijs Alexandro politiam Megarenſes impartierunt. Hoc autem officij genus cùm homini ſuperbo riſum concitaret, reſponderunt nullum ante id temporis mortaliū, præter Herculem, ſuffragijs cōmunibus ciuitate donatū. Demiratus hoc Alexāder, quod offerebatur (quia rarū inter eximia collocandū arbitrabatur) accepit. Præterea hominis ciuilis, qui Remp. adminiſtrat, uitæ rationem politiam nuncupant: ſic Periclis, ſic Biantis politiam in laude ponimus, at Hyperboli & Cleonis uituperamus. Quinetiam pleriqꝫ facinus aliquod in Repub. ſolerter, ingenioſè, præclarè factum, uelut pecuniæ conficiendæ uias noſſe, bellum extinguere, ſuffragium ferre, politiam eſſe dixerunt: quo pacto uulgò hanc aut illam hodie politiam, cùm in negocijs quæ in Repub. neceſſaria ſunt, occupatus aliquis ſit, adminiſtraſſe dicimus. Præter has autem ſignificationes omnes, & ſtatum & ordinem ciuitatis, quem in rebus gubernandis tenemus, ſignificat. In hunc modum tria politiæ genera conſtituimus, quæ à Græcis μοναρχία, ὀλιγαρχία, & δημοκρατία, à noſtris ferè regia, uel unius,

paucorum

A paucorum uel optimatum, & popularis poteſtas nuncupantur. Quæ quidem quam ha-
beant inter ſe cõparationẽ, in tertio hiſtoriæ ſuę libro explicuit Herodotus. Mihi certè ui
dentur eſſe Reip. ſumma quædam genera. Nam quemadmodũ in muſicis formulis, cùm
modi primi uel nimium remittuntur, uel intenduntur, ſubinde abſurdas & diſcrepantes
uoces (quòd modum uel non aſſequantur, uel tranſeant) audire cõtingit: ita quoq; in his
fieri credendum eſt. Gentium autem imperijs poteſtates iſtas quamplurimũ, & in primis
quæ in his ualuere, attribuunt. Nam regnum apud Perſas collocant: cui qui pręerat, nulli
obnoxius, per ſe poterat omnia. Lacedęmonij paucorũ poteſtatem, ſed optimatũ, in qua
unuſquiſq; pro ſuo arbitrio conſultabat, præ reliquis delegerunt. Contenti uerò populari
ſtatu Athenienſes, pro libertate ex legibus ſui quodammodo iuris effecti fuere. In his aũt
omnibus cùm error aliquis fuerit cõmiſſus, dum ſcilicet peruertuntur, & immoderatione
efferuntur, nõ iam amplius hoc nomine cenſendæ, ſed tyrannides, dominationes, plebis
uiolenti in agendo conatus, appellandę ſunt. Nam cùm regnũ iniuriã, quę ſe cõpeſci nõ
patit, paucorũ uerò poteſtas arrogantiã, & popularis ſtatus quiduis agendi licentiã, de-
inde æqualitas immoderationẽ pariunt, omnes ſanè ut delirantes uituperandæ ſunt. Quẽ
admodum uerò muſices harmonięq; peritus, quouis inſtrumento appoſitè uti quanq; no
rit (nam artificioſe cantus leges adaptans, ut quodq; natiuũ ſonitũ dum pulſatur reddat,
induſtria facit) attamẽ Platonis cõſilio inſtrumentis & pſalterijs, quæ multorũ ſonorum
concentus ſeruare poſſunt, pectidibus inquã, ſambucis, barbitis, tribonis relictis, lyrã &
citharam alijs præferet: ad hunc modũ uir politicus, cùm opus erit, & cõmodè ad Laconi-
cam paucorum poteſtatem ſe accõmodans, Lycurgi inſtitutum imitatus, eiuſdẽ poteſta-
tis honoriſq; alios multos quietã modeſtamq; uitam agentes probabit: & populari pote-
ſtate, tanq; uariorum ſonorum & multiplici chordarũ numero inſtrumentis ſe applicans,
quædam remittet, quædam, prout ratio temporis poſtulat, intendet. Nec ita tamẽ remiſ-
ſionem probabit, ut animo forti cùm opus erit, contrà inſtando obniti & obſiſtere nõ au
ſit. Quòd ſi autem optio eligendi illi fuerit cõceſſa, ut ex inſtrumentis, ita ex Reip. generi
bus non aliud ſibi, Platonem auſcultans, deligat, ꝙ unius poteſtatẽ, quæ reuera ſola per-
fectam illam & rectam uirtutis æquabilem rationem retinet: neq; ad uim, neq; ad gratiã,
B ſi utilitas non poſcat, accõmodari poteſt. At politiæ reliquæ quotquot ſunt, nõ minus im
perio ſubiectam, quàm imperanrem, neq; tam iubentem, quàm iuſsibus parentem admi-
niſtrationem habent, quum apud hos, à quibus robur & firmitatẽ expectare debeant, ni-
hil ſit firmum & ſtabile. Hinc eſt quòd ſubinde Aeſchyli illud, quo uſus eſt ad fortunã De
metrius, qui ab expugnandis urbibus Poliorcetes dictus eſt, cùm ſe ab imperio abdicarit,
uſurpare cogatur:

Tu me extuliſti, tu me deinde deijcis.

Ex octauo conuiualium quæſtionum libro Plutarchi, de nota Pythagorica, qua hoſpitem hirundinem recipi nolebant.

~~PHILIPPO MELANCHTHONE~~ INTERPRETE. damnatæ memoriæ

SYLLA Carthaginenſis, aliquanto pòſt tempore quum Romam ueni-
rem, liberaliter me ſalutatorijs (ut uocant) epulis excepit. Quibus ami
cos cùm pleroſq; alios, tum maxime Leucium quendam Tyrrhenum
Moderati Pythagorici diſcipulũ accerſerat. Is quum forte fortuna Phi
linum noſtrum animatis agnoſſet abſtinere, quod pro ordinis ſtudio
conijcere licet, in Pythagoræ mentionẽ prorupit. Inter cætera Locren
ſem illum, iuxta uulgi opinionem, eſſe negauit: Tyrrhenis adſeruit, a-
pud hos enatum, alitum, eruditumq;: indicio ſymbola eſſe, qualia fermè ſunt:

Quum lecto exurrexeris, ſtragula turbato,
Ollæ ueſtigium in cinere confundito,
Sarum ne tranſilito.

C Hirundinem in contubernio ne habeto.
Adunca unguibus domi ne nutrito.

Iſthæc, ait, quum Pythagorici paſsim & ſcribant & doceant, ſoli tamen re ipſa Tyrrheni obſeruant, aſsiduo iamolim ac iugi ſancita ſtudio. Hiſce ab Leucio dictis, in primis quod de hirundine uberius diſputarat, uidebatur abſurdum, auiculam innoxiam, dein & humanæ ſocietatis non expertẽ, cum eximijs illis ſæuitia ſanguinisq́ꝫ libidine animantibus, quibus adunci ſunt ungues, conferri. Neqꝫ enim rectè Leucio probabantur, qui ſcitum hoc ſymbolum aliò referebant, in conſuetudinem uidelicet uitilitigatoris cuiuſpiam, criminibus infeſtiuo murmure conuictorem exagitantis. Is enim uel picis, uel perdicibus, uel gallis commodius notari poterat, auibus multò maximè garrulis, quandò & hirundini cum hoc garriendi ſtridendiq́ꝫ perpetuo morbo nihil eſt cõmune. Tum Sylla Carthaginenſis, id eſſe commenti, ablegari ab domo familiariq́ꝫ conuictu hirundinẽ, prodigij cauſa, quòd uitæ ſanguiniq́ꝫ cognato ferale habent. Terei familiam ferunt partim fuga ſibi cõſuluiſſe, partim horrenda quædam & nefaria paſſam, iam nunc quoqꝫ Daulidum nomine celebrari. Gorgias ſophiſta contrà eminus ad ſe properantem contuitus hirundinem: Nec admodum, ait, hæc quoqꝫ bella. Agè num id prodigij nõ eſt ſtridulæ illi luſciniǫ cõmune, quam eidem obnoxiam tragœdiæ domo non reijciunt? Rectè, inquam ego, & hæc ad rem faciebant Sylla: uerùm qua ratione quę aduncis ſunt unguibus, non admittantur, primùm ſpecta, dein ut eadem habeatur ominoſa hirundo. Carnem depaſci ſolet, uenaturq́ꝫ ſacras illas Muſis cariores cicadas. Humi uolitãs oberrat, exiguas captat beſtiolas, autore Ariſtotele. Inſuper unà nobiſcum uerſari ſolita, immunis noſtro tecto utitur, neqꝫ quicquam parit commodi: quum contrà ciconia, neqꝫ tegulis tuta noſtris, neqꝫ uſpiam aut facultanbus aut ſtudio adiuta, officio tamen ſeſe, ceu mercede communis impenſæ in terram collato, redimat. Nam quæ uitæ hominum aduerſa animantia inſidiantur, ſerpentes, bufones, abſumit enecatq́ꝫ. Hirundo uerò noſtra tãtiſper abuſa ope, pullo ædito ac educto, auolat ingrata, deinde & in receſſus quoſdam deſertos, ignorabilis. Iam quod grauiſsimum uidetur, animantium duo ſunt omnium, quæ noſtro utuntur hoſpitio, muſca & hirundo, quæ nulla queunt arte cicurari, neqꝫ ullo nobiſcum officio aut ductu communicant. Muſca ne

[illegible] legi, non uano ductus argumento.

D moleſti quicquã patiatur, prehenſari horret. Hirundo ſuopte ingenio exoſa hominem, adeò diffidit, ut & manſuefieri non poſsit, & nihil non ſuſpectum pauitet. Quę (ſiquidem non accuratè nimium, nec quaſi ad regulam diſpenſa uolo, ſed feriẽdi referiendiq́ꝫ ſtudio in medium collata: certemus enim mutuis licet ſententijs) opinor qui cauet, hirundinem, infidum, leuem, ac ingratum conuictotem, non quemuis pro tempore occurſantem, menſæ, tecti, ac reliqui domeſtici commodi gratia ſubrepentem, familiari cõſuetudine dignabitur. Hæc quum dixiſſem, ſat mihi uerborum uidebar feciſſe: nam & reliqua penè ſymbola, moralibus argumentis expedierã audacius. Interpellat Philinus: Ollæ ueſtigio turbando ſignificari, ne quam priſtinę irę indicẽ notam in animis noſtris relinquamus, quin quum efferbuit, omnia continuò pacanda abolendaq́ꝫ iniuriæ monimenta. Iam in cõfundendis ſtratis nihil eſſe ſecreti quibuſdam uidebatur, ſed pudorem tamen & thalami reuerentiam indicari diſſerebatur. Ab amico non auferendum onus, quid aliud, quàm adiuta re laborantem, nihil ocio, nihil inertiæ dandũ? Leucius interim quum hæc diſceptantur, neqꝫ commendans, neqꝫ reprehendens quicquam, agit ſilentium, &c.

Plutarchi, utrum aqua aut ignis utilior exiſtat, libellus.

IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERPRETE.

OPTIMA quidem eſt aqua, uerùm aurum ardens ignis, ait Pindarus; ut fermè ſecundum locum igni ille dederit. Conſentit & Heſiodus quum ait, Primùm equidem chaos eſt factũ: pleriſqꝫ enim ſic aquam nominaſſe uidetur, quum à fundendo chaos dictum ſit Græcis. Cæterùm teſtium ſuffragia utrinque paria ſunt: quandoquidem ſunt qui etiam ignem uniuerſi principium pronunciant, & hunc uelut ſemen, ex ſeipſo omnia facere, & in ſeipſum ſuſcipere, iuxta uniuerſi exarſionẽ. At uerò dimiſsis uiris, rationes ipſas in utranqꝫ partem conſideremus, quô nos magis du-

cant,

A cant, Itaq; nónne illud utilius eſt, quo ſemper & perpetuò, & quamplurimo opus habe-
mus, & uelut organum & inſtrumentũ, & per Iouem uelut amicus omnis horæ, omniſq;
occaſionis præſens ac paratus adeſt? Atqui ignis nõ ſemper utilis eſt, & aliquando ex ip-
ſo grauamur, & ab eo diſcedimus. Verùm aquæ uſus & hyeme eſt & æſtate, & ægrotanti
bus, & ſanis, & noctu & interdiu, & non eſt tempus quo homo ipſa non habeat opus. De
niq; & uita functos Alibantes Græci uocant, quaſi libade, hoc eſt, humiditate carẽtes, & *Mortui cur di-*
propterea uita priuatos. Et abſq; igne quidem ſæpe eſſe poterat, abſq; autem aqua homo *cti Alibantes.*
nunquã. Quandoquidẽ uerò & id quod ab initio ſimulq; cum prima hominum conſtitu-
tione fuit, utilius eſt eo quod poſterius inuentum eſt: manifeſtum enim eſt quod alterum
uelut neceſſariũ ſtatim natura dedit, alterũ redundantia uſus, contentióq; & ars quædam
inuenit: itaq; non eſt dicere tempus, quo aqua hominibus non fuerit, neq; quiſquã deo-
rum aut heroum inuentor eius dicitur. Fermè enim cum generatis ſtatim extitit, & ut ge-
nerarentur præſtitit. At uerò ignis uſus heri quod aiunt ac nuper ſub Prometheo cœpit.
Et ignis uita ſine aqua non erat. Et quòd hoc non ſit figmentũ poëticum, uita noſtra de-
monſtrat. Sunt enim quædam hominum genera citra ignem diętam ac uictum habentia,
ſine domo, ſine foco, ſub dio. Et Diogenes Canis minimè utebatur igne: quare quũ poly
pum crudũ deuoraſſet, ſic, inquit, ô uiri pro uobis pericula ſubeo. Verùm citra aquã ne-
que quiſpiam bonum eſſe cenſuit uiuere, neq; poſsibile. Et quid curioſius in humana na-
tura recenſenda occupor, quum multa adſint, imò infinita naturarũ genera? Hominũ ge-
nus fermè ſolum ignis uſum nouit, reliqua & diætis & alimentis abſq; igne utuntur, & ui
ta ipſis eſt paſcentibus, uolantibus, ſerpentibus, è radicibus ac fructibus & carnibus citra
ignem, uerùm citra aquam neq; marinum, neq; terreſtre, neq; ætherium quicquã uiuit. E-
tenim carniuora animantia, quorum aliqua Ariſtoteles non bibere tradit, reuera humoris
uſu degunt. Hoc igitur utilius eſt, ſine quo nulla uitæ natura cõſiſtit ac permanet. Tranſ-
eamus porrò ab utentibus ad ea quibus utimur, plantas uidelicet ac fructus. Horum ali-
qua penitus non participant caliditate, aliqua minima & obſcura. At uerò humida natu-
ra omnia germinantia augeſcere, & fructum ferre facit. Et quid opus eſt me enumerare ui
num & oleum, ac reliqua quæ uindemiamus ac decerpimus, & in propatulo ſita uide-
B mus, ubi etiam triticum quod ſicci alimenti eſſe uidetur, humoris permutatione ac putre-
factione & diffuſione naſcitur? Quin & illud utilius eſt quod nunquã lædit. Ignis igitur
ferè pernicioſiſsima res eſt, uerùm aquæ natura nunquam nociua eſt. Sed & inter duo,
id quod minori ſumptu conſtat, & citra aliquam impenſam, utilitatem de ſe exhibet, uti-
lius eſt. Vtilitas itaq; ab igne, ſumptu indiget & materia: participant igitur ipſo diuites
plus quàm pauperes, reges quàm priuati: aqua autem & id humanitatis in ſe habet, quòd
æqualis ac ſimilis exiſtit. Non enim indiget organis aut inſtrumentis, minimè indigum
& perfectum bonum exiſtens. Inſuper id quod multiplicatũ utilitatẽ amittit, inutilius eſt.
Talis aũt eſt ignis, uelut beſtia fera omnia uorans, & iuxtà poſita cõſumit, & ratione ac ar
te & moderatione magis q̃ ex ſua natura utilis eſt. Aqua autẽ nunquã horrenda exiſtit.
Quin & inter duo, id quod cum altero utile eſt, utilius exiſtit. Ignis igitur humorẽ nõ ſuſci
pit, neq; per cõmunionem ipſius conducit. Verùm aqua cum igne utilis eſt. Itaq; calidæ
aquæ remedijs ſcatent, & ad medicinã cõmodæ ſunt: & ignem quidẽ humidum non repe
rias: aqua autẽ uelut frigida, ſic etiam calida homini conducit. Sed & quũ quatuor ſint ele
menta, aqua ex ſeipſa quintũ, ut ita dixerim, fecit elementum mare ipſum, non minus reli *Mare quintum*
quis utile, cùm aliarum rerum, tum uel maximè cõmercij gratia. Itaq; agreſtem noſtrã & *elementum.*
cõmerciorum exortem uitam hoc elementũ coniunxit, & perfectam reddidit, per mutua
auxilia & retributiones ſocietatẽ diſponens, & amicitiã efficiens. Heraclitus quidem igi-
tur, Si non Sol eſſet, inquit, nox eſſet: uerùm dixeris non item male, Si mare non eſſet, ho-
mo omnium animalium agreſtiſsimum ac truculentiſsimum eſſet. Nunc autẽ hoc ab In-
dis quidem uitẽ Græcis, ex Græcia autem fructuũ uſum his qui ſunt ultra mare dedit. Ex
Phœnice autem literas obliuionis reparatrices inuexit, & maximam humani generis par
tem ineruditam eſſe prohibuit, quomodo igitur non utilior ſit aqua elemẽto redundans?
Cæterùm ſi cui ad contrariam partem animus inclinet, inde ſermonis initiũ ſumere poſ-
ſit: quòd quatuor quidem elementa Deo uelut opifici ad uniuerſorũ creationem ſubie-
cta ſunt, atq; hæc inter ſe diuerſa. Nam terra & aqua ſubiecta ſunt, inſtar materiæ facta ac
formata, ornatúq; ac ordine participantia, imò etiam generãdo ac producendo, quantùm
ſanè ab alijs tranſſumpſerint, aẽre quidem & igne artificibus ac opificium exercentibus,
atq; illa antea mortua iacentia ad generationem excitantibus. Rurſus autem ex his duo-

C bus ignis imperat & dux eſt, id quod ex inductione & experimẽto manifeſtũ eſt: terra e-
nim citra ſubſtantiam calidam, infœcunda eſt & infrugifera. Ignis autẽ effluens ac diffun
dens, gliſcentia ac turgentia ad generationẽ adducit. Neq; enim ullam aliquam cauſam
quis repererit, ob quam petræ & montes ſaxis aſperi infœcundi ſunt, ꝙ quòd ignis peni-
tus nõ, aut omnino parum participes exiſtunt. In uniuerſum autẽ tantũ abeſt, ut aqua ad
aliorum conſeruationẽ aut generationem perfecta ſit ac ſufficiens, ut etiam ipſa corrum-
patur præ ignis inopia. Etenim caliditas ſingula in eſſe cõtinet, & in propria eſſentia con
ſeruat, tum alia, tum aquã ipſam. Abſente aũt igne & deficiente, putreſcũt: & pernicies ac
interitus aquæ eſt caloris defectus. Deniq; paluſtres ac ſtagnantes aquæ, & quædam aliæ
in cauitatibus exitũ non habentibus cõcluſæ, malæ ſunt, & poſtremũ putreſcunt, propte-
rea quòd motus minimè participes ſint, qui caliditatẽ in ſingulis uentilans cõſeruat, ut cir-
ca aquas quæ maximo curſu feruntᷣ ac fluunt, propter motũ caliditas cõtineatur. Vnde &
appellationẽ duximus, uiuere ipſas dicentes. Quomodo igitur ex duobus nõ utilius id ſit
quod alteri cauſam præbet ut ſit, quemadmodũ ignis aquæ? Quin & id, quo penitus abla
to animal corrumpitᷣ, utilius exiſtit: manifeſtũ eſt enim quũ priuatũ eo ſupereſſe nõ poſ-
ſit, quòd hoc ipſum cauſam, quãdo eſſet, exhibuit. Humiditas quidẽ igitur etiam mortuis
adeſt, & nõ penitus exempta eſt: quandoquidẽ aliàs nõ putreſcerent ſi nõ humida corpo
ra eſſent, quũ putrefactio ſicci in humidũ ſit permutatio, aut magis humorũ in carne cor-
ruptio. Mors autẽ nihil aliud eſt ꝙ perfectus caliditatis defectus. Frigidiſsimi igitur ſunt
mortui, & nouacularũ aciẽ hebetãt, ſi quis eius rei periculũ faciat, ob excellentiã frigidita
tis. Quin & in ipſo animali partes quæ minimè participãt igne, ſtupidioris ſenſus exiſtũt,
uelut oſſa & pili, & partes longè à corde diſtantes: differentia enim quam ad maiora ha-
bent ea quæ ſunt parua, fermè ex ignis præſentia contingit. Etenim plantas & fructus hu-
miditas non remittit, ſed calida humiditas: deniq; aquæ frigidæ minus, aut penitus nõ fœ
cundæ exiſtunt. Atqui ſi aqua ex ſua ipſius natura fructifera eſt, ſemper & per ſe fructus
producere ipſam oportet. Verũ uice uerſa etiam nociua exiſtit. Sumamus & aliud princi
piũ. Ad ignis quidẽ uelut ignis uſum, aqua nõ indigemus, ſed econtrà impedimẽto eſt, ex
tinguit enim ac corrumpit. At aquæ uſus plurimis non ſine igne contingit: calfacta enim
D utilior eſt, nunquã autem nociua. Quare ex duobus id melius eſt quod de ſe utilitatem ex
hibet, alterius non indigũ. Inſuper aqua quidem iuxta tactũ ſolummodo utilis eſt, lauan-
tibus ad ipſam contingentibus: uerùm ignis per omnes ſenſus. Nam per uiſum etiã è lon-
gè conſpectus cõmodat, ut etiam ad alios utilitas ipſius perueniat, qui ſumptum in ipſum
non faciunt. Etenim dicere quòd homo aliquando eſt ſine igne, adeò nõ ſic habet, ut ho-
mo abſq; igne penitus eſſe nõ poſsit. Verùm differentiæ ſunt in genere, quemadmodũ e-
tiam in alijs. Sed & mare ipſum caliditas utilius facit, ut magis ꝙ aliæ aquæ calfaciat, quũ
per ſe nihil à reliquis differat. Quinetiã qui extraneo igne non indigent, id ipſum non tan
quam non indigi faciunt, ſed propter copiã ac redundantiã interni caloris, ut etiã hac par
te ignis utilitas, uelut uериſimile eſt, præmineat. Nam aqua nunꝙ talis eſt, ut non indigeat
extraneorũ. Verùm ignis præ multa uirtute ſufficiens exiſtit. Quemadmodũ igitur præ-
ſtantior eſt exercitus dux, qui ſic inſtruxit ciuitatẽ, ut externis auxiliarijs nõ habeat opus:
ſic etiam elementũ externi auxilij non indigũ, ſed per ſe ſæpe id exhibens, præſtãtius exi-
ſtit. Hoc ipſum etiã de alijs animalibus dicendũ eſt, quæ externo igne non egent. Quanꝙ
in contrariũ rapi poſsit, ſi id utilius eſſe quis producat, quo ſoli utimur, & maximè id quod
melius eſt ex ratiocinatione ſumere potentes. Quandoquidẽ quid ratione utilius eſt, aut
hominibus magis conducibile? Verùm hæc brutis animantibus non adeſt. Cur igitur ob
hoc minus utile ſit id quod ex melioris prouidẽtia eſt inuentum? Quandò uerò ſermone
huc delati ſumus, quid arte utilius eſt ad uitã degendã? Artes aũt omnes & inuenit ignis,
& conſeruat: quapropter etiã Vulcanũ ipſarũ autorem faciunt. Atqui quum omnino mo
dicum uitæ tempus hominib. datũ ſit, uelut Ariſto ait, propterea quòd ſomnus uelut pu-
blicanus dimidiũ eius aufert, ego ſanè dixerim quòd etiãſi homo ſemper uigilaret per no
ctem, tamen nulla uigiliarũ utilitas ſit, niſi ignis nobis diei bona exhiberet, & diei ac no-
ctis differentiam eximeret. Si itaq; hominibus nihil cõmodius eſt ꝙ uiuere, & hoc ipſum
multiplicat ignis, quomodo nõ omniũ utiliſsima res fuerit? At uerò & id, quo plurimo ſen
ſuum temperamentũ participat, cõmodius utiq; fuerit. Nónne uides igitur quòd humida
natura nullus ſenſus per ſe utitur, citra aëris aut ignis mixturã? omnis aũt ſenſus ignis, ue-
lut uitalitatẽ operantis particeps eſt, præcipuè uerò uiſus, qui omniũ corporis ſenſuũ acu-
tiſsimus eſt, ignis incendiũ ac exarſio exiſtẽs: & inſuper deorũ fidẽ nobis fecit, ampliuſq;,
uelut Plato ait, animã ad cœleſtiũ corporũ motus per uiſum ipſum cõformare poſſumus.

Petræ cur infœcundæ.

Mortui nouacularum aciem hebetant.

A IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERPRETE.

EST'NE igitur, ô Fauorine, frigidi uis ac facultas aliqua prima & ſubſtãtia, quemadmodum calidi ignis ipſe, cuius præſentia ac participatione ſingula alia frigida fiunt? Aut potius frigiditas priuatio eſt caliditatis, quemadmodũ tenebras lucis dicunt, & ſtationem ſiue quietẽ motus? quandoquidẽ etiam frigidũ ſtabile ac quietũ eſſe uidetur, calidũ uerò motiuum: & calidorũ perfrigerationes nullius facultatis præſentia fiunt, ſed caliditatis emotione ac diſceſſu. Simul enim abiens multa apparet, & quod reliquũ eſt perfrigeratur. Nam uapor quem feruentes aquæ remittũt, ſimul cum abeunte caliditate elabitur. Quapropter etiã copiam minuit perfrigeratio, caliditatẽ excludens, nulla alia inſuper accedente. Aut primũ quidem hanc rationem ſuſpectam facit, quòd per ipſam multæ manifeſtæ facultates tolluntur, tanq̃ non qualitates neq; habitus, uerùm qualitatũ ac habituũ priuationes, grauitas à leuitate, durities à mollitie, nigrũ ab albo, & amarum à dulci, & ut ſingula ſingulis oppoſita ſunt ſecundũ facultatẽ, non uelut habitui priuatio? Deinde, quòd omnis priuatio ocioſa eſt & ignaua, uelut cæcitas, ſurditas, ſilentium, & mors. Sunt enim ſpecierũ emotiones & ſubſtantiarũ ſublationes, non naturæ aliquæ, neq; ſubſtantiæ per ſe. At uerò frigiditas in corporibus generata non minores affectiones ac tranſmutationes operari ſolet q̃ caliditas. Nam & per frigiditatẽ multa congelantur concreſcuntq; ac denſantur, & ſtabilitas ipſius, ac ægra mobilitas, nõ ocioſa eſt, ſed robuſta & firma, à robore conſtantẽ & intentam firmitatem continentemq; habente. Vnde priuatio quidem defectus eſt & diſceſſus oppoſitæ facultatis. Multa autem frigeſiunt, multa adhuc caliditate in ipſis exiſtẽte. Aliqua uerò etiam calidiora frigiditas ſi apprehenderit, magis congelat ac conſtringit, quemadmodũ ferrum quod in aquã tingitur. Et Stoici ſpiritum in puerorũ corporibus per frigiditatem firmari ac conſolidari dicunt, ipſumq; ex natura tranſmutatum animam fieri. Verùm hoc ambiguum eſt. Quũ autem ex multis alijs appareat frigiditatẽ eſſe opificem, indigna res eſt ipſam priuationem eſſe exiſtimare. Inſuper nulla priuatio magis ac minus ſuſcipit: neq; enim ex non uidentibus alterũ altero magis mutilatũ eſſe, quis dicere poteſt: aut ex non loquentibus aliũ alio magis ſilere, aut ex non uiuentibus alium alio magis mortuũ eſſe. In frigidis autem magis & minus multum ineſt, & ualde, ac non ualde, & in ſumma intentiones ac remiſsiones, quemadmodũ in calidis. Quapropter materia alicubi uehementer, alicubi leniter à cõtrarijs facultatibus affecta, alia alijs magis & calida & frigida ex ſe exhibet. Etenim habitus ad priuationem mixtura non eſt, neq; ſuſcipit ulla aliqua facultas ſibi oppoſitã, priuationem inducentem, neq; ſociam ſibi facit, ſed ipſi reſiſtit. Calida autem ſunt donec frigidis temperata ſubſiſtunt, quemadmodũ nigra albis, & grauib. acuta, & dulcibus auſtera, per hanc ſocietatem ac harmoniam, multas gratas ac iucundas colorum ac ſonorum medicamentorũq; ac opſoniorum generationes exhibentia. Etenim oppoſitio ſecundũ priuationem & habitum hoſtilis & implacabilis eſt, quum altera ſubſtantiã habeat alterius corruptionẽ. Verùm ea quæ ſecundũ contrarias facultates conſiſtit, artes pro temporis occaſione multùm utuntur. Plurimũ etiã natura utitur, cùm in alijs generationibus, tum in aëris mutationibus, ac ornandis et ordinãdis rebus: ex quibus Deus Harmonicus ac Muſicus appellatur, non graues uoces cum acutis concinnans, neq; alba cum nigris conſonè uniens ac inter ſe cõmittens, ſed caliditatis ac frigiditatis in mundo ſocietatẽ ac diuerſitatem ſic procurans, quò & moderatè cõſentiant ac rurſus diſsideant, & quod in utraq; nimium eſt auferens, utranq; in iuſtum modum cõſtituit. Quin & frigidi quemadmodũ calidi ſenſus eſt: priuatio autẽ neq; uiſibilis eſt, neq; audibilis, neq; tangibilis; neq; alijs ſenſibus cognoſci poteſt. Subſtantiæ enim alicuius ſenſus eſt: ubi autem ſubſtantia non apparet, priuatio intelligitur, quæ ſubſtantiæ negatio eſt, quemadmodũ uiſus cæcitas, & uocis ſilentium, & corporis ſolitudo & uacuitas. Neq; enim uacui ſenſus per tactũ contingit, ſed ubi corporis tactus non contingit, uacui intellectus contingit. Neq; ſilentiũ audimus, ſed etiamſi nihil audiamus, ſilentiũ intelligimus. Similiter & cæcorũ & nudorũ & inermium ſenſus non datur, ſed intellectus, qui ſenſus negatio exiſtit. Oportebat itaq; frigidorũ ſenſum non fieri, ſed ubi calidum deficit, frigidum intelligi, ſi quidem calidi priuatio eſſet. Si uerò quemadmodum calidum tepore & carnis diſſolutione, ſic frigidum concretione ac denſatione ſentitur, manifeſtum eſt quòd frigiditatis proprium quoddam principium ac fons eſt, quemadmodũ caliditatis. Inſuper unum quid & ſimplex res eſt circa unãquanq;

Frigiditas cur priuatio uideatur.

Frigiditatis opera.

Priuatio quid.

Anima Stoicorum.

Frigiditas non eſt priuatio.

B

C ſpeciem priuatio, ſubſtantiæ autẽ plures differẽtias ac facultates habent. Vniforme enim eſt ſilentiũ: uox autem uaria, iam perturbans, iam delectans ſenſum. Tales autẽ differentias habent & colores & figuræ, quibus aliàs aliter occurſantẽ afficiunt. Quod uerò tangi non poteſt, & colorem non habet, & penitus qualitatis expers eſt, differentiã non habet, ſed ſimile eſt. Num igitur his priuatiuis ſimilis eſt frigiditas, ut nõ faciat in affectionibus differentiam? aut uice uerſa, & magnæ ac utiles uoluptates corporibus à frigidis contingunt, & rurſus detrimenta ingentia laboresq́ ac aggrauationes? à quibus non ſemper fugit ac deficit calidũ, ſed ſæpe in ipſis cõprehenſum reſiſtit & repugnat. Pugnæ autẽ ipſorũ nomen eſt horror ac tremor. Vbi uerò ſuperatũ eſt calidũ, congelatio ac ſtupor ſuccedũt. Quum autẽ frigidum uictũ eſt, caliditas diffuſionem ac teporẽ corpori exhibet cum uoluptate, quod ipſum Homerus *ἰαίνεσθαι*, hoc eſt, lætitiã appellauit. Verumenimuero hæc omnibus manifeſta ſunt, & per has affectiones uel maximè oſtenditur, quòd frigidum ad calidum, uelut ſubſtantia ad ſubſtantiã, aut affectio ad affectionem, non uelut negatio & priuatio, oppoſitũ eſt: neq; eſt quædã calidi corruptio & ablatio, ſed natura & facultas corruptiua. Aut etiam hyemẽ ex anni temporibus, & Aquilonares uentos ex numero uentorũ auferamus, uelut priuationes exiſtant calidorũ temporũ, & auſtrinorum uentorũ, & proprium principiũ non habeant. Atqui quum quatuor in uniuerſo prima corpora exiſtant, quę propter copiã & ſimplicitatẽ ac uim, pleriq; elementa ac principia aliorũ ſupponunt, ignis, aqua, aër, terra, neceſſariũ eſt etiam tot eſſe primas & ſimplices qualitates. Quæ igitur ſunt hæ, prætereq; caliditas & frigiditas, & ſiccitas ac humiditas, per quas elementa & pati & facere omnia ſolent? Quemadmodũ aũt elementorũ in grãmatica breuitates ſunt & longitudines, in Muſica grauitates & acumina, quorũ neutrũ alterius priuatio eſt: ſic in corporibus naturalib. pro elementis relinquenda ſunt humida ad ſicca, & frigida ad calida, ratione ſimul'q; apparentibus obſeruatis. Aut quemadmodũ Anaximenes uetus ille putabat, neq; frigidũ in ſubſtantia neq; calidũ relinquimus, ſed cõmunes materię affectiones ad tranſmutationes ſuccedentes. Coactionem enim & condenſationẽ ipſius materię, frigidum eſſe ait. Rarũ autẽ & laxum (hoc enim uerbo utitur) calidũ. Vnde non immeritò dicatur, & calida hominẽ ex ore emittere & frigida. Frigeſit enim ſpiratio labris cõpreſſa
D & condenſata, uerùm ex patenti ore elabens caleſit præ raritate. Cæterùm hanc uiri ignorantiam Ariſtoteles patefacit: patente enim ore calidũ ex nobis ipſis efflatur, quũ uero cõtractis labris inſufflamus, non is qui ex nobis prodit, ſed qui ante os eſt aër, impellitur & coincidit frigidus exiſtens. Si autem ſubſtantia frigidi ac calidi relinquenda eſt, deinceps eò ſermonẽ producamus, ut quæ ſit ſubſtantia & principiũ ac natura frigiditatis inquiramus. Qui igitur figuris obliquis & triangularibus in corporibus ſitis, rigere & tremere ac horrere, & quæ his affectionibus cognata ſunt, præ aſperitate intus generari dicunt, etiãſi in particularibus peccent, principiũ tamen unde oportet accipiunt. Oportet enim uelut à
Philoſophi à medico & alijs differentia. lare, uniuerſorũ ſubſtantiæ inquiſitionem auſpicari, in quo uel maximè à medico & agricola ac tibicine philoſophus differre uidetur. Illis enim ſufficit extremas cauſas cõtemplari. Nã ſi propinquiſsima affectionis cauſa perſpecta fuerit, uelut febris quidẽ intẽſio corporeæ molis, aut ſanguinis in arterias præterlapſio: rubiginis uerò ſoles ardentes à pluuia: grauitatis autem, tibiarũ inclinatio & inter ſe contractio & adductio, ſatis eſt artifici ad propriũ ſibi opus. Verũ phyſico ſpeculationis gratia ueritatẽ indaganti, extremarum cauſarũ cognitio non finis eſt, ſed principium progreſſus ad prima & remotiſsima. Quapropter Plato & Democritus rectè cauſam caliditatis ac grauitatis inquirentes, nõ in terra & igne ſermonẽ finiuerũt, ſed ad intelligibilia principia referentes ſenſibilia, uſq; ad ultima uelut ſemina progreſsi ſunt. Veruntamẽ ſenſibilia hæc prius mouere prę-
Qualitatum ſubſtantiæ in ſenſibilibus. ſtat, in quibus Empedocles & Strato & Stoici facultatũ ſubſtantias collocant. Et Stoici quidẽ aëri primariò frigidũ attribuunt, Empedocles uerò & Strato aquæ: fortaſsis autẽ alius terram frigiditatis ſubſtantiã ſuppoſuerit. Verùm illorũ opiniones prius conſiderabimus. Quandoquidẽ igitur ignis calidus ſimul'q; ſplendidus eſt, oportet oppoſitã igni naturã frigidã eſſe & tenebroſam: quemadmodũ enim ſplendido obſcurum opponitur, ſic calido frigidum. Vt enim tenebroſum uiſum, ſic frigidũ tactum cõfundit. Caliditas uerò ſenſum tangentis diffundit, quemadmodũ ſplendor uidentis. Igitur primariò tenebroſum in natura,
Aër primariò frigidum. eſt etiam primariò frigidum. Quòd autem aër primariò tenebroſum eſt, neq; poëtis ignotum fuit, aërem enim tenebras appellant:

Aër nauigia occulit ingens, & neq; Lunam
E cœlo oſtendebat. Et rurſus:

Aëre

A Aẽre diſcuſſo mox ſunt nebulæq; remotæ.
Sol uero illuxit, pugna & clariſsima cunctis Apparuit.

Etenim aẽrẽ lumine carentẽ κνέφας appellãt, uelut luce uacuũ, ut apparet, exiſtentẽ. Et aẽr cõtractus ac denſatus ζόφος, propter negatã lucẽ, appellatus eſt. Vocatur aũt & ἀχλὺς & ὁμίχλη, & quæcunq; lucis perſpectũ ſenſui nõ exhibent, aëris differentiæ exiſtunt. Sed & obſcuritas ipſius, ac coloris priuatio, ἅδης, hoc eſt, orcus, & ἀχέρων cognominat. Quemadmodum igit ſplendore deficiente tenebroſus aẽr eſt, ita calido tranſmutato, quod reliquũ eſt, aẽr frigidus, & nihil aliud eſt: quapropter etiã tartarus ſic à frigiditate appellatus eſt, quod etiã Heſiodus indicat, tartarũ aẽroſum, id eſt, obſcurũ & frigidũ proinde appellans: & cũ rigore cõcuti ac tremere, τετρείζειν appellat. Hæc quidẽ igit huiuſmodi rationẽ habent. Quandoquidẽ uerò corruptio, tranſmutatio quædã eſt eorũ quæ corrumpunt in id quod ſingulis contrariũ eſt, uideamus an rectè dictũ ſit, Ignis mors, aẽris generatio. Morit enim etiã ignis uelut animal, aut ui extinctus, aut per ſe marceſcens. Extinctio igit manifeſtiorem facit ipſius in aẽrẽ trãſmutationẽ. Etenim fumus aẽris ſpecies eſt, & aẽris nidor, iuxta Pindarũ, aduerſus fumũ recalcitrat. Veruntamẽ & alimenti penuria pereunte flãma, uidere eſt quemadmodũ in lucernis, ſummũ ipſius in aẽrem caliginoſum ac obſcurũ diffundi. Quin & uapor ab his qui poſt balneũ aut fomentũ frigida perfuſi ſunt exhalans, oſtendit calidi corrupti in aẽrẽ tranſmutationẽ, uelut ex natura igni oppoſitũ: ad quod cõſequitur aẽrẽ primariò tenebroſum ac frigidũ eſſe. At uerò quũ ex omnib. quę corporibus à frigiditate cõtingunt uehementiſsimũ & uiolentiſsimũ ſit cõgelatio, ea ipſa affectio quidẽ eſt aquæ, opus aũt aẽris. Etenim aqua ipſa per ſeipſam facile diffundit, neq; cõſiſtit neq; cõcreſcit, intenditur aũt & cõgelatur per aẽrẽ præ frigiditate cõcreſcens: quapropter etiã dictũ eſt, Auſter ſi boreã irritarit nix cadet ingens. Auſtro enim humiditatẽ uelut materiã præparante, borealis aẽr eam ſuſceptã cõgelat, quæ res maximè circa niues manifeſta redditur. Aẽrẽ enim tenuẽ ac frigidũ emittentes & prius exhalantes, ita defluunt. Ariſtoteles etiã plumbi coticulas liquari & fluere ait, prę frigore ac hyeme, aqua ſola ipſis appropinquante. Aẽr aũt per frigiditatẽ, ut apparet, corpora impellens, frangit ipſa & rumpit. Itaq; aquæ de fonte extractæ magis cõgelantur. Aẽr enim id quod minus eſt aquæ, magis

Niuis generatio.

B ſuperat. Si uerò quis aquã frigidã ex puteo hauſtã, in uaſe ruſus in puteũ demittat, ita ut uas aquã non cõtingat, ſed in aẽre pendeat, expectetq; tempus non ita longũ, aqua frigidior euadet: ex quo maximè oſtenditur, q prima frigiditatis cauſa non aquæ ſit, ſed aẽris. Ex magnis porrò fluminibus nullũ per altũ cõgelatur: non enim in totũ aer penetrat, ſed quæ frigiditate cõprehendit, ea cõtactu & uicinitate ſua ſiſtit ac firmat. Vnde Barbari pedibus ea tranſeunt uulpeculis præmiſsis: ſi enim nõ multa, ſed ſuperficialis fuerit glacies, percepto ſtrepitu aquæ ſubterfluentis reuertunt. Quidã uerò etiã piſces capiunt, aqua calida glaciem diſſoluentes ac laxantes: ita enim funiculũ ſuſcipiunt. Adeò nihil in profundo à frigido afficitur, quanq; ſupernarũ partiũ tanta tranſmutatio fiat propter congelationẽ, ut etiã aqua coacta ac conſtricta in ſeipſam, nauigia cõterat, uelut narrant hi qui nunc cum Cæſare in Danubio hybernarunt. Veruntamẽ & hoc quod circa nos contingit, ſufficiens teſtimoniũ præbet. Poſt balnea enim et exudationes magis perfrigeramur, corporibus reſolutis ac diffuſis, multã frigiditatẽ cum aẽre ſuſcipientes. Idem hoc etiã aqua perpetitur: præcalfacta enim magis perfrigerat, utpote aẽri magis obnoxia reddita, eiusq; iniurijs expoſita. Et qui feruentes aquas effodiunt ac in ſublime uehunt, nihil aliud ſanè faciunt, q̃ quòd ad aẽrẽ multũ ipſas cõtemperant. Sermo quidem igitur eorum qui aeri primam frigiditatis facultatẽ tribuunt, in huiuſmodi Fauorine probabilib. cõſiſtit. Verũ eorũ qui aquæ id tribuũt, ſimiliter & ipſe principia accipit, in hũc modũ Empedocle dicẽte:

Tralatus in Danubio hybernauit.]

Illuſtrem per cuncta uides calidum quoq; Solem:
Imbrem autem cunctis tenebroſum frigificumq;.

Etenim calido frigidũ, uelut illuſtri nigrũ ac tenebroſum opponẽdo, ratiocinari nobis exhibuit, q eiuſdẽ ſubſtantiæ eſt nigrũ ac frigidũ, uelut eiuſdẽ eſt illuſtre ſiue ſplendẽs ac calidum. Quòd autẽ nõ aeris ſit nigredo, ſed aquæ, ſenſus atteſtatur, quum per aerem nihil, ut ſimpliciter dicam, nigreſcat, per aquã uerò omnia. Si enim candidiſsimã lanam aut ueſtem in aquam inieceris, apparet nigra, & permanet, donec humiditas à caliditate reſiccetur, aut tormentis quibuſdã ac ponderibus exprimatur. Et ſi terra aqua conſpergatur, loci guttis occupati nigreſcunt, alijs ſimilibus permanentibus. Ex ipſa quidem igitur aqua tenebroſiſsima præ copia apparet quæ profundiſsima eſt: quibus uerò aer appropinquat, eas illuſtrat & ſerenas facit. Ex alijs autẽ liquoribus maximè pellucens eſt oleũ, plurimo

Oleum cur mare tranquillum reddat.

C aëre utens. Huius ſignum leuitas exiſtit, propter quam omnibus ſupernatat, ab aëre ſub-
latum. Facit autẽ & tranquillitatẽ in mari fluctibus adſperſum, nõ ob leuitatem uentis e-
labentibus, uelut Ariſtoteles dixit, ſed ab omni liquore fluctus contacti diffundũtur. Pri-
uatim autẽ oleũ ſplendorẽ & apparentiã in profundo exhibet, liquoribus per aërem diſ-
paratis ac diductis. Nõ enim ſolùm in ſuperficie ipſius pernoctantibus, ſed etiam infernè
ab his qui ſpongias uenantur ex ore efflatum, in mari lucem præbet. Nõ igitur plus nigre
dinis aëri ꝙ aquæ adeſt, uerùm minus frigiditatis. Itaq; oleũ ex liquoribus plurimi aëris
particeps, minimè frigidum eſt, & molliter congelatur: aër enim immixtus nõ ſinit duram
fieri congelationem. Acus autẽ & fibulas ferreas & reliqua opera, non aqua tingunt, ſed
oleo, aquæ uehementẽ frigiditatem reuerentes, ueluti peruertentem. Iuſtius eſt enim ab
his rationem expendere, nõ à coloribus: quandoquidẽ & nix, & grando, & glacies, ſimul
ſplendidiſsima fiunt & frigidiſsima: & rurſus pix calidior eſt melle & tenebroſior. Et tamẽ
admiror qui ſentiunt aërem frigidũ eſſe, propterea ꝙ tenebroſus eſt, ſi nõ ſimul uident a-
lios pronunciantes calidũ eſſe, propterea quòd leuis eſt. Non enim ita tenebroſitas fami-
liaris ac cognata eſt frigido, uelut grauitas ac ſtabilitas. Multa enim caliditatis expertia,
ſplendore participant. Verũ nullũ ex frigidis leue eſt ac laxũ, & ſublimia petẽs. Sed & ne-
bulæ quandiu quidẽ ad aëris ſubſtantiã magis accedunt, ſublimes ſunt: ubi uerò in humo
rem tranſmutantᷣ, ſtatim delabuntur, & nõ minus leuitatẽ ꝙ caliditatẽ abijciunt, frigidita-
te accedente: & uice uerſa, quũ caliditas acceſſerit, rurſus motũ conuertunt, ſimulq; in aë-
rem tranſmutantᷣ, ſubſtantia ſurſum uergente. Atqui neq; corruptionis res uera eſt: non e-
nim in contrariũ, ſed à cõtrario corrumpunᷣ ſingula pereuntia, quemadmodũ ignis ab a-
qua in aërẽ. Aeſchylus equidẽ etiamſi tragicè, uerè tamẽ dixit: Siſte aqua ignis uiolentiã.
Homerus aũt fluuio Vulcanũ, & Neptuno Apollinẽ, in pugna naturaliter magis ꝙ ſabu
loſe oppoſuit. Archilochus uerò de cõtraria ſentiẽte nõ male dixit: Altera aquã geſtabat

Perſarũ ſupplicatio maxima.

doloſe manu, altera ignẽ. Apud Perſas maxima ſupplicationũ erat, & quæ negari nõ poſ-
ſet, ſi ſupplex ignẽ tenens, & in flumine ſtans, minaretur ignẽ in aquam ſe miſſurũ eſſe, ſi
uoti compos non fiat, aſſequebatur etenim quæ petebat: uerũ uoti compos puniebaᷣ pro
pter minas, ut quæ contra legum edicta, & contra naturã factæ eſſent. Et ſanè uulgatũ il-
D lud omnibus, ignem aquæ miſcere cogentem ad impoſsibilia teſtari uidetur: nam igni a-
qua contraria eſt, & ab hac corrumpitur, caſtigaturq; ac extinguitur: non ab aëre, qui &
ſubſtantiam ipſius ſuffert, & ſuſcipit etiam tranſmutatũ. Si enim hoc, in quod tranſmutaᷣ
id quod corrumpitur, contrariũ eſt, non magis utiq; aëri ignis ꝙ aqua contrarius apparet:
mutatur enim in aquam cõgregatus, in ignem uerò diſcretus. Quemadmodũ rurſus aqua
per diſcretionẽ quidem in aërẽ corrumpitur, per concretionẽ autẽ in terrã, meo quidem
iudicio propter familiaritatẽ & cognationẽ quam ad utrunq; habet, nõ uelut utriq; cõtra-
rium & inimicũ. Illi autẽ utro tandẽ modo dixerint, argumentũ & epicherema corrũpunt.
Congelari porrò aquã ab aëre dicere abſurdiſsimũ eſt, quũ ipſum aërem nequaꝙ conge-
lari uideamus. Nebulæ enim & nubiloſitates, nõ ſunt congelationes, ſed cõgregationes
ac craſsitudines aëris humidi & uaporoſi. Siccus aũt aër & humiditatis expers, neque ad
hanc tranſmutationẽ ſuſcipit frigiditatẽ. Sunt enim montes qui nõ capiunt nebulas, non
rorẽ, non nubiloſitatem, utpote in purũ & omnis humiditatis exortẽ aërem ſummis ſuis
partibus progreſsi: ex quo maximè manifeſtũ eſt, quòd inferna condenſatio ac cõgrega-

Cur magna flumina in alto non congelentur.

tio & cõpages aëris humidũ ac frigidũ permixtũ remittit. Inferna aũt magnorũ fluminum
non congelantur ſecundũ rationẽ: nam ſuperna congelata exhalationẽ nõ tranſmittunt.
Hæc itaq; incluſa ac repreſſa, liquoribus in profundo caliditatẽ exhibet. Eius rei demon-
ſtratio inde eſt, ꝙ ſoluta rurſus glacie, multus uapor ex liquorib. effertur. Quapropter etiã
animaliũ corpora hyeme ſunt calidiora, propterea ꝙ caliditatẽ in ſeipſis contineant, præ
externa frigiditate intrò compulſam. At uerò effluxus & eleuationes nõ ſolũ caliditatem
aquis eximunt, ſed etiã frigiditatẽ. Vnde qui frigiditate ualde opus habent, niues & con-
ſtrictas ab ipſis aquas minimè mouent: motus enim utranq; expellit. Quòd aũt non aëris
eſt, ſed aquæ talis facultas, ſic quis denuò ex integro oſtendere poſsit. Primũ quidẽ nõ eſt
uериſimile, aërem igni uicinum & contingentem eius circunferentiam, & qui contingitur
uiciſsim ab eadem ignea exiſtente, contrariam ipſi uim habere. Neq; enim aliàs poſsibile
eſt, utpote qui contingat, & continenter in finibus ipſius conſiſtat. Neq; ſecundum natu-
ram rationẽ habet, conſequenter à corrumpente locare id quod corrumpiᷣ, tanꝙ nõ ſocie
tatis neq; harmoniæ, ſed belli ac pugnæ opifex exiſtat. Vtitur autem non intemperatis,
neq; repugnantibus, ſed uiciſsim poſitionem quandã & ordinem non corruptorium, ſed

ſocia-

A ſocialem per alia & cooperantẽ, in medio implexũ habentibus: atq; hunc ordinẽ & locũ
aẽr accepit, ſuffuſus igni ante aquam, & in utraq; diſtribuens, ipſaq; concilians, neq; cali-
dus exiſtens ipſe neq; frigidus, ſed frigidi ac calidi temperamentũ ac ſodalitiũ: nam in ip-
ſo mixturã utraq; innoxiam babent, & molliter remittentem ac ſuſcipientẽ contrarias ex-
tremitates. Deinde aẽr quidem ubiq; æqualis eſt, hyems autẽ non ubiq; æqualis, neq; fri-
gida, ſed aliæ quidem orbis terrarum partes frigidæ & humidæ ſunt, aliæ ſiccæ & calidæ,
nõ fortuitò, ſed quòd una ſubſtantia frigiditatis & humiditatis exiſtat. Multa enim Libyę
pars calida eſt & inaquoſa. Scythiam aũt & Thracen ac Pontũ paludes magnas habere,
& fluminib. profundis ac multis perflui, narrant qui eas regiones ſunt peruagati. Et qui
in medio horum ſiti ſunt loci, prout iuxta ſtagna & paludes ſitum habent, frigus maximè
habent propter euaporationes ex aquis. Poſidonius porrò frigiditatis cauſam referens
eſſe recentem paluſtrem ac humidum aẽrem, non ſoluit probabile, ſed magis incredibile
fecit. Non enim appareret recens aẽr ſemper frigidior, ſi nõ frigiditas in aquis generatio-
nem haberet. Melius igitur Homerus, inquiens:

Aura autem excesſit de flumine frigida,

fontem frigiditatis demonſtrauit. Inſuper & ſenſus ſæpe nos fallit, quũ ueſtes aut lanas fri
gidas attingimus, arbitrantes humidas contingere, propterea quòd cõmunis utriſq; ſub-
ſtantia exiſtat, & propinquas ac familiares naturas habeant. Et in regionib. grauem hye-
mem perferentibus, frigus multa uaſa & ærea & fictilia rumpit, ſed nullũ uacuũ, uerũ om- *Frigus cur uaſa rumpat.*
nia plena, aqua uiolante ipſa per frigiditatẽ. Quanq; Theophraſtus dicat aẽrem rumpere
uaſa, liquore uelut inſtrumento utentẽ. Sed uide ne boc ſcitè magis ꝙ uerè dictum ſit. O-
portebat enim pice plena, itemq; lacte, magis ab aẽre rumpi. Verùm apparet aquã ex ſeip
ſa & primariò frigidã eſſe. Nam frigiditate opponitur ad caliditatẽ ignis, quemadmodum
humiditate ad ſiccitatẽ, & grauitate ad leuitatem: & in ſumma, ignis diſparatiuus eſt & di
ductiuus, aqua uerò conglutinatiua & detentiua, per humiditatẽ cohibens & congelans.
Cuius ſententiæ etiã Empedocles ſuſpicionẽ de ſe præbet, ut qui ignem quidẽ contentio
nem pernicioſam, aquã uerò coniunctionem & amicitiã ubiq; appellet: quandoquidẽ ali
mentũ ignis eſt quod in ignem mutatur: mutatur autem cognatũ & familiare: cõtrarium
B uerò ęgrè tranſmutari poteſt, uelut aqua ipſa quidẽ inuſtilis, ut ita dicam, exiſtit. Materiã
aũt & herbam humidã, & ligna madida, ægrè uſtilia reddit, quę flammã atrã ac obſcuram
præ uiriditate emittũt, frigiditate pugnante aduerſus caliditatẽ, uelut natura contrariã &
inimicã. Expende itaq; & hæc, collatione ad illa facta. Quandoquidẽ uerò etiã Chryſip
pus putans aẽrẽ primariò frigidũ eſſe, propterea quòd etiã primariò eſt tenebroſus, ſolũ
eorũ mentionem fecit qui aquã amplius ab igne, ꝙ aẽrem diſtare dicunt: & aduerſus ipſos
dicere quid uolens, ſic quidẽ, inquit, etiam terrã frigidã primariò eſſe dicere poſsimus, ꝙ
ab igne plurimũ diſtet, tanq; improbandã penitus & abſurdã reijciens hanc rationẽ. Ego
ſanè mihi uideor demõſtraturus eſſe, neq; terrã expertẽ eſſe uerisimiliũ ac probabiliũ, in-
de initio facto, quo maximè Chryſippus ſuper aẽre utiť. Quod eſt aũt illud: quòd prima-
riò tenebroſus exiſtit. Etenim ſi hic duarũ facultatũ oppoſitionib. acceptis, opinatur etiã
alterã ad alterã neceſſariò ſequi, infinitæ utiq; ſunt oppoſitiones & cõtrarietates terræ ad
ignẽ, ad quas etiã hanc quis ſequi adæquauerit. Non enim ut grauis ad leuẽ, & deorſum
uergens ad ſublimia petentẽ, ſolummodo oppoſita eſt, neq; ut denſa ad rarũ, neq; ut tar-
da & ſtabilis ad repentinũ & motoriũ, ſed ut grauiſsima ad leuiſsimũ, & denſiſsima ad ra
riſsimũ, & poſtremũ ut immobilis ex ſeipſa ad mobilẽ per ſe, & mediã tenens regionẽ ad
eum qui ſemper circulariter circunferť. Non abſurdũ igitur ad tot ac tantas oppoſitiones,
etiã eam quæ frigiditatis & caliditatis eſt cõſequi. Atenim ignis ſplendidus eſt, neq; quic-
quam tenebroſum habet. Tenebroſiſsimũ quidẽ igitur omniũ, & omnis lucis expers eſt
terra. Et aẽr quidẽ primus particeps eſt lucis, & celerrimè mutať, & impletus ubiq; ſplen-
dorem diſtribuit, ſplendoris & auroræ corpus ſeipſum exhibens. Sol enim emergens, ue-
luti quidã dithyrambicus poẽta dixit, ſtatim magnã aẽrẽ penetrantiũ uentorũ domũ im-
plet: ex hoc aũt & ſtagnis & mari ſplẽdoris partẽ deſcendens immittit, & fluminũ profun
ditates ſerenæ factæ lætè arrident, prout aẽris quantitas ad ipſas peruenit. Sola aũt terra
ex omnib. corporibus ſemper luce caret, & à Solis & Lunę lumine inſaucia permanet. Ca
leſit aũt ab ipſis, & tepefaciendã ſe exhibet caliditati ad modicã ipſius portionẽ ſe immer-
genti. Verũ ſplendorẽ nõ tranſmittit præ ſoliditate, ſed in ſuperficie illuminať. Quæ uerò
intra eã ſunt tenebræ, & chaos, & orcus appellanť. Sed & Erebus hę utiq; terreſtres ac ſub
terraneæ tenebræ exiſtunt. At uerò noctẽ poẽtæ ex terra natã eſſe fabulanť. Mathematici

C autem umbram terræ obijcientis ſe aduerſus ſolem eſſe demonſtrant. Etenim aër imple-
tur tenebris à terra, uelut luce à ſole, & quod ex ipſo lucis expers atq; non illuminatũ eſt,
longitudo eſt noctis, quantũ umbra terræ diſtribuitur. Quapropter externo quidẽ aëre,
etiam nocte exiſtente, & homines & animantia bruta utuntur: pleraq; enim pabulũ quæ-
runt per tenebras, nihilominus ueſtigia lucis, & defluxus ſplendoris in ſeipſis diſperſos
habentes. Domeſticus autem aër & ſub tecto concluſus, penitus cæcus eſt & lucis expers,
utpote terra ipſum undiq; includente. Sed & coria & cornua animalium integra quidem
ſplendorem non tranſmittũt præ ſoliditate: ubi uerò ſecta ſunt raſáq; & expolita, reddun-
tur pellucida, aëre ipſis permixto. Opinor autem & nigram ubiq; à poëtis appellari ter-
ram, propter tenebroſitatem & lucis priuationẽ. Quare precioſa illa tenebroſi oppoſitio
aduerſus ſplendidum, magis in terra ꝙ aëre exiſtit. Sed hæc longius digreſſa ſunt à propo
ſita quæſtione. Multa enim ex ſplendidis frigida eſſe, & contrà ex obſcuris ac tenebroſis
calida, demonſtratum eſt. Illæ autem magis cognatæ facultates frigiditatis ſunt, grauitas,
ſtabilitas, denſitas, immutabilitas: quarum nulla aëri, omnes autem magis terræ ꝙ aquæ
Piſces cõgelatos ut uitra confringi.
adſunt. Quin & frigidum uel maximè omnium ſenſibiliter durum eſt, & induratiuum ac
renitens. Etenim Theophraſtus piſces præ frigore congelatos narrat confringi ac conte-
ri, uelut uitra aut fictilia corpora, ſi in terrã dimittantur. In Delphis autem ipſe audiuiſti,
quòd eorum qui in Parnaſum aſcenderunt ad auxilium ferendum Thyadibus, ſic per gla
ciem duræ ac lignoſæ factæ ſunt chlamydes (apprehenderat autẽ ipſos nix ac uentus gra-
uis) ut & confringerentur ac rumperentur quum diſtenderentur. Facit & neruos ægrè fle
xiles, & linguam mutam uehemens frigus, per duritiam & immobilitatẽ, & humidas &
molles corporis partes congelans. Quæ quum ita fieri uideantur, conſidera mihi rem hoc
modo. Omnis ſanè facultas ſi ſuperat, tranſmutare ac uertere in ſeipſam à natura ſolet id
quod ſuperatum eſt. Nam quod à caliditate uincitur igneſcit, quod ab aëre exaëreſcit:
quod uero in aquam illapſum eſt, ſi nõ effugerit, diffunditur ac colliqueſcit. Neceſſe itaq;
eſt etiam frigefacta penitus, in primariò frigidũ tranſmutari. Eſt autem frigiditatis excel-
ſus congelatio. Congelationis uerò finis eſt alterari ac lapideſcere, ubi frigido penitus ſu-
perante, humiditas quidem congelata fuerit, caliditas uerò expreſſa. Vnde terra quidem
D in profundo glacies eſt, ut ita dicam, & cryſtallus ex toto. Frigidum enim intemperatũ &
molliri neſciũ illic habitat, eô quamlongiſsimè ab igne detruſum. Cæterũ hæc palàm ap-
parentia, uelut ſaxa, rupes, ſcopulosq; ac petras, Empedocles quidẽ ab igne opinatur in
profundo terræ conſiſtere, & ab ipſius flamma firmari ac cõcreſcere. Verùm magis appa-
ret omnia hæc à quibus calidum expreſſum eſt & euolauit, omnino à frigore congelari,
quapropter etiam πάγοι à congelatione ſaxa Græcis appellantur. Et ſummę partes multo
rum denigratorũ, iſthic ubi calidũ elapſum eſt, ambuſtis ſimiles uidentur. Congelat enim
frigidum alia magis, alia minus, maximè uerò ea quibus primariò à natura ineſt. Quem-
admodum enim ſi calidi eſt leuem facere, id quod leuiſsimũ eſt, calidiſsimum eſt. Si uerò
humidi mollire, id quod molliſsimum eſt, humidiſsimum eſt. Sic etiam ſi frigidi eſt conge
lare, id quod maximè congelatũ eſt, neceſſe eſt frigidiſsimum eſſe, uelut terra. Quod uerò
frigidiſsimum eſt natura, id ſanè & primariò frigidum eſt. Quare primariò & natura frigi
dum terra exiſtit. Deniq; & ſenſui hoc ipſum manifeſtũ eſt. Nam & lutum frigidius eſt ꝙ
aqua, & terra ingeſta ignis diſperditur. Et fabri ferrarij ignito & liqueſcenti ferro marmo
rum & lapidum præſegmina inſpergunt, multam fluxionem ſiſtentes ac perfrigerantes.
Perfrigerat autẽ & Athletarũ puluis corpora, & ſudores extinguit. Sed & neceſsitas quæ
nos ſingulis annis transfert, & habitationem mutare cogit, quid ſibi uult? hyeme enim ꝙ
longiſsimè à terra, ad ſublimia & à terra eminentia nos fugat. Aeſtate autem rurſus infer-
na amplectitur ac ſubit, cõmodáq; refugia perſequens, diætam in ulnis terræ amicè collo-
cat. Nónne igitur hæc facimus, à frigiditate per ſenſum ad terram deducti, & primariò à
natura frigidum agnoſcentes? Itaq; maritimæ per hyemem diætæ, quodammodo terræ
fugæ ſunt, quantum poſsibile eſt relinquentibus nobis ipſam propter frigus. Maritimum
autem aërem & ex profundo maris emergentem, utpote calidum exiſtentem, amplecti-
mur. Deinde rurſus in æſtate terrigenum ac terreſtrem præ æſtu expetimus, non ipſum fri
gidum exiſtentem, ſed è primario & natura frigido germinantẽ, & à facultate terræ tin-
Aquæ quæ frigidiſsimæ.
ctum, ueluti per tincturam ferrum. Etenim ex fluentibus aquis petroſæ ac montanæ frigi
diſsimæ ſunt, & ex putealibus quæ ſunt cauiſsimæ. His enim nõ amplius per profundum
miſcetur externus aër, illæ autem elabuntur per terram immixtam ac puram: uelut circa
Tænarum, quam Stygis aquam uocant, ex petra lentè deſtillans, adeò frigida, ut nullum

aliud

A aliud uas, ſed ſola ungula aſinina eius capax ſit, reliqua cõfringit ac perrumpit. Inſuper autem etiam Medicos audimus, quòd omnis in genere terra, à natura adſtringere ac frigefacere ſolet: enumerantq́; ijdem multa ex metallicis, quæ adſtringentem ac cohibentem facultatem ipſis ad medicamenta exhibent. Etenim elementum ipſius non ſectorium, non motorium, non ſtillatitium, neq; acumine præditum, neq; molle, neq; fuſile exiſtit, ſed firmum ac ſolidum uelut cubus, itemq́; firmatiuum: unde ſanè & grauitatem habet. Et frigidum, ſi quidem facultas ipſius erat denſare, & impellere ac exprimere humida, horrores & tremores propter inæqualitatem in corporibus operatur. Si uerò præualuerit, caliditate fugata ac penitus extincta, habitum facit glaciatum & mortificatum. Vnde neq; in totum uritur terra, aut lentè uritur, & uix tandem. Equidem aër ex ſeipſo ſæpe flammam remittit, & fluit, & fulgurat igneſcens. Calidum autem humido uelut alimento utitur: non enim ſolidum, ſed humidum in ligno uſtile exiſtit: quod ubi reſiccatum fuerit, ſolidũ & aridum reliquum fit, cinis factum. Qui uerò conantur demonſtrare etiam hoc ipſum trãſmutari ac conſumi, oleo ſæpe imbuunt adipeq́; ſubigunt, ſed nihil perficiunt, uerùm ubi exuſtum eſt pingue, ſupereſt omnino & permanet terreum. Vnde non ſolùm iuxta locum ex ſede immobilem ipſam exiſtentem, ſed etiam iuxta ſubſtantiam immutabilẽ, aliquando uerò in deorum domo manentem, inclytam ueteres appellauerunt, propter ſtabilitatem ac firmitatem: cuius uinculum eſt frigiditas, uelut Archelaus Phyſicus ait, nulla re laxante ipſam neq; molliente, ut quæ neq; caleat, neq; tepeſcat. Qui uerò flatum & aërem quidem, itemq́; aquam frigidam ſentiri, terram autem minus dicunt, propinquiſsimã terram inſpiciunt, aëre & aquis & ſole & caliditate refertam, mixturamq́; ac contemperamentũ redditam: & nihil differũt ab his qui non ignem natura & primariò calidum, ſed feruentẽ aquam, & ignitum ferrum pronunciant, quòd hæc quidem contingunt ac aſſequuntur, primi uerò puri & cœleſtis ignis ſenſum, per tactum non percipiunt, quemadmodũ neq; hi terræ in profundo, quam maximè terrã eſſe mente quis concipere poteſt, ipſam per ſe ipſam ab alijs diſcretã. Signum autẽ huius etiam hîc circa petras exiſtit: multum enim & non facilè tolerabile frigus ex profundo exhibent. Et qui frigidiore potu opus habent, ſilices in aquam ipſam mittunt: redditur enim ſalubrior, & circum frigiditatem à lapidibus

B recentem & intemperatam emergentem exacuitur & confirmatur. Veteres igitur ſapientes ac doctos uiros, terreſtria & cœleſtia immixtibilia poſuiſſe putandũ eſt, non locorum reſpectu, uelut in libra ſuperna ad inferna inſpiciendo ac conferendo, ſed ob facultatũ differentiam, altera quidem calida & ſplendida & uelocia ac leuia, immortali ac ſempiternæ naturæ attribuiſſe: altera uerò tenebroſa & frigida ac tarda, corruptibiliũ ac mortuorum non felicem ſortem pronunciaſſe. Quandoquidem etiam corpus animalis quandiu ſpirans eſt & uiride, uelut poëtæ loquũtur, caliditate ac uita utitur. Vbi uerò ab his fuerit deſolatum, & in ſola terræ portione relictum, frigiditas ſtatim occupat & rigor, tanq; in omni re magis quàm in terreo ſecundùm naturam caliditas inſit. Hæc, ô Phauorine, bis quæ ab alijs dicta ſunt confer, & ſi neq; abſunt, neq; excedũt multùm ueriſimilitudinẽ, ac probabilia exiſtũt, opiniones ualere ſinito, magis philoſophicum ducens, in obſcuris ſuſpenſam ſententiam tenere, quàm aſſentiri.

Aſininæ ungulæ firmitas.

Terra immutabilis.

Plutarchi ſumma, quòd Stoici magis inopinata quàm poetæ dicunt.

IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERPRETE.

CAENEVS apud Pindarum iudicatur præter fidem, ferro infractus, & ita formatus, ut corpus læſioni minimè obnoxiũ habeat: deinde inuulneratus terram ſubiens, terra recto pede fiſſa. At uerò Stoicus Lapitha, quemadmodũ ex Adamantina materia, ab ipſis ex indolentia fabrefactus, non inuulnerabilis eſt, neq; morborũ expers, neq; dolorũ exors, uerũ intrepidus manet, & triſtitiæ expers, & inſuperabilis, & cogi non poteſt, etiãſi uulneret̃, doleatq́; ac torqueat̃, in patriæ deuaſtatione, ac huiuſmodi afflictionib. Et Pindari quidẽ Cæneus impetitus non ſauciat̃: Stoicus aũt ſapiens incluſus nõ impedit̃, & præcipitatus nõ cogitur, & tortus nõ torquet̃, & mutilatus nõ læditur, & in luctando cadens inſuperabilis eſt, & obſeſſus nõ obſidetur, & uenundatus

C ab hoſtibus capi non poteſt: nihil differens à nauibus quibus ſpecioſi tituli inſcripti ſunt, Bona nauigatio, &, prouidentia ſeruatrix, &, medicatrix, tempeſtatē tamen perferunt, cōteruntuŕq; ac ſubuertuntur. Iolaus Euripidis ex imbecilli & decrepito, uoto quodam iuuenis & fortis ad pugnam repentè factus eſt. Stoicus autem ſapiens heri quidē erat odioſiſsimus, ſimuĺq; peſsimus: hodie repentè mutatus eſt in uirtutē, & ex rugoſo ac pallido, & uelut Aeſchylus ait, ex lumborū doloribus uexato, & à doloribus conuulſo, miſero ſene, decorus, pulcherrimus ac diuina ſpecie præditus euaſit. Et Vlyſsis rugoſitatem, caluitiem aç deformitatem Pallas abſtulit, ut pulcher appareret. Cæterùm horum ſapiens non deſerente corpus ſenecta, ſed etiā augeſcente & ferè obruente, manens incuruus, ſi ita contingat, & edentulus, & unoculus, neq; turpis, neq; deformis, neq; inhoneſta facie præditus eſt. Stoicus enim amor, quemadmodum ſcarabæi dicuntur unguentū relinquere, grauеolentia uerò perſequi, ſic turpiſsimis & deformiſsimis conuerſans, ubi in formoſitatem ac pulchritudinem à ſapientia mutati fuerint, auertitur. Porrò qui apud Stoicos manè, ut ita ponamus, peſsimus eſt, ueſperi optimus eſt: & qui ſomno ſe dedit ſtolidus, indoctus, iniuſtus, proteruus, & per Iouē ſeruus, & pauper, & inops, eo ipſo die ſurgit & rex, & diues, & felix factus, modeſtuśq; & iuſtus, & cōſtans, & illuſtris, nondum barba producta, nondum pubertate expleta, in corpore iuuenili ac tenero, imò in imbecilli ac tenera anima, effœminataq́; ac inconſtanti, mentem perfectā, ſummā ſapientiam, diſpoſitionem diuinam, inopinabilem ſcientiā, & intranſmutabilem habitum nactus, nō remittente prius in ipſo malitia, ſed derepentè, parum abeſt, heros quidā, ut ita dicā, aut dæmon, aut Deus, ex peſsima beſtia factus. Etenim qui uirtutem ex Stoa accepit, dicere poteſt: Opta ſi quid uoles, omnia tibi contingent: diuitias affert, regnū habet, fortunam prębet, felices facit & nullius rei indigentes, ac ſufficientes, eos qui ne unam quidem drachmam domi habent. Equidem poëtica fabula decori rationem cuſtodiens, nuſquam relinquit Herculem neceſſariorum indigum, ſed uelut ex fonte affluit ipſi ac ſocijs ipſius. At uerò qui Stoicā accepit Amaltheam, diues quidem factus eſt, cibum autē corrogat ab alijs: & Rex quidem eſt, uerùm pro mercede reſoluit ſyllogiſmos: & omnia quidem habet ſolus, uerùm pro domo locatori perſoluit, & farinas reddit ſæpe mutuatus, ac petit etiam à nō habentibus. Et
D Ithacenſium quidem Rex mendicat, latêre cupiens quis ſit, & ſe egeno humili ꝗ maximè aſsimilans. Stoicus autem ualde boans ac uociferans, ego ſolus Rex ſum, ego ſolus diues ſum, ſæpenumero ante alienas fores conſpicitur dicens, dato lænam Hipponacti, ualde enim frigeo ac tremo.

Plutarchi de Stoicis contrarietatibus liber.

IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERPRETE.

PRIMVM omnium expeto, ut dogmatum profeſsio in ipſa uita conſpicua ſit. Non enim adeò oportet rhetorē idem dicere quod legem, uelut Aeſchines ait: ſicut uitam philoſophi ſermoni cōſonam eſſe (ſermo enim philoſophi lex uoluntaria & priuata exiſtit) ſi ſanè non ludum & loquacitatem ad opinionem parandam, ſed opus maximè ſerium, uelut utiq; eſt, philoſophiam opinantur. Quandoquidē igitur multa quidem in ſermonibus ipſi Zenoni, multa Cleanthi, plurima Chryſippo ſcripta ſunt, de Repub. de ſubditis, de magiſtratu, de iudicando & patrocinando: uerum in nullius uita reperire eſt, neq; exercitū ductum, neq; legislationem, neq; acceſſum ad ſenatum, neq; patrociniū apud iudices, neq; militiā pro patria, neq; legationem, neq; erogationem publicè factam: ſed apud externos ſchola uelut loto guſtata, omnē uitam, eamq; non breuem, ſed quæ ualde longa ipſis contigit, in ſermonibus ac libris & deambulationibus cōtriuerunt, ut non obſcurū ſit, quòd magis in his quæ ab alijs ſcripta ac dicta ſunt uixerint, ꝗ his quæ ipſi ſunt profeſsi, in quiete, quam Epicurus & Hieronymus laudant, uniuerſa uita tranſacta. Ipſe itaque Chryſippus in quarto de uitis, ſcholaſticam uitam nihil putat à uoluptuaria differre. Sed apponam ipſius uerba: Quicunq; opinantur ad philoſophos maximè pertinere ſcholaſticā uitam, ab initio nō uidentur mihi quid aberrare,

oblecta-

A oblectamenti cuiuſdam gratia hoc facere oportere ſuſpicantes, aut alterius cuiuſdam rei
huic conſimilis, & totam uitam ſic diſtrahere, hoc eſt, iucundè, ſi palàm quis contemple-
tur. Non enim clàm eſſe oportet ipſorum ſuſpicionem, quum multi manifeſtè hoc dicant,
non pauci autem obſcurius. Quis igitur magis in hac ſcholaſtica uita conſenuit, quàm
Chryſippus, & Cleanthes, & Diogenes, & Zeno, & Antipater: qui etiã proprias patrias
reliquerunt, nihil conquerentes, ſed quò quietè in uoluptate, & in porticu philoſophan-
tes, & ſermonis ſtudio deditì uitam degerẽt. Itaq; Ariſtocreon Chryſippi diſcipulus & fa
miliaris, imaginem æream ipſi ſtatuens, hoc elegiacum diſtichon adſcripſit:

Hanc tibi Ariſtocreon ſtatuam Chryſippe locauit
Illaqueamentis falci Academiacis.

Hoc igitur Chryſippus ſenex, philoſophus, & qui regiã ac politicam laudat uitã, ſchola-
ſticam autem nihil à uoluptuaria differre arbitratur, ſcripſit. Quicunq; uerò alij ex ipſis ad
reſpublicas accedunt; magis adhuc ſuis ipſorum dogmatibus aduerſantur. Nam & magi-
ſtratus gerunt, & cauſas iudicant, & conſulunt, & leges ferunt, & puniunt, & damnant,
tanquam ciuitates habeant, in quibus remp. adminiſtrent, & ſenatores ac iudices qui ſem
per ſorte fiant, & belli duces qui plebiſcito creentur, et Cliſthenis & Lycurgi ac Solonis
leges, quos uitioſos & fatuos fuiſſe dicunt. Quare etiam rempub. gerentes ſibijpſis repu-
gnant. Quin Antiparer in libro de Cleanthis & Chryſippi differentia narrat, quòd Zeno
& Cleanthes non uoluerint Athenienſes fieri, ne patrijs ſuis iniuriam facere uiderentur.
Si quidẽ igitur hi rectè, non rectè fecit Chryſippus in remp. adſcriptus. Sed dimittamus
hoc. Valde autem pugnans eſt, neq; ratione conſiſtens, corpora ac uitas adeò longè ad
peregrinos homines transferre, nomina uerò patrijs ſeruare. Quemadmodum ſi quis re-
licta uxore, & cum altera uiuens ac cõdormiens, & ex ipſa liberos ſuſcipiens, nuptias non
contrahat, ne priotem iniuria afficere uideatur. Chryſippus porrò rurſus in libro de Rhe
torica ſcribens, Sic patrocinari ac remp. gerere ſapientem oportet, uelut & diuitiæ bonæ
ſint, & gloria, & ſanitas: confitetur ſermones ſuos exitu carere, & ad remp. non pertinere,
& dogmata non cõuenire rebus et actionibus. Inſuper Zenonis dogma eſt, templa deo-
rum non eſſe extruenda: templum enim non precioſum, etiam ſanctum non eſt. Archite-
B ctorum autem et mechanicorum nullum opus precioſum eſt. Qui uerò hæc laudant ut
probè dicta, in templis initiantur, et in arcem conſcendunt, et ſimulachra adorant, et na-
ues coronant, quæ architectorum opera exiſtunt, & hominum mechanicorum. Deinde
Epicureos redarguiſſe ſibi uidẽtur qui ſacrificãt deis. Verùm ipſi magis redarguũtur ſacri
ficantes in aris ac tẽplis, quæ neq; eſſe debere, neq; ædificari oportere cẽſent. Zeno uirtu-
tes relinquit plures ſecundum differentias, quemadmodum Plato, uelut prudentiam, for
titudinem, temperantiam, iuſtitiam, tanquam inſeparabiles quidem ſint, aliæ tamen et
inter ſe diuerſę. Et rurſus unamquanq; ipſarũ definiens, fortitudinem ait eſſe prudentiam
in faciendis, iuſtitiam autem prudentiam in diſtribuendis: tanquam una uirtus ſit, uerùm
habitibus ad res agendas differre uideatur. Non ſolùm autem Zeno ſibijpſi repugnans
in his uidetur, ſed & Chryſippus, Ariſtonem quidem reprehendens quòd unius uirtutis
reliquas habitus eſſe dixerit: Zenonem autem defendit ſic unamquanq; uirtutem defi-
nientem. Cæterùm Cleanthes in commentarijs Phyſicis dicens, quòd firmitas eſt plaga
ignis, et ſi ſufficiens in anima fiat ad perficienda ingruentia, robur appellatur & fortitu-
do, hæc uerba infert: Hæc autem fortitudo ac robur, ubi quidem in conſpicuis expectan-
dis contigerit, temperantia eſt: ubi uerò in ſuſtinendis, fortitudo: circa officia autem, iuſti-
tia: circa eligenda ac fugienda, prudentia. Ad eum qui dixit,

Non unquam cauſæ iudex uelis eſſe, priuſquam
Ambos audieris,

Zeno cõtradixit, huiuſmodi quodã ſermone uſus: Siue demon-
ſtrationẽ ac probationẽ fecit qui prior dixit, non audiẽdus eſt ſecundus: finẽ enim habet
quod quæſitũ eſt. Siue nõ fecit: ſimile enim eſt uelut ſi nõ appartuiſſet, nec audiuiſſet uo-
catus, aut obediẽs cantilenã ceciniſſet ac eluſiſſet. Siue autẽ demõſtrauit et probauit cau-
ſam, ſiue nõ, non audiendus ſecũdi ſermo. Hunc autẽ ſermonẽ ipſe propoſuit, & refuta-
uit ad Platonis rempublicã, ſoluitq; ſophiſmata, & dialecticen uelut hoc facere potentẽ,
diſcipulos aſſumere iuſsit. Quanquam ſiue demõſtrauit Plato, ſiue non demonſtrauit ea
quę ſcripſit in repub. iuxta neutrũ neceſſe erat refutare ac reſcribere, ſed penitus ſuperfluũ
eſt & uanum. Idem etiam de ſophiſmatis dici poteſt. Chryſippus putar adoleſcentes pri- *Ordo philoſo-*
mùm audire oportere rationalem philoſophiã et logicen, deinde moralẽ, et poſtea natu- *phiæ diſcendæ.*
ralem. Similiter de dijs ſermonem poſtremum aſſumere. Quum autem multis locis hæc

C ab ipſo dicta ſint, ſufficit apponere quæ in quarto de uitis ſcripſit, in hæc uerba: Primùm
quidem igitur uidetur mihi, prout rectè à ueteribus dictum eſt, tria genera ſpeculatio-
num philoſophi eſſe, rationale, morale, & naturale. Deinde ex his præponi oportet pri-
mùm rationale, ſecundò morale, tertiò naturale. Ex naturalibus autem poſtremus ſer-
mo de dijs ſit: quapropter etiam traditiones de his Græci τελετὰς à fine nominauerũt. At-
qui hunc ſermonem quem poſtremum ordinari oportere dicit de dijs, illic præponit, &
exponit ante omnem moralem quæſtionẽ. Neq; enim de finibus, neq; de iuſtitia, neq; de
bonis & malis, neque de nuptijs & puerorum educatione, neq; de lege & repub. quicquã
ex toto loquutus apparet. Niſi quemadmodum qui ſuffragia ac decreta ciuitatibus infe-
runt, præſcribunt bonam fortunam, ſic etiam ipſe præſcripſerit Iouem, fatum, prouiden-
tiam, contineri una facultate mundum qui unus ſit & finitus: ex quibus nihil perſuaderi
poteſt ei qui non penitus ſit in Phyſicis ſermonibus imbutus. Audi uerò quę de his in ter-
tio de dijs dicit: Non eſt reperire aliud iuſtitiæ principium, neq; aliam generationem,
quàm ex Ioue & cõmuni natura: inde enim omne tale principiũ habere oportet, ſi de bo-
nis & malis prõptè dicturi ſumus. Et rurſus in phyſicis poſitionibus: Non enim aliter aut
ſyncerius ad bonorũ ac malorũ ſermonem peruenire datur, aut ad uirtutes, aut ad felicita
tem, quàm à communi natura, & à mundi gubernatione. Et rurſus paululum progreſſus:
Oportet enim his connectere ſermonem de bonis & malis, quũ non ſit aliud melius ipſo-
rum principium, neq; relatio, neq; alterius alicuius gratia naturalis ſpeculatio abſumatur,
quàm ad bonorum ac malorum diremptionem ac diſcretionem. Fit itaque & ante & poſt
moralia, ſermo naturalis ſecundum Chryſippum: imò magis in totum dubia eſt ordinis
circumactio, ſi poſt hæc ille locandus eſt, quorũ nihil ſine illo intelligi poteſt. Et ſatis ma-
nifeſta eſt pugna, ponentes quidem naturalem ſermonem principium eſſe eius qui de bo
nis & malis eſt, uerùm iubentis non prius, ſed poſterius eius traditionem fieri. Si quis por
rò dicet ſcripſiſſe Chryſippum in libro de ſermonis uſu, quòd non omnino abſtinendum
eſt ab alijs, ei qui logicen primam aſſumit, ſed etiam illa attingenda eſſe, prout id datur,
uera quidem dicet, accuſationem autẽ confirmabit. Pugnat enim aduerſus ſeipſum, alibi
poſtremum de dijs ſermonem & ultimum aſſumere iubens, ut qui propterea etiam τελετὴ
D ſit appellatus: alibi rurſus in primis ſimul & hunc aſſumendũ eſſe dicens: perit enim ordo,
ſi omnia in omnibus attingere oportebit. Et quod m[illegible]us eſt, poſtquàm ſermonis de bo-
nis ac malis principium ſtatuit eum qui de dijs eſt, [illegible]on ab hoc iubet exordium mora-
lium ſumere, ſed illo aſſumpto hunc ſimul attingere, prout id datur, deinde ab illis ad hũc
tranſire, ſine quo nullum principium ab illis neq; acceſſum eſſe dicit, aduerſus contraria
diſſerendi. In ſumma, non dicit ſe improbare, uerùm ita cum cautione uti admonet, ue-
lut in iudicijs non cum defenſione, ſed ipſorum fidem ac integritatem eleuando. Etenim
ad eos qui de omnibus ſuſpenſam ſententiam retinent, pertinet hoc facere, inquit, eſtq;
ipſis auxiliare ad id quod uolunt. Qui uerò ſcientiam inſtituunt iuxta quam ex profeſſo
uiuamus, uice uerſa elementa tradere oportet, & eos quos erudiunt ordine ducere à prin-
cipio uſq; ad finem: in quibus occaſio eſt meminiſſe etiam contrariorum ſermonum, ipſo-
rum fidem ac integritatem eleuando, quemadmodum etiam in iudicijs. Hæc ſanè ſunt
ipſius uerba. Quòd igitur abſurdũ eſt philoſophos putare, oportere proponere contra-
rium ſermonem non cum defenſione, ſed ſimiliter ut cauſidici eum eleuando, tanquã non
ad ueritatem, ſed de uictoria contendant, alijs locis aduerſus ipſum dictum eſt. Quòd au-
tem ipſi non in ſermonibus ſolùm, ſed multis in locis contrarios bis, quos antea probauit,
ſermones ac ſententias adſtruxit, idq; fortiter ac ſeriò & cum tanta contentione, ut non cu
iuſuis ſit conſequi quid ipſi placeat ac probetur, ipſi ſanè dicunt qui uehemẽtiam uiri ad-
mirantur, & Carneadem nihil proprium dicere putant, ſed ex his quæ Chryſippus ad-
ſtruxit, in contrarium procedere, ac ipſius ſermones impetere, illudq; obiter ſæpenumero
Homeri uerſus. dicere, Infelix tua uis & te uehemẽtia perdet, ut qui magnas occaſiones cõtra ſeipſum
præbuerit, his qui dogmata ipſius reprehendere et euertere uelint. Cæterùm ob hos qui
contra cõſuetudinem æditi ſunt libros, ita ſuperbiũt et magna iactãt, ut omnes omniũ ſi-
mul Academicorũ libros in unũ collatos non dignos cenſeant, qui cum his conferantur
quos Chryſippus in ſenſuum calumniam ſcripſit: atq; hoc quidem ineptiarum & proprij
amoris ſignum eſt in his qui talia dicunt. Verùm illud uerum eſt, quòd uolens rurſus pro
conſuetudine & ſenſibus dicere, inferior ſeipſo factus eſt, & ſcriptum ſcripto mollius eſt,
ut ipſe ſibijpſi repugnet, iubens quidem contraria ſemper non cum defenſione, ſed cum
indicatione eius quod falſum eſt apponere: ſui uerò ipſius dogmatum accuſator eſt uehe-

mentior

A mentior quàm defenſor, admonetq; uitandum eſſe contrarios ſermones alijs apponere,
uelut comprehenſionē diſtrahentes. Verùm ipſe ſtudioſius componit deſtruentes quàm
confirmantes comprehenſionem ſermones. Quanquam quòd hoc ipſum uereatur & ti-
meat, manifeſtè ſubindicat in quarto de uitis hæc ſcribens: Non autem fortuitò contrarij
ſermones demonſtrandi ſunt, neq; ad contraria probabilia, ſed cum cautione, ne diſtracti
ab ipſis comprehenſiones dimittant, neq; ſolutiones ſufficienter audire potentes, & ut fa
cilè excuti queāt cōprehendētes. Quādoquidē qui iuxta conſuetudinē cōprehendūt &
ſenſibilia & alia ex ſenſibus, facilè dimittunt hæc, tum à Megaricis quæſtionibus, tum ab
alijs pluribus & potentioribus quæſtionib. diſtracti. Libenter itaq; audierim ex Stoicis,
an Megaricas quæſtiones potentiores eſſe arbitrantur, his quæ à Chryſippo contra con-
ſuetudinem in ſex libris conſcripta ſunt: aut hoc ex ipſo Chryſippo percunctari oportet?
Vide enim qualia de Megarico ſermone ſcripſit in libro de ſermonis uſu, hoc modo: Qua
le quiddam contigit & in Stilponis ſermone ac Menedemi. Quum enim in ſapientia ual-
de celebres ipſi fuerint, nunc in opprobrium ſermo ipſorum conuerſus eſt, uelut partim
craſſus, partim apertè operibus fucum inducant. Hos quidem ſermones ô bone quos de
rides, & opprobria proponentium uocas, uelut manifeſtam maliriam habentes, tamen ti
mes ne aliquos diſtrahant à comprehenſione. Verùm tu ipſe qui tot libros contra conſue
tudinem ſcripſiſti, quibus quicquid inueniſti inferſiſti, Arceſilaum ſuperare contendens,
nullum eorum quibus illi obueniūt interpellaturum eſſe ſperaſti? Non enim nudis utitur
contra conſuetudinem aggreſsionibus argumentorum, ſed uelut in publica actione cum
affectu quodam, coaffectus ſimul ipſe, ſtulta loqui & inanem operam inſumere ipſos di-
cit. Quò uerò ne contradictionem quidem relinquat contraria dicendi, in phyſicis poſi-
tionibus hęc ſcripſit: Licet autem cōprehendere & aggredi etiam contraria, defenſionem
quæ in ipſis eſt faciendo: quandoq; uerò neutrum comprehendere, in utrunq; quæ ſunt
dicere. Verùm in libro de uſu ſermonis, ubi dixit, quòd nō oportet ſermonis facultate ad
impertinentia uti, quemadmodum neq; armis, hæc ſubiunxit: Equidē ad ueritaris inuen-
tionem oportet ipſis uti, & ad eorum qui ueritati ſunt cognata, ad contraria autem non,
quū multi hoc faciant. Multos autem fortaſsis dicit eos, qui ſuſ, enſam ſententiā retinent.
B Verùm illi quidem neutrum conprehendentes, argumentis utrunq; aggrediuntur, uelut
comprehenſibile exiſtat. Tu autem illos accuſans, ipſeq; contraria ſcribens in his quæ de
conſuetudine comprehendis, & hoc alios facere cum defenſione inhortans, in inutilibus
& nociuis fateris te ſermonis facultate uti, & iuuenili temeritate multa audere, idq; ambi-
tioſe ac contentioſe. Porrò rectè factum, aiunt legis præceptum eſſe: peccatū autem, le-
gis interdictū: propterea legem multa malis interdicere, mādare autem nihil, recta enim
facere non poſſunt. Et quis non nouit, quòd ei qui nō poteſt recta facere, impoſsibile eſt
non peccare? Ipſam igitur ſibijpſi repugnantē faciunt legem, præcipientem quidem quæ
facere non poſſunt, interdicentem autem his à quibus abſtinere nequeūt. Etenim homo
qui modeſtus eſſe non poteſt, non poteſt non eſſe proteruus: & qui ſapere nequit, non po
teſt non deſipere. Attamen ipſi dicunt, interdicentes aliud dicere, aliud interdicere, aliud
præcipere. Qui enim dicit, Non furaberis, dicit quidem ipſum hoc, Non furaberis, inter-
dicit autem non furari. Nihil igitur interdicit lex malis. Si uerò non, præcipiet utiq; quid.
Et medicum diſcipulo præcipere dicunt ſecare & urere, iuxta omiſsionem, tempeſtiuè &
moderatè. Et muſicum lyra canere & pſallere, iuxta omiſsionem, concinnè & conſonan-
ter: propterea etiam eos qui inartificioſe ac male hæc faciunt, caſtigant, uelur præceptum
ſit rectè, hi uerò non rectè fecerunt. Igitur & ſapiens ſeruo mandans dicere quid ac face-
re, & ſi nō opportunè hoc fecerit, neq; uelut oportet, caſtigans, manifeſtè apparet rectè fa
ctum (catorthoma Græci uocant) mandaſſe, non medium. Si autem media præcipiunt ſa
pientes malis, quid uetat etiam legis præcepta talia eſſe? Quin & cōcitatio iuxta ipſum ſa-
nè hominis, ſermo eſt præceptorius ipſi faciendi, uelut in libro de lege ſcripſit. Igitur &
prætextus ac cauſificatio ſermo eſt interdictorius: & inclinatio, ac rationalis inclinatio, et
reuerentia, ſermo interdictorius eſt ſapienti. Vereri enim proprium eſt ſapientum, non
malorum. Si quidem igitur aliud eſt ſapientis ſermo, & aliud lex, repugnantem legi ſer-
monem habent ſapientes reuerentiam. Si uerò non aliud quid lex eſt, quàm ſapientis ſer-
mo, inuentum eſt legem interdicere ſapientibus facere quæ uerentur. Malis nihil utile
eſſe Chryſippus ait, neq; ullius mali utilitatem eſſe, neq; aliquo opus eſſe. Hæc loquutus
in primo rectè factorum, rurſus dicit & utilitatem & gratiam in media ſe extendere, quo-
rum nullum eſt utile ſecundum ipſos: quin neq; proprium, neq; conueniens quicquā ma-

C lo eſſe ait in his uerbis: Iuxta hæc ipſa autem, probo quidem & bono nihil alienum, malo
uerò nihil propriū eſt: quandoquidem alterū bonum, alterū malum eſt ex ipſis. Quomo-
do igitur tollit ac deſtruit rurſus per totum librum, phyſicum peculiariter & moralem ſcri
bens, quòd appropriamur ad ipſa ſtatim ubi nati ſumus, & partibus et ſoboli? In primo au
tem de iuſtitia, etiam beſtias dicit moderatè ob utilitatem ſobolis ad ipſa appropriari, ex-
ceptis piſcibus: ipſorum enim fœtus nutriūtur per ſeipſos. Sed neq; ſenſus eſt, his quibus
nihil ſenſibile eſt: neq; appropriatio, quibus nihil propriū. Appropriatio enim, ſenſus &
adeptio proprij eſſe uidetur: et hoc dogma ad principaliſsima conſequens eſt. Et Chryſip
pus etiamſi multa ad cōtrarium ſcripſit, manifeſtè propoſuiſſe uidetur, quòd neq; uitium
uitio, neq; peccatū peccato præmineat, neq; uirtus uirtuti, aut rectè factū rectè facto, ſicut
in tertio de natura ait: Quemadmodū Ioui cōuenit grauem perſonā induere, propter ſe ac
uitā ſuam, & magnificè ſentire, & ſi ita dicere licet, ceruicē erigere, & ſuperbire ac ſe iacta
re, propterea quòd uitam uiuat iactantia dignā: ſic bonis omnib. cōuenit eadē facere, ut-
pote quibus nulla parte Iupiter præmineat. Cæterùm ipſe rurſus in tertio de iuſtitia ait,
quòd iuſtitiam tollūt qui finē uoluptatem ſupponūt. Qui uerò ſolūmodo bonum eſſe di-
cunt, non tollunt. Verba eius ſic habent: Fortaſsis enim bonum ipſi relinquitur, finis au-
tem non. Quum autem per ſe eligibilium ſit & honeſtū, ſaluarimus utiq; iuſtitiam, maius
bonum relinquentes iuſtum & honeſtum, quàm uoluptatem. Sed ſi quidem ſolum hone
ſtum bonū eſt, peccat quidem qui uoluptatem bonum pronunciat, minus autem peccat
quàm is qui etiam finem ipſam facit: hic enim iuſtitiam tollit, ille ſeruat: & iuxta hunc ſo-
cietas uana eſt, & perijt, ille uerò iucunditati & humanitati locum præbet. Inſuper quod
dicit ipſe in libro de Ioue, uirtutes augeſcere & tranſire, dimitto, ne uidear nomina repre-
hendere, quanquā amarulentè in hoc genere & Platonem & alios Chryſippus mordeat:
uerùm iubens laudare non omne factum ſecundùm uirtutem, oſtendit quandam rectè fa
ctorum differentiam. Dicit autem ſic in libro de Ioue: Quum enim opera ſecundùm uirtu
tes ſint, propria ſunt & inter hæc prælata: uelut, fortiter digitum extendere, & continen-
ter abſtinere à doloroſa & cruciata anicula, & inoffenſe audire eum qui dicit, triā non eſſe
quatuor perfectè. Qualem frigiditatē declarat, qui propter huiuſcemodi laudare aliquos
D & encomijs uehere aggreditur? Similia his relata ſunt in tertio de dijs: Inſuper opinor, in-
quit, laudes alterari iuxta talia contingentia à uirtute, uelut abſtinere à doloroſa anicula,
& tolerare muſcæ morſum. Quem igitur alium accuſatorem hic ſuorum dogmatum expe
ctat? Si enim frigidus eſt qui talia laudat, multò utiq; frigidior eſt qui ſingula hęc rectè fa-
cta & magna ac maxima eſſe ponit. Si enim æquale eſt, fortiter muſcæ morſum perferre,
modeſtè à uetula abſtinere, nihil opinor differt uirtuoſum ab his aut ab illis laudari. In-
Amicitiarū ratio. ſuper in ſecundo de amicitia docens, quòd non in omnibus peccatis amicitias diſſoluere
oportet, his uerbis utitur: Conuenit enim alia quidem in totum prætermittere, alia autem
aduertētiam nanciſci modicam, alia etiam ampliorem, alia penitus diſſolutione digna iu-
dicare. Et quod maius eſt, in eodem ait, quòd alijs amplius, alijs minus coniungimur, ut a-
lijs plus, alijs minus amici exiſtamus. Quū autem multiplex huiuſmodi diuerſitas fiat, alij
enim talis, alij tātæ amicitiæ digni ſunt, etiam alij in tantum fide & ſimilibus digni iudica-
buntur. Quid enim aliud fecit in his, quàm quòd etiam horum magnas differentias reli-
quit? Atqui in libro de honeſto, ad demōſtrationem eius quòd ſolū honeſtum bonū eſt,
talibus uerbis utitur: Bonum eligibile eſt, eligibile uerò placitum, placitū autem laudabi-
le, laudabile uerò honeſtum. Et rurſus: Bonum gratū eſt, gratum autem uenuſtum, uenu-
ſtum autem honeſtū. Hi autem ſermones pugnant aduerſus illum. Si enim omne bonum
laudabile eſt, etiam modeſtè à uetula abſtinere laudabile fuerit. Omne autem bonū neq;
uenuſtum, neq; gratū eſt. Sed perit ſermo: fortaſsis enim poſsibile eſt, alios à talibus lau-
dare, frigidū eſſe: ipſum autem ob talia gloriari, & grauem perſonam induere, non ridicu-
lum eſſe. Et in multis quidem eiuſmodi eſt, uerùm in cōtradictionibus aduerſus alios, mi-
nimè curioſus eſt de eo ut nihil contrarium ſibijpſi ac diſſonum dicat. Itaq; in libris de in-
hortando, Platonem reprehendens dicentem, quòd ei qui neq; didicit neq; nouit uiuere,
conducit nō uiuere: hæc ad uerbum dixit, Talis ſermo & ſibijpſi repugnat, & minimè in-
hortatorius eſt. Primùm enim pronuncians quòd optimum eſt nobis non uiuere, & quo-
dammodo moriendum cenſens, ad alia quædam magis nos inhortatur, quàm ad philoſo
phandum: non enim poteſt non uiuens philoſophari, nec tamen multum tempus uiuens
male & ineptè, prudens fieri poteſt. Et progreſſus ait, quòd conuenit etiam malos mane-
re in uita. Deinde hęc uerba ſubdit: Primùm enim uirtus ſimpliciter nihil eſt ad hoc quòd

A nos uiuamus, ſic autem neq; malitia quicquã eſt ad hoc quòd nos moriamur. Atqui non opus eſt alios Chryſippi libros euoluere ad oſtendendam ipſius cõtra ſeipſum pugnam, ſed in his ipſis aliquando Antiſthenem laudans illud producit: Oportet comparare mentem aut reſtim. Item illud Tyrtæi: Virtutis finem prende uel interitũ. Verùm quid hæc uolunt aliud oſtendere, quàm quòd non uiuere cõducibilius eſt, ꝙ uiuere malis & ſtolidis? Aliquando ad Theognidem corrigens, Nõ oportebat, inquit, dicere, Pauperiem fugias: ſed magis, Tu uitium fugias cetoſo & mergito ponto,

Rupeq; de celſa præcipitato malum.

Quid igitur aliud facere uideri poteſt, ꝙ quòd tales res ac dogmata ipſe adſcribat, quũ uerò alij ſcribant expungat? utpote qui Platonem reprehendat, quòd non uiuere conducibilius eſſe, ꝙ male & ignoranter uiuere pronunciat: Theognidi autem cõſulat, de rupe præcipitem dare, ac in põtum abijcere ſeipſum, quò uitium effugere poſsit. Antiſthenẽ equidem laudans, quòd eos qui mentem non haberent ad laqueum compulit: ipſe rurſus uituperauit ubi dixit, nihil eſſe malitiam ad hoc quòd nos ex uita decedamus. Cæterũ in libris aduerſus ipſum Platonem de iuſtitia, ſtatim in principio impetit de dijs ſermonem, aitq; non rectè ab iniuſtitia auertere Cephalum deorum timore, poſſeq; ipſum facilè reuelli, ut qui ad contrarium multas diſtractiones inducat, & multa item probabilia quæ reluctantur aduerſus ſermonem de pœnis à dijs ſtatutis, uelut nihil differentem à fabulis Accus & Alphitus, per quas mulierculæ puerulos à peccando deterrent. Porrò quum ſic detrahat Platoni, laudat rurſus in alijs, & profert ſæpe hæc Euripidis: *Accus & Alphitus fabulæ.*

Sed ſi quis eſt qui rideat quæ dicta ſunt,
Eſt Iupiter, ſunt & dei, mortalium
Qui ſcelera conſpiciunt.

Et ſimiliter in primo libro de iuſtitia Heſiodicos hos uerſus producens:

Iupiter ingentem è cœlo cladem intulit, urgens
Fame ſimulq; & peſte uiros mox interituros.

Hæc ait deos facere, quò malis punitis, reliqui ipſos exempla ſibi proponant, & minus tale quid facere tentent. Rurſus in libris de iuſtitia præloquutus, quòd eos qui bonũ, ſed nõ
B finem, ponunt uoluptatem, poſsibile eſt etiam ſaluare iuſtitiam: hoc loquutus hæc uerba ſubiungit: Fortaſsis enim bonum ipſi relinquitur, finis autem non. Quum autem per ſe eligibilium ſit etiam honeſtum, ſaluarimus utiq; iuſtitiam, maius bonũ relinquentes iuſtum & honeſtum, ꝙ uoluptatem. Hæc quidem in his de uoluptate. Verùm in libris aduerſus Platonem, accuſans ipſum quòd uideatur bonum relinquere ſanitatem, non ſolùm iuſtitiam, ſed etiam magnanimitatem tolli dicit, itemq; temperãtiam, aliaſq; omnes uirtutes, ſi uoluptatem aut ſanitatem, aut aliud quid quod non honeſtum eſt, bonũ eſſe relinquamus. Quæ quidem igitur pro Platone aduerſus ipſum dicenda ſunt, alibi ſcripſi. Hic autem pugna manifeſta eſt, alibi quidem iuſtitiam ſaluari dicentis, ſi quis unà cum honeſto ſupponat etiam uoluptatem bonũ eſſe: alibi uerò rurſus criminantis, omnes uirtutes tollere eos, qui non ſolum honeſtum bonum eſſe relinquunt. Quò uerò ne excuſationem quidem reliquam faciat contrarietatibus, Ariſtoteli de iuſtitia contradicens, haud rectè ipſum dicere inquit, quòd uoluptate exiſtente fine, tollitur quidem iuſtitia, ſimul autem cum iuſtitia tolluntur & reliquæ uirtutes ſingulę. Iuſtitiam enim ab ipſis uerè tolli, uerùm nihil prohibere alias uirtutes exiſtere, etiamſi non per ſe eligibiles, attamen bonas & uirtutes futuras. Deinde ſingulas nominat: ſed præſtat ipſius uerba apponere, Etenim quũ uoluptas, inquit, finis per talem ſermonem pronũcietur, tale quidem totum non uidetur mihi in ipſo comprehendi: quapropter dicendũ, neq; uirtutem aliquam per ſe eligibilem eſſe, neq; uitium fugiendũ, ſed omnia hæc oportere demonſtrari ad ſubiectum ſcopũ. Nihil tamen prohibebit ſecundùm ipſos, fortitudinem quidem & prudentiam & temperantiam & tolerantiam ac his conſimiles uirtutes bonas eſſe, contrarias uerò fugiendas eſſe. Quis igitur hoc impudentior in ſermonib. fuit, qui duobus optimis philoſophis crimini obiecit, alteri quòd omnem uirtutem tollit, non ſolum honeſtum bonum relinquendo: alteri quòd uoluptate fine exiſtente, non omnem uirtutem, excepta iuſtitia, ſaluari putat? Mirabilis enim licentia eſt de ijſdem rebus differentem, ea quæ ipſe ponit criminans Ariſtotelem, rurſus tollere accuſantem Platonem. Atqui in demonſtrationibus de iuſtitia ad uerbum dicit, quòd omne rectè factum, & iuxta leges rectè factum, etiam iuſtè factum eſt: quod uerò ſecundùm temperantiam, aut fortitudinem, aut tolerantiam, aut prudentiam factum eſt, rectè factum eſt, quare etiam iuſtè factum. Quomodo igitur non relin-

Plato & Ariſtoteles duo optimi philoſophi.

C quit his iuſtitiam, quibus relinquit prudentiam fortitudinemq́ ac tolerantiam & tempe-
rantiam, quum ſtatim quæ rectè faciũt in relatis uirtutibus, etiam iuſtè faciant? Porrò quũ
Iniuſtitia quid. Plato de iniuſtitia dicat, quòd diſsidium & ſeditio animæ exiſtens, neq; in ipſis eam ha-
bentibus uim abijcit, ſed ipſum malũ cum ſeipſo cõmittit, pulſatq; ac conturbat. Chryſip-
pus reprehendens hoc, abſurdè ait dici aliquem ſibijpſi iniuriam inferre: iniuriã enim eſſe
ad alterum, non ad ſeipſum. Verùm horum oblitus, rurſus in demonſtrationib. de iuſtitia,
iniuſtum ſibijpſi iniuriam inferre ait, & à ſeipſo iniuriam pati, et cùm alteri iniurias infert,
ſibijpſi præter ius faciendi cauſam fieri, ſeipſumq́; præter dignitatem lædere, quum tamen
in libris aduerſus Platonem dixiſſet, iniuriam non dici ad ſeipſum, ſed ad alterũ, & de hoc
uerba hæc iſthic protulit: Propriè enim iniuſti conſtant ex plurib. quum tales contraria di
cant. Et aliàs etiam iniuſtitiam accipiant, uelut pluribus ad ſeipſos ſic habentib. Verùm
in unum nihil tale pertingit, quantũ autem ad propinquos ac alios, res ſe ſic habet. At uè-
rò in demonſtrationib. talia uerba propoſuit de eo, quòd iniuſtus etiam ſibijpſi iniuriam
Chryſippea ar- inferat. Cauſam fieri facti contra legem, lex interdicit: & iniuriam inferre, eſt factũ contra
gumenta. legem: qui igitur cauſa ſibi fit iniuriam inferendi, contra leges iniuriam facit ſibijpſi. Qui
autem præter legem agit in unũ aliquem, etiam illum iniuria afficit: quem igitur tandem
quis iniuria afficiat, etiam ſeipſum iniuria afficit. Rurſus, peccatũ res nocens eſt, & omnis
peccans, in ſeipſum peccat: omnis igitur peccans lædit ſeipſum præter officium. Si uerò
hoc, etiam iniuria afficit ſeipſum. Inſuper etiam ſic: Qui læditur ab altero, ſeipſum lædit,
& præter officium ſeipſum lædit: atq; hoc eſt iniuria afficere. Qui igitur iniuria afficitur à
quocunq; tandem, omnis ſeipſum iniuria afficit. Sermonẽ de bonis & malis quem ipſe
Prolepſes. inducit ac probat, conſonantiſsimum eſſe ait uitæ, & inſitas prænotiones (prolepſes Græ
Prænotiones. ci dicũt) maximè attingere. Hæc enim in tertio exhortationum dixit. In primo uerò hunc
ſermonem ab alijs omnib. detrahere hominem ait, uelut nihil ad nos ſint, neq; quicq; con
ferant ad felicitatem. Vide igitur quomodo ſibijpſi concordet, qui detrahentem à uiuen-
do, à ſanitate, ab indolentia, à ſenſuũ incolumitate, & nihil ad nos hæc eſſe dicentem quæ
à dijs petimus, maximè conſonum eſſe uitæ & communibus prænotionibus pronunciat.
Sed ut negare nequeat ſe cõtraria dicere, in tertio de iuſtitia hæc dixit: Quapropter etiam
D propter exceſſum magnitudinis & pulchritudinis, figmentis ſimilia dicere nobis uide-
mur, & non ſecundùm hominem atq; humanam naturam. Poſsit'ne igitur aliquis mani-
feſtius cõfiteri ſe cõtraria dicere, q̃ hic ipſe ad ſeipſum fecit? quę propter exceſſum, inquit,
figmenta putamus eſſe, & ſuper hominem humanamq; naturam, dicere nimirum hęc con
ſona eſſe uitæ, & inſitas prænotiones maximè attingere. Subſtantiã infelicitatis pro-
nunciat malitiam per totum librum naturalem ac moralem, ſcribens ac cõtendens, quòd
idem ſit uiuere ſecundũ malitiam, & uiuere infeliciter. In tertio autem de natura, ubi dixit
quòd magis cõducit uiuere ſtolidum q̃ bouem, etiã ſi nunq; ſapiens futurus ſit, infert: Ta
lia enim hominib. bona ſunt, ut quodã modo mala inter media primas obtineant. Quòd
quidẽ igitur in alijs locis loquutus, nihil eſſe ſtolidis cõducibile, hîc ait conducere ſtolidè
Media quæ ſint. uiuere, dimitto. Quòd uerò inter media appellata, quæ neq; mala ſunt neq; bona, primas
obtinere ait mala, nihil aliud dicit, q̃ mala non malis præminere, & infelicem eſſe condu-
cibilius eſſe, q̃ non infelicem eſſe. Incõmodius igitur putat nõ infelicem eſſe. Si autem in-
cõmodius eſt, etiã nocentius eſt nõ eſſe infelicẽ. Volens itaq; hanc abſurditatẽ leuigare,
ſubdit de malis: Sunt autẽ nõ hæc præminentia, ſed ratio, cum qua uiuere magis cõuenit,
etiã ſi ſtolidi ſimus. Primùm igitur mala malitiã dicit, & quæ malitia participant, aliud ue-
rò nihil. Malitia autẽ rationale eſt, imò magis ratio aberrans & delinquens. Nihil igitur
aliud eſt cũ ratione uiuere ſtolidos exiſtẽtes, q̃ uiuere cum malitia: deinde uiuere ſtolidos
exiſtẽtes, eſt uiuere infelices exiſtẽtes. Ad quod igitur præminet hoc ex his quæ ſunt me-
dia? Nõ enim admittit, inquiũt, felicẽ eſſe pręminere & primas obtinere, prę infelicẽ eſſe,
ſed neq; omnino, aiunt: putat Chryſippus oportere, neq; manſionem in uita bonis, neq;
egreſſum de uita malis admetiri, ſed ſecundùm naturam medijs: quapropter etiam felici-
bus aliquando cõtingit, ut officij ipſorum ſit, ſeipſos uita priuare, & rurſus infelicibus, in
uita manere. Deinde quę maior contrarietas eſt ad electionem & fugam, ſi ſummè feliciũ
officij eſt, propter abſentiam ſcientiæ utendi indifferenter bonis præſentibus, ſeipſos ui-
ta priuare? & quidem quum indifferentium nullum eligibile, neq; fugiendum, ſed ſolum
bonum eligibile, & ſolum malum fugiendum putent. Quare contingit iuxta ipſos, ut ne-
que ad eligibilia neque ad fugienda, actionum ratiocinationes faciant, ſed aliarum re-
rum conjectura, quas neque uitant neque eligunt, & uiuant & moriantur. Bona ad
mala

A mala omnem habere differentiam Chryſippus confitetur, & neceſſarium eſt: ſiquidem al tera ſtatim extremè infelices faciunt eos quibus adſunt, altera uerò ſummè felices. Senſibilia autem eſſe & bona & mala, in priore de fine dicit, hæc ſcribens: Quòd equidem ſenſibilia ſint & bona & mala, etiam hís ſufficit dicere. Non enim ſolùm quæ affectiones ſunt, ſenſibiles ſunt cum ſpeciebus, uelut triſtitia, & timor, & conſimilia: ſed etiam furtũ & adulterium & ſimilia ſentimus, & in totum ſoliditatem & timiditatem, & alia non pauca uitia: neq; ſolùm gaudium & beneficentiam, aliaq; multa rectè facta, ſed etiam prudentiam & fortitudinem ac reliquas uirtutes. Horum quidem reliquam abſurditatem dimittamus: quòd uerò pugnant cum his quæ ab ipſo relata ſunt circa occultum & ignorantem ſe ſapientem, quis non confitetur? Senſibili enim præſente bono, & magnam ad malum differentiam habente, eum qui ex malo probus euaſit, ignorare hoc ipſum, & præſentem uirtutem non ſentire, ſed putare malitiam ſibi adeſſe, quomodo non eſt abſurdiſsimum? Aut enim nullus ignorare, ſiue diffidere poteſt, uirtutes omnes habens: aut parua quædam eſt & omnino cognitu difficilis differentia uirtutis ad uitiũ, & felicitatis ad infelicitatem, & optimæ uitæ ad turpiſsimam, ſi quis hís acquiſitis pro illis, hoc ipſum ignoret. Vnum opus eſt de uitis, libri autem quatuor, in quarto horum dicit ſapientem negocijs non diſtringi, ſed rem priuatam ac ſuam curare. Verba eius hæc ſunt: Opinor ego ſanè prudentem negocijs non diſtringi, & paucas res curare, & ſuarum rerum ſatagere, quum & ſuarum rerum curatio, & paucarum tractatio, urbanæ & bonæ res exiſtant. Similia fermè in libro de his quæ per ſe eligibilia ſunt dixit, his uerbis: Reuera enim apparet uitam quietam, quiddam periculo uacans & ſecurum habere, uulgò id intelligere non potente. Quòd quidem igitur ab Epicuro non abeſt prouidentiam tollente, per hoc quòd deos humanarum rerum cura non diſtringi dicit, manifeſtum eſt. Verùm ipſe Chryſippus in primo de uitis, ſapientem uoluntariè regnum ſuſcipere dicit, & quæſtum ex ipſo conſectari, & ſi ipſe regnare non poſsit, uiuet cum rege, & militabit cum rege: qualis erat Hydanthyrſus Scytha, aut Leucon Ponticus. Apponam autem & hanc ipſius dictionem, ut uideamus an quemadmodum ex fide ſuprema ac infima fit conſonantia, ſic conſona ſtatuita uiri, & ocium ac paucarum rerum curam eligentis, deinde ſimul equitan

B tis cum Scythis, & res Tyrannorum in Boſphoro curantis, ex quacunq; tandem neceſsitate. Quòd enim inquit, Et militabit cum potentibus, eiſq; conuiuet, rurſus conſiderabimus in ſequentibus, quum aliqui neque hæc ſuſpicentur, propter ſimiles ratiocinationes. Nos autem & hæc ipſis relinquimus, propter conſimiles rationes. Et paulò poſt: Non ſolùm autem cum aliquantulum præminentibus, ſed etiam in ducatibus & quibuſdam gentium regnis tyrannidem gerentibus, uelut apud Leuconem & Hydanthyrſum.

Calliſtheni quidam uitio dant, quòd ad Alexandrum nauigauit, ſperans ſe reſtituturum eſſe Olynthum, quemadmodum Ariſtoteles Stagiram. Ephorum & Xenocratem ac Menedemum laudant, quòd contempſerint Alexandrum. Chryſippus autem quæſtus gratia ſapientem præcipitem in Panticapæum detrudit, & Scytharũ ſolitudinem. Quòd autem rei faciendæ ac lucri gratia hæc facit, etiam antea declarauit, tribus propoſitis ſapienti conuenientibus lucris, à regno, ab amicis, & tertiò poſt hæc, à doctrina: quanquã multis locis hoc ipſum rurſus deſtruat, hæc laudans:

Mortalibus quid amplius præter duo?

Verùm in libris de natura dicit, Sapientem ſi maximas opes abijciat, drachmam unam ſe abieciſſe putare. Quum autem ſic ipſum extollat iſthic & tumidum faciat, hic rurſus in mercenariam ſeruitutem & docendi munus deijcit. Nam & exacturum & præſumpturum mercedem dicit, partim ſtatim à principio, partim ubi temporis progreſſu diſcipulus aliquãdiu adhæſerit, quod etiam benignius eſſe ait. Tutius eſſe autem præſumere, tanquam loco iniurias ſuſcipiente. Dicit autem hoc modo: Exigunt mercedem non omnes qui mentem habent eodem modo, ſed alius aliam ſummã, prout occaſio tulerit, non promittentes ſe facturos bonos, idq; intra annum, uerùm quantũ ad ſe attinuerit, ſe hęc facturos eſſe ad præſtitutũ tempus. Et rurſus paulùm progreſſus: Tempus opportunũ cognoſcet, utrum ſtatim ut acceſſit diſcipulus, mercedem ſumere oporteat, quemadmodũ plures fecerũt, aut tempus ipſis dare, hoc loco etiã magis iniurias ſuſcipiente, quũ tamen aliquo modo benignius hoc eſſe uideaẽ. Aut pecuniarũ contemptor ſapiens ſyngraphæ ſcripto cauebit, uirtutẽ pro argento tradens, & ſi non dederit, mercedem exigens, tanq; qui fecit quæ ad ſe pertinuerint. Aut damno ſuperior uitabit ne iniuria afficiaẽ circa mercedẽ. Nemo enim iniuria afficiẽ, qui nõ læditur aut damnũ incurrit. Vnde cùm in alijs locũ iniuria

Bonorum & malorum differentia.

Sapiens ſua curat.

Triplex ſapientis lucrum.

C non affici pronunciauit, hîc locum iniuriam quandam ſuſcipere dicit. In libro uero de Repub. nihil uoluptatis gratia facturos aut ſubornaturos eſſe ciues dicit. Et Euripidem laudat hæc proferens:

Mortalibus quid amplius præter duo,
Cereris cibus, puræ ſimul potusq; aquæ?

Diogenis caninum.

Deinde paululum ab his progreſſus, Diogenem laudat in propatulo pudendũ detergentem, & ad præſentes dicentem, utinam etiam ſic famẽ de uentre detergere poſſem. Quam igitur habet rationem in iiſdem laudare eiicientem uoluptatem, ſimulq; talia uoluptatis gratia facientem, & huiuſmodi turpitudinem perpetrantem? At uerò in libris de natura

Natura pulchritudinis ſtudioſa.

quũ ſcripſiſſet, quòd multa animalia pulchritudinis gratia natura produxit, nimirũ quòd honeſti ac pulchri ſtudioſa ſit, & uarietate gaudeat, intuliſſetq; ſermonem abſurdiſſimũ, quòd pauo caudæ gratia productus ſit ob ipſius pulchritudinem: rurſus in libro de Repub. grauiter obiurgauit eos qui pauones & luſcinias alunt, uelut contra mundi legiſlatorem leges ferens, & naturæ circa pulchritudinem ſtudium deridens, circa talia maximè animantia, quibus ſapiens in ciuitate locum non concedit. Quomodo enim nõ abſurdum eſt illiberaliter uitio dare iſta nutrientibus, ſi prouidentiam laudat? Itaq; in quinto de na-

Cimicũ & murium utilitas.

tura quum dixiſſet quòd cimices utiliter nos ex ſomno excitant, & quòd mures cõmone faciunt nos ne ſingula neglectim ponamus (nam pulchritudinis ac elegantiæ ſtudioſam eſſe naturã, & uarietate gaudere ueriſimile eſſe) hæc uerba intulit: Huius rei ſignificationem uel maximè ex pauonis cauda ſumere licet. hîc enim pronunciat animal caudæ gratia factum eſſe, & non uice uerſa, quum mas ſic productus ſit, & ad hanc cõſequutum eſt ut ipſum fœmina amaret. In libro autem de Repub. ubi dixit, quòd propè modum etiam ſterquilinia & cacatorias ſellas pingimus, paulò pòſt rem ruſticam quoſdã exornare dicit uitibus arbuſtiuis & myrtis, & pauones & columbas ac perdices alentibus, itemq; luſcinias ut ipſis cantillent. Libenter autem interrogauerim, quid ſentit de apibus & melle. Equidem conſequens erat ad hoc quod dixit, cimices utiliter procreatos eſſe, apes inutiliter procreatas dicere. Si uerò his locum in ciuitate dat, propter quid ciuibus prohibet ea quæ & auditu & uiſu iucunda exiſtunt? In ſumma, quemadmodum qui concœnantes re-
D prehendit, quòd bellariis & uino & opſoniis utũtur, eum uerò qui ipſos ad hæc uocauit, & hæc præparauit, laudat, abſurdus eſt: ſic qui prouidentiam laudibus uehit, piſces & uolucres & mel ac uinũ præparantem, uituperat autem eos qui non reiiciunt hæc, neq; contenti ſunt Cereris cibo puræ ſimul potuq; aquæ, uelut corũ quæ adſunt & nos nutrire poſſunt nullam rationem habentes, ſibiipſi contraria dicere uidetur. Atqui in opere adhortationum ubi dixit, quòd & matribus & filiabus aut ſororibus miſceri, & quid comedere, & à funere aut morte ad templum progredi, præter omnem rationem damnatum eſt:

Brutorum exemplo nihil turpe eſſe.

etiam bruta animantia reſpicere oportere dicit, & ex his quæ ab illis fiunt coniecturam facere, quòd nihil talium abſurdum aut cõtra naturam exiſtat. Opportunè enim ad hæc fieri aliorum animaliũ collationes, quòd neq; coeuntia, neq; generantia, neq; morientia, in templis numen inquinent. Verùm rurſus in quinto de natura dicit, probè quidem interdicere Heſiodum, ne in flumina & fontes meiamus. Inſuper uerò magis tolerandum eſſe ut quis ad aram meiat, quàm ut ſtatua dei pro ratione non adſit, ſi canes & aſini hoc faciant, & puerili infantes nullam aduertentiam neq; ratiocinationem talium habentes. Abſurdum quidem igitur eſt, illic opportunam dicere brutorum animantiũ beſtialitatem, hîc uerò excuſabilem abſolutionem impetui præbere ac prætendere, quòd ab externis cauſis coactus eſſe uideatur. Quidam philoſophi quendam diſcurſorium motum in principali animæ parte faciunt, qui in non differentibus & per omnia ſimilibus maximè cõſpicuus fiat. Quum enim duobus æquiualentib. & ſimiliter habentibus, alterum ſumendũ eſt, & nulla cauſa ad alterum ducat, propterea quòd nulla re ab altero differat, facultas hæc animæ diſcurſoria ex ſeipſa inclinationem ſumens, hæſitationem dirimit. Aduerſus hos Chryſippus contradicens, uelut per contrarium naturam uiolantes, inter multa proponit talarium ludum & libram, & multa alia, quæ non poſſunt aliàs alios accipere caſus ac inclinationes, citra aliquam cauſam & differentiam, aut omnino circa ipſa, aut circa extrinſeca factam. Quod enim cauſa caret, & ſpontaneum eſt, omnino nullam ſubſtantiam habere. Verùm in fictis à quibuſdam, & appellatis diſcurſibus, cauſas obſcuras ſubeſſe, & nos latêre, quæ ad altera impetum adigant. Hæc quidem igitur ex notiſſimis ſunt, inter ea quæ ab ipſo ſæpius relata ſunt. Quæ uerò his rurſus contraria protulit, non ſimiliter in medio poſita, ipſis illius uerbis apponam. Etenim in libro de

A iudicando, proponens duos curſores ſimul pariter ad metam peruenire, dubitat quid præ
miorum præfecto facere conueniat: Vtrum, inquit, licet præmiorum præfecto palmam
utri uult dare, & ſi ipſi fuerint familiariores, ut hic de ſuo quid largiatur aliquo modo, tan
quam palma magis communi utriſque facta, uelut ſorte quadam præſtituta uariè nutan-
te, iuxta inclinationem prout contigit, ipſam palmam tribuere. Dico autem prout conti-
git inclinationem, qualis fit quum duabus propoſitis drachmis cætera ſimilibus, ad alte-
ram inclinati ipſam accipimus. In nono autē de officio, ubi res quaſdam non multi ne-
gocij neq; aduertentia dignas eſſe dixiſſet, putat oportere dimittere circa has mentis pro-
ut contigit inclinationem, & electionem ſorte facere, uelut inquit: Si duabus quibuſdam
drachmis ad probandum ac iudicandum propoſitis, alij hanc, alij illam, ueram eſſe dice-
rent, honeſtum eſt neutram ipſarum accipere, in præſens dimittendo amplius de ipſis in-
quirere prout contigit, alio uerò tempore accipiemus ſorte de ipſis data, inquit, & adhuc
uel maximè adulteratam ex ipſis accipiemus. In his enim ſors, & inclinatio mentis prout
contigit citra omnem cauſam, diuerſorum acceptionem inducit. Porrò in tertio de diale
ctica ubi dixit, quòd Plato diligenter circa dialecticen uerſatus eſt, itemq; Ariſtoteles, & *Platonis & Ariſtotelis laus.*
qui ab his fuerunt uſq; ad Polemonem & Stratonem, maximè uero Socrates, & exclama
tione addita quòd etiam cum tantis ac talibus uiris delinquere quis uelle debeat, infert
hæc uerba: Si quidem oſcitanter de ipſa dixiſſent, fortaſsis quis locum hunc ſubſanna-
ret. Quum autē adeò diligenter tractarint, tanquam inter maximas & ſummè neceſſarias
facultates ipſa exiſtat, nō probabile eſt in tantū delinquere ipſos, qui in tota philoſophia
tales ſunt quales eſſe ſuſpicamur. Quid igitur, dixerit quiſpiam, tu ipſe uiris talibus & tan
tis nunquam repugnare ceſſas, neq; reprehendere deſinis, tanquam in principaliſsimis et
maximis, tuo iudicio, delinquentes ac errantes? Non enim profectò de dialectica diligen
ter ſcripſerunt, de principio autem & fine, & de dijs ac iuſtitia oſcitanter & ludentes, in
quibus cæcum ipſorum ſermonem appellas, & ſibijpſi repugnantem, & alios infinitos er-
rores habentem dicis. Gaudium in alienis malis, alicubi non habere ſubſtantiam ait:
quandoquidem nullus bonus uir in alienis malis in totum gaudet. In ſecundo autem de
bono, inuidiam exponens eſſe triſtitiam propter aliena bona, nimirum uolentium humi- *Inuidia.*
B les & abiectos eſſe uicinos, quò ipſi præmineant, connectit gaudium in alienis malis:
Huic cohæret, inquit, gaudium in alienis malis, eorum qui humiles eſſe uolunt uicinos *Gaudium in alienis malis.*
propter ſimiles cauſas. Eorum uerò qui iuxta alios naturales caſus euertuntur, miſericor-
dia contingit. Hîc enim manifeſtum eſt, quòd gaudium in alienis malis ſubſtantiale, ue-
lut inuidiam & miſericordiam relinquit, quòd in alijs ſubſtantiā non habere dicit, quem-
admodum etiam odium mali, & turpe lucrum. Quum in multis locis dixerit, quòd per
longius tempus felices, nihil magis felices ſunt, ſed ſimiliter & ex æquo his qui breui tem
pore felicitate participant: in multis rurſum dixit, quòd ne digitum quidem extendere cō
ueniat, breuis prudentiæ gratia, quæ uelut fulgur euolet. Sufficiet autem apponere quæ
de his in ſexto quæſtionum moralium ſunt ſcripta. Quum enim dixiſſet quòd neq; omne
bonum in gaudium, neque omne rectè factum in gloriam cadit, intulit hæc: Si enim bre-
ue ſolummodo tempus aut extremum prudentiam habiturus eſt, ne digitum quidem ex-
tendere conuenit prudentiæ ſic affuturæ gratia: quanquam per longius tempus nihilo
magis felices ſint, neq; perpetua felicitas breui ſit præferenda. Si quidem igitur pruden-
tiam putaret effectiuum eſſe felicitatis bonum, quemadmodum Epicurus, ipſam ſolam
abſurditatem & incredibilem dogmatis opinionem coarguere oportebat. Quandoqui-
dem uerò prudentia non aliud eſt à felicitate per ſe, ſed felicitas, quomodo non pugnat di
cere, Ex æquo uirtutem eſſe breuem felicitatem & perpetuam, nullius autem rurſus pre-
cij aut æſtimationis breuem? Virtutes porrò dicunt ſe mutuò conſequi, non ſolùm ob *Virtutum conſequentia.*
id quòd qui unam habet, omnes habet, ſed etiam quòd qui ſecundùm unam quodcunq;
tandem perpetrat, ſecundùm omnes perpetrat. Neque uirum perfectum eſſe dicunt, qui
non omnes uirtutes habet, neq; actionem perfectam, quæ non ſecundùm omnes uirtutes
peragitur. Atqui in ſexto quæſtionum moralium Chryſippus dicit, non ſemper fortiter
agere, bonum: neq; ſemper timidum eſſe, malum. Vt neceſſe ſit quoſdam imaginationi-
bus inuolui, alterum quidem permanere in negocijs ſuis, alterū uerò inde diſcedere. Ve-
riſimile aūt eſt, inquit, neq; ſemper proteruū eſſe, malum. Si quidem igitur fortiter agere,
eſt fortitudine uti, & timidum eſſe, timiditate uti, pugnantia dicunt, dicentes ſecundùm
omnes uirtutes ſimul, itemq; ſecundum uitia operari eum qui illa habet, non autē ſemper
fortiter agere, bonū & fortē, neq; ſemper timidū eſſe, malum. Cæterū Rhetoricen diffinit *Rhetorice quid.*

C artem de ornatu, & dicendi ac habendi ſermonis ordinem. Inſuper in primo hæc ſcripſit:
Non ſolùm autem liberalis & ſimplicis ornatus curam habere oportere in dicendo puto,
ſed etiam peculiarium actionum iuxta conuenientes moderationes uocis, & figuras tum
faciei, tum manuum. Quum autem ita ambitioſe ſtudioſus ornatus, & eximiè elegans hic
ſit, rurſus in eodem libro de uocalium colliſione præfatus, non ſolùm, inquit, hæc dimit-
tenda ſunt, & potioribus inhærendum, ſed etiam obſcuritates aliquæ, & defectiuę oratio
nes, & Hercules ſolœciſmi, ob quos alij non pauci pudore confuſi ſunt. Itaq; alicubi uſq;
ad manuum & oris decorum geſtum, dicentibus permittere ut ſermonis ornatum diſpo-
nant, alicubi uerò neq; defectuum & obſcuritatum curam habere, neq; ob ſolœciſmos pu
dore affici, uiri eſt penitus quid dicat ignorantis. At uerò in poſitionibus naturalibus, de
his quæ experimento & inſpectione opus habent quieros nos eſſe iubens, dicit: Neq; ſi-

Platonis error de alimentorum receptaculis.

militer ut Plato ſuſpicemur, liquidum quidem alimentum in pulmonem deferri, ſiccũ ue-
rò in uentriculum, neq; in alios cõſimiles his impingamus errores. Equidem exiſtimo a-
lios reprehendere, deinde ipſum in ea quæ reprehendit collabi, & non cauere, omniũ con
trarietatum maximam eſſe, & omnium errorũ turpiſsimũ. Atqui ipſe decem autoritatum
complexum, copia decies centena millia excedere dicit, quum neq; ipſe rem diligenter in
ueſtigauerit, neq; per expertos ueritatem inſpexerit ac didicerit, & quidem quum Plato
habeat medicos celeberrimos teſtimoniũ ipſi præbentes, Hippocratẽ, Philiſtionẽ, Dio-
xippum Hippocraticum, & ex poëtis Euripidem, Alcæum, Eupolim, Eratoſthenẽ, dicen
tes, quòd potus per pulmonem penetret. Chryſippum omnes reprehendunt Arithmeti-
ci, ex quorum numero etiam Hipparchus eſt, demonſtrans ingentem in ratiocinatione
errorem ab ipſo admiſſum eſſe. Siquidem affirmationem facit autoritatũ decies centeno-
rum milliũ, inſuperq; trium millium & quadraginta nouem: negationem uerò noningen
ta quinquaginta duo, ſupra tricies centena ac dena millia. Quidam ex ſenioribus Zeno-
ni accidiſſe aiunt, id quod uappam habenti accidit, nimirum qui neq; ut acetũ, neq; ut ui-
num uendere poſſet. Nam præpoſitum apud ipſum, neq; ut bonum, neq; ut diuerſum ha-
bere diſpoſitionem. Verùm Chryſippus rem adhuc magis perplexam reddidit. Etenim
quandoq; ait inſanire eos qui diuitias, & ſanitatem & indolentiã ac corporis integritatem
D nihili faciũt, neq; talia amplectuntur: & apponens Heſiodi uerſum, Fac lucrare aliquid
Perſa diuûm genus: inſuper exclamauit, quòd cõtraria admonere furioſum eſt, nimirũ,
Ne lucrare aliquid Perſa diuûm genus. Et ſapientem quidem in libris de uitis, etiam cum
regibus uicturũ dicit, quæſtus gratia. Item propter pecuniã diſcipulos docturum eſſe, ita
ut ab aliquibus præexigat, cum alijs uerò pactum faciat. In ſeptimo uerò de officio, etiam
in caput ſe deuoluturũ eſſe, manibus ac pedibus adductis, quemadmodũ ſaltatores petau
riſtæ facere ſolent, atq; hoc trium talentorũ pręmio accepto. In primo autẽ de bonis, quo-
dammodo permittit ac cõcedit uolentibus præpoſita ac præcipua appellare bona, & con
traria mala, his uerbis: Si quis uult iuxta tales diuerſitates, aliud ex ipſis bonum, aliud ma
lum appellare, malum ſanè ad has res referens, & aliàs non aberrans, in ſignificatis quidẽ
non aberrabit ab ipſis, ſi aliàs coniectabit appellationũ cõſuetudines. Quum autẽ ſic præ
cipuum cum bono fermè cõmittat ac permiſceat hoc loco, in alijs rurſus, nihil talium in u-
niuerſum ad nos eſſe dicit, ſed ab omnib. eiuſmodi ſermonẽ auellere & auertere nos opor
tere. hæc enim in primo de inhortando ſcripſit. In tertio autem de natura dicit, aliquos re
gnantes & diteſcentes beatos prædicari, ſimile eſſe uelut ſi aureis matulis ac aureis fim-
brijs utentes beati prædicentur. Bono autem opes omnemq; ſubſtantiã abijcere, eſſe ue-
lut drachmã abijcere: & intelligere ac ſapere, uelut offendere ac errare. Quapropter con-
trarietatibus his nõ ſolùm uirtutem, ſed etiam prouidentiam impleuit. Etenim uirtus ex-
tremè uilium rerum curioſa & ſtolida apparebit, ſi de talibus fuerit ſolicita, & ſapientem
harũ gratia in Boſphorũ nauigare iuſſerit, & in caput ſaltando prouolui. Iupiter uerò ridi
culus uidebitur, ſi poſſeſſor & fructifer & gratiarũ largitor appellari gaudet, quòd uideli-
cet aureas matulas & aureas fimbrias malis largitur, bonis uerò drachmæ precij æſtiman-
da, ubi diuites euaſerint iuxta Iouis prouidentiã. Amplius autẽ ridiculus uidebitur Apol-
lo, ſi de aureis fimbrijs ac matulis, & de peccatorũ abſolutione, fas ac ius pronuncians de-
ſidet. Inſuper uerò per demonſtrationẽ magis adhuc conſpicuã faciũt contrarietatẽ. Quo
enim & bene & male uti licet, hoc neq; bonũ neq; malũ eſſe dicũt. Diuitijs aũt & ſanitate
ac robore corporis, omnes ſtolidi male utunť: quare nihil horũ eſt bonũ. Si quidẽ igitur
Deus uirtutẽ hominib. non largiť, ſed honeſtũ per ſe eligibile eſt, diuitias aũt & ſanitatẽ ci
tra uirtutẽ dat, nõ ſanè bene uſuris dat, ſed male, hoc eſt, nociuè, ac turpiter & pernicioſe.

Atqui

A Atqui ſi poſſunt uirtutem præbere dij, non ſunt boni non præbentes: ſi uerò bonos facere non poſſunt, neque prodeſſe poſſunt, quum nihil ex alijs rebus bonũ aut utile exiſtat. At uerò aliter bonos factos iudicare ſecundũ uirtutem aut fortitudinẽ, nihil eſt. Nam & malos boni iudicant ſecundum uirtutẽ ac fortitudinem: quare nihil magis proſunt, ꝗ ipſi utilitatem ab hominibus capiunt. Sed & neq; ſeipſum bonũ Chryſippus, neq; quenq; ex ſuis familiaribus aut præceptoribus pronunciat. Quid igitur de alijs ſentiant ꝗ hæc quæ dicunt? inſanire omnes, deſipere, ſceleſtos eſſe, iniquos eſſe, ad ſummũ omnis infelicitatis infortuniũ peruenire, deinde prouidentia deorum gubernari res noſtras qui ita miſerè agimus. Si igitur Dei tranſmutati lædere nos uelint, & male affligere, euerterecq; ac contere re, non poſsint peius afficere ac tractare nos, ꝗ nunc habemus, quum uelut Chryſippus pronunciat, neq; uitiorum neq; infelicitatis exceſſus uitæ reliquus ſit, ut ſi uocem habeat ipſa, hæc Herculis uerba proferre poſsit:

Turgens malis ſum, nec uacat locus magis.

Quas igitur tandem magis inter ſe pugnantes ſententias reperire quis queat, quàm eſt ea quam Chryſippus de dijs, itemq́; de hominibus protulit? illos quatenus poſsibile eſt optimè prouidere, hos quantum poſsibile eſt peſsimè agere dicens. Quidam ex Pythagoricis uitio dant ipſi in libris de iuſtitia ſcribenti de gallis, quòd utiliter facti ſunt. Nam & excitant nos, & ſcorpios colligunt, & inter pugnandum nos ad ſe cõuertunt, æmulationem quandam ad fortitudinem inducentes: tamen oportet etiam hos comedere, ne pullorum multitudo utilitatem excedat. At uerò ipſe ſic deridet eos qui hæc ſibi uitio dant, ut de Ioue ſeruatore & genitore ac patre iuſtitiæ, & bonarum legum ac pacis ſic ſcribat in tertio de dijs: Quemadmodum ciuitates populo ſuperabundantes, in colonias transferunt ipſius multitudinem, & bella aduerſus aliquos parãt: ſic Deus corruptionis principia dat. Et Euripidem teſtem, itemq́; alios producit, qui dicunt, quòd Troianum bellum à dijs excitatum ſit, hominum multitudinis exhauriendæ gratia. Horum autem reliquas abſurditates dimitte: non enim ſi quid nõ rectè, ſed quæ aduerſus ſeipſos diuerſe dicunt, ſolùm expendere propoſitum eſt. Conſidera uerò mihi, quòd Deo quidem ſemper pulchras & amoris erga homines indices appellationes, uerùm facta ac opera agreſtia barbaraq́; ac
B Galatica attribuit. Non enim colonijs ſimiles ſunt tantæ hominum corruptiones ac ſtrages, quales Troianum bellum inuexit, itemq́; Medicum ac Peloponeſiacũ, niſi quaſdam in orco & ſub terra norunt hi condi urbes. Sed Galatæ Deiotaro Chryſippus ſimilem Deum facit, qui quum plures filij ſibi nati eſſent, uni uolens regnũ relinquere ac domum, omnes alios mactauit, uelut uitis germina reſecans ac mutilans, quò unum relictum robuſtum fiat & magnum. Quanquam uinitor quidem adhuc paruis ac debilibus exiſtentibus ſarmentis hoc facit: & nos ex recens natis ac cæcis catulis pleroſq; tollimus, ut matri ſit conſultum. At Iupiter non ſolùm relinquens ac ſinens ad iuſtam magnitudinẽ progreſſos, ſed quos ipſe produxit ac augeſcere fecit, ad ſupplicium deſtinat, corruptionis ac interitus cauſas ſubornans, quum magis oportuerit cauſas & principia generationis nõ præbere. Hoc quidem igitur minus eſt, illud uerò maius. Nullum enim hominibus bellum naſcitur, citra uitiorum malitiam: ſed aliud uoluptas, aliud auaritia, aliud gloriæ cupiditas, aut regnandi libido excitat. Igitur Deus bella & malitias operatur, homines incitando ac peruertendo. Atqui dicit ipſe in libro de iudicando, & rurſus in ſecundo de dijs, quòd malorum & turpitudinis autorẽ Deum eſſe, non eſt ratione apprehenſibile. Quemadmodum enim neque lex cauſa eſt peccandi, neq; dij autores ſunt impietatis, ita conſentaneum eſt neque turpitudinis alicuius ipſos autores eſſe. Quid igitur turpius eſt, quàm quum hominibus pernicies ex ſeipſis mutuò oriatur, Chryſippũ dicere Deum principia immittere? Verùm per Iouem dicit quis rurſus ipſum, Euripidem laudare dicentem:

Deiotarus Galatarum rex.

Deus malorum autor non eſt.

Si turpe quid faciunt dei, non ſunt dei. Et hoc:

Facillimum eſt culpam deis adſcribere.

Quaſi uerò nos nunc aliud faciamus, quàm quòd contrarias ipſius uoces ac opiniones proponimus. Veruntamen hoc ipſum quod nunc laudatum eſt non ſemel, neq; bis, neq; ter, ſed ſexcenties, ad Chryſippum dicere licet:

Facillimum eſt culpam deis adſcribere.

Primùm enim in opere de natura, perpetuitatẽ motus cyceoni, potioni ex farina & aqua conſtanti adſimilans, quæ alio modo alias res à natura productas alit ac conturbat, hæc dixit: Sic autem uniuerſorum gubernatione præeunte, neceſſarium eſt ſecundum hanc, utcunq; habeamus, nos habere, ſiue præter propriã naturã ægrotantes, ſiue transfixi, ſiue

Cyceon, potio.

C grammatici, ſiue Muſici facti fuerimus. Et rurſus paulò poſt: Iuxta hanc autem rationem
conſimilia dicemus & de uirtute noſtra ac uitijs, & in ſumma de artibus & non artibus, ue
lut dixi. Et paulò póſt, omnem tollens ambiguitatẽ: Nihil enim ex rebus particularibus,
ac ne minimũ quidem aliter fieri poteſt, ꝙ ſecundũ cõmunem naturam, & ſecundũ illius
rationem. Quòd aũt cõmunis natura, & cõmunis naturæ ratio, fatum & prouidentia & Iu
piter eſt, neq; Antipodas latet: ubiq; enim hæc uulgata ſunt ab ipſis. Et Iouis eſt perfecta
uoluntas, Homerũ dixiſſe ait, relatione ad fatum & uniuerſorum naturam ritè habita, per
quam omnia gubernantur. Quomodo igitur ſimul nullius turpitudinis autor eſt Deus, et
ſimul ne minimum quidem aliter fieri poſsibile eſt, ꝙ ſecundum cõmunem naturam & il-
lius rationẽ? In omnibus enim quæ fiunt, etiã turpia, utiq; deorũ ſunt. Atqui Chryſippus
Liberum arbitrium perpetuus motus. quodãmodo torquet & multa arte diſceptat, à perpetuo motu liberare ac exoluere cõten
dens liberũ arbitriũ, ac ut ne inculpabilẽ relinquat malitiã, patentẽ libertatẽ ipſi motui tri
buit, tanq; non ſolùm ex neceſsitate, atq; ſecundũ fatum, ſed etiã ſecundũ rationẽ Dei, &
ſecundũ optimã naturã factus ſit. Inſuper autẽ & hæc ad uerbũ ſic habere uidentur: Quũ
enim cõmunis natura in omnia ſe extẽdat, oportebit omne quodcũq; ratione fit, & quaſ-
cunq; etiam partes, ſecundum illam fieri, & ſecundũ illius rationem, nemine cõſequenter
impediẽte, propterea quòd neq; forinſecus ſit quod ſe gubernationi ipſius opponat, ne-
que partem aliquam habeat quò moueatur aut habeat ſe aliter ꝙ ſecundum communem
naturam. Qui igitur partium habitus ſunt & motus? Equidẽ palàm eſt quòd habitus ſunt
uitia & morbi, pecuniæ amor, uoluptates, gloriæ cupiditates, timiditates, iniuſtitiæ. Mo-
tus autem ſunt, adulteria, furta, proditiones, homicidia, parricidia. Horũ neq; minimum,
neq; maximum, præter Iouis rationem, & legem, & iuſtitiã, ac prouidentiam eſſe Chryſip
pus putat, adeò ut neq; præter legem fiat, ſi quis contra legem peccet: neq; præter iuſtitiã,
ſi quis iniuriam faciat: neq; præter prouidentiam, ſi quis male faciat. Atqui Deum punire
uitia, & multa facere ut ſuppliciũ de malis ſumat, dicit. Velut in ſecundo de dijs, aliquan-
do quidem grauia & incõmoda bonis accidere ait, nõ quemadmodũ malis ſupplicij gra
tia, ſed iuxta aliam gubernationem, quemadmodũ in urbibus. Et rurſus in ijſdẽ: Primum
ad mala cõſimiliter accipienda ſunt prædictis: deinde quòd hæc diſtribuuntur ſecundum
D Iouis rationem, ſiue in ſupplicium, ſiue ſecundũ aliam uniuerſorum gubernationem. Eſt
quidem igitur hoc graue & horrendum, & fieri uitia, & puniri, ſecundum Iouis rationẽ.
Auget autem contrarietatẽ in ſecundo de natura hæc ſcribens: Malitia autẽ ad grauia ac-
cidentia propriam quandam rationem habet: fit enim ipſa quodammodo ſecundum na-
turæ rationẽ, & ut ita dicam, nõ inutiliter fit ad uniuerſa, neq; enim aliàs eſſent bona. Atq;
ſic increpat eos qui ex æquo ad contraria diſſerunt, ut præ nimio ſtudio omnino aliquid,
& de omni quid peculiare & eximium dicere uolens, non inutile dicat eſſe, crumenas ſe-
care, calumniariq; ac deſipere, & non incõmodè malos eſſe nociuos & infelices. Deinde
qualis eſt Iupiter (dico autem Chryſippi) qui punit rem, neque à ſeipſa, neq; inutiliter fa-
ctam? Nam malitia penitus inculpabilis eſt iuxta Chryſippi ſententiam. Iupiter autẽ cul-
pandus uenit, ſiue inutilem malitiam fecit, ſiue non inutiliter factam punit. Rurſus in pri-
mo de iuſtitia præfatus de dijs uelut inſtantibus & ſe opponentib. aliquibus iniurijs: Ma-
litiam autẽ, inquit, in uniuerſum tollere, neq; poſsibile eſt, neq; probè habeat res, ſi iniqui
tas & iniuſtitia ac prauitas & ſtoliditas tollatur. Non eſt præſentis ſermonis de hoc inqui
rere, uerùm ipſe quantũ in ſe fuit, philoſophando malitiam tollens, quam ſublatam non
oportuit, quiddam & cum ratione & cum Deo pugnans facit. Et ad hæc, aliquibus iniu-
rijs Deum inſtare dicens, rurſus impietatis peccatorum ſignificationẽ præbet. Præterea
quum de eo quod nihil culpabile neq; reprehenſibile in mundo ſit, omnibus iuxta opti-
mam naturã perfectis ſcripſerit, alicubi rurſus culpabiles quaſdã negligentias non circa
parua & exigua relinquit. In tertio igitur de ſubſtantia, mentione habita quòd quædã ta-
lia malis ac bonis contingunt, Vtrum, inquit, neglectis quibuſdam, quemadmodũ in ma
gnis domibus furfures quidam intercidunt, & aliquantulum etiam tritici, quum uniuer-
ſa recta diſpenſatione gubernentur, aut quòd talibus mala numina præfecta ſunt, in qui-
bus reuera culpabiles negligentiæ fiunt? Dicit autem multũ quoq; de neceſsitate admi-
xtum eſſe. Talia quidem igitur honeſtorũ ac bonorum uirorũ accidentia, quale eſt Socra
tis condemnatio, & Pythagoræ uiui exuſtio per Cyloneos, & Zenonis per Demylũ ty-
rannum, & Typhonis per Dionyſium tortorũ interitus, furfuribus intercidentibus aſsimi
lare, quantæ leuitatis ſit prætermitto. Verũ mala numina & iniquos dæmones ex proui-
dentia ad eiuſmodi rerum actus pręfectos eſſe, quomodo non eſt conuicium Dei? quem-
admodum

A admodum ſi rex malis & ſtolidis ſatrapis ac ducibus adminiſtrationē rerum cōmitteret, & optimos quoſq; ab his negligi ac petulanter tractari permitteret. Sed & ſi multum de neceſsitate rebus admixtum eſt, neq; dominatur omnibus deus, neq; omnia ſecundum illius rationem gubernant.

Neceſsitatis ratio.

Porrò aduerſus Epicurū, & eos qui prouidentiam tollunt, maximè pugnat ex notionibus, quas habemus de dijs, beneficos & hominum amantes ipſos eſſe animo concipientes. Et cùm hæc multis locis ab ipſis dicantur, nihil opus erat uerba apponere, quanquā non omnes deos bonos eſſe præſumit. Vide enim qualia Iudæi & Syri de dijs ſentiūt. Vide item poëtarū ſcripta, quanta ſuperſtitione referta ſunt. Corruptibilem certè & genitum deum, nemo unquam ſenſit aut cogitauit. Verùm ut alios omnes relinquā, Antipater Tarſenſis in libro de Dijs, hæc ad uerbum ſcribit: Cæterùm ad uniuerſi ſermonis efficaciam, notionem quam de dijs habemus, breuibus cōplectemur. Deum itaq; mente concipimus eſſe animal beatum & incorruptibile, beneficum hominibus.

Deus Stoicorum.

Deinde ſingula hæc exponens, ſic inquit: Et ſanè incorruptibiles ipſos omnes arbitrant. Nullus igitur ex omnibus eſt Chryſippus ſecundum Antipatrū: nullum enim deorum incorruptibilē eſſe putat, præter Iouem, ſed omnes æqualiter & genitos & corrumpendos. Hæc aūt ubiq; ab ipſo aſſeruntur: uerùm apponam uerba ex tertio de Dijs, in altero ſermone: Alij enim geniti ſunt & corruptibiles, alij ingeniti: & hæc ab initio demonſtrare magis ad phyſicum pertinet. Sol etenim & Luna atq; alij dei conſimilē rationem habentes, geniti ſunt: Iupiter autem ſempiternus eſt.

Dij geniti & corruptibiles.

Iupiter ſempiternus.

Et rurſus aliquantum progreſſus: Similia autem & de eo quòd ſapiunt, & de eo quòd geniti ſunt, dicentur tum de alijs dijs, tum de Ioue. Alij enim corruptibiles ſunt, huius uerò partes incorruptibiles. His inſuper uolo comparare pauca ex his quæ Antipater dicit: Quicunq; auferunt à dijs beneficētiam, partim illorum anticipationē impetunt. Iuxta eandem rationem etiam qui putant ipſos generationis ac corruptionis participes eſſe. Si quidē igitur ex æquo abſurdus eſt, qui deos corruptibiles putat, & qui eos nō prouidere arbitrat, neq; hominum amore teneri, æqualiter cum Epicuro errauit Chryſippus: ille enim beneficentiam, hic uerò incorruptibilitatem à dijs aufert. Quin & in tertio de Dijs, Chryſippus de eo quòd alij dij nutriantur, hæc dicit: Alimento quidem reliqui dij utuntur, conſimiliterq;

Deorum nutrimenta.

B per ipſum conſeruantur. Iupiter autem & Mundus ſecundum alium modum, conſumptis etiam ex igne genitis. Hoc loco pronunciat alios deos omnes nutriri, præter Iouē & Mundum. In primo autem de Prouidentia, Iouem augeſcere dicit, donec in ſeipſum omnia conſumpſerit. Quandoquidē enim mors, eſt animæ ſeparatio à corpore. Mundi autem anima non ſeparatur, uerùm continuè augetur, donec in ſeipſam cōſumpſerit omnem materiam. Non dici poteſt mundū emori ac interire.

Mors quid.

Quis igitur magis cōtraria ſibijpſi dicere apparere poſſit, quàm is qui eundem deum? ſed quid opus eſt concluſionē inferre? Ipſe enim palàm in eodem libro ſcripſit: Sufficiens aūt eſſe dicitur ſolus Mundus, propterea quòd ſolus in ſeipſo omnia habet, quibus indiget, & nutritur ex ſeipſo & augetur, alijs partibus mutuò ſe impetentibus ac cōfringentibus.

Mundi ſufficientia.

Qui igitur in illis reliquos deos nutriri pronunciat, præter Mundum & Iouem, in his uerò etiam Mundum nutriri dicit, aduerſus ſeipſum pugnat: ſed adhuc magis in eo, quòd mundum augeri dicit, nutrimento ex ſeipſo accepto. Contrarium enim magis ueriſimile erat, hunc ſolum non augeri, cùm ſuiipſius corruptionē in alimentum habeat. Alijs uerò dijs qui extrinſecus nutriuntur, incrementū ac augmentum contingere, & magis in hos expendi ac conſumi mundum: ſi quidem illi ex ſeipſo, his uerò ex illo, ſemper aliquid accipere ac nutriri cōtingit. Inſuper notio ipſa quam de dijs habemus, complectitur felicitatem ac beatitudinem & abſolutam perfectionem. Quapropter etiam Euripidem laudant, qui ſic dixit:

Horum deus nullo indiget, uerè deus
Eſt ſi modò: nam qui miſeri, ſunt fabulæ.

At uerò Chryſippus in his quæ appoſui, ſolum mundum ſufficientem eſſe dicit, propterea quòd ſolus in ſeipſo omnia habet, quibus indiget. Quid igitur ſequitur ad hoc quòd ſolus mundus ſufficiens eſt? Nimirū neq; Solem ſufficientē, neq; Lunam eſſe, neq; alium quempiam deum. Cùm aūt non ſint ſufficientes, non fuerint utiq; felices, neq; beati. Fœtum in utero natura ali putat, uelut plantam. Vbi autem natus fuerit, ſpiritum frigefactum ab aëre ac firmatum, tranſmutari & fieri animal. Vnde non abſurdè animam Græcis à frigiditate ψυχὴν appellatam eſſe. Ipſe uerò rurſus, animam rariorem & tenuiorē naturæ ſpiritum opinatur, pugnans planè aduerſus ſeipſum. Quomodo enim poſsibile eſt, tenuem & rarum ex craſſo fieri iuxta perfrigerationē & denſationem? Et quod maius eſt, quomodo animatum

Fœtus ſimilis plantæ.

Anima Stoicorum.

Ψυχὴ unde dicta.

Elementorum inter ſe tranſmutatio.

C frigiditate fieri pronuncians;animatũ putat Solem qui igneus eſt,& qui genitus eſt ex euaporatione in ignem tranſmutata? Nam in tertio de Natura dicit:Ignis trãſmutatio talis eſt, per aërem in aquam uertitur, & ex hac terra ſubſiſtente,aër exhalat, attenuato autem aëre, æther circumcirca ambit. Stellæ uerò ex mari cum Sole accendunrur. Quid igitur magis contrarium eſt incenſioni,quàm perfrigeratio?aut diffuſioni,quàm denſatio? Nam aquam & terram ex igne & aëre facit;in ignem uerò & aërem uertit liquidum ac terreum:& tamen alibi incenſionem,alibi perfrigerationem,animationis principium facit. Quin & quum incenſio facta fuerit,penitus uiuere & animal eſſe dicit:quum uerò extinguitur rurſus & denſatur,in aquam & terram ac corporeum uerti. Dicit autem in primo de Prouidentia:Quum enim mundus penitus ſit igneus, ſtatim etiam anima ipſius eſt, & principalis eius pars. Aliquando uerò in liquidum tranſmutatus, etiam incluſam animam quodammodo in corpus tranſmutans,quemadmodum ex his conſtat, aliam quandam rationem habet. Hoc ſanè loco palàm etiam inanimatas mundi partes per incenſionem in animatas uerti dicit; & rurſus, per extinctionem etiam animam dilui ac liquefieri, & in corporeum tranſmutari. Abſurdus igitur apparet, modò ex inſenſibilibus faciens animata per frigiditatem, modò maximam animæ mundi partem, per eandem in inſenſibilia ac inanimata tranſmutans. Et ſi hæc etiam non ita ſe haberent, tamen ſermo ipſius de animæ generatione, demonſtrationem habet cum ipſo dogmate pugnantem. Nam animam gigni ait,ubi fœtus fuerit natus, ſpiritu per frigiditatem uelut corroborationẽ ac confirmationẽ tranſmutato. Demonſtratione autem utitur eius quòd anima genita ſit & poſterior natu,maximè ex eo quòd filij parentum ſimiles moribus fiunt. Horum autem contrarietas conſpicitur. Non enim poſsibile eſt,animam ante partum moribus conformari,quæ poſt partum gignitur:aut continget, priuſquàm gignatur anima, ſimilem animæ eſſe, hoc eſt, & eſſe ſimilitudine, & non eſſe, propterea quòd nondum genita ſit. Si uerò quis dicat,quòd ſimilitudine temperamentis corporum innata, animæ naſcentes tranſmutantur, is corrumpit coniecturam eius quòd anima genita ſit. Poſsibile eſt enim hoc modo etiam ingenitam eſſe,& quum ingreſſa fuerit, per temperamentum ſimilitudinis tranſmutari. Aërem porrò aliquando ſurſum ferri

Animæ generatio.

D & leuem eſſe dicit,aliquando neque grauem neque leuem. Itaque in ſecundo de Motu,& ignem grauitatis expertem ſurſum ferri dicit, & conſimiliter huic aërem,quum aqua quidem terræ magis ſit attributa, aër autem igni. Verùm in artibus naturalibus ad alteram opinionem repit,quòd neque grauitatem neque leuitatem aër ex ſeipſo habet. Aërem inſuper natura tenebroſum eſſe dicit; & hac coniectura utitur, quòd etiam frigidus primariò ſit: opponi enim ipſius tenebroſitatem ad ſplendorem,frigiditatem uerò ad calorem ignis. Hæc in primo Quæſtionũ naturalium mouens, rurſus in libris de Habitibus,nihil aliud habitus quàm aëres eſſe dicit: ab his enim continentur corpora: & quòd ſingula quæ habitu continentur,qualitatem habeant,aër continens cauſa eſt, quem duritiam in ferro,denſitatem in lapide,candorem in argento uocant, quum multam abſurditatem & pugnam hæc habeant. Si enim manet qualis natura eſt,quomodo nigrum in non albo,albedo fit?& molle in non duro,duritia?& rarum in non denſo,denſitas? Si uerò mixtur in his excedit abitq; ac aſsimilatur,quomodo habitus eſt, aut facultas, aut cauſa eorum à quibus ſuperatur? Patientis enim eſt,non agentis,neq; continentis, ſed languentis,talis tranſmutatio, per quam qualitates ſuas amittit. Atqui quum ubiq; materiam ocioſam & ex ſeipſa immobilem qualitatibus ſubiacere pronuncient, qualitates uerò ſpiritus,quos etiam aëreas firmitates appellant,quibuſcunq; partibus materiæ ingenerentur,ſingulas ſpecificare & figurare, hæc dicere ipſis non licet,qui aërem natura talem ſupponunt. Habitus enim exiſtens ac firmitas,ſingula corpora ſibijpſi aſsimilabit,ut rara ſint & mollia. Si uerò per temperamenta ad illa,contrarias accipit formas his quas habere à natura ſolet,materia quodãmodo materiæ non cauſa,neq; facultas eſt. Quod extra mundum inane,infinitum eſt. Infinitum autem neq; principium,neq; medium,neque finem habet,ſæpe ab ipſo dicitur:& iuxta hoc maximè,atomi ſiue indiuidui ad inferna lationem ab Epicuro inductam ex ipſo tollunt,quum non ſit in infinito differentia, iuxta quam intelligi poſsit aliud ſurſum,aliud deorſum ferri. Verùm in quarto de Poſsibilibus,medium quendã locum ac mediam regionem ſupponens,hic mundum firmari dicit. Verba eius hæc ſunt: Quapropter etiam de mundo dicendum,corruptibilem ipſum eſſe, ratione putamus indigere. Veruntamen mihi magis ſic uidetur habere. Fermè autem ad eam quæ eſt uelut incorruptibilitas,multum ipſi confert regionis occupatio,quòd uidelicet in medio exiſtit;quãdoquidem ſi alibi eſſe intelligeretur,etiam omnino

Inane infinitũ eſſe,extra mundum.

coniun-

A coniungeretur ipſi corruptio. Et paulò pòſt rurſus: Sic enim quodãmodo etiam contigit ut
ſubſtantia ſempiternè ſit medium locum indepta, & ſtatim talis exiſtat, ut iuxta alium mo-
dum, imò etiam per caſum, nõ ſuſcipiat corruptionẽ, & ſecundùm hoc ſempiterna exiſtat.
Hæc unam quidem manifeſtam & conſpicuam contrarietatem habent, quòd uidelicet me-
dium quendam locum ac mediam regionem relinquit. Alteram uerò obſcuriorẽ quidem,
uerùm hac abſurdiorem. Putans enim non incorruptibilem permanere poſſe mundum, ſi
iuxta aliam uacui partem contigiſſet ipſi ſedem fieri, palàm prodit quòd timeat, ne partibus
ſubſtantiæ in medium allabentibus, mundi diſſolutio ac corruptio fiat. Hæc autẽ non utiq;
timuiſſet, ſi non corpora à natura undiquaq; ad medium ferri putaſſet, non ſubſtantiæ, ſed
regionis cauſam continentis: de quo etiam ſæpe dixit, uelut impoſſibile & præter naturam
exiſtat. Non enim exiſtere differentiam in uacuo, quàm corpora magis huc quàm illuc ad-
duci: uerùm mundi cõſtructionem cauſam eſſe motus nutantium & labentium undiquaq;
ad centrum ac medium ipſius. Sufficit autem ea gratia apponere uerba ex ſecundo de Mo-
tu. Præfatus enim quòd mundus perfectum corpus eſt, non perfectæ autem mundi partes
ſint, propterea quòd ad totum ſe quodãmodo habeant, & non per ſe ſint: & de motu ipſius
ſermone habito, quòd ad ſe continendum ſuæq; conſeruationis gratia, per omnes partes
moueri à natura ſoleat, non ad ſe conterendum, ſuæq; diſſolutionis gratia, hæc dixit: Sic au-
tem toto in idem tendente, extentoq; ac moto, itemq; partibus hunc motum ex corporis
natura habẽtibus, probabile eſt omnibus corporibus primum ſecundùm naturam motum
eſſe ad mundi medium, mundo quidem ſic moto ad ſeipſum, partibus autem uelut partes
ſunt. Poſtea uerò dixerit quiſpiam: O homo, quid accidit tibi ut horum ſermonum obli-
uiſcereris, & pronunciares mundum diſſolubilem ac corruptibilem, ſi non mediam regio-
nem ex fortuna occupaſſet? Si enim ipſe in idem medium nutare ſemper à natura ſolet, &
partes ad hoc contendere undiquaq;, ad quamcunq; tandem uacui partem tranſponatur,
incorruptus & incõfractus permanet, continens hoc modo cooperiensq; ac complectens
ſeipſum. Quæ enim confringuntur ac diſperguntur, hoc ipſum ex diſcretione ac diſſolutio-
ne partium perpetiuntur, unaquaq; ad proprium locum ex eo qui præter naturam eſt dif-
B fluente ac diſcedente. Tu uerò ſi iuxta aliam uacui partem ponatur mundus, putans ſic pe-
nitus coniungi ac imminere corruptionem, atque ſic dicens, & propter hoc, medium in eo
quod nullum ex natura medium habere ſolet, in ipſa uidelicet infinitorum regione relin-
quens, extenſiones quidem & cohibitiones ac nutationes illas, uelut nihil magnæ ad con-
ſeruationem exiſtimationis habentes, dimiſiſti, occupationi autem loci uniuerſam durabi-
litatis cauſam attribuiſti. quanquam prædictis hæc connectit, tanquam ipſe ſeipſum redar-
guere cõtendens: Iuxta quem uerò modum unaquæq; pars mouetur cognata ac cohærens
alteri, eodem modo conſentaneum eſt etiam per ſeipſam moueri. Et ſi, uerbi cauſa, mente
concipiamus ac ſupponamus ipſam in uacuo quodam huius mundi eſſe, uelut enim con-
tenta ac concluſa undiq;, mouebatur ad medium, in hoc motu manet, etiamſi, uerbi gratia,
derepentè circum ipſam uacuum fieret. Deinde uerò quæcunq; pars à uacuo apprehenſa,
non abijcit inclinationẽ ad mundi medium ducentem. Ipſe autem mundus, ſi non mediam
regionem, ſpontaneum ipſi ſubornaret, perdet contentiuam ſui firmitatem, alijs ſubſtantiæ
ipſius partibus aliò dilabentibus. Atq; hæc quidem magnas habent contrarietates ad na-
turalem rationem: illud uerò etiam ad rationem de deo & prouidentia, quòd minutiſsimas
cauſas his defert, principaliſsimum autem & maximum aufert. Quid enim principalius eſt
mundi durabilitate ac conſeruatione? & quàm contineri ſubſtantiam partibus unitam ad
ſeipſam? Verùm hoc ſanè contigit ſpontè, iuxta Chryſippum. Si enim loci occupatio cauſa
eſt incorruptibilitatis, hæc autem caſu contigit, uniuerſorum ſalus & conſeruatio, caſus ni-
mirum opus eſt, non fati ac prouidentiæ. At uerò poſsibilium ratio, ad fati rationem, quo-
modo non pugnans ipſi exiſtit? Si enim nõ eſt poſsibile, quod aut eſt aut erit uerum, ſecun-
dum Diodorum: ſed omne ſuſceptiuum ut fiat, etiamſi futurum non eſt ut fiat, poſsibile eſt:
multa poſsibilia erunt quæ non iuxta fatum inuictum incoactumq; & omnia exuperans
fiunt, aut fatum uim perdit. Aut tale exiſtens quale Chryſippus eſſe cenſet, id quod ſuſce-
ptiuum eſt ut fiat, ſæpe in impoſsibile incidet. Et omne quidem uerum neceſſariũ erit, prin-
cipaliſsima omnium neceſsitate apprehenſum. Omne autem falſum impoſsibile, ut quod
maximam habet cauſam ſibijpſi obſtantem, quo minus uerum fiat. Cui enim fatale eſt in
mari perire, quomodo poſsibile eſt hunc ſuſceptiuũ eſſe ut in terra pereat? Quid uerò poſ-

Mundus ſempiternus.

Corpora undiquaq; in medium ferri.

Mundus corpus perfectum. Mundi partes imperfectæ.

Mundus cur incorruptibilis.

Motus mundi partium ad medium.

Spontaneum tollit prouidentiam & deum.

Neceſsitatis ratio.

C ſibile eſt eum qui apud Megaram eſt peruenire in Athenas à fato prohibitum? Quin & de imaginationibus iuueniliter ac fortiter dicta fato aduerſantur. Imaginationem enim uolens non eſſe perfectam aſſenſionis cauſam demonſtrare, dixit quòd nocent ſapientes falſas imaginationes inducẽtes, ſi imaginationes faciant perfectè aſſenſiones. Sapientes enim ſæpe mendacio utuntur ad malos, & imaginationem probabilem adducunt, non tamen cauſam aſſenſionis, quandoquidem etiam opinionis falſæ & deceptionis cauſa erit. Hæc

Fati uis quæ. igitur ſi quis à ſapiente transferens ad fatum, dicat non per fatum fieri aſſenſiones, quandoquidem per fatum erunt etiam falſæ aſſenſiones, ac opiniones & deceptiones, & lædentur per fatum: hic ſermo qui ſapientem de nocendo excuſat, ſimul etiam fatum non omnium cauſam eſſe demonſtrat. Si enim neq; opiniones habent, neq; læduntur per fatum, palàm eſt quòd neq; rectè faciunt, neq; ſapiunt, neq; conſtanter apprehendunt, neq; utilitatem capiunt per fatum, ſed perijt, omnium cauſam eſſe fatum. Quòd ſi quis dicat Chryſippum nõ

Fatum cauſa laceſſens. perfectam ac abſolutam horum cauſam, ſed ſolùm externam ac laceſſentem, feciſſe ipſum fatum, etiam hic rurſus demonſtrabit ipſum aduerſus ſeipſum pugnantem, ubi Homerum inſigniter laudat de Ioue dicentem:

Ex hoc contingunt bona nobis & mala quæq;. Item Euripidem:

O Iupiter quis nam miſeram mortalium
Videre quid putauerit ſapientiam?
Pendemus ex te cuncti enim pronuncio,
Et quod facimus & quod patimur de te uenit.

Ipſe autem multa his conſentientia ſcribit. Ad finem uerò dicit, nihil teneri, neq; moueri, & ne minimum quidem aliter quàm iuxta Iouis uoluntatem, qui idem cum fato exiſtit. Inſuper uerò cauſa externa & laceſſens debilior eſt, quàm perfecta ac abſoluta, & non procedit ab alijs exurgentibus ſuperata. Fatum autem cauſam inuictam & impediri nequientem

Adraſtia fatũ. ac immutabilem pronuncians, ipſe appellare ſolet immutabile, ineuitabile, Adraſtiam, neceſsitatem, & Græca uoce πεπρωμένην, tanquam quod omnibus finem imponat. Vtrum igitur aſſenſiones non dicimus in nobis eſſe, neq; uirtutes, neq; uitia, neq; rectè facta, neq;

D peccata? Aut fatum dicimus defectuoſum eſſe, & finem non conſequi, & Iouis motus ac habitus ad finem non perduci? Hæc enim partim conſequuntur ex eo quòd perfecta & abſoluta eſt, partim ex eo quòd externa tantùm ac laceſſens cauſa fatum exiſtit. Perfecta enim cauſa omnium exiſtens, id quod in nobis eſt & liberum arbitrium tollit: externa uerò & laceſſens tantùm exiſtens, perdit uim impediri nequientem & operum effectricem. Neque enim ſemel aut bis, ſed ubiq;, magis autem in omnibus phyſicis libris ſcripſit, particularibus quidem naturis ac motibus multas inſtantias ac impedimenta contingere, uniuerſorum uerò naturæ, nullas. At quomodo motus uniuerſorum extendens ſe ad particulares impedimento caret, ac prohiberi nequit, quum illæ prohibeantur ac impediantur? Neque enim hominis natura impedimento caret, niſi etiam pedis aut manus natura impedimento careat. Neq; nauis motus impedimento caruerit, ſi circa uelum aut remigationis actum impedimenta quædam extiterint. Et ſi hæc etiam non ita ſe haberent, ſi quidem imaginationes aſſenſionum non fiunt ſecundum fatum, imò uerò propterea quòd facit imaginationes ad aſſenſionem ducentes, ipſæ aſſenſiones ſecundum fatum fieri dicuntur. Quomodo non pugnat fatum aduerſus ſeipſum, ſæpe in maximis rebus diuerſas imaginationes inducens, & quæ mentem in contraria diſtrahant? quandò ſanè aſſentientes alteri, & non ſuſpenſam ſententiam tenentes, peccare dicunt, & in obſcuris quidem imaginibus impingere, in falſis uerò ſeduci, in incomprehenſibilibus uerò communiter, opinione duci. Atqui

Aſſenſionis ſumma. quum tria ſint, aut non omnem imaginationem eſſe fati opus, aut omnem aſſumptionem & aſſenſionem imaginationis inculpabilem eſſe, aut neque ipſum fatum culpa uacare, haud ſcio quomodo culpa uacet tales inducẽs imaginationes, quibus nõ repugnare neq; reſiſtere, ſed ſequi ac cedere, uitio uertitur. Quin & in certaminibus aduerſus Academiacos, tum ipſi Chryſippo, tum Antipatro plurima contentio fuit de eo, quòd neq; facere, neque animum inducere oporteat circa aſſenſionem: ſed figmenta eos dicere atque inanes quæſtiones proponere, qui cenſent ſtatim ut imaginatio facta eſt, animum inducendum eſſe, & neque cedendum, neq; aſſentiendum. Rurſus autem ipſe Chryſippus dicit, & deum & ſapientem falſas imaginationes inducere, eoſq; non opus habere neq; ut aſſentiamur nos, neq; ut cedamus, ſed ut faciamus ſolùm & animum inducamus ad id quod nobis per imaginationem

A ginationem uiſum eſt. Ňos autem per uitia noſtra præ imbecillitate talibus imaginationibus aſſentiri. At uerò horum ſermonum turba & inter ipſos diuerſitas, non ualde difficilem habet ſpeculationem. Qui enim non opus habet aſſentientibus, ſed ſolùm facientibus his quibus immittit imaginationes, ſiue deus is eſt, ſiue ſapiens, nouit quòd ad faciendum ſufficiunt imaginationes, & abducunt aſſenſiones. Nam ſi nouit quòd imaginatio effectiuum impetum ac conatum non inducit, citra aſſenſionem, falſas operatur & probabiles imaginationes, & ultronea cauſa eſt ut impingamus & peccemus incomprehenſibilibus aſſentientes.

CAPITVM QVÆ IN QVINQVE LIBRIS DE PLACITIS PHILOSOPHORVM CONtinentur, Catalogus.

CAPITA PRIMI LIBRI.

Quid ſit natura. Caput I
Differentia inter principium & elementũ. II
De principijs. III
Quomodo conſtitutus ſit mundus. IIII
An unum ſit uniuerſum. V
Vnde homines notionem dei habuerint. VI
Quis ſit deus. VII
De dæmonibus ac heroibus. VIII
De materia. IX
De idea. X
De cauſis. XI
De corporibus. XII
De minimis corpuſculis. XIII
De figuris. XIIII
De coloribus. XV
De ſectione corporum. XVI
De mixtione ac temperamento. XVII
De uacuo. XVIII
De loco. XIX
De capacitate. XX
De tempore. XXI
De ſubſtantia temporis. XXII
De motu. XXIII
De generatione & corruptione. XXIIII
De neceſſitate. XXV
De ſubſtantia neceſſitatis. XXVI
De fato. XXVII
De ſubſtantia fati. XXVIII
De fortuna. XXIX
De natura. XXX.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

De mundo. I
De figura mundi. II
An animatus ſit mundus. III
An incorruptibilis ſit mundus. IIII
Vnde nutriatur mundus. V
A quo elemento mundum fabricare cœperit deus. VI
De ordine ſtructuræ mundi. VII
Qua cauſa mundus inclinatus ſit. VIII
An extra mundum ſit uacuum. IX
Quæ dextræ mundi partes, & quæ ſiniſtræ. X
De cœlo, quæ ipſius ſubſtantia ſit. XI
De cœli diuiſione, in quot circulos ſecetur. XII
Quæ ſtellarum ſit ſubſtantia, & quomodo ſint conſtitutæ. XIII
De figura ſtellarum. XIIII
De ordine ſtellarum. XV
De ſtellarum latione & motu. XVI
Vnde illuminentur ſtellæ. XVII
De ſtellis Dioſcuris appellatis, hoc eſt, Caſtore & Polluce. XVIII
De acceſſione ac ſignificatione ſtellarum, & quomodo hyems ac æſtas fiat. XIX
De ſubſtantia ſolis. XX
De magnitudine ſolis. XXI
De figura ſolis. XXII
De ſolſtitijs. XXIII
De deliquio ſolis. XXIIII
De ſubſtantia lunæ. XXV
De magnitudine lunæ. XXVI
De figura lunæ. XXVII
De illuminatione lunæ. XXVIII
De deliquio lunæ. XXIX
De imagine lunæ, & cur terrea appareat. XXX
De diſtantia lunæ à ſole. XXXI
De annis, & quantus ſit magnus annus, itemq́; ſingulorum planetarum. XXXII.

CAPITA TERTII LIBRI.

De circulo lacteo. I
De Cometis, & emicantibus ignibus ac trabibus. II
De tonitruis, fulguribus, fulminibus, ignibus cœleſtibus, qui preſteres ac typhones appellantur. III
De nubibus, pluuijs, niuibus, grandinibus. IIII
De iride ſeu arcu cœleſti. V
De uirgis. VI
De uentis. VII
De hyeme & æſtate. VIII
De terra, & quæ ſubſtantia eius, & quanta ſit. IX
De figura terræ. X

De terræ ſitu. XI
De inclinatione terræ. XII
De terræ motu. XIII
De diuiſione terræ,& quot ipſius zonæ. XIIII
De terræmotibus ſiue concuſsionibus. XV
De maris conſtitutione, & quomodo amarulentum exiſtat. XVI
Reciprocationes & inundationes maris quemadmodum fiant. XVII
De area. XVIII.

CAPITA QVARTI LIBRI.

De Nili aſcenſu & auctu. I
De anima. II
An anima ſit corpus,& quæ ipſius ſubſtantia ſit. III
De animæ partibus. IIII
Quid ſit principalis animæ pars,& ubi ſit. V
De animæ motu. VI
De animæ immortalitate. VII
De ſenſibus & ſenſibilibus. VIII
An ueri ſint ſenſus & imaginationes. IX
Quot ſint ſenſus. X
Quomodo ſenſus fiat & intellectus, & ratio iuxta diſpoſitionem. XI
Quomodo differant, imaginatio, imaginarium, imaginatiuus ductus,& imaginatum ſeu uiſum. XII
De uiſu,& quomodo uidemus. XIII
De ſpecularibus imaginibus. XIIII
An tenebræ uiſibiles ſint. XV
De auditu. XVI
De olfactu. XVII
De guſtu. XVIII
De uoce. XIX
An uox incorporea ſit,& quomodo Echo fiat. XX
Vnde ſenſibilis fiat anima, & quæ ſit eius principalis pars. XXI
De reſpiratione. XXII
De affectionibus corporeis, & an corpori anima condoleat. XXIII.

CAPITA QVINTI LIBRI.

De uaticinatione. I
Quomodo ſomnia fiant. II
Quæ ſeminis ſubſtantia ſit. III
An ſemen ſit corpus. IIII
An etiam fœminæ ſemen emittant. V
Quomodo conceptus fiant. VI
Quomodo mares & fœminæ gignantur. VII
Quomodo monſtra fiant. VIII
Quare mulier ſæpe concumbens non concipiat. IX
Quomodo gemini tergeminiq; gignantur. X
Vnde nam parentum atque progenitorum ſimilitudines fiant. XI
Quomodo alienis ſimiles naſcantur, parentibus uerò nequaquam. XII
Quibus modis ſteriles fiant mulieres, & uiri infœcundi. XIII
Cur mulæ ſteriles ſint. XIIII
An fœtus animal ſit. XV
Quomodo nutriantur fœtus. XVI
Quid primùm in uentre ſeu utero perficiatur. XVII
Cur ſeptimeſtres partus uitales ſint. XVIII
De generatione animalium, & quomodo genita ſint animalia,& an interitura. XIX
Quot ſint animalium genera,& an omnia ſenſibilia & rationabilia. XX
Quanto tempore animalia in utero efformētur. XXI
Ex quot elementis ſingulæ generales in nobis partes conſtent. XXII
Quando & quomodo homo perfici incipiat. XXIII
Quomodo ſomnus & mors fiat. XXIIII
Vtrius ſomnus & mors ſit, animæ an corporis. XXV
Quomodo augeſcāt plātæ,& an ſint animalia. XXVI
De alimento & augmento. XXVII
Vnde appetitus animalibus contingant, & unde uoluptates. XXVIII
Quomodo febris fiat, & an conſequens ad alios morbus ſit. XXIX
De ſanitate, morbo, ac ſenecta. XXX

Plutarchi de placitis philoſophorum, Liber primus

IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERP.

PRAEFATIO.

Sapientiæ definitio. Philoſophia quid. Virtutes generaliſſ. tres. Philoſophia tripartita.

RERVM naturaliū rationem tradituri, neceſſarium ducimus ſtatim in principio ipſius philoſophiæ diuiſionem facere, ut ſciamus quid ſit, & quota eius pars rerum naturalium explicatio exiſtat. Stoici quidem igitur Sapientiam diuinarum ac humanarum rerum ſcientiam eſſe dicunt: Philoſophiam uerò, cōmodæ artis exercitationem. Commodam autem eſſe unam ſolam & ſummè ipſam uirtutem. Virtutes uerò generaliſsimas tres eſſe, naturalem,

A naturalem,moralem & rationalem. Ob quam cauſam etiam tripartita eſt philoſophia,utpote cuius una pars eſt naturalis,altera moralis,tertia rationalis. Et naturalis quidem eſt,quum de mundo quærimus, & his quæ in mundo ſunt. Moralis uerò circa humanam uitam occupata eſt. Rationalis circa ſermonem, quare & Logicen & Dialecticen ipſam appellant. Ariſtoteles porrò & Theophraſtus omnesq; ferè Peripatetici, philoſophiam hoc modo diuiſerunt: Neceſſe eſt perfectum uirum ſpeculatorem eſſe eorum quæ ſunt, & actorem eorum quæ decent. Hoc autem ex his intelligi poteſt: uelut uerbi cauſa, quæritur an animal aut non animal ſit Sol: ſiquidem uidetur. Qui hoc itaque quærit, ſpeculator eſt: nihil enim amplius ſpeculatur quàm id quod eſt quærit. Similiter an infinitus ſit mundus, & an extra mundum quid eſt: hæc enim omnia ſpeculatoris exiſtunt. Rurſus quæritur, quomodo uitam degere oportet, & quomodo liberis præeſſe conuenit, & quomodo gerendus eſt magiſtratus, & ut leges ferre oporteat: hæc enim omnia agendi cauſa quæruntur. & talis uir actor exiſtit.

Quid ſit natura. Caput I.

QVandoquidem uerò nobis propoſitum eſt res naturales contemplari, neceſſarium opinor declarare, quid ſit natura. Abſurdum enim fuerit de natura tractationem inſtituere, & ignorare hoc ipſum, uim uidelicet ac potentiam naturæ. Eſt igitur ſecundum Ariſtotelem, natura principium motus & quietis, in quo primariò eſt, & non ſecundum accidens. Omnia enim quæ uidentur, quæ neque à fortuna, neque à neceſsitate, neque diuina ſunt, neque huiuſcemodi cauſam habent, naturalia dicuntur, & naturam propriam habent: uelut terra, ignis, aqua, aër, plantæ, animalia. Inſuper & hæc quæ fiunt, pluuiæ, grandines, fulmina, ignes cœleſtes, uenti: hæc enim principium quoddam habent, utpote quæ ab æterno non fuerint, ſed à quodam principio fiunt. Et hæc ſanè, uelut animalia & plantæ, principium generationis habent, & in his natura principium primò eſt, & non ſolùm motus, uerùm etiam quietis. Quæcunq; enim principium motus acceperunt, ea etiam finem accipere poſſunt. Ob id igitur natura principium eſt motus & quietis.

Naturalia quæ dicantur.

B

Differentia inter principium & elementum. Caput II.

ARiſtoteles & Plato differre putant principium & elementum. Thales uerò Mileſius idem eſſe putat principium ac elementum. Verùm quamplurimum inter ſe differunt. Elementa enim compoſita ſunt: principia autem dicimus neque compoſita, neque effectus eſſe: uelut, uerbi cauſa, elementa quidem uocamus terram, aquam, aërem, ignem. Principia autem dicimus ob id, quòd non habent quid prius ex quo generentur: alioqui enim non eſſet hoc principium, ſed illud ex quo genitum eſſet. Terra autem & aqua quædam priora ſunt, ex quibus genita ſunt: materia nimirum informis exiſtẽs ac ſpecie carens, & forma, quam entelechiam, hoc eſt, perfectionem appellamus, & priuatio. Errat itaque Thales, elementum ac principium dicens eſſe aquam.

Principia cur dicta.

Materia.

De principijs. Caput III.

THales Mileſius principium rerum pronunciauit aquam. Videtur autem hic uir philoſophiæ princeps fuiſſe, & ab ipſo Ionica ſecta appellata eſt. Plurimæ enim fuerunt philoſophiæ ſucceſsiones ac propagationes. Verùm hic diu in Ægypto philoſophatus, ſenior in Miletum conceſsit, & ex aqua omnia eſſe, & in aquam omnia reſolui dixit. Vtitur autem coniecturis huiuſmodi: primò, quòd omnium animantium genitura principium eſt, quæ liquida exiſtit: ut ex hoc ueriſimile ſit, etiam omnia ex humore principium habere. Deinde, quòd omnes plantæ humore aluntur, ac fructum producunt: quo ubi careant, reſiccantur. Tertiò, quòd ipſe ignis Solis & ſyderum, euaporationibus aquarum nutritur, itemq; ipſe Mundus. Quapropter etiam Homerus hanc generationem de aqua pronunciauit:

Ionica philoſophia.

Oceanus genitor cunctorum qui unicus extat.

Anaximander Mileſius rerum principium eſſe dicit Infinitum: ex hoc enim omnia fieri, & in hoc omnia corrumpi: quapropter etiam generari infinitos mundos, ac rurſus corrumpi in id ex quo geniti ſunt. Dicit igitur, Cur infinitum eſt? Nimirum ut generatio ſubſiſtens in

C nullo deficiat. Errat autem hic, quòd non dicit quid ſit infinitum, num aër ſit, aut aqua, aut
terra, aut alia quædam corpora. Errat igitur materiam quidem conſtituens, cauſam uerò
efficientem tollens. Infinitum enim nihil aliud quàm materia eſt. Non poteſt autem mate-
ria eſſe actio, niſi cauſa efficiens ſubſit. Anaximenes item Mileſius, principium rerum aë-
Anima aër eſt. rem conſtituit, ex hoc enim omnia fieri, & in ipſum rurſus reſolui: uelut anima, inquit, no-
ſtra aër exiſtens, continet nos, & uniuerſum mundum ſpiritus & aër complectitur & ambit.
Dicuntur autem eadem ſignificatione, aër ac ſpiritus ſiue flatus. At uerò errat etiam hic, ex
ſimplici ac uniformi aëre ac ſpiritu animalia conſtare putans. Impoſsibile eſt enim unum
principium rerum, materiam ipſam ex qua omnia fiunt, ſubſiſtere, uerùm etiam cauſam ef-
ficientem ſupponere oportet. Velut non ſufficit argentum ad faciendũ poculum, niſi etiam
cauſa efficiens ſit, hoc eſt, faber argentarius. Similiter etiam in ære, & ligno, & reliqua mate-
ria uſu uenit. Anaxagoras Clazomenius principia rerum ſimilaritates eſſe ſtatuit. Vide-
batur enim ipſi uehementer dubia res eſſe, quomodo ex non exiſtente & de nihilo quid
fieri poſsit, aut corrumpi in id quod non eſt. Alimentum itaq; aſſumimus ſimplex & uni-
forme, uelut Cereris munus panem, & aquam bibimus, atq; ex hoc alimento nutritur pi-
lus, uena, arteria, nerui, oſſa, ac reliquæ partes. Quæ cùm ita ſint, confitendum eſt quòd in
alimento quod aſſumimus omnes res inſunt, & omnes res ex ipſo augeſcunt, & in illo ipſo
alimento partes ſunt ſanguinem generantes, & neruos & oſſa, & alias partes ratione perce-
ptibiles. Neq; enim omnia ad ſenſum reducere oportet, quòd panis & aqua hæc faciant, ſed
Similaritates cur dictæ. in his ſunt partes quæ ratione percipi poſſunt. Itaque ab eo quòd ſimiles ſunt partes in ali-
mento his quæ generantur, ſimilaritates ipſas appellauit, & principia rerum pronunciauit.
Atq; has quidem ſimilaritates materiam eſſe, cauſam uerò efficientem, mentem omnia or-
dinantem. Orditur aũt hoc modo: Vnà omnes res erant, mens uerò ipſas diremit, ornateq;
diſpoſuit. Hic igitur ferendus eſt, quòd materiæ opificem adiunxit. Archelaus Apollo-
dori Athenienſis, aërem infinitum, & denſitatem ac raritatem circa ipſum, principia rerum
eſſe dixit: horum autem alterum eſſe ignem, alterum aquam. Hi quidem igitur relati uiri
conſequenter ſibi ſuccedentes, Ionicam à Thalete appellatam philoſophiam compleuere.
Rurſus autem ab alterius philoſophię exordio, Pythagoras Mneſarchi Samius, qui primus
D philoſophiam hoc nomine appellauit, principia rerum numeros ſtatuit, & ipſorum pro-
portiones, quas ſymmetrias ac harmonias uocat, itemq; elementa ex utriſq; compoſita, ac
geometrica appellata. Rurſus autem unitatem & indefinitam dualitatem inter principia
locat. Spectat autem horum principiorũ alterum ad cauſam efficientem ac formalem, quæ
eſt mens & idem deus: alterum ad patientem ac materialem, quæ eſt mundus hic uiſibilis.
Denarij uis. Naturam porrò numeri denarium eſſe pronunciat: nam ad denarium uſque omnes Græ-
ci omneſq; barbari numerant, ad quem ubi peruenerint, redeunt ad unitatem. Denarij au-
Quaternarij uis. tem rurſus uis, inquit, in quaternario exiſtit, eiuſq; cauſa talis eſt. Si quis ab unitate pro-
greſſus, addendo ponat numeros uſque ad qnaternarium, denarium numerum explebit.
Si uerò excedat quaternarium, etiam denarium tranſgredietur; uelut ſi quis, exempli ergò,
unum ponat, & duo addat ac tria, atq; his quatuor, denarium numerum explebit. Quare
numerus ſecundum unitatem quidem in decem, ſecundum uim autem in quatuor exiſtit.
Quapropter etiam Pythagoræi iurabant, uelut quaternarij iuſiurandum maximum eſſet, in
hunc modum:

Iuramentum Pythagoræorum.

Per, qui noſtræ animæ tribuit, tibi iuro quaternum,
Naturæ fontem æternæ radice reuinctum.

Quin & animam noſtram ex quaternione compoſitam eſſe dicit. Eſſe enim mentem,
ſcientiam, opinionem, ſenſum, ex quibus omnis ars & ſcientia, & nos ipſi rationales ſu-
mus. Mens quidem igitur unitas eſt: mens enim ſecundum unitatem ſpeculatur: uelut
quum multi ſunt homines, particulares quidem ſingulatim ſenſu deprehendi non poſ-
ſunt, incomprehenſibileſq; ac infiniti ſunt: uerùm hoc ipſum, hominem unum tantum
mente concipimus, cui nullus ſimilis exiſtit. Ita & equum unum ſolùm mente concipi-
mus, partiales autem ſunt infiniti. Omnes enim hæ ſpecies ac genera ſecundum unitatem
ſunt, quapropter etiam in unoquoque ipſorum hanc diffinitionem reddentes dicunt, ani-
mal rationale, aut animal hinnibile dicendum eſſe. Propterea igitur mens unitas eſt, qua
hæc conſideramus. At uerò dyas, id eſt, dualitas indefinita meritò ſcientia eſt. Omnis
enim demonſtratio, & omnis ſcientiæ perſuaſio ac probatio, inſuperq; omnis ſyllogiſmus ac
ratiocina-

A ratiocinatio, ex quibuſdam conceſsis id quod cōtrouerſum eſt colligit, & facilè demonſtrat alterum, quorum comprehenſio ſcientia eſt: & propterea ſanè eſt dualitas. Cæterùm opinio, ternio ex comprehenſione meritò eſt, quia multorum eſt opinio: ternio autem multitudo: ut hic, Ter Danai felices. Ob id igitur ternionem non approbat Pythagoras. Heraclitus & Hippaſus Metapontinus principium uniuerſorum ignem eſſe cenſuerunt. Ex igne enim omnia fieri, & in ignem omnia finire dicunt: hoc autem extincto, omnia in mundo facta eſſe. Primùm enim craſsiſsimum ipſius in ſeipſum coactum, terra fit: deinde relaxatam terram ab igne aquam effici dicunt, id uerò quod exhalat aërem euadere: rurſus autem mundum, & omnia corpora in exarſione uniuerſi, ab igne conſumi. Principium igitur eſſe ignem, quia ex ipſo omnia: finem uerò, quia etiam in hunc ipſum omnia reſoluuntur. Epicurus Neoclis Athenienſis Democriti ſectator, principia rerum dixit eſſe, corpora ratione perceptibilia, non participantia uacuo, ingenita, ſempiterna, incorruptibilia, quæ neque confringi poſſunt, neq; ad formam aliquam ex partibus reduci, neq; alterari. Eſſe autem ipſa ratione perceptibilia, atq; hæc ſanè moueri in uacuo & per inane. Eſſe uerò etiam ipſum uacuum infinitum, & corpora infinita. Accidere autem corporibus tria hęc, figuram, magnitudinem, grauitatem. Democritus equidem duo tantùm prodidit, magnitudinem & figuram. Verùm Epicurus ad hæc etiam tertium addidit, grauitatem. Neceſſe eſt enim, inquit, corpora moueri per grauitatis plagam, alioqui enim non mouebuntur. Eſſe autem figuras corporum, quos atomos uocat, comprehenſibiles, non infinitas: non enim eſſe neq; uncinatas, neq; tridentis forma, neque anulares: has enim figuras facilè frangi: atomi autem frangi nequeunt, & lædi omnino non poſſunt. Habere autem figuras proprias, ratione perceptibiles, dictamq; atomum, non quòd minima eſt, ſed quòd ſecari ac diuidi non poteſt, utpote lædi non potens, & uacui non particeps. Quare ſi quis atomum dicat, infractam dicit & læſionis expertem, & uacui non participem. Quid autem ſit atomus, manifeſtum eſt: ſunt enim elementa ſemper exiſtentia, & animalia inania, atq; ipſa unitas. Empedocles Metonis Agrigentinus, quatuor quidem dicit eſſe elementa, ignem, aërem, aquam, terram. Verùm duas principales potentias, amicitiam & contentionem, quarum altera unit, altera
B diducit. Verba eius hoc modo habent:

Atomi unde dictæ.

Principales potentiæ duæ.

Primùm radices cunctorum quatuor audi.
Iuppiter ætherius, Iuno almaq;, Plutoq; diues,
Et Neſtis lachrymis humectans flumina noſtra.

Iouem equidem dicit feruorem & æthera, id eſt, ignem: Iunonem uerò almam, aërem: terram autem, Plutonem: Neſtim uerò & flumina noſtra, genituram & aquam. Socrates Sophroniſci Athenienſis, & Plato Ariſtonis Athenienſis (eadem enim ſunt utriuſque de uniuerſo opiniones) principia rerum tria dixerunt, deum, materiam, ideam. Eſt autem deus, mens. Materia, quod primò ſubiacet generationi ac corruptioni. Idea uerò ſubſtantia incorporea in intellectu ac imaginationibus dei. Deus autem mēs eſt mundi. Ariſtoteles Nicomachi Stagirita, principia quidem entelechiam, hoc eſt, perfectionē ſiue formam, & materiam, ac priuationem ſtatuit. Elementa uerò quatuor: & quintum quoddam corpus ætherium immutabile. Zenon Mnaſeę Citienſis, principia quidem deum & materiam, quorum ille faciendi, hæc patiendi cauſa eſt. Elementa uerò quatuor. Horum autem omnium ſecta Italica appellata eſt, propterea quòd Pythagoras in Italia philoſophiæ uacauit. Diſceſſit enim à patria ſua Samo Polycratis tyrannidi infenſus.

Iupiter æther ac ignis.

Italica philoſophiæ ſecta.

Quomodo conſtitutus ſit mundus. *Caput IIII.*

MVndus ſanè conſtitutus eſt circūuexa figura, formatus hoc modo. Quum indiuidua atomorum corpora improuiſum ac fortuitum motum haberent, aſsiduèq; ac celerrimè mouerentur, multa corpora in unum coaceruata ſunt, & figuris & magnitudinibus euariantia. His autem in unum coaceruatis, quæ quidem ex his maiora ac grauiſsima erant, penitus ſubſederunt: quæ uerò parua erant & rotunda, leuiaq; ac lubrica, ea in congreſſu corporum elidebantur, & in ſublime ferebantur. Quum autem uis impulſoria ac in ſublime ferens defeciſſet, & plaga non amplius ſurſum impelleret, deorſum uerò ferri hæc prohiberentur, ad locos apprimebantur qui ipſa ſuſcipere poſſent: hi autem circumcirca erant, & ad hos corporum multitudo circūflectebatur: implicata autem inter ſe in circumflexione cœlum genuerunt. Eandem porrò naturā ſequentes atomi, uariæ uelut dictum eſt exiſtentes, in ſublime impulſæ, ſtellarum naturam perfecerunt. At multitudo exhalantium corporum

Motus atomorum fortuitus.

Cœli & ſtellarū generatio.

C aërem uerberabat, ipſumꝗ exprimebat: hic uerò inflatus per motum, & ſimul cōprehen-
dens aſtra, ea ſecum circumuexit, & ipſorum reuolutionem ſublimem conſeruauit. Poſtea
Elementorum generatio. autem ex his quæ ſubſederunt, genita eſt terra: ex his uerò quæ in ſublime delata ſunt, cœ-
lum, ignis, aër. Quum autem multa adhuc materia in terra comprehenſa eſſet, eaꝗ per uen-
torum plagas ac ſtellarum auras denſaretur, omnis ipſius tenuis habitus expreſſus eſt, & li-
quidam naturam generauit. Hæc uerò quum fluxa eſſet, ad cauos locos capere ac recipere
ipſam potentes deferebatur. Aut etiam per ſe ſubſiſtens ſubiectos locos aqua excauabat.
Principaliſsimæ quidem igitur mundi partes hoc modo generatæ ſunt.

An unum ſit uniuerſum. *Caput V.*

STOici unum eſſe mundum pronūciauerunt, quem ſanè etiam uniuerſum eſſe dixerunt,
& quicquid corporeum exiſtit. Empedocles mundum quidem unum eſſe dixit, non
tamen uniuerſum eſſe mundum, ſed modicam quandam uniuerſi partem, reliquum uerò
Mundi unitatis ſigna tria. principium materiam. Plato opinionis ſuæ, quòd unus ſit mundus, & unum uniuerſum,
coniecturam ex tribus facit: ex eo quòd perfectus non ſit, ſi nō omnia complectatur: ex eo
quòd ſimilis non ſit ſuo exemplari, ſi non unigenitus exiſtat: ex eo quòd non incorrupti-
Mundus non perfectus, neꝗ incorruptibilis. bilis futurus erat, ſi quid extra ipſum eſſet. Cæterùm Platoni reſpōdendum eſt, mundum nō
eſſe perfectum, non enim omnia complectitur. Nam & homo perfectus eſt, ſed non omnia
complectitur. Suntꝗ multa exempla, uelut in ſtatuis, & ædibus, ac picturis. Quomodo au-
tem ſit perfectus, ſi quidem extra ipſum quid circumuolutari poteſt? Incorruptibilis autem
non eſt, neꝗ eſſe poteſt, quum ſit genitus. Metrodorus abſurdū eſſe dicit, in magno cam-
po unam ſpicam naſcī, & in infinito unum mundum. Quòd autem infinita ſit copia mun-
dorum, manifeſtum eſt ex eo quòd infinitæ ſunt cauſæ. Si enim mundus hic finitus eſt, cau-
ſæ uerò omnes infinitæ, ex quibus ipſe conſtat, neceſſe eſt infinitos etiam mundos eſſe. Vbi
enim omnes fiunt cauſæ, ibi etiam effectus. Cauſæ autem ſunt ſiue atomi, ſiue elementa.

Vnde homines notionem Dei habuerunt. *Caput VI.*

Deus quid. DEfiniunt Stoici dei eſſentiam ſic: ſpiritum intelligentē & igneum, non habentem for-
mam, & mutantē ſe in quæcunꝗ uult, & ſe omnibus aſsimilantem. Habuerunt autem
D huius notionem, primùm à pulchritudine rerum apparentium. Nullum enim pulchrum te-
Mundi pulchritudo. merè & fortuitò fit, ſed cum opifice quadam arte. Pulcher autem eſt mundus: manifeſtum
eſt id ex figura, & colore, & magnitudine, & ſtellarum circa mundum uarietate. Pilæ uerò
Figura. formam mundus habet, quæ figura omnium primas tenet: ſola enim hæc ſuis partibus aſsi-
milatur. Quum autem ſit rotundus, partes etiam rotundas habet: propter hoc ipſum enim
Color. in capite ſacratiſsima res mens ipſa conſtituta eſt, ut inquit Plato. Color quoꝗ ipſius pul-
cher eſt: cœruleo enim coloratus eſt, qui purpureo quidem nigrior eſt, uerùm ſplendentē
qualitatem habet, & ob hanc cauſam, tantum aëris ſpatium coloris uigore diſſecans, ex tan-
Magnitudo. tis interuallis conſpicitur. Pulcher item ex magnitudine eſt mundus. Nam id quod omnia
eiuſdem generis continet ac ambit, pulchrum eſt, uelut animalia & arbores. Et ſtellæ in cœ-
Circuli zodiaci animalia. lo apparentes, mundi pulchritudinem abſoluunt. Etenim obliquus in cœlo circulus, diuer-
ſis rerum imaginibus uariegatus eſt:

Cancer ineſt illi, Leo poſt, uirguncula deinde,
Poſt quam forcipibus dein totus Scorpius inſtat,
Spiculifer quem conſequitur, mox huic Capricornus.
Fuſor aquæ pòſt, & piſces duo ſtelligerati:
Hinc Aries, & hinc Taurus, Geminiꝗ ſequuntur.

Innumera uerò alia iuxta ſimiles mundi conuexitates deus fecit. Vnde etiā Euripides dicit:

Fulgens color, iubarꝗ cœli ſplendidum,
Sic per modos uarios nitens, pulcherrimi
Sapientis eſt, quid ni putas? opus fabri.

Sed etiam ex hoc notionem dei accepimus. Sol enim & Luna, ac reliqua ſydera, perpetuo
raptu ſub terras delata, ſimilia coloribus emergūt, æqualiꝗ magnitudine, locis item ac tem-
Deorum ſpecies. poribus iiſdem. Quapropter qui nobis deorum cultum tradiderunt, per tres ſpecies ipſum
propoſuerunt: primā naturalem, ſecundam fabuloſam, tertiam legum teſtimonio firmatam.
Docetur autem naturalis à philoſophis, fabuloſa à poëtis, legalis ab unaquaꝗ ſemper ciui-
Dei notiones. tate conſtituitur. Omnis porrò doctrina de his, in ſeptem ſpecies diducitur. Et prima qui-
dem eſt ex ſtellis in cœlo, aliiſꝗ in ſublimitate aëris apparentibus, Dei enim notionem
ex appa-

A ex apparentibus ſtellis habuerunt, quum uiderent ipſas magnæ conſonantiæ cauſas eſſe: &
per diem ac noctem, hyememq; ac æſtatem, ordinatos ortus & occaſus cõſpicerent: itemq;
animantia & fructus à terra produci. Quare pater quidem uiſus eſt ipſis cœlum eſſe, mater
uerò terra. Et cœlum quidem pater, propterea quòd aquarum effuſiones ſeminum ratio- *Cœlum pater.*
nem habent. Terra uerò mater, obid quòd ſuſcipiat hæc ac pariat. Cumq; uiderent ſtellas
ſemper curſum ſuum peragere, & Solem ac Lunam uidendi nobis autores eſſe, à curſu ac
uiſu deos ipſos Græci appellauerunt. Secundo tertioq; loco deos diſtinxerunt in læden- *Dij Græcis*
tes ac iuuantes: & iuuantes ac cõmodos dixerunt, Iouem, Iunonem, Mercurium, Cereremi *unde dicti.*
lædentes uerò, Pœnas, Furias, Martem: quorum iras ac uiolentias libationibus expiant.
Quartum ac quintum locum attribuerunt rebus & affectibus: uelut affectibus, Amorem,
Venerem, Cupidinem: & rebus ac negocijs, Spem, Iuſtitiam, Æquitatem. Sextũ locum ac-
cepit ſpecies à poëtis ficta. Heſiodus enim genitis dijs patrem conſtituere uolens, tales ge-
nitores ipſis induxit:

Cœumq; & Creumq;, Hyperiona, & Iapetumq;.

Et propterea hoc genus deorum, fabuloſum uocatum eſt. Septimum autem & ultimum ge
nus propter beneficentiam erga homines in cõmuni uita, diuinos honores emeruit, quum
aliàs homines ac hominum modo geniti eſſent. Tales dij ſunt Hercules, Caſtor & Pollux, *Dij ex homi-*
Bacchus. Humana autem forma eos ſanxerunt, ob id quòd omnium rerum deus principa- *nibus.*
liſsimus eſt, animalium uerò homo pulcherrimũ, uirtute diuerſimodè exornatum, & iuxta *Dij forma hu-*
mentis conſtitutionem præſtantiſsimũ. His igitur qui principaliſsimi ſunt, & optimè uitam *mana.*
degunt, etiam præſtantiſsimam animi partem ſimiliter pulchram eſſe ratiocinati ſunt.

Quis ſit Deus. *Caput* VII.

QVidam philoſophi, uelut Diagoras Mileſius, & Theodorus Cyrenæus, & Euemerus
Tegeates, in totum deos eſſe negant. De Euemero autem innuit Callimachus Cyre-
næus in his iambis:

Adeſte cuncti in ædibus ſuburbanis,
Vbi æreum dudum Iouem ſenex factum
B Iniurijs proteruiter libris fœdat.

Hi autem libri ſunt in quibus deos eſſe negat. At Euripides tragicus poëta reuelare quidem
Areopagitarum timore noluit: oſtendit autem hoc modò. Siſyphum enim huius opinionis
autorem induxit, ipſiusq; ſententiæ adſtipulatur. Erat enim tempus, inquit, cùm inordina-
ta eſſet hominũ uita ac beſtialis, robore omnia metiens. Deinde iniquitatem legibus indu-
ctis, diſſolutam eſſe dicit. Cùm uerò lex manifeſtas iniuſtitias prohibere poſſet, multi autem
latenter delinquerent, tunc ſanè ſapiens quidam uir inſtitit. Sic oportet ſemper falſo ſermo-
ne ueritatem excęcare, & hominibus perſuadere, quòd deus eſt incorruptibili uita florens,
qui hæc audit & uidet ualdeq; curat: tollantur enim, inquit, poëticæ nugæ unà cum Calli-
macho dicente: Si deum noſti, ſcito etiam quòd deo omnia factu poſsibilia ſunt. Deus au-
tem non omnia facere poteſt: quandoquidem ſi deus eſt, faciat niuem nigram, & ignem fri-
gidum, & quod ſedet, ſtans ac erectum, & uice uerſa. Plato equidem magna uoce intonãs *Deus imago*
ac dicens, quòd deus efformauit mundum ad imaginem & exemplar ſui, nugas olet Becce- *mundi.*
ſelenas, uelut ueteris Comediæ poëtæ dicũt. Quomodo enim ſeipſum intuens formare po- *Beccefelenæ*
tuit? aut quomodo ad pilæ figuram finxit, quum ipſe etiam homine breuior exiſtat? Ana- *nugæ.*
xagoras ab initio corpora ſimul conſtitiſſe dicit: mens autem dei ipſa ordinatè diſpoſuit, &
uniuerſorum generationes fecit. Plato prima corpora non conſtitiſſe ſuppoſuit, ſed inor-
dinatè mota eſſe: propterea etiam deus, inquit, ſciens quòd ordo melior eſt quàm confuſio
inordinata, hæc in ordinem digeſsit. In cõmuni igitur ambo errant, quòd deum rerum hu-
manarũ curam gerere dixerunt, imò etiam quòd ea gratia mundum fabricauit. Etenim bea-
tum hoc & incorruptibile animal, cõpletumq; omnibus bonis, & omnis mali exors, totum
in hoc exiſtens ut propriam felicitatem ac corruptibilitatem cõſeruet, nullam humanarum *Deum rerum*
rerum curam gerit. Infelix autem utiq; eſſet, ſi inſtar operarij ac opificis onera ſubiret, & de *humanarum*
mundi ſtructura ſolicitus eſſet. Et rurſus: Deus quem ipſi dicunt, aut priore æuo non erat, *curam non*
quum immobilia erant, ſiue inordinatè mouebantur corpora: aut dormiebat, aut uigilabat, *gerere.*
aut neutrum horum. Sed neq; primum admitti poteſt: deus enim æternus eſt. Neq; ſecun-
dum: ſi enim dormiebat ab æterno deus, mortuus erat: æternus enim ſomnus, mors eſt.
Sed neque ſomnum admittit deus: nam immortalitas dei, & uicinitas mortis, longè diſtant.

C Si uerò Deus uigilans erat, aut deficiebat ipſi quid ad felicitatem, aut cõpleuerat beatitudinem. Et neq; iuxta prius beatus eſt deus: cui enim deficit quid ad felicitatem, id nõ eſt beatum. Neq; ſecundum poſterius: cùm enim nihil ipſi deeſſet ad cõpletam beatitudinem, inanes actiones aggreſſurus erat. Quomodo aũt ſiquidẽ deus eſt, & huius cura humanæ res gubernantur, peſſimus quiſq; felix eſt, optimus uerò quiſq; aduerſitatibus obijcitur? Agamemnon enim rex bonus atq; idem fortis bellator in armis, ab adultero & adultera uictus ac dolo occiſus eſt. Et huius cognatus Hercules, ubi multa humanas res uaſtantia monſtra ſuſtuliſſet, ac orbem purgaſſet, ueneno per Deianiram dato doloſè interfectus eſt. Thales mentem mundi deum dixit. Anaximander ſtellas cœleſtes deos adſtruxit. Democritus mentem ignitam, ipſam mundi animam, deum pronunciauit. Pythagoras ex principijs unitatem quidem deum dixit, & bonum: eſtq; unitatis natura ipſa mens. Dualitatem uerò dæmonem, & malum, circa quam eſt multitudo materialis, & eſt uiſibilis hic mundus. Socrates & Plato, unum unigenitum, & per ſe natum ſolitarium, & reuera bonum, deum dixerunt. Omnes aũt hæ appellationes ad mentem pertinent. Mens igitur deus eſt, forma ſeparata, hoc eſt, nulli materiæ mixta, & nulli rei paſsibili implexa. Ariſtoteles ſupremum deum, formam ſeparatam, qui ſuper uniuerſi ſphæram cõſcendit, quæ ætherium corpus eſt quintum ab ipſo appellatũ. Hoc autem in orbes ſiue ſphæras diſtincto, natura quidem coniunctas, ratione uerò ſeparatas, unam quãq; ſpheram animal eſſe putat ex corpore & anima cõpoſitum, ex quibus corpus quidem ætherium eſt, & orbiculariter mouetur. Anima uerò ratio immobilis, cauſa motus ſecundum actionem. Stoici cõmunius deum ſtatuũt, ignem artificialem uia procedentem, in generatione mundi omnes ſeminarias rationes in ſe complectentis, ſecundum quas ſingula iuxta fatum fiunt. Et ſpiritum quidem per uniuerſum mundum penetrantẽ, uerùm appellationes per uniuerſam materiam mutantem, per quam euariando proceſſit. Deum item eſſe mundum, & ſtellas, ac terram, ſupremum autem omnium, mentem in æthere. Epicurus omnes deos humana ſpecie præditos, & omnes hos ratione perceptibiles, propter naturæ imaginum tenuitatem. Idem etiam alias quatuor naturas ſecundum genus incorruptibiles prodidit, atomos, inane, infinitũ, & ſimilitudines: D hæ autem & ſimilaritates dicuntur, & elementa.

Mali felices, boni aduerſis preſſi.

Dij humana ſpecie.

De dæmonibus ac heroibus. Caput VIII.

CONſequenter à dijs, de dæmonibus ac heroibus dicendum. Thales, Pythagoras, Plato, Stoici, dæmones eſſe ſubſtantias animales cenſuerunt. Eſſe autem & heroas, ſeparatas à corporibus animas, bonos quidem bonas, malos uerò malas. Epicurus autem nihil horum approbat.

De materia. Caput IX.

MAteria eſt id quod primę generationi ac corruptioni, & alijs tranſmutationibus ſubiectum eſt. Thales & Pythagoras ac Stoici, mutabilem & alterabilem, ac fluxam totam per totum, materiam dixerunt. Democritus prima pati non potentia, atomum, & inane, & incorporeum. Ariſtoteles & Plato materiam corpoream, informem, ſpecie carentem, figuræ expertem, qualitatis exortem, quantum ad propriam naturam attinet. Vbi uerò ſuſcepit formas, uelut nutricem & effigiem, ac matrem fieri. Qui uerò aquam dicunt, aut terram, aut ignem, aut aërem, materiam eſſe, non amplius informem ipſam dicunt, ſed corpus. Qui autem ea quæ partes non habent, & indiuidua, ipſas uidelicet atomos, informem.

De idea. Caput X.

IDea eſt ſubſtantia incorporea, ipſa quidem per ſe non ſubſiſtens, uerùm materias informes effigians, & ipſarum explanationis cauſa exiſtens. Socrates & Plato ſeparatas à materia ſubſtantias, ideas opinantur, in intellectu ac imaginationibus dei, hoc eſt, mentis ſubſiſtentes. Ariſtoteles ideas quidem & formas reliquit, nõ tamen à materia ſeparatas, à quibus quod factũ eſt, à deo eſt. Stoici Zenonij cogitationes ac notiones noſtras, ideas eſſe pronunciauerunt.

Idea notio noſtra.

De cauſis. Caput XI.

CAuſa eſt effectus, aut per quam aliquid contingit. Plato cauſam trifariam diſtinguit: à qua, ex qua, ad quam. Principaliſsimam autem putat cauſam à qua, ea autem eſt efficiens, quæ eſt mens. Pythagoras & Ariſtoteles primas quidem cauſas incorporeas: uerùm cauſas iuxta participationem, aut per accidens, corporeæ ſubſtantiæ eſſe produnt, ueluti mundus eſt corpus. Stoici omnes cauſas corporeas cenſent, nimirum ſpiritus.

De

A *De corporibus.* Caput XII.

CORpus eſt quod trifariam diſtātiam ſiue dimenſionem haber, latitudine, profunditate, & longitudine. Aut eſt moles renitens quantum in ſe eſt: aut eſt quod locum occupat. Plato, quod neq; graue neq; leue eſt natura, in proprio ſanè loco exiſtens. Vbi uerò in alieno fuerit, tunc nutum habet, ex nutu uerò inclinationem ſiue ad grauitatem ſiue leuitatem.
Ariſtoteles ſimpliciter grauiſsimum dixit eſſe terram, leuiſsimum ignem. Aërem autem & aquam aliàs aliter. Stoici duo ex quatuor elementis leuia aſſerunt, ignem & aërem: duo uerò grauia, aquam & terram. Leue enim eſt, quod natura non nutat à proprio medio. Graue autem, quod in medium. Medium autem ipſum graue non eſt. Epicurus corpora incomprehenſibilia eſſe dicit: & prima quidem eſſe ſimplicia, uerùm concrementa ex illis omnia grauitatem habere. Moueri autem indiuidua corpora, hoc eſt atomos, partim ad lineam, partim obliquè. Quæ uerò ſurſum mouētur, plagæ aut cōcuſsionis impulſu moueri.

De minimis corpuſculis. Caput XIII.

EMpedocles ante quatuor elementa, fragmenta minutiſsima uelut elementorũ elementa, ſimilarium partium, hoc eſt, rotunda, ſuppoſuit. Heraclitus ramenta quædam minima & partes non habentia induxit.

De figuris. Caput XIIII.

FIgura eſt ſuperficies & lineamentum ac finis corporis. Pythagoras quatuor elementorũ corpora globoſa eſſe tradit. Solum autem ſupremum ignem figuram coni, hoc eſt, nucis pineæ, habere.

De coloribus. Caput XV.

COlor eſt qualitas corporis uiſibilis. Pythagorici colorem uocabant ſuperficiem corporis. Empedocles id quod meatibus uiſus cōgruens eſt. Plato flammam à corporibus, competentes ad uiſum particulas habentem. Zeno Stoicus colores, primas materiæ figurationes eſſe dixit. Pythagoras genera colorum facit, album, nigrum, rubrum, pallidum. Differentias autem iuxta qualitates mixtionum elementorum. Animalium uerò differentias in colore, iuxta uarietates locorum atq; aëris accidere.

B *De ſectione corporum.* Caput XVI.

THales & Pythagoras corpora paſsibilia, & in infinitum ſectilia dicunt. Alij atomos ac indiuidua ſiue partes non habentia cōſiſtere, & non in infinitum ſectionem progredi aſtruunt. Ariſtoteles potentia quidem in infinitum, actu uerò nequaquam.

De mixtione ac temperamento. Caput XVII.

PRiſci elementorum mixtiones alteratione fieri dicunt. Anaxagoras & Democritus appoſitione. Empedocles ex minutioribus molibus elementa permiſcet ac coagmentat, quæ uidelicet minutiſsima corpuſcula ſunt, & uelut elementorum elementa. Plato tria quidem corpora (non enim uult ipſa eſſe propriè elementa, aut appellare) mutabilia inter ſe dicit, ignem, aërem, aquam. Terram autem in aliquod ex his mutari non poſſe. *Terra immutabilis.*

De uacuo. Caput XVIII.

OMnes phyſici à Thalete uſque ad Platonem uacuum reprobarunt. Et Empedocles ipſe dixit,

Non uacat in toto quicquam, non orbe redundat. *Vacuum nihil eſſe.*

Leucippus, Democritus, Demetrius, Metrodorus, Epicurus, atoma & indiuidua corpora multitudine infinita, uacuum autem magnitudine infinitũ eſſe dixerunt. Stoici intra mundum nihil uacuum eſſe, extra autem ipſum infinitũ aſſerunt. Ariſtoteles tantum eſſe extra mundum uacui, ut reſpirare cœlum poſsit: igneum enim ipſum eſſe. *Vacuum extra mundum infinitum eſſe.*

De loco. Caput XIX.

PLato locum dixit id quod aſſumere poteſt formas, quod per tranſlationem materiam uocauit, quemadmodum eam materiam quæ iam ſuſcepit formas, nutricem appellat. Ariſtoteles extremum continentis cohærens contento, locum dicit.

De capacitate ſiue receptaculo. Caput XX.

STοici & Epicurus differre tradunt, uacuum, locum, & capacitatem. Et uacuum quidem eſſe ſolitudinem corporis. Locum autem, id quod à corpore obtinetur. Capacitatē uerò ſiue receptaculum, id quod ex parte obtinetur, uelut in uini dolio contingit.

De tempore. Caput XXI.

PYthagoras tempus orbem & ſphæram ambientis eſſe dixit. Plato æui imaginem mobilem, aut interuallum motus mundi. Eratoſthenes Solis iter.

C

De ſubſtantia temporis. Caput XXII.

PLato temporis ſubſtantiam cœli motum eſſe dixit, Pleriq; ex Stoicis ipſum motum. Et pleriq; ingenitum tempus dixerunt. Plato genitum iuxta mentis intellectum putat.

De motu. Caput XXIII.

PYthagoras & Plato tradunt, quòd motus eſt diuerſitas quædam ac alternitas in materia. Ariſtoteles perfectũ actum mobilis eſſe dicit. Democritus unum motus genus per obliquum tradit. Epicurus duo motus genera habet, ad lineam, & obliquum. Herophilus motum alium ratione perceptibilẽ, alium ſenſibilem dicit. Heraclitus quietem & ſtationem ex uniuerſis tollit, ſunt enim hęc mortuorum. Motum autem perpetuum perpetuis dat, corruptibilem corruptibilibus.

De generatione ac corruptione. Caput XXIIII.

Concretiones & diſcretiones.

PArmenides, Meliſſus & Zeno, generationem ac corruptionem ſuſtulerunt, propterea quòd uniuerſum immobile putarent. Empedocles & Epicurus, omnesq; qui ex tenuiũ corpuſculorũ coaceruatione mundum conſtruunt, concretiones ac diſcretiones inducunt, generationes autem & corruptiones non propriè. Non enim iuxta qualitatem ex alteratione, ſed ex coaceruatione iuxta quantitatem has fieri adſtruunt. Pythagoras, & omnes qui paſsibilem materiam ſupponunt, propriè generationem & corruptionẽ fieri dicunt, ut quæ ex alteratione mutationeq; ac diſſolutione elementorum fiant.

De neceſsitate. Caput XXV.

Neceſsitas, fatum, iuſtitia, prouidentia, idem ſunt.

THales, fortiſsimũ, inquit, eſt neceſsitas, uniuerſis enim dominatur. Pythagoras neceſsitatem mundo circumſitam eſſe dicit. Parmenides & Democritus omnia iuxta neceſsitatem fieri aiunt. Eandem autem eſſe & fatum, & iuſtitiã, & prouidentiã, & mundi opificẽ.

De ſubſtantia neceſsitatis. Caput XXVI.

Cauſa uſualis.

PLato res partim ad prouidentiam, partim ad neceſsitatem refert. Empedocles ſubſtantiam neceſsitatis dicit eſſe, cauſam uſualem principiorũ ac elementorum. Democritus reſultum ac renitentiam corruptionemq; ac plagam materiæ. Plato aliquando materiam, aliquando opificis habitum ad materiam.

D

De fato. Caput XXVII.

Fatum & neceſsitas idem.

HEraclitus omnia ſecũdum fatum fieri dicit, & hoc idem cum neceſsitate eſſe. Plato admittit quidem fatum in hominũ animis ac uita, ſimul autem inducit cauſam apud nos exiſtẽtem. Stoici ſimiliter ut Plato: & neceſsitatem quidem inuictam & uiolentam cauſam eſſe aiunt, fatum uerò cauſarum ordinatarũ complexum: in quo complexu eſt etiam cauſa apud nos exiſtens, ut quædam iuxta fatum, quædam citra fatum fiant.

Cauſa apud nos, eſt liberũ arbitrium.

De ſubſtantia fati. Caput XXVIII.

Fatum quid.

HEraclitus ſubſtantiam fati dicit eſſe, rationem per ſubſtantiam uniuerſi penetrantem. Hæc autem eſt æthereum corpus, ſemen generationis uniuerſi. Plato rationem ſempiternam, & legem ſempiternã naturæ uniuerſi. Chryſippus uim ſpecialem, quæ uniuerſa ordine gubernat. Et rurſus in definitionibus: Fatum eſt, inquit, ratio mundi, aut lex eorũ quæ in mundo ſunt, & per prouidentiam gubernantur. Aut ratio iuxta quam facta ſunt quæ facta ſunt, & fiunt quæ fiunt, & fient quæ futura ſunt. Stoici ſeriem cauſarũ, hoc eſt, ordinem & nexum ac coniunctionem intranſgreſsibilem. Poſidonius fatum tertium à Ioue facit: primum enim eſſe Iouem: ſecundum, naturam: tertium, fatum.

Fatum tertium à Ioue.

De fortuna. Caput XXIX.

Spontaneum à fortuito differt

Fortuna rationalium.

Caſus in brutis & in inanimatis.

PLato fortunam cauſam per accidens & conſequentiam, in propoſitis eſſe dicit. Ariſtoteles cauſam per accidens, in his quæ per appetitum ac conatum noſtrum alicuius gratia fiunt, obſcuram & inſtabilem eſſe dicit. Differre autem ſpontaneum à fortuna. Quod enim à fortuna fit, etiam ſpontè fieri, & eſſe omnino in rebus agendis. Quod uerò ſpontè fit, non etiam à fortuna fieri, eſſe enim in his quæ extra rerum actionem ſunt. Et fortunam quidem eſſe rationalium: ſpontaneum autem caſum & rationalium & irrationaliũ animalium eſſe, itemq; corporum inanimatorum. Epicurus fortunam cauſam incõſiſtentem perſonis, temporibus, modis, eſſe ait. Anaxagoras & Stoici cauſam obſcurã humanæ rationi: aliqua enim eſſe ſecundum neceſsitatem, alia ſecundum fatum, alia iuxta propoſitum & uoluntatẽ noſtram, alia iuxta fortunam, alia iuxta caſum ſpontaneum.

De natura. Caput XXX.

EMpedocles naturam nihil eſſe dicit, uerùm elementorũ mixtionem & diſparationem. Scribit enim ſic in primo libro Phyſico:

Dicam

A Dicam aliud, Natura nihil mortalibus extat,
Nec quiſquam gelidæ pòſt mortis terminus inſtat,
Sed tantùm mixtura & diſſociatio rerum
Contingit, quam homini naturam dicere mos eſt.

Anaxagoras ſimiliter naturam concretionem ac diſcretionem dixit, hoc eſt, generationem & corruptionem.

Plutarchi de placitis philoſophorum, Liber ſecundus.

IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERP.

POſt abſolutam de principijs ac elementis, & alijs cohærentibus & eiuſdem ordinis tractationem, ad effectus ipſos progrediar, ab eo quòd omnia comprehendit ac ambit, exordium facturus.

De mundo. Caput I.

PYthagoras primus uniuerſorū ambitum ac complexum, mundum appellauit, propter ordinem qui in ipſo conſpicitur. Thales eiuſq; conſectanei unum eſſe mundum dixerunt. Democritus & Epicurus & horum diſcipulus Metrodorus, infinitos in infinito eſſe mundos iuxta omnem circūſtantiam. Empedocles circuitū ſolis dixit eſſe mundi lineamentum, atq; hoc ipſum eius finem. Seleucus infinitum mundum dixit. Diogenes, uniuerſum quidem infinitum, mundum uerò finitum eſſe. Stoici uniuerſum & totum differre tradunt. Vniuerſum enim eſſe infinitum unà cum uacuo, totum autem eſſe mundum citra uacuum, ut non idem ſit totum & mundus.

Mundus unde dictus. *Mundi infiniti.* *Vniuerſi ac totius differētia.*

De figura mundi. Caput II.

STоici mundum globi ſiue pilæ figuram habere dicunt. Alij coni, hoc eſt, pineæ nucis figuram ipſi tribuunt, alij ouatam. Epicurus poſsibile eſſe ait mundos eſſe globiformes, B poſsibile item eſſe ipſos alias figuras nanciſci.

An animatus ſit mundus. Caput III.

OMnes quidem alij animatum mundum eſſe dicunt, & prouidentia gubernari. Verùm Democritus & Epicurus, & qui atomos indiuiduaq; corpora & inane inducunt, neq; animatum eſſe, neq; prouidentia gubernari, ſed natura quadam irrationali. Ariſtoteles neq; animatum eſſe totum per totum, neq; ſenſibilem, neq; rationalem, neq; intelligentem, neq; prouidentia gubernari dicit: cœleſtia enim his omnibus participare, ut quæ à ſuis ipſa ſphæris animalibus ac uitalibus ambiantur. Verùm terreſtria & terræ uicina nullo ipſorum participare, & bonum ordinem per accidens, non primordialiter nanciſci.

An incorruptibilis ſit mundus. Caput IIII.

PYthagoras & Plato factum à Deo mundum cenſent, & corruptibilem quidem quantū ad naturam: ſenſibilem enim eſſe propter corporeum: non tamen corrumpendum, propter prouidentiam & conſeruationem dei. Epicurus interiturum iudicat, utpote factum, uelut animal, uelut plantam. Xenophanes non factum, & ſempiternum & incorruptibilem mundum pronunciat. Ariſtoteles partem mundi quæ ſub Luna eſt paſsibilem eſſe ſentit, in qua etiam terreſtria ac terræ uicina corrumpuntur.

Vnde nutriatur mundus. Caput V.

ARiſtoteles: Si alitur, inquit, mundus, etiam interibit. Verùm nullo alimento opus habet, propterea etiam eſt ſempiternus. Plato mundum ipſum ſibijpſi alimentum ſuppeditare ſentit, ex eo quòd corrumpitur ſecundum tranſmutationem. Philolaus duplicem eſſe corruptionem ait, alteram ex ignis de cœlo defluxu, alterā aqua lunari per aëris circumuerſionem diffuſa: & harum euaporationes eſſe alimenta mundi.

A quo elemento mundum fabricare cœperit deus. Caput VI.

PHyſici mundi creationem à terra cœpiſſe tradunt, uelut à centro: principium autem globi eſt centrum. Pythagoras ab igne & quinto elemento. Empedocles æthera primum diſcretum eſſe, deinde ignem, poſtea terram, ex qua per circumferentiæ impetum adſtricta, aquam ſcaturijſſe, ex hacq; aërem exhalaſſe. Et cœlum quidē ex æthere factum eſſe, Solem uerò ex igne, ex alijs uerò terreſtria ac terræ uicina coacta eſſe. Plato uiſibilem mundum ad

Centrum globi principium

C exemplar intelligibilis mundi factum eſſe. Viſibilis autem mundi animam priorem eſſe, poſterius uerò corporeum. Item quod ex igne ac terra conſtat, prius eſſe, quod ex aqua & aëre

Figuræ ſolidæ quinque.

poſterius. Quum quinq; ſint figuræ ſolidæ, quæ etiã mathematicæ uocantur, Pythagoras ex cubo terrã factã eſſe ait, ex pyramide ſiue meta ignem, ex octonaria ſede aërem, ex uicenaria aquam, ex duodenaria ſede uniuerſi ſphæram. Plato etiam in his Pythagoriſſat.

De ordine ſtructuræ mundi. Caput VII.

PArmenides coronas dicit eſſe inter ſe mutuò implicitas, aliam ex raro, aliam ex denſo, mixtasq; inter ſe ex lumine ac tenebris interpoſitis: & id quod ambit ac cõtinet omnes,

Tunica mũdi.

inſtar muri ſolidum eſſe. Leucippus & Democritus tunicam ac pelliculam mundo circumcirca obtendunt. Epicurus aliquorum mundorũ finem ac extremitatem raram eſſe prodit, aliquorum uerò denſam: & ex his quaſdam moueri, quaſdam immobiles eſſe. Plato ignem primùm extitiſſe, deinde æthera, poſtea aërem, à quo aquam, ultimã uerò terram. Aliquãdo autem æthera igni cõiungit. Ariſtoteles primùm æthera pati nequientẽ, ac quintum quoddam corpus: poſt quod læſioni obnoxia & pati potentia, ignem, aërem, aquam: poſtremam terrã. Ex his uerò cœleſtibus quidẽ motum orbicularẽ datum eſſe, his aũt quę ſub illis locata ſunt, leuibus quidẽ ſurſum uerſus motũ obtigiſſe, grauibus uerò deorſum. Empedocles nõ per omnia ſtatos ac certos locos elementorũ eſſe tradit, ſed omnia inter ſe locos trãſmutare.

Qua cauſa mundus inclinatus ſit. Caput VIII.

DIogenes, Anaxagoras, poſt mundum conſtitutum & educta ex terra animalia, inclinatum quodãmodo ſua ſponte mundum ad meridionalem ſui partem aſſerunt, fortaſsis à prouidentia, quò aliquæ ipſius partes inhabitabiles, aliquæ habitabiles fierent, prout frigidæ aut æſtuoſæ, aut temperatæ eſſent. Empedocles ait, aëre ſolis impetui cedente, eleuatas eſſe Vrſas, & aquilonares partes eſſe exaltatas, auſtrinas uerò depreſſas, atq; ſecundum hoc etiam totum mundum.

Vrſarum ac aquilonis eleuatio.

An extra mundum ſit uacuum. Caput IX.

Mundi reſpiratio.

PYthagoras extra mundum, uacuum eſſe dicit, in quod & ex quo mundus reſpiret. Stoici uerò infinitum, in quod iuxta exarſionem uniuerſi mundus reſoluatur. Poſidonius

D non infinitum, ſed quantum ſatis eſt ad diſſolutionem. Ariſtoteles in primo de Vacuo, uacuum eſſe dixit. Plato neq; extra mundum, neq; intra, uacuum eſſe cenſet.

Quæ dextræ mundi partes, & quæ ſiniſtræ. Caput X.

PYthagoras, Plato, Ariſtoteles, dextras mundi partes orientales dixêre, à quibus initium motus: ſiniſtras occidentales. Empedocles dextras mundi partes iuxta circulum ſolſtitialem æſtiuum, ſiniſtras iuxta hyemalem iudicauit.

De cœlo, quæ ipſius ſubſtantia ſit. Caput XI.

ANaximenes circũferentiam cœli extremam, terream eſſe dixit. Empedocles ſolidũ eſſe cœlum dixit, ex aëre ad glaciei formam ab igne congelato, & igneum ac aëreum in utroq; hemiſphærio continere. Ariſtoteles ex quinto corpore, aut igne, aut ex calidi & frigidi mixtura, cœlum conſtare dixit.

De cœli diuiſione, in quot circulos ſecetur. Caput XII.

Zonæ cœli quinque.

Zodiacus circulus.

Meridianus circulus.

THales, Pythagoras, & ipſorum ſectatores, uniuerſam cœli ſphęram in orbes ſeu circulos quinq;, quas zonas quidam appellant, diuidunt. Appellatur autem primus ex his, arcticus & ſemper cõſpicuus, alter ſolſtitialis ęſtiuus, tertius ęquinoctialis, quartus ſolſtitialis hyemalis ſiue brumalis, quintus antarcticus & inconſpicuus. At obliquus circulus zodiacus appellatus, tribus medijs ſubiectus eſt, eos leuiter attingens. Omnes autem hos circulus meridianus ad rectos angulos ab Vrſis in oppoſitã partem ſecat. Pythagoras primus intellexiſſe dicitur zodiaci circuli obliquitatem, quam tamen uelut proprium inuentum Oenopides Chius ſibi adſcribit.

Quæ ſtellarum ſit ſubſtantia, & quomodo ſint conſtitutæ. Cap. XIII.

Stellæ ex petris.

THales terrea quidem, uerùm ignita ſydera dicit. Empedocles ignea eſſe tradit ex igneo, quod æther in ſeipſo cõplexus iuxta primam diſcretionem expreſsit. Anaxagoras circunſitum æthera igneum quidem in ſubſtantia eſſe ait; uerùm circũuolutionis robore petras ex terra rapuiſſe, easq; exuſtas in ſtellas mutatas eſſe. Diogenes pumicoſa ſydera iudicat, ipſaq; mundi perſpirationes eſſe putat. Idem rurſus incõſpicuos quidem lapides ſtellas eſſe cenſet, uerùm ſæpe cadentes in terram extingui: quemadmodum fuit ſaxea ſtella quæ in Ægos flumen ignea ſpecie delapſa eſt. Empedocles non errantes ſtellas glacie conſtrictas eſſe ait, errantes uerò ſolutas eſſe. Plato plurima ſui parte igneas cenſet, ſed quæ etiam aliorũ

elemen-

A elementorum inſtar glutinis participes ſint. Xenophanes ex nubibus ignitis cōſtitui dicit, extingui autem interdiu, ac reuiuiſcere noctu uelut carbones. Ortus enim & occaſus, incenſiones ac extinctiones eſſe. Heraclides & Pythagoras, ſingulas ſtellas mundum eſſe dixerūt terram ambientem, aëremq́ ac æthera, in infinito æthere. Atq́ hæc dogmata in Orphicis circūferuntur. Ex ſingulis enim ſtellis ſingulos mundos faciunt. Epicurus nihil horum reprobat, poſsibili innitens ac adhærens.

Stellas interdiu extingui.

Stellæ ſingulæ ſinguli mūdi.

De figura ſtellarum. *Caput* XIIII.

STOici globoſas ſtellas, uelut mundum & Solem ac Lunam eſſe aſſerunt. Cleanthes coniformes. Anaximenes inſtar clauorum glacie congelatas. Sunt qui laminas igneas, uelut picturamenta, eſſe tradant.

De ordine ſtellarum. *Caput* XV.

XEnocrates in una ſuperficie ſtellas moueri putat. Alij Stoici alias alijs ſublimiores ac profundiores ſtatuunt. Democritus non errantes & fixas primùm locat, dehinc errantes, ſub quibus ſolem, luciferū, ac lunam. Plato poſt fixarū ſitum, primam locat Saturni ſtellam, deinde Iouis, tertiā Martis, quartam luciferū ſiue Veneris, quintā Mercurij, ſextā Solis, ſeptimā Lunæ. Quidam ex mathematicis Platonē in hoc ſequuntur, quidā medium locum Soli tribuunt. Anaximander, & Metrodorus Chius, & Crates, Solem ſupremū omnium locatum eſſe uolunt, poſt ipſum uerò Lunam, ſub his autem ſtellas fixas, itemq́ erroneas.

Sol medius inter planetas.

De ſtellarum latione & motu. *Caput* XVI.

ANaxagoras, Democritus, Cleanthes, ab orientibus in occidentes ferri omnes ſtellas ſentiunt. Alcmęon & mathematici erroneas cōtrarias non errantibus: ab occidētibus enim in orientes contraferri. Anaximander à circulis ac orbibus, in quibus unaquæq́ meat, ferri putat. Anaximenes ſimiliter ad terram & circū terram ſtellas uerti dicit. Plato & mathematici, Solem & luciferum ac Mercurium æqualis curſus eſſe pronunciant.

Vnde illuminentur ſtellæ. *Caput* XVII.

MEtrodorus omnes non errantes ſtellas à ſole illuminari iudicat. Heraclitus & Stoici ſtellas ex terræ exhalatione nutriri ſentiunt. Ariſtoteles cœleſtia indigere alimento
B negat: non enim corruptibilia eſſe, ſed ſempiterna. Plato & Stoici totum mundum ac ſtellas ex ſeipſis nutriri cenſent.

Stellarum nutrimenta.

De ſtellis Dioſcuris appellatis, hoc eſt, Caſtore & Polluce. *Cap.* XVIII.

XEnophanes eas quæ uelut ſtellæ ſupra naues apparent, nubeculas eſſe iuxta motum quendā affulgentes cenſet. Metrodorus ſplendores emiſſos ex oculis eorum, qui cum timore ac ſtupore attoniti ipſas inſpiciunt, eſſe putat.

De acceſsione ac ſignificatione ſtellarum, & quomodo hyems & æſtas fiat. *Cap.* XIX.

PLato acceſsiones æſtatis ac hyemis, iuxta ſtellarum ortus & occaſus, Solis uidelicet ac Lunæ, aliarumq́ tum errantium tum fixarum, fieri dicit. Anaximenes uerò per Lunam nihil horum, uerùm per Solem tantùm fieri cenſet. Eudoxus autem & Aratus communiter per omnes ſtellas. Verſus in quibus id dicit, hi ſunt:

Ipſe etenim ſigna hæc cœlo firmans deus alto,
Sydera digeſsit totum diſtincta per annum,
Et ſtellas nobis quæ tempora ſignificarent.

Tempora iuxta ſtellas accedere.

De ſubſtantia Solis. *Caput* XX.

ANaximander Solis circulum octuplum ac uicecuplum reſpectu terræ eſſe dicit, & habere curuaturā ſimilem rotę currus, cauam, igne plenam, quę quadam ſui parte ignem per os oſtentet, uelut per tibiæ foramen, atq́ hunc Solem eſſe. Xenophanes ex igniculis ex humida exhalatione coaceruatis conſtare ſolem dixit, aut eſſe nubem ignitam. Stoici incenſionem intellectualem ex mari. Plato ex plurimo igne. Anaxagoras, Democritus, Metrodorus, ferrum aut ſaxum ignitum. Ariſtoteles globum ex quinto corpore. Philolaus Pythagoricus uitreū eſſe Solem cenſet, & ſuſcipere ignis in mundo reſplendeſcentiā, ac lumen ad nos tranſmittere, ac uelut perſtillare. Quare Soli ſimilē eſſe primum ignem in cœlo, deinde eum qui in ipſo ſpeculiformis exiſtit, & tertiò ſplendorem qui à ſpeculo per refractionem ad nos diſpergitur. Nam & hunc Solem appellamus, uelut imaginis imaginem. Empedocles duos Soles eſſe dicit: alterum quidem ignem primarium, in altero mundi hæmiſphærio, qui hæmiſphærium impleuit, & ſemper è contrario ſuæ ipſius reſplendeſcentiæ locatus eſt: alterū uerò apparentem, qui eſt reſplendeſcentia in altero hæmiſphærio aëre calido impleto, ab orbiculatiore terra per refractionem in Solem cryſtalliformem facta, quæ unà cum ignei motu cir-

Circuli Solaris magnitudo.

Soles duo.

C cunducitur. In ſumma, reſplendeſcentiam ignis circum terram Solem eſſe. Epicurus terream denſitatē ac molem pumicoſam Solem eſſe cenſuit, in foraminibus ſuis ab igne incenſam.

De magnitudine Solis. Caput XXI.

Circuli ſolaris magnitudo. ANaximander Solem quidem terræ æqualem eſſe cenſet: uerùm circulum à quo expirationem habet, & in quo fertur, ſepties ac uicies terra maiorem eſſe. Anaxagoras mul- *Sol pedalis.* tis Peloponneſis maiorem dicit. Heraclitus amplitudine humani pedis. Epicurus prædicta omnia poſsibilia cenſet, aut tantùm quantus uidetur, uel paulò maiorem aut minorem.

De figura Solis. Caput XXII.

ANaximenes latū inſtar laminæ Solē dicit. Heraclitus ſcaphę modo ſubincutuū. Stoici globiformē, uelut mundū & ſydera. Epicurus poſsibilia eſſe omnia prædicta fatetur.

De ſolſtitijs. Caput XXIII.

ANaximenes à denſato & renitente aëre, ſydera expelli aſſerit. Anaxagoras retruſione aëris ſeptentrionalis, quem ipſe Sol compellens ex denſatione corroborat, idem fieri cenſet. Empedocles Solem ab ambiente ipſum ſphæra impediri, ut ne per omnia rectà procedat, itemq; à circulis ſolſtitialibus. Diogenes à frigiditate quæ calori occurrit Solem extin- *Solis pabulū.* gui. Stoici per ſpacium ſubiecti alimenti Solem permeare tradunt: id autem eſſe Oceanum & terrā, cuius euaporatione paſcitur. Plato, Pythagoras, Ariſtoteles, propter obliquitatē circuli zodiaci, per quē obliquus Sol fertur, ſolſtitia fieri aſſerunt: itēq; propter circulorū ſolſtitialium ſatellitiū, quòd ipſius latera ſtipat. Quæ omnia etiam ſphæra materialis cōmonſtrat.

De deliquio Solis. Caput XXIIII.

THales primus Solem deficere dixit, Luna ipſum ad perpendiculum ſubtercurrēte, quæ natura terrea exiſtat. Id autem uideri ſpeculariter, ſi ſpeculum diſco ſiue corpori ſolis ſupponatur. Anaximander obſtructo oſculo per quod ignis tranſpirat, id fieri dicit. Heraclitus figuræ ipſius ſcaphiformis inuerſione, idē fieri aſſerit, ut caua quidē pars ſurſum uergat, gibboſa uerò deorſum ad noſtrum conſpectū. Xenophanes extingui putat, & alium rurſus ad orientes naſci. Idem Solis defectū per totum menſem narrauit, & rurſus defectū perfectū, ut dies nox uideretur. Quidā nubium denſitatē, quæ corpus Solis ſubeunt, ac incōſpicuum D nobis faciunt, deliquium eſſe arbitrantur. Ariſtarchus Solem inter ſydera fixa locat. Terram *Sol fixus.* autem circū ſolarem circulū moueri ſentit, & iuxta huius inclinationes Solis corpus obum- *Terra mobilis.* brari. Xenophanes multos eſſe Soles ac Lunas, iuxta terræ regiones, ſegmentaq; ac zonas, arbitratur. Quandoq; autē diſcum ac corpus ipſorū in regionē quandam terræ incidere, quę non ſit à nobis habitata, atq; ſic tanquā per uacua meantem, defectū ſuſtinere. Idem Solem in infinitum progredi pronunciat, uerùm propter diſtantiam uideri in orbem ferri.

De ſubſtantia Lunæ. Caput XXV.

Circuli lunaris magnitudo ANaximander circulum Lunæ nouies ac decies terra maiorē eſſe tradit, plenumq; igne ueluti ſolarem, deficere autem iuxta rotæ cōuerſiones. Similem enim eſſe rotæ currus cauam curuaturā habenti, quæ plena igne ſit, & unam expirationem habeat. Xenophanes nubem adſtrictam eſſe ſentit. Stoici ex igne & aëre mixtam tradunt. Plato ex maiori ignis parte. Anaxagoras, Democritus, ſoliditatem ac firmamētum ignitum Lunam dicunt, quod habeat in ſe campos & montes ac ualles. Heraclitus terram nebula obuolutam. Pythagoras igneum Lunæ corpus appellat.

De magnitudine Lunæ. Caput XXVI.

STOici maiorem terra pronunciant, quemadmodū etiam Solem. Parmenides Soli æqualem, & ab ipſo quoq; illuminari.

De figura Lunæ. Caput XXVII.

STOici Lunam globoſam uelut ſolem eſſe tradunt. Empedocles diſciformem putat. Heraclitus ſcaphiformem. Alij cylindri figuram habere uolunt.

De illuminatione Lunæ. Caput XXVIII.

ANaximander proprium lumen habere ipſam ait, ſed rarius quodāmodo. Antipho proprio lumine lucere Lunam ſentit: uerùm quòd occultetur ipſa, idipſum cōtingere So- *Ignis maior minorem obfuſcat.* lis obiectu, ex quo obfuſcetur, quū à natura ſoleat fortior ignis debiliorē obſcurare: quod ipſum etiā circa alia ſydera cōtingit. Thales & ſectatores ipſius, à Sole illuminari Lunā tradunt. Heraclitus idem perpeti Solem ac Lunam arbitratur. Quum enim ſtellæ ſint figura ſcaphiformes, & humidam exhalationem ſuſcipiant, fieri ut illuminentur ad uiſum noſtrum, Sol quidem ſplendidius, ut qui in puriore aëre feratur: Lunam autem ob id obſcuriori lumine apparere, quòd in turbidiore aëre feratur.

A *De deliquio Lunæ.* Caput XXIX.

ANaximenes oſculo circa rotam obſtructo, defectum Lunæ fieri cenſet. Beroſus iuxta partis non ignitæ inuerſionem ad nos. Heraclitus iuxta ſcaphiformis figuræ cõuerſionem. Quidam Pythagorici reſplendeſcentiam & obturationem, partim noſtræ terræ, partim oppoſitæ, defectum Lunæ eſſe adſtruũt. Recentiores iuxta flammæ diſtributionem fieri ſentiunt, quæ paulatim ordinatè incenditur, donec perfectum plenilunium abſoluerit: & rurſus iuxta proportionem minuitur uſque ad coitum, in quo penitus extinguitur. Plato, Ariſtoteles, Stoici, mathematici conſonanter pronunciant, lunares quidem ac menſtruas occultationes, ipſam in ſolis congreſſu à ſole circũfulſam facere: uerùm deliquia, quum in umbram terræ impingit, quæ tum inter ambas ſtellas conſiſtit: imò magis Luna obſtructa.

Lunæ deliquij ratio. *Lunæ occultationis ratio.*

De imagine ſiue ſpecie Lunæ, & cur terrea appareat. Cap. XXX.

PYthagoræi terream apparere Lunam dicunt, propterea quòd & hæc, uelut terra noſtra, circũhabitetur animalibus maioribus, & plantis pulchrioribus. Eſſe enim quintupla ac decupla potentia, animalia in ipſa, quæ nihil excrementitium excernant. Diem quoque tantæ eſſe longitudinis. Anaxagoras inæqualitatem per eius corpus eſſe ait, propterea quòd ex frigidi ſimulque terræ mixtura conſtet. Admixtam enim eſſe igneitati caliginoſitatem, unde & falſæ ac adulterinæ lucis ſtellam ipſam appellari. Stoici propter ſubſtantiæ diuerſitatem, concrementum corporis ipſius non incorruptile eſſe affirmant.

Luna terrea. *Lunæ animalia.* *Lunæ dies quàm longa.*

De diſtantia Lunæ à Sole. Caput XXXI.

EMpedocles Lunã à Sole diſtare dicit duplo ſpacio, reſpectu eius quo à terra diſtat. Mathematici octuplum ac decuplũ id ſpacium aſſerunt, collatione ad diſtantiam à terra facta. Eratoſthenes ſolem à terra diſtare cenſet ſtadia ſepties cẽtena millia, & octoginta millia.

De annis, & quantus ſit magnus annus, itemq́; ſingulorum planetarum. Cap. XXXII.

ANnus Saturni eſt circuitus annorum triginta, Iouis duodecim, Martis duorum, Solis menſes duodecim, totidem etiam Mercurij ac Veneris, æqualis enim curſus exiſtunt. Lunæ dies triginta: hic enim eſt perfectus menſis à primo lumine uſque ad coitum. At uerò magnum annum alij in octennio ponunt, alij annis undeuicenis, alij annis undeſexagenis.
B Heraclitus annorum ſolarium decem & octo millium facit. Diogenes trecentos ſexagintaquinque annos ad Heracliti numerũ adijcit. Alij annorum ſeptem millium, ſeptingentorum ac ſeptuagintaſeptem ſtatuunt.

Anni planetarum. *Annus magnus*

Plutarchi de placitis philoſophorum, Liber tertius.

IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERP.

QVum in ſuperioribus rerum cœleſtium rationem recenſuerim, fueritque ipſarum terminus Luna, deinceps in hoc tertio ad ſublimia digrediar. Sunt autẽ ea quæ à circulo Lunæ uſque ad terræ ſitum pertingunt, terram autem ipſam centri rationem in ſphæræ complexu obtinere iudicant. Hinc uerò incipiam.

Sublimia quæ ſint. *Terra centrũ ſphæræ.*

De circulo lacteo. Caput I.

CIrculus eſt nubiformis, in aëre quidem ſemper apparens, uerùm propter coloris albedinem lacteus appellatus. Hunc aliqui Pythagoręi ſtellæ peruſtionẽ eſſe dixerunt, quæ à propria ſede excidit, & regionẽ per quam orbiculariter cucurrit, combuſſit, idque factum eſſe in Phaëthontea incenſione. Alij ſolarem curſum ab initio hâc iter feciſſe tradũt. Quidam ſpecularem eſſe imaginationem uolunt, ſole ſplendorem ad cœlum refringente, id quod etiam in iride ac nubibus contingit. Metrodorus propter acceſſum ſolis fieri putat, hunc enim eſſe circulum ſolarem. Parmenides denſi ac rari mixturam lacteum colorem effeciſſe cenſet. Anaxagoras terræ umbram iuxta hanc cœli partem conſiſtere arbitratur, quum Sol ſub terra exiſtens nõ omnia illuminet. Democritus multarũ paruarũ ac cohęrentiũ ſtellarum, quę inter ſe mutuò illuminẽt, ſplendorẽ coniunctũ eſſe iudicat, propter denſationẽ. Ariſtoteles multæ & cohærẽtis exhalationis ſiccæ incenſionẽ eſſe dicit, atque ita etiã comã ignis ſub æthera fieri, infra ſtellas errantes. Poſidonius ignis compagẽ ſydere clariorẽ, uerùm ſplẽdore denſiorem.

Iridis generatio. *Cometæ generatio.*

De Cometis, & emicantibus ignibus ac trabibus. Caput II.

QVidam Pythagoręi Cometam ſtellam eſſe dicunt ex earum numero quæ non ſemper apparent, uerùm per diffinitum quoddam tempus certo circuitu peracto exorium-

Cometarum ratio.

C tur. Alij refractionem noſtri uiſus ad ſolem eſſe cenſent, eodem modo uelut in ſpecularibus
imaginibus contingit. Anaxagoras & Democritus duarum aut pluriũ ſtellarum coitionem
ac cõiunctum ſplendorem eſſe uolunt. Ariſtoteles ex ſicca exhalatione ignitam compagem
eſſe iudicat. Strato ſyderis lumen denſa nube obuolutum, quemadmodũ & in facibus con-
tingit. Heraclides Ponticus nubem ſublimẽ à ſublimi lumine illuſtratam. Similem etiam cau
ſam affert pogoniæ, hoc eſt, barbatæ ſtellæ, & areæ, trabisq́ ac columnæ, & aliarum eiuſdem
cum his generis, quemadmodum ſanè omnes Peripatetici, iuxta nubis figurationes hæc
fieri adſtruũt. Epigenes ſpiritus terra mixti igniti, ſurſus uerſus lationem cenſet. Boëthus aë-

Ignes emicantes.

ris diſſoluti imaginationem. Diogenes Cometas ſtellas eſſe prodit. Anaxagoras ignes emi-
cantes ab æthere inſtar ſcintillarũ deferri tradit, quapropter etiam ſtatim extingui. Metrodo
rus Solis uiolentũ in nubes illapſum ſcintillare ait. Xenophanes omnia talia nubium igni-
tarum globos & compages ac motus eſſe cenſet.

De tonitruis, fulguribus, fulminibus, ignibus cœleſtibus, qui preſteres ac typhones appellantur. Cap. III.

ANaximander omnia hæc ex ſpiritu contingere dicit. Quum enim craſſa nube compre
henſus, tenuitate ac leuitate ſua uiolenter eruperit, tunc ruptura quidem ſtrepitum, di
ductio uerò propter nubis nigredinem coruſcationẽ efficit. Metrodorus autem ſic ait: Quũ
in nubem à denſitate coactam ſpiritus inciderit, cõquaſſatione quidem fragorem efficit, pla-
ga autem & fiſſura coruſcat, pernicitate uerò lationis à ſole caliditatem aſſumens fulminat,
aut fulminis debilitatem in preſterem redigit, qui ſemiignitum fulmen exiſtit. Anaxagoras
ſic: Quum calidum in frigidum inciderit, hoc eſt, ętherea pars in aëream, ſtrepitu quidem to
nitruum efficit, colore autem iuxta nubis nigritiam, fulgur, copia uerò & magnitudine lu-
minis, fulmen, corpulentiore autem igne, typhonem, uerùm nubiformi igne preſterem. Stoi
ci tonitruum nubium colliſionem, fulgur ex affrictu incenſionem, fulmen uehementiorẽ elu
centiam, preſterem debiliorem eſſe aſſerunt. Ariſtoteles etiam talia ex ſicca exhalatione fieri
cenſet. Quum igitur hęc in humidam inciderit, & exitum uiolenter adepta fuerit, attritu qui
dem & ruptura, tonitrui ſtrepitum fieri, ſiccitatis uerò incenſione, fulgur: preſteras autem &
typhonas materiæ redundantia, quam uterq; ipſorum ſimul trahit, calidiorem quidem pre-
D ſter, craſsiorem autem typhon appellatus.

De nubibus, pluuijs, niuibus, grandinibus. Caput IIII.

ANaximenes nubes ex craſſeſcente quammaximè aëre fieri dicit: ubi uerò amplius fue-
rit aër coactus, exprimi imbres. Niuem autem fieri, ubi aqua delabens fuerit cõgelata.
Grandinem uerò, quum aqua ſpiritu humido fuerit comprehenſa. Metrodorus ex aquoſa
& humida ſurſum uerſus exhalatione nubes conſtitui ait. Epicurus uaporibus gigni cenſet.

Grando & pluuia cur rotunda.

Grandinem autem & pluuiam rotunda fieri à longi tractus delatione efformata.

De iride ſeu arcu cœleſti. Caput V.

AFfectionum ſublimium aliquæ iuxta ſubſtantiam fiunt, uelut imber, grando: aliquæ
iuxta apparentiam, quæ propriam ſubſtantiam non habent: uelut, uerbi gratia, quòd

Iris apparentia eſt.

nauigantibus nobis terra moueri uidetur. Per apparentiam itaq; conſiſtit arcus cœleſtis. Pla
to à Thaumante eius genus homines duxiſſe ait, propterea quòd ipſius admiratione cape-

Thaumantias iris cur.

rentur: unde Thaumantis uocis originatio eſt. Homerus, Purpuream extendit miſeris
mortalibus irim, inquit. Quidam fabulati ſunt irim tauri caput habere, & flumina reſor-

Videndi ratio.

bere. Quomodo igitur fit iris? Equidem uidemus iuxta lineas aut rectas, aut curuas, aut

Lineæ triplices.

iuxta lineas refractas, obſcuras, ratione perceptibiles & incorporeas. Iuxta rectas itaq; uide-
mus quæ in aëre ſunt, & quæ per lapides ac cornua pellucida uidemus: hæc enim omnia te-
nuia exiſtunt. Curuas autem lineas & flexas in aqua fieri cernimus: flectitur enim uiſus per
uim, propter materiam aquæ denſiorem. quapropter etiam remum in mari è longinquo fle

Iridis generatio.

cti conſpicimus. Tertio modo refracta uidemus, uelut in ſpeculis contingit: talis affectio iri-
dis exiſtit. Oportet enim animo concipere, humidam exhalationem in nubem mutari, dein
de ex hac paulatim paruas guttas exudare. Quum igitur ſol in occaſu fuerit, neceſſe eſt om-
nem irim è regione Solis apparere, quãdò ſanè uiſus in guttas impingens refringitur, ut iris

Colores iridis.

fiat. Sunt autem guttæ non figurę forma, ſed coloris, habetq; iris primũ colorem puniceum,
ſecundum purpureum, tertium cœruleum ac praſinum. Num igitur puniceus color inde
eſt, quòd ſplendor ſolis impingens, & purus fulgor refractus, rubentem ac puniceum facit
colorem? Altera autem eius pars turbato & exoluto magis per guttas fulgore, purpurea
euadit, remiſſe enim rubẽs hæc exiſtit? Deinde rurſus cœruleus color turbatus in praſinum
ac uiridẽ tranſmutatur? Hoc ipſum igitur per opera experiri licet. Si quis enim è regione ra-
diorum

A diorũ Solis aquam hauſtam inſpuat, guttæ uerò refractionẽ ad ſolem capiant, irim generari reperiet. Sed & lippientes hoc ipſum perpetiuntur, ubi in lucernã inſpexerint. Anaximenes irim fieri cenſet, iuxta Solis ſplendorem ad nubem denſam craſſamq́ ac nigram, propterea quòd radij ipſam diſſecare ac penetrare non poſsint, ſed ad ipſam congregati conſiſtant. Anaxagoras refractionẽ luminis ſolaris à nube, irim eſſe dicit, eamq́ ſemper è regione ſtellæ ipſam efformantis conſiſtere. Eandem rationem reddit etiam de parelijs, hoc eſt, duobus uel pluribus ſolibus, quæ iuxta Pontum fieri ſolent. Metrodorus quum ſol per nubes pellucet, nubem cœruleam fieri, ſplendorem uerò rubeſcere tradit.

Arcus cœleſtis ſactitus. *Parelia.*

De *uirgis*. Caput VI.

QVæ circa uirgas & Soles oppoſitos, anthelios Græcis dictos, fiunt ex ſubſtantiæ ac apparentiæ mixtura cõſiſtunt, quum nubes quidem uideantur, ſed non proprio colore, uerùm alieno, qui per apparentiã uidetur. In his autem omnibus tum naturales affectiones, tum acceſſoriæ ſimiliter contingunt.

De *uentis*. Caput VII.

ANaximander uentum eſſe aëris fluxum dixit, tenuiſsimis ac humidiſsimis in ipſo partibus à ſole motis, aut liqueſcentibus. Stoici omnem uentũ aëris fluxum eſſe tradunt, uerùm iuxta locorũ mutationes appellationes uariare. Sic Fauonius à Græcis Zephyrus, ab obſcuritate & occaſu appellatur. Subſolanus uerò Apcliotes, à ſole & ortu. Qui à ſeptentrione ſpirat Aquilo, ab illis Boreas dicitur. Qui à meridie, Aphricus. Metrodorus aquoſa exhalatione per ſolem exuſta uentos cieri cenſet. Eteſias autẽ ſtato anni tempore flantes, aëre ad ſeptentrionem craſſefacto ſpirare, ſole iuxta ſolſtitium æſtiuum ſecedente irruentes.

Zephyrus & alij uenti unde dicti. *Eteſiæ uenti.*

De hyeme & æſtate. Caput VIII.

EMpedocles & Stoici hyemem fieri dicunt, aëris denſitate præualente, & ſurſum uerſus graſſante. Æſtatem autem igne prædominante, & ad inferiora graſſante. Quum uerò iam deſcripta ſint à me ſublimia, terreſtria quoq́ percurremus.

De terra, & quæ ſubſtantia eius, & quanta ſit. Caput IX.

THales & ſectatores eius unam eſſe terram pronũciant. Oecetes Pythagoræus duas eſſe
B dicit, hanc, & oppoſitam, Antipodum ſcilicet. Stoici terram unam & finitam aſſerunt. Xenophanes ex inferiore parte in infinitã profunditatẽ radicatam cenſet, uerùm ex aëre ac igne concretã eſſe. Metrodorus terrã aquæ ſedimentũ ac fæcem eſſe ſentit, ſicut Solẽ aëris.

Terræ duæ.

De figura terræ. Caput X.

THales & Stoici ipſorumq́ ſectatores terram globiformẽ eſſe tradunt. Anaximander columnæ lapideæ firmæ ſimilem facit. Anaximenes menſæ figurã ipſi tribuit. Leucippus tympani. Democritus latitudine quidem diſco ſimilem eſſe ait, uerùm in medio cauam.

De terræ ſitu. Caput XI.

THales terram mediam ſtatuit. Xenophanes primam in infinitum radices egiſſe ſentit. Philolaus Pythagoręus ignem medium facit: hunc enim uniuerſi focum eſſe. Secundã autem Antipodum terram, tertiam uerò terram quam nos inhabitamus illi oppoſitam, & quæ circum illam fertur. Vnde contingit ut illi à nobis non uideantur. Parmenides primus terræ habitabiles locos aſsignauit ſub duobus ſolſtitialibus circulis.

Antipodum ratio.

De inclinatione terræ. Caput XII.

LEucippus terram in meridionales partes excidiſſe dicit, propter illarum partium raritatem, nimirum quum ſeptentrionales frigoribus ſint adſtrictæ, oppoſitæ uerò igneæ ac ęſtuoſæ. Democritus propterea quòd meridionalis ambientis pars imbecillior ſit, terram augeſcentem in illam inclinatam eſſe ſentit. Aquilonares enim partes intemperatæ ſunt, meridionales temperatæ; unde ea parte degrauata eſt, qua fructibus & augmento redundat.

Meridiei raritas. *Aquilonares partes intemperatæ.*

De terræ motu. Caput XIII.

ALij quidem terram manere ſentiunt. Philolaus autẽ Pythagoræus circulariter circum ignem ferri cenſet circulo obliquo, ſimiliter ut Sol & Luna. Heraclides Ponticus & Ecphantus Pythagoræus moueri quidẽ aiunt terram, non tamen ſic ut tranſitum faciat, ſed inſtar rotæ incinctam ab occaſu ad ortum, circum proprium ipſius centrum. Democritus ab initio terram oberraſſe dicit, propter paruitatem ac leuitatem, uerùm temporis progreſſu denſatam ac grauatam conſtitiſſe.

Terra quomodo moueatur.

De diuiſione terræ, & quot ipſius zonæ. Caput XIIII.

PYthagoras terram, ad proportionem ſphęræ uniuerſæ cœli, in quinq́ circulos ſiue zonas diuidit, Arcticum ſiue ſeptentrionalem, ſolſtitialem æſtiuum, ęquinoctialem, ſolſti-

Zonæ terræ quinque.

C tialem hyemalem, antarcticum ſiue meridionalem. Horum media, mediam terram diſtinguit ac terminat, propter hoc ipſum peruſta ac torrida dicta. Habitabilis autem eſt media ſolſtitialis æſtiua, itemq́ media hyemalis, ut quæ temperatæ exiſtant.

De terræ motibus ſiue concuſsionibus. Caput XV.

Terram concuti, non moueri.

Motus differentiæ ſex.

THales & Democritus cauſam terræ motuum aquæ attribuunt. Stoici dicunt, terræ motus eſt humor in terra, qui in aërem diſsipatur ac erumpit. Anaximenes ſiccitatem & raritatem terræ, cauſam terræ motuū eſſe tradit, illamq́ longi temporis ſqualore, hanc impluuijs aſsiduis generari. Anaxagoras aëris ſubtergreſſu ad ſuperficiei denſitatem irruentis, & erumpere non potentis, atq́ ita id quod ipſum continet tremore concutientis, fieri aſſerit. Ariſtoteles propter frigiditatis obſtantiam, undiq́ infernè ac supernè ipſam terram circumſtantis. Caliditas enim ſurſum prodire geſtit, utpote leuis exiſtens: quapropter quum ſicca exhalatio intercludatur, eius impactu & reuolutionibus terrā perturbari. Metrodorus nullum corpus in proprio loco moueri eēſet, niſi quis protrudat aut actu detrahat: quapropter neq́ terram, utpote naturaliter poſitam, moueri, uerùm locos quoſdā ipſius ad alios tranſire. Parmenides, Democritus, propterea quòd undiquaq́ æqualiter diſtet, & in æquilibrio maneat, cauſam habere negant, cur magis huc quàm illuc terra uergat ac repat: & ob id concuti ſolùm, nō autem moueri adſtruunt. Anaximander ob latitudinem terram in aëre uehi putat. Alij in aqua, quemadmodum laminæ & aſſeres in aquis uehuntur, & ob id moueri. Plato omnis motus ſex circūſtantias ſiue differentias eſſe tradit, ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, prorſum, retrorſum. Verùm iuxta nullam harum poſsibile eſſe terram moueri: & quia undiquaq́ infima ſita ſit, manere quidem ipſam immotam, ut quæ nihil adeò eximium habeat, cuius gratia magis repat. Locos autem ipſius iuxta raritatem concuti. Epicurus poſsibile quidem eſſe ait, à craſsitudine ſubiecti aëris aquoſi, ipſam repulſam & quaſi ſuccuſſam moueri. Poſsibile uerò etiam eſſe, quòd inferioribus ſuis partibus antroſa exiſtat, & à uento diſperſo in cauernoſas cauitates irruente concutiatur.

De maris conſtitutione, & quomodo amarulentum exiſtat. Cap. XVI.

Maris generatio.

Mare ſudor terræ.

D ANaximander mare primæ humiditatis reliquias eſſe ait, cuius plurimam partem ignis reſiccauit: quod uerò reliquum fuit propter exuſtionem tranſmutatum eſt. Anaxagoras humore ab initio ſtagnante, à ſolis circūuolutione ambuſto, & pinguitudine ex ipſo in uaporem mutato, id quod reliquum fuit in ſalſuginem ac amaritudinem ſubſtitiſſe ait. Empedocles ſudorem terræ à ſole exuſtæ per ſuperficialem loturam, mare eſſe dicit. Antipho ſudorem calidi eſſe uult, ex quo humor contentus in decoquendo ſecretus eſt, eumq́ obuolutum eſſe, quod in omni ſudore contingit. Metrodorus mare per terram percolatum, craſsitudinis ipſius particeps factum aſſerit, quemadmodū contingit in his quæ per cinerem excolantur. Plato elementaris aquæ partem, quæ ex aëre per frigiditatem conſtitit, dulcem euaſiſſe ſentit: eam uerò quæ à terra in ambuſtione ac incendio exhalauit, ſalſam factam eſſe.

Quomodo reciprocationes & inundationes maris fiant. Caput XVII.

Aquarum uectabulum.

Terrā moueri.

ARiſtoteles, Heraclitus, à ſole hæc fieri putant, plurimos uentos mouente, ſimulq́ ſecum circunferente: à quibus irruentibus, propelli ac intumeſcere Atlanticum mare, atq́ ſic effici inundationem: iiſdem uerò deſinentibus, reuelli ac retrocedere & ſubſidere, id ipſumq́ reciprocationem eſſe. Pytheas Maſsilienſis Lunæ incremento inundationes & exceſſus maris fieri ſentit, decremento reciprocationes ac receſſus. Plato in uectabulum aquarum ferri cenſet. Eſſe enim uectabulū quoddam per cuiuſdam oſculi foramen, quod uectabulū refluxum circūfert, à quo maria intumeſcunt & exundant. Timæus irruentes in Atlanticum mare per montes Celtarum fluuios cauſatur, qui ingreſſu quidem propellant & inundationem faciant, quieſcentes uerò retrahant & reciprocationes efficiant. Seleucus mathematicus, qui & ipſe terram moueri ſentit, reuolutioni ac motui ipſius, Lunæ circūlationem imminere ac inſtare dicit: quum autem ſpiritus & uentus inter ambo hæc corpora diſtrahatur, & in Atlanticum pelagus illabatur, pro ipſius ratione etiam mare conturbari.

De area. Caput XVIII.

ARea hoc modo efficitur. Inter Lunam aut aliud quoddā ſydus, & uiſum noſtrum, aër craſſus & nebuloſus conſiſtit: deinde quum in hoc uiſus refringatur ac dilatetur, poſteaq́ ſic in circulum ſyderis impingat, iuxta externam circūferentiam circulus circum ipſum ſydus apparere uidetur, qui ſanè circulus apparens area uocatur. Inſuper area eſt, quum continenter iſthic ſpectrum eius fieri uidetur, ubi nunc craſsitudo ipſius uiſus impegit.

PLV-

A

Plutarchi de placitis philoſophorum, Liber quartus.

IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERP.

PErluſtratis mundi partibus,hinc ad ſingulares res tranſibimus.

De Nili aſcenſu & auctu. *Caput* I.

THales Eteſios & anniuerſarios uentos aduerſus Ægyptũ ſpirantes, Nili molẽ attollere putat,propterea quòd oſtiorum ipſius effluxiones,pelagi cõtrà nenientis ac occurſantis illapſu relidantur. Euthymenes Maſsilienſis ex Oceano & extrinſeco mari,quod iuxta ipſum dulce eſt,fluuium augeſcere cenſet. Anaxagoras ex nine in Æthiopia in æſtate liqueſcente,hyeme uerò cõgelata,id fieri ſentit. Democritus quum uix in ſeptentrionalibus partibus ſub ſolſtitium æſtiuum diſſoluitur ac diffunditur,nebulas quidem ex uaporibus cogi arbitratur,quæ ubi ad meridiem & Ægyptum ab Eteſijs uentis propellãtur, impetuoſos imbres efficiant,à quibus & ſtagna & Nilus fluuius repleantur. Herodotus hiſtoriarum ſcriptor, parem copiam ex fontibus ipſius tum hyeme, tum æſtate ferri dicit: uerùm hyeme apparere minorem, propterea quòd hoc tempore Sol propinquius Ægyptum accedẽs,undas ipſius exhalare facit. Ephorus hiſtoriographus Ægyptũ totam per æſtatẽ relaxari, ac uelut exudare undarũ copiam tradit. Cõfert aũt & cõtribuit ipſi aliquid & Arabia & Libya,propter raritatẽ & arenoſitatẽ. Eudoxus ſacerdotes Ægypti pluuiales aquas & temporũ contrariũ ſtatum,quẽ antiperiſtaſin Græci appellant,cau ſari dicit. Quũ enim nobis qui ſub ſolſtitiali æſtiuo circulo habitamus, æſtas fuerit, tunc his qui ſub ſolſtitiali byemali cõtra nos habitant,hyems eſt: quapropter inundans aqua delabit. *Sol Ægypto per æſtatem propinquus.* *Antiperiſtaſis.*

De anima. *Caput* II.

THales primus pronunciauit, animam naturam eſſe, ſemper & per ſe mobilem. Pythagoras nnmerũ ſeipſum mouentem. Numerum autem pro mente accipit. Plato ſubſtantiam intelligibilem,ex ſeipſa mobilem,& qnæ ad numerum concinnum mouetur. Ariſtoteles primam perfectionem corporis naturalis organici ſiue inſtrumentalis,potentia uitam habentis,animam eſſe dicit. Per perfectionem autem,quam ipſe entelechiam uocat,actionem accipere oportet. Dicæarchus animam quatuor elementorum harmoniam ac concentum eſſe cenſet. Aſclepiades medicus ſenſuum coexercitationem eſſe ſtatuit.

B

An anima ſit corpus,& quæ ipſius ſubſtantia ſit. *Caput* III.

OMnes hi prædicti animam incorpoream eſſe ſupponunt,natura per ſe mobilem dicentes,& ſubſtantiam intelligibilem,& corporis naturalis inſtrumentalis uitam habentis actionem. Anaxagoras aëriformem & corpus eſſe dixit. Stoici ſpiritum calidum cenſent. Democritus igneum concrementũ ex corporibus ratione perceptibilibus,& ideas quidem globoſas habentibus,potentiam autem igneam,quod ipſum ſanè corpus eſt. Epicurus temperamentum ex quatuor eſſe ait,ex quodam igneo,ex qnodam aëreo,ex quodam ſpiritali, ex quarto quodam innominato,quod ipſum ſenſitiuum exiſtit. Heraclitus animã mundi, exhalationem humorum qui in ipſo ſunt,eſſe putat. Animam autem animalium,ab externa,& ea quæ in ipſis eſt exhalatione,eiuſdem generis eſſe. *Anima mũdi.* *Anima animalium.*

De animæ partibus. *Caput* IIII.

PYthagoras,Plato,iuxta ſummariam quidem conſiderationem,bipertitam animam ſtatuunt: habet enim alteram partem rationalẽ, alteram irrationalem. Verùm exactius & accuratius rem expendentes,tripertitam. Irrationalem enim partem dirimunt in iraſcentem & concupiſcentem. Stoici ex octo partibus animam conſtare aiunt: quinq; ſenſibilibus,uiſiua,auditoria,olfactoria,guſtatoria,tactoria,ſexta uocali, ſeptima ſeminali,octaua principali, à qua aliæ omnes gubernantur per propria inſtrumenta, ad cirrhorum Polypi ſimilitudinẽ. Democritus,Epicurus,bipertitã animam faciunt,ut quæ rationalẽ partem in pectore fixam habeat,irrationalẽ uerò per totam corpori miſcellã diſperſam. Democritus omnia participare aliqua anima dicit,adeoq; mortua corpora,ꝓpterea quòd ſemper manifeſta aliqua ac ſenſibili caliditate participãt,maiore ipſius parte diſſlata,utpote quæ iam trãſpirarit. *Animæ partes octo.*

Quid ſit principalis animæ pars,& ubi ſit. *Caput* V.

PLato,Democritus, principalem animæ partem in toto capite locant. Strato in intermedio ſuperciliorum. Eraſiſtratus circa cerebri membranam,quam ipſe epicranidem *Epicranis membrana.*

C uocat. Herophilus in cerebri uentriculo, qui & baſis ac fundamentum eſt. Parmenides in toto pectore. Ita & Epicurus. Stoici omnes in toto corde, aut ſpiritu circa ipſum cor. Diogenes in arteriaco cordis uentriculo, qui ſpiritalis exiſtit. Empedocles in ſanguinis compage. Alij in cordis collo. Alij in pellicula quæ circum cor eſt. Alij in ſepto tranſuerſo. Quidam ex recentioribus à capite uſque ad ſeptum tranſuerſum permeare dicunt. Pythagoras uitalem ipſius partem circa cor, rationalem uerò & intellectualem circa caput eſſe cenſet.

De *animæ motu.* Caput VI.

Animæ motus per accidens. PLato ſemper mobilem animam eſſe dicit, mentem uerò immobilem motu tranſitiuo. Ariſtoteles animam immobilem omni primordiali motu cenſet, uerùm motus per accidens participem eſſe, quemadmodum corporum ſpecies.

De *animæ immortalitate.* Caput VII.

PYthagoras, Plato, animam immortalem eſſe aſſerunt: exire enim ipſam in animam uniuerſi, & ad ſuum genus ſecedere. Stoici exeuntem de corporibus animam labare ac titubare adſtruunt, & imbecilliorẽ quidem unà cum corporibus conſiſtere, hancq; eſſe animam ineruditorũ. Fortiorem uerò, qualis eſt ſapiẽtum, etiam uſq; ad uniuerſi exarſionem durare. Democritus, Epicurus, mortalem eſſe, unaq; cum corpore interire dicunt. Pythagoras, Plato, rationalem eius partem incorruptibilem eſſe uolunt: animam enim non quidem deum, ſed æterni dei opus eſſe: irrationalem autem corruptibilem.

De *ſenſibus & ſenſibilibus.* Caput VIII.

STOici ſenſum ſic definiunt. Senſus eſt perceptio aut comprehenſio ipſius ſenſorij. Multifariam autem ſenſus dicitur: nam & habitus, & potentia, & actio, & imaginatio comprehenſiua, per ſenſorium fiunt: imò etiam octaua animæ pars, principalis uidelicet, à qua *Senſoria.* omnia cõſtituuntur. Rurſus autem ſenſoria dicuntur ſpiritus intellectuales, à principali parte animæ ad inſtrumenta deſtinati. Epicurus inquit, particula eſt ipſe ſenſus, qui eſt ipſa potentia, atq; ipſa ſenſualitas, unde eſt ipſe effectus. Quare bifariam ab ipſo dicitur, ſenſus quidem ipſa potentia, ſenſitiuum autem ipſe effectus. Plato ſenſum pronunciat animæ ac corporis ad externa ſocietatem. Potentia enim & facultas animæ eſt, inſtrumentum autem cor-
D poris. Ambo autem per imaginationem externorum perceptiua fiunt. *Senſus & intellectus unde cõtingant.* Leucippus, Democritus, ſenſum & intellectũ imaginibus forinſecus accedentibus fieri aſſerunt. Nemini enim neq; ſenſum neq; intelligentiã ingruere ac contingere citra imaginis allapſum & occurſum.

An ueri ſint ſenſus & imaginationes. Caput IX.

STOici ſenſus quidem ueros eſſe, uerùm imaginationes alias ueras, alias falſas affirmant. Epicurus omnem ſenſum & omnem imaginationem ueram eſſe cenſet: opiniones autem partim ueras, partim falſas. Et ſenſus quidem uno tantùm modo fallitur, iuxta intelligi- *Imaginationes duplices.* bilia. Imaginatio uerò dupliciter: nam & ſenſibilium & intelligibilium imaginatio eſt. Empedocles, Heraclides, particulares ſenſus iuxta cõgruentiam ac ſymmetriã meatuum fieri cenſent, proprio ſenſibili unicuiq; congruente.

Quot ſint ſenſus. Caput X.

Senſus cõmunis. STOici quinq; ſpeciales ſenſus ſtatuunt, uiſum, auditum, olfactum, guſtum, tactum. Ariſtoteles ſextum quidem non dicit, uerùm communem ſenſum, qui de compoſitis ſpeciebus iudicet, facit, ad quem omnes ſimplices ſenſus, ſuas quiſque proprias imaginationes conferunt ac deponunt, in quo tranſitio ab altero ad alterum, uelut figuræ & motus oſtenditur. Democritus plures eſſe ſenſus cenſet, circa bruta animantia, & deos, ac ſapientes.

Quomodo ſenſus fiat, & intellectus, & ratio, iuxta diſpoſitionem. Cap. XI.

Anima uelut charta parata ad annotandũ. STOici dicunt quòd poſtquàm natus eſt homo, principalem animæ partem habet, uelut chartam paratam ad annotandum: in hanc enim unamquanq; notionem inſcribit. Primus autem annotandi modus eſt per ſenſus. Vbi enim aliquid ſenſus percipiunt, uelut, uer- *Memoria.* bi cauſa, albedinem, ea dilapſa memoriam ipſius habẽt. Vbi uerò multæ eiuſdem ſpeciei me- *Experientia.* moriæ contigerint, tunc iam experientiam habere dicunt. Experientia enim eſt eorum quę eiuſdem ſpeciei ſunt multitudo. Et notiones quidem naturales iuxta prędictos modos, & citra artis opem fiunt, aliæ autem per doctrinã & ſtudium noſtrum. Hæ quidem igitur ſolùm *Prolepſes.* notiones appellantur, illæ uerò etiam prolepſes & anticipationes uocãtur. At uerò ratio, ob *Ratio quando completur.* quam rationales appellamur, ex anticipationibus compleri dicitur in primo annorũ ſepte- *Intellectus.* nario. Eſt autem intellectus ſiue mentis conceptus, imaginatio cogitationis animalis rationalis. Nam imaginatio poſtquàm rationali animæ allabitur, tunc iam mentis conceptus uocatur, appellatione à mente tranſſumpta. Quapropter reliquis animalibus imaginationes non ob-

A non obuerſantur. Quę uerò dijs & nobis obuerſantur, hæ ſolummodo imaginationes ſunt. Quæ uerò nobis, hæ & imaginationes in genere, & conceptus mentis in ſpecie exiſtunt. Qnemadmodnm denarij & ſtateres, ipſi qnidem per ſe denarij ſunt & ſtateres: ſi uerò in nauigationis mercedem exponantur, tunc ſupra hoc quòd denarij ſunt & ſtateres, etiam naulum & portorium appellantur.

Imaginationes in quibus ſint.

Quomodo differant, imaginatio, imaginarium, imaginatiuus ductus, & imaginatum ſiue uiſum. Caput XII.

CHryſippus hæc quatuor inter ſe differre dicit. Imaginatio igitur eſt affectio in anima facta, oſtēdens ſeipſam, & id quod ipſam fecit: uelut quū oculis cōtemplamur albedinē, affectio eſt per uiſum animæ ingenerata: & hanc affectionē dicere poſſumus, quòd albedo ſubiacet quæ nos mouet. Similiter autem contingit & per tactum ac olfactum. Dicta uerò eſt Græcis imaginatio phantaſia, à lumine. Quemadmodum enim lumen ſeipſum, & alia in ipſius circuitu contenta oſtendit, ita & imaginatio ſeipſam, & id quod ipſam fecit, oſtendit. Imaginarium autem eſt quod imaginationem facit: uelut albedo, & frigiditas, & quicquid tandem animā mouere poteſt, hoc ipſum imaginarium exiſtit. Imaginatiuus autem ductus eſt inanis tractus, & affectio in anima à nullo imaginario inducta: quemadmodum contingit in umbratili pugna, & in eo qui inaniter manus intentat, nemine repugnante. Nam imaginationi ſubiacet aliquod imaginarium, imaginatiuo autem ductui nihil. Cæterùm imaginatum eſt ad quod trahimur, iuxta imaginatiuum ductum ſeu tractum inanem. Hæc autem fiunt in atra bile percitis & furioſis. Oreſtes itaque tragicus quum dicit,

Imaginatio quid. *Phantaſia unde dicta.* *Imaginarium quid.* *Imaginatiuus ductus.* *Imaginatum quid.*

Mater rogo ſupplex eas puellulas
Ne immitte, quas hic me penes draconicas
Cruore plenas exilire conſpicor.

Dicit quidem hæc ut furioſus, uerùm nihil uidet, ſed uidere ſibi uidetur. Quapropter etiam dicit ipſi Electra:

Quietus in tuis miſer cubilibus
Mane, nihil uides, putas ſed cernere.

B Sic etiam apud Homerum Theoclymenus.

De uiſu, & quomodo uidemus. Caput XIII.

DEmocritus, Epicurus, per imaginum inſinuationes uim uidendi contingere putant. Alij per radiorum emiſsionem, qui ubi ſubiectæ rei inſtiterint, rurſus ad uiſum reuertantur. Empedocles imaginibus radios immiſcuit, & id qnod fit, radios imaginis compoſitæ appellauit. Hipparchus dicit radios ab utriuſque oculi finibus extendi, qni uelut manunm contactu externa corpora contingant, & comprehenſionem ſuam ad uim uiſiuam referant. Plato per conſplendeſcentiam uiſum fieri putat, lumine quidem ex oculis aliquantulum in eiuſdem generis aërem effluente, uerùm eo qnod à corporibus fertur lumine econtrà affluente, & intermedium aërem, qui facilè diffunditur ac leuiter tranſmutari poteſt, unà cum uiſus igneitate extendente. Atque hæc ſanè Platonica conſplendeſcentia dicitur.

Cōſplendeſcentia Platonica.

De ſpecularibus imaginibus. Caput XIIII.

EMpedocles per defluxus in ſuperficie quidem ſpeculi cōſiſtentes, uerùm qui perficinntur ab igneitate quæ ex ſpeculo excernitur, & quę interpoſitum aërem, in quem fluxus feruntur, ſimul transfert, ſpeculares imagines fieri cenſet. Democritus, Epicurus, imagines ſpeculares iuxta ſimulachrorum ſubſtantias fieri dicunt, quę quidem de nobis feruntur, conſiſtunt antem in ſpeculo per reflexionem. Pythagoras per uiſus refractionem eaſdem fieri putat: ferri enim uiſum in æs intentum ac uelut ordine procedentem, uerùm denſitate ac leuore offenſum retrouerti ipſum in ſeipſum, ſimile qniddam perpetientem, uelut ſi quis extentam manum rurſus ad humerum cōuertat. Porrò omnibus his ſummis uti licet & in quæſtione, quomodo uidemus.

Specularium imaginum ratio.

An tenebræ uiſibiles ſint. Caput XV.

STOici tenebras uiſibiles eſſe pronūciant, ex uiſu enim ſplendorem qnendam ad ipſas deferri. Et non fallitur uiſus, uidet enim reuera quod tenebræ exiſtunt. Chryſippus iuxta cointenſionem interpoſiti aëris uidere nos cenſet: pungitur enim aër à ſpiritu uiſiuo, qui ab animæ principali parte uſque ad pupillam pertingit. Poſt impetum autem in interpoſitum aërem factum, intendit ſeipſum ſpiritus uiſiuus ad coni ſeu nucis pineæ formā, ubi eiuſdem generis aër fuerit. Diffunduntur autē ex uiſu radij ignei, non atri & caliginoſi: quapropter tenebras uiſibiles eſſe,

C

De auditu. Caput XVI.

EMpedocles auditum fieri cenſet, iuxta allapſum ſpiritus ad cochleaceam auris partem, quam intra aurem appenſam eſſe dicit, inſtarq; tintinabuli ſuſpenſam pulſari. Alcmæon per inane intra aurem audire nos putat. Id enim eſſe quod reſonat iuxta ſpiritus impreſsionem. Omnia enim uacua ſonitum ędere. Diogenes aëre intra caput à uoce percuſſo ac moto, auditum fieri pronunciat. Plato & eius ſectatores, aërem in capite uerberari iudicant, hunc autem ad principalem animæ partem refringi, atq; ita auditus ſenſum fieri.

Vacua ſonitũ ędere.

De olfactu. Caput XVII.

ALcmæon principalem animæ partem in cerebro locat, per hoc igitur olfacere nos cenſet, odores per reſpirationes attrahens. Empedocles unà cum reſpirationibus à pulmone, odorem attrahi in corpus putat. Quum itaq; reſpiratio fuerit aggrauata propter aſpritudinem, tunc nos olfactus ſenſum non perceptare, quemadmodum in his qui deſtillationibus à capite laborant, apparet.

De guſtu. Caput XVIII.

ALcmæon humore ac tepore, inſuperq; mollitie linguæ, ſapores diſcerni dicit. Diogenes raritate ac mollitie linguæ, & quòd uenæ à corpore in ipſam incurrant, ſapores diffundi cenſet, ad ſenſum & principalem animæ partem, uelut à ſpongia attractos.

De uoce. Caput XIX.

PLato uocem definit ſpiritum per os à mente ductum, & plagam ab aëre per aures & cerebrum ac ſanguinem uſq; ad animam diſtributam. Dicitur & abuſiuè uox in brutis animantibus, itemq; de inanimis, uelut ſunt hinnitus, & ſtrepitus. Propriè autem uox articulata eſt, Græcis uelut mente cõceptum illuminans, appellata. Epicurus uocem eſſe ait fluxum à loquentibus, aut ſonum ędentibus, aut ſtrepentibus emiſſum. Hunc autem fluxum in conformia fragmenta diffringi: conformia uerò dicuntur rotunda rotundis, itemq; obliqua ac triangula eiuſdem generis figuris: his autem in auditum illabentibus, uocis ſenſum effici. Id uerò ipſum manifeſtum fieri ex utribus effluentibus, & fullonibus efflantibus ac inſpuentibus in ueſtimenta. Democritus etiam aërem in conformia corpuſcula diffringi aſſerit: conformia autem dicuntur rotunda rotundis: unaq; cum uocis fragmentis uerſari ac obuolui: graculus enim aſsidet graculo: &, ſemper ſimilem ſimili deus addit ubiq;. Nam & in littoribus ſimiles calculi in iiſdem locis conſpiciuntur, alibi globoſi, alibi oblongi. Sed & inter cribrandum ea quæ eiuſdem figuræ ſunt, in idem congregantur: ita ut ſeorſim fabæ ſint, ſeorſim cicer. Cæterùm ad hæc dicere quis poſsit, quomodo pauca ſpiritus fragmenta theatrum decem millibus hominum refertum explere poſſunt? Stoici aërem ex fragmentis compoſitum eſſe negant, ſed continuum per totum eſſe dicunt, & nihil uacui habere: poſtquàm uerò à ſpiritu uerberatus eſt, inundat per circulos rectos in infinitum, donec circunſitum aërem expleuerit, quemadmodum in piſcina lapide percuſſa contingit. quanquam hæc quidem circulariter mouetur, aër uerò ad pilæ ſeu globi modum. Anaxagoras uocem fieri cenſet, ſpiritu quidem contra ſolidum aërem impingente, plagæ autem reflexione uſq; ad auditum allata. Eodem uerò modo etiam ſonum Echo dictum fieri.

Vox Græcis unde ſit dicta.

D

Simile iuxta ſimile.

Quomodo multi unà uocem audiant.

Echo quomodo fiat.

An uox incorporea ſit, & quomodo Echo fiat. Caput XX.

PYthagoras, Plato, Ariſtoteles, incorpoream uocem eſſe uolunt. Non enim aërem, ſed figuram circum aërem ac ſuperficiem, iuxta quandam plagam fieri uocem. Omnis autem ſuperficies incorporea exiſtit, unà enim cum corporibus mouetur: ipſa uerò penitus incorporea eſt: quemadmodũ uidere eſt quum uirga incuruatur, ſuperficies enim nihil patitur, materia uerò eſt quæ incuruatur. Stoici uocem corpus eſſe aſſerunt. Omne enim agens aut faciens, corpus eſt. Vox autem agit & facit: audimus enim ipſam, & ſentimus auribus allabentem, & formas imprimentem, uelut anulum in ceram. Inſuper, omne mouens nos iucundè, itemq; perturbans, corpus eſt. Iucundè autem nos mouet & afficit concentus, perturbat autem & offendit inconcinnitas. Amplius: Omne quod mouetur, corpus eſt: mouetur autem uox, & in leues locos illabitur ac refringitur, quemadmodũ in pila ad parietem iacta contingit. Itaq; in pyramidibus Ægypti, una uox intus erũpens, quatuor aut quinq; ſonos efficit.

Vox corpus eſt.

Vox una multos ſonos efficit.

Vnde ſenſitiua fiat anima, & quæ ſit eius principalis pars. Caput XXI.

STοici ſupremam animæ partem principalem eſſe pronunciant, eam uidelicet quæ imaginationes & aſſenſiones, ſenſusq; ac appetentias inducit: atque hanc rationem uocant. A principe autem parte, ſeptem aliæ animæ partes enatæ ſunt, & in corpus extenduntur, quemadmodum à Polypo cirrhi. Ex his ſeptem animæ partibus quinq; ſunt ſenſoria, uiſus, olfactus,

Rationis partes ſeptem.

A olfactus, auditus, guſtus & tactus. Ex his uiſus eſt ſpiritus à principe parte uſque ad oculos *Viſus quid.*
pertingens. Auditus uerò ſpiritus à principe parte ad aures uſq; pertingens. Olfactus, ſpiri- *Auditus.*
tus ab eadem uſq; nares procedens. Guſtus, ſpiritus indidem ad linguam ſe inferens. Tactus *Olfactus.*
uerò ſpiritus à principe parte uſq; ad ſuperficiem pertingens ad tactum ac commodum ſen- *Guſtus.*
ſum rerum occurrentium. At uerò ſexta pars ſemen dicitur, quod etiam ipſum ſpiritus eſt, à *Tactus.*
principe parte uſq; ad genitales meatus pertingens. Septima autem uocalis pars à Zenone *Semen.*
dicta, quam etiam uocem appellant, eſt ſpiritus à principali parte uſq; ad arteriam & linguã *Vox.*
ac propria inſtrumenta pertingens. Cæterùm ipſa principalis animæ pars in noſtro globoſo *Rationis ſedes*
capite uelut in mundo habitat.

De reſpiratione. *Caput* XXII.

EMpedocles primam animalis reſpirationem fieri arbitratur, humiditate in recens ædi-
tis ſeceſſum capiente, & externo aëre ad euacuatum locum ingreſſum faciente, in aper-
ta uidelicet uaſa. Verùm poſtea interno iam ac inſito calore aërem impetu ſuo, quo ad eru-
ptionem concitatur, foras propellente, fieri expirationem: eodem uerò calore ad interna re-
deunte, atq; ſic aëri rurſus ingreſſum exhibente, inſpirationem. Cæterùm ut nunc res reſpi-
rationis ſe habet, ſanguine uelut ad ſuperficiem allabente, & aërem per nares ſuo influxu
extrudente, iuxta ipſius exceſſum, expirationem fieri cenſet, recurrente uerò ſanguine, &
aëre rurſus in locos à ſanguine relictos inducto, inſpirationem. Aſclepiades in hac re clepſy- *Clepſydræ ſi-*
dræ nos commonefacit: pulmonem enim inſtar infundibuli conſtituit, cauſam autem reſpi- *militudo ad re*
rationis, partium in pulmone tenuitatem ſupponit, ad quam externus aër craſſus exiſtens *ſpirationem.*
affluat ac feratur, itemq; rurſus repellatur, thorace non amplius potente, nec intrò ſuſcipere,
nec carere. Quum autem ſemper parum quid tenuitatis in pectore relinquatur (non enim
tota excernitur) ad hoc ipſum rurſus parem ſuſtinens grauitatem, de externo aëre intrò fer-
tur. Hæc autem cucurbitis medicinalibus aſsimilat. At uerò uoluntariam reſpirationem, co-
actis ac conſtrictis tenuiſsimis in pulmone meatibus, & chartilaginoſis ipſius partibus (bron
chia Græci dicunt) coarctatis, fieri prodit: hæc enim uoluntati noſtræ parent. Herophilus
facultates motorias circa corpora relinquit, in neruis, in arterijs, in muſculis. Pulmonem
B itaq; solùm naturaliter appetere putat diſtractionem ac contractionem, deinde uerò etiam *Pulmonis di-*
alias partes. Et actionem quidem pulmonis eſſe, ſpiritus externi attractionem: ubi uerò ex- *ſtractio ac cõ-*
terno aëre repletus attrahere amplius nequit, propter ſecundam appetitionem pectus in *tractio.*
ſeipſum ſpiritum tranſuehit: repletum autem pectus, & non amplius attrahere potens,
rurſus ſuperfluum in pulmonem remittit, per quem excretio foras contingit, corporis par-
tibus hoc modo inter ſe in diuerſum tendentibus ac mutuò auxiliantibus. Nam diſten-
tio pulmonis fit, alternis tranſſumptionibus repletione & euacuatione contingente. Pro-
indeq; quatuor motus circa pulmonem fieri: primum, iuxta quem extrinſecum aërem *Pulmonis mo-*
ſuſcipit: ſecundum, iuxta quem id quod ab externis ſuſcepit intra ſe, ad pectus dilabitur: *tus quadru-*
tertium, iuxta quem id quod pectus in ſe tranſuexit, rurſus in ſeipſum ſuſcipit: & quar- *plex.*
tum, iuxta quem id quod ex reuerſione de pectore in ipſo eſt, foras emittit. Horum autem
motuum duas diſtentiones eſſe, eam quæ ab externis, & eam quæ à pulmone attrahit.
Duas item contractiones, alteram quum pectus ad ſe ſpiritum trahit, alteram quum ip-
ſe pulmo eundem in communem aërem excernit ac emittit. Duo enim tantùm motus cir-
ca pectus fiunt, diſtentio quidem quum à pulmone attrahit, contractio uerò quum attra-
ctum rurſus remittit.

De affectionibus corporeis, & an corpori anima condoleat.
Caput XXIII.

STоici affectiones quidem in partibus affectis, ſenſus autem in principali animæ parte
eſſe aſſerunt. Epicurus & affectiones & ſenſus in locis affectis eſſe cenſet. Nam princi-
palem partem affectionis penitus exortem eſſe. Strato & affectiones animæ & ſenſus in *Tolerantia in*
principe parte, non in affectis locis conſiſtere dicit: in hac enim tolerantiam ſitam eſſe, *animo.*
quemadmodum in aduerſitatibus ac rerum difficultatibus apparet, itemq;
in uiris fortibus ac timidis.

DE PLACITIS PHILOSOPHORVM LIBRI
QVARTI FINIS.

Plutarchi de placitis philoſophorum Liber quintus.

C

IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERP.

De uaticinatione. *Caput* I.

Diuinatio extiſpicum. *Somniorum interpretatio.*

PLato & Stoici uaticinationem inducunt, iuxta diuinum afflatum, ac numinis inſtinctum, id eſt, iuxta animæ diuinitatem. Itemq́ʒ ſomniorum interpretationem. Atqʒ hi ipſi plurimas uaticinationis ſpecies ac partes approbant Xenophanes & Epicurus uaticinationem tollunt. Pythagoras uictimariam tantùm diuinationem extiſpicum ac hepatiſpicum non admittit. Ariſtoteles & Diecarchus, uaticinationem per afflatum numinis tantùm, & ſomnia inducunt: animam quidem immortalem eſſe nō putantes, diuinitatis tamen cuiuſdam participem ipſam eſſe cenſentes.

Quomodo ſomnia fiant. *Caput* II.

Somnia triplicia.

DEmocritus ſomnia iuxta imaginum aſsiſtentias fieri arbitratur. Strato, irrationali mentis natura in ſomnis maiorem quodammodo ſenſum acquirente, & ab ipſa coguoſcendi facultate incitata, ſomnia fieri putat. Herophilus ſomnia diuinitus inſpirata iuxta neceſsitatem fieri cenſet. Naturalia autem, anima id quod conducibile eſt inſuperq́ʒ futurum, per imagines repræſentante. Quæ uerò mixti ex natura ac temperatura ſunt generis, ex caſu ſpontaneo fieri iuxta imaginum allapſum; uelut quum ea quæ uolumus, uidemus, ut in his qui amicas in ſomnis habere ſibi uidentur, contingunt.

Quæ ſeminis ſubſtantia ſit. *Caput* III.

Semen quid.

ARiſtoteles ſemen eſſe inquit, quod in ſeipſo moueri poteſt ad efficiendum tale quid, quale eſt id ex quo excretum eſt. Pythagoras optimi ſanguinis ſpumam, ſemen eſſe dicit, & alimenti ſuperfluitatem, quemadmodum ſanguinem & medullam. Alcmæon cerebri partem putat. Plato medullæ ſpinalis defluxum Epicurus animæ ac corporis auulſionē.

Semen unde procedat.

Democritus, à totis corporibus, inquit, & à principaliſsimis partibus genitura procedit, itemq́ʒ à carnoſis fibris.

An ſemen ſit corpus. *Caput* IIII.

D

LEucippus & Zeno ſemen corpus eſſe aſſerunt, eſſe enim animæ auulſionem. Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, facultatē quidem ſeminis incorpoream eſſe tradunt, uelut mentem motricem. Materiam autem profluentem corpoream eſſe. Strato & Democritus, etiam facultatem corpus eſſe uolunt: ſpiritalis enim & flatuoſa exiſtit.

An etiam fœminæ ſemen emittant. *Caput* V.

PYthagoras, Epicurus, Democritus, etiam fœminam ſemē emittere cenſent: habet enim adſtites glanduloſos auerſos, & propterea etiam appetentiam habet, præter Veneris uſum. Ariſtoteles & Zeno, materiam quidem liquidam fœminas emittere putant, uelut à coexercitatione ſudorem, non tamen ſeminariam. Hippo emittere quidem fœminas ſemen non minus quàm mares arbitratur, non tamen hoc ipſum ad animalis generationem conferre, propterea quòd extra uteros elabatur. Vnde aliquæ etiam citra uirorum commixtionem ſæpe ſemen emittant, maximè uiduæ. Alij oſſa quidem à mare, carnes uerò à fœmina eſſe uolunt.

Quomodo conceptus fiant. *Caput* VI.

Conceptionis impedimenta.

ARiſtoteles conceptus fieri exiſtimat, producto quidem per purgationem utero, menſibus uerò à totius corporis mole partem aliquam puri ſanguinis ſimul attrahentibus, ut ea ipſa pars maris genituram concipiat. Contrà uerò conceptus fieri negat, propter uteros non purgatos, aut inflatos, item propter timorem, aut triſtitiam, aut fœminarum debilitatem, aut ob impotentiam uirorum.

Quomodo mares & fœminæ gignantur. *Caput* VII.

EMpedocles mares & fœminas iuxta caliditatē & frigiditatē gigni cenſet. Vnde primos mares ad Orientem ac meridiem natos eſſe narrant, eosq́ʒ magis ex terra, fœminas uerò ad ſeptentriones. Parmenides uice uerſa, ſeptentrionales partes mares produxiſſe ſentit, utpote dēſitatis amplioris participes: meridionales uerò fœminas, propter raritatē. Hipponax prout ſemen compactum & forte, liquidumq́ʒ ac debile fuerit, mares aut fœminas gigni aſſerit Anaxagoras, Parmenides, ſemina ex dextris partibus in dextras uteri partes, ex ſiniſtris in ſiniſtras deijci adſtruunt. Si uerò deiectio permutetur, fœminas gigni. Leophanes cuius meminit Ariſtoteles, mares ex dextro teſticulo, fœminas ex ſiniſtro gigni iudicat. Leucipp᷒

propter

A propter partium permutationem ac diuerſitatem, iuxta quam mas colem, fœmina uterum habet, fieri arbitratur. tantùm enim ſolummodo dicit. Democritus communes quidem partes, ex utro tandem contigerit, naſci tradit, proprias autem iuxta prædominium. Hipponax, ſi quidem genitura præualuerit, inquit, mas naſcetur: ſi uerò alimentum, fœmina.

Quomodo monſtra gignantur. Caput VIII.

EMpedocles monſtra propter ſeminis redundantiam, aut defectum, aut propter motus perturbationẽ, aut propter diuiſionem ipſius in plures partes, aut propter nutationem, gigni pronunciat. Atq; hoc modo ferè omnes excuſationes ac cauſas præoccupaſſe uidetur. Strato propter appoſitionem, aut ablationem, aut tranſpoſitionẽ, aut inflationem. Quidam ex medicis propter diſtortionem uteri tunc inflati, gigni monſtra arbitrantur.

Quare mulier ſæpe concumbens non concipit. Caput IX.

DIocles medicus hoc contingere putat, aut propterea quòd aliqui uiri ſemen in totum non emittunt, aut quòd minus quàm oportet, aut quòd tale emittunt in quo facultas uiuifica non eſt, aut propter caliditatis uel frigiditatis, uel humiditatis uel ſiccitatis inopiam, aut propter partium reſolutionẽ, aut propter colis obliquitatẽ, geniturã rectà immittere non potentis, aut propter partiũ incõgruentiã, diſtantiæ uteri reſpectu. Eraſiſtratus uterũ in cauſa eſſe dicit, quũ callos carnoſos habuerit, aut rarior aut etiã minor ꝙ pro naturali modo fuerit.

Quomodo gemini tergeminiq; gignantur. Caput X.

EMpedocles geminos & tergeminos propter redundantiam & diſſectionem ſeminis gigni cenſet. Aſclepiades propter corporum diuerſitatem, quemadmodũ duplices ac triplices granorũ ordines in hordei ſpica: fœcundiſsima enim ea ſemina eſſe. Eraſiſtratus propter ſuperfœtationes ſiue ſupercõceptus, uelut in brutis animãtibus. Quũ enim uterus probè fuerit purgatus, tunc ad ſuperconceptũ peruenit. Stoici propter locos in utero id fieri cẽſent, quũ in primũ ac ſecundũ ſemen incidat, tunc fieri ſupercõceptus atq; etiã tergeminos. *Superfœtatio.*

Vnde parentum atq; progenitorum ſimilitudines fiant. Cap. XI.

EMpedocles iuxta prædominium ſeminariæ geniturę, ſimilitudines fieri putat. Diſsimilitudines uerò ob caliditatis in ſemine exhalationem. Parmenides, quum de dextra B uteri parte fœtus æditur, patribus ſimilem eſſe ait: quum de ſiniſtra, matribus. Stoici à toto corpore ac anima ſemina ferri ſentiunt, & ſimilitudines ex iiſdem generibus efformari, tum formis, tum characteribus, quemadmodũ pictor à ſimilibus coloribus imaginem eius quem aſpicit efformat. Emittere autem & fœminã ſemen cenſent, & ſi quidem præualuerit muliebre ſemen, id quod naſcitur matri ſimile euadere: ſi uerò uirile, uiro.

Quomodo alienis ſimiles naſcantur, & non parentibus. Cap. XII.

PLeriq; medici fortuitò & caſu temerario, liberos parentibus diſsimiles naſci arbitrãtur, ex eo quòd tum uiri, tum mulieris ſemen perfrigeratũ eſt. Empedocles per imaginationem mulieris in conceptu, pueros formã acquirere cenſet. Sæpe enim contigit ut imagines & ſtatuas amarint mulieres, & ſimiles his pueros pepererint. Stoici conſenſu mentis ad fluxionum ac radiorum, non imaginum, inſinuationes, mutuas ſimilitudines fieri ſentiunt.

Quomodo ſteriles fiant mulieres, & uiri infœcundi. Cap. XIII.

MEdici mulieres propter uterum ſteriles fieri pronunciant, aut quòd denſior ſit, aut rarior, aut durior: uel propter quaſdam calloſitates uel carnoſitates. Item propter puſillanimitatẽ, aut quòd alimentũ non ſentiunt, aut propter corruptum habitũ. Et quòd uteri figuratio diſtorta ſit, aut conuulſa. Diocles uiros infœcundos putat, aut quòd aliqui ſemen penitus nõ emittant, aut quòd minus ꝙ oportet, aut quòd ſemen infœcundũ exiſtat, aut propter partium reſolutionẽ, aut propter colis obliquitatem, geniturã rectà immittere non potentis, aut propter partiũ incongruentiã, diſtantię uteri reſpectu. Stoici incõuenientis naturæ facultates ac qualitates in utroq; cõeuntiũ, cauſam infœcunditatis ſtatuunt. Itaq; ubi tales ſeparari cõtigerit, & cum aliis generis ſibi cõuenientis cõmiſceri, natura temperat, & fœtus perficit.

Cur mulæ ſteriles ſint. Caput XIIII.

ALcmæon mulos mares infœcundos arbitrat, propter genitalis ſeminis tenuitatẽ, hoc eſt, frigiditatẽ. Fœminas uerò propterea, quòd uteri ipſarum nõ hient, hoc eſt, aperiantur. Sic enim ipſe dixit. Empedocles propter paruitatem & humilitatem ac anguſtiam uteri id contingere cenſet, qui ad uentrem auerſè eſt adnatus: & quòd neq; ſemen rectà in ipſum eiaculari poſsit, neq; ipſe ſuſcipiat, etiamſi eiaculetur. Diocles autem ipſi ſuffragatur in diſſectionum libris, ſic inquiens: Eiuſmodi uterum mularum ſæpe uidimus, poſsibileq; eſt ob huiuſmodi cauſas etiam ſteriles eſſe mulieres. *Mularum uteri quales.*

C

An fœtus animal ſit. Caput XV.

PLato fœtum in utero animal eſſe cenſet: moueri enim in utero ac nutriri. Stoici uentris partem, non animal eſſe putant. Quemadmodum enim fructus, qui plantarum partes ſunt, maturi facti decidunt, ſic etiam fœtus. Empedocles nõ quidem animal eſſe fœtum aſſerit, ſed tamẽ uiuum in uentre exiſtere. Primam autem animalis reſpirationem in partu fieri, humiditate in recens æditis receſſum capiente, & externo aëre ad euacuatum locum ingreſſum faciente, in aperta uidelicet uaſa. Diogenes gigni quidem fœtus inanimatos adſtruit, uerùm in caliditate: unde inſitus calor ſtatim effuſo fœtu in pulmonem attrahitur. Herophilus motum naturalem fœtibus relinquit, non ſpiritalem. Motus autem cauſæ ſunt nerui. Tunc autem fieri animalia, ubi effuſi fœtus aliquid aëris aſſumpſerint.

Fœtus inanimatos gigni.

Quomodo nutriantur fœtus. Caput XVI.

DEmocritus, Epicurus, fœtũ in utero per os ali cenſent, unde ſtatim natus ore ad mammam fertur: eſſe enim quaſdam in utero papillas ac oſcula, per quæ alantur. Stoici per ſecundam & umbilicum ali iudicant: unde etiam obſtetrices hunc obligare, & os diducere, ut alia alimenti meditatio fiat. Alcmæon per totum corpus fœtum nutriri arbitratur: aſſumere enim ipſum uelut ſpongiam de nutrimento alimoniam.

Fœtus alimentum per ſecundam & umbilicum.

Quid primum in utero perficiatur. Caput XVII.

STоici multas partes ſimul in utero gigni ſentiunt. Ariſtoteles ſpinam primùm abſolui putat, uelut carinam in naui. Alcmæon caput primùm perfici ſentit, in quo eſt principalis animæ pars. Medici cor, in quo uenæ ſunt & arteriæ. Alij magnum pedis digitum: alij umbilicum.

Partium fœtus generatio.

Cur ſeptimeſtres partus uitales ſint. Caput XVIII.

EMpedocles ait, quum hominum genus è terra naſceretur, tantum temporis longitudine fuiſſe diem, propter ſolis curſum tardiorem, quantum nunc eſt decem menſium tempus: progreſſu autem temporis tantum fuiſſe diem, quantum nunc ſeptimeſtre tempus eſt: & propterea decimeſtres ac ſeptimeſtres partus eſſe uitales, natura mundi ſic prouidente, ut fœtus in una die, à nocte qua concipitur, augeſcat. Timæus non decem, ſed nouem menſes putari debere dicit, propter ſuppreſſos menſes etiam ante conceptum. Sic etiam ſeptimeſtres putari qui ſeptimeſtres non ſint, quum aliquæ etiam poſt conceptum purgentur. Polybus, Diocles, empirici, etiam octauum menſem nouerunt uitalem, ſed aliquo modo infirmiorem, propterea quòd multi propter imbecillitatem ſæpe iam perierint. Et in ſumma, neminem uelle octimeſtres nutrire ac educare, uerùm multos octimeſtres in uiros euaſiſſe. Ariſtoteles & Hippocrates aiunt, ſi in ſeptem menſibus uterus expleatur: tunc prominere fœtus, & uitales naſci. Si uerò promineant, non autem nutriantur debilitato umbilico, propterea quòd graue iudicium ac laborioſam afflictionem pertulit mater ipſa, tunc fœtum ob alimenti inopiam contabeſcere. Si uerò nouem menſes in utero maneat, tunc ſanè prominentem integrum eſſe. Polybus centum octoginta duos & dimidium diem, ad uitales partus requiri aſſerit, hoc enim ſemeſtre tempus eſſe. Nam & Sol in tanto tempore ab uno ſolſtitio ad alterum accedit. Dici autem ſeptimeſtres, propterea quòd deficientes primi menſis dies, in ſeptimo aſſumantur. Octimeſtres autem nõ uiuere, quum promineat quidem ex utero fœtus, uerùm umbilicus diutius torqueatur: nam ob alimenti inopiam contabeſcit, ut qui alimenti cauſa exiſtit. Mathematici octonos menſes incõiunctos in omni generatione eſſe aiunt, uerùm ſeptenos cõiunctiles. Inconiuncta autem ſignorum animalia ſunt, ſi ſtellas domibus dominantes ipſa eſſe contigerit. Si enim aliquod ex his uitam hominis ſortiatur, infelices & breuis uitæ fore ſignificat. Inconiuncta autem ſigna ſiue animalia ſunt, octonis domibus inter ſe diſtantia, uelut diſtat & inconiunctus eſt aries ad ſcorpium, taurus ad ſagittarium, gemini ad capricornum, cancer ad aquarium, leo ad piſces, uirgo ad arietem. Quapropter & ſeptimeſtres & decimeſtres partus uitales eſſe, octimeſtres autem propter mundi inconiunctionem perire.

Dies decimeſtris & ſeptimeſtris.

D

Partus ſemeſtres.

Octoni menſes inconiuncti.

Signa octonis domib. diſtantia incõiuncta

De animalium generatione, quomodo genita ſint animalia, & an interitura.

Caput XIX.

SEcundũ aliquos mundus genitus eſt, genita item animalia & corruptibilia ſunt. Secundum alios, quorum & Epicurus eſt, ingenitus eſt, & ex mutua tranſmutatione animalia generantur, quum partes mundi exiſtant. Sic quoq; Anaxagoras & Euripides non quidem mori ea ſentiunt, ſed prout aliud in aliud tranſmutatum eſt, formas præ ſe ferre. Anaximander in humore prima animalia generata eſſe cenſet, corticibus obſita ſpinoſis: procedẽte autem

Animalium mutua tranſmutatio.

A tem ætate ad ſicciores locos diſceſsiſſe, & cortice diffracto modico tempore uixiſſe. Empedocles primas animalium generationes, itemq́ꝫ plantarum nequaquam integras fuiſſe ſentit, ſed inconcretis partibus diſiunctas. Secundas uerò cõcretis partibus ſimulachri formam habuiſſe. Tertias generationes ex ſe mutuò naſcentium fuiſſe. Quartas autem non amplius ex ſimilibus, uelut ex terra & aqua, ſed per mutuas iam mixturas factas eſſe, terra quidem condenſata, aqua uerò alimoniam animalibus præbente, pulchritudine autem fœminarum ſeminarij motus irritationem inducente. Cæterùm genera animalium propter temperamentorum qualitates diſcreta eſſe, & aquæ quidem familiariora aquam impetu ſuo appetiuiſſe, alia uerò in aërem reſpiraſſe, prout quid amplius de igneitate habuerunt: grauiora autem in terra manſiſſe; quæ uerò æqualem temperaturam habuerunt per omnia, pectoribus uocem edidiſſe. *Generationes animaliũ quadruplices.*

Quot ſint animalium genera, & an omnia ſenſibilia ac rationalia.

Caput XX.

ARiſtotelis liber extat, in quo quatuor animalium genera tradit, terreſtria, aquatilia, uolatilia, cœleſtia. Nam & mundi & terræ animalia dici. Animal autem rationale, immortale eſſe cenſet. Democritus, Epicurus, cœleſtia: Anaxagoras omnia animalia rationem habere actiuam aſſerunt: uerùm mentem, quæ uelut paſsiua ratio eſt, & mentis interpres dicitur, nõ habere. Pythagoras, Plato, rationales eſſe etiam brutorum appellatorum animalium animas uolunt, non tamen rationabiliter agere, propter corporum diſtemperaturã, & quòd ſermonis facultatem non habeant, quemadmodum in ſimijs ac canibus uidere eſt: lalant enim hæc animalia, & non loquuntur. Diogenes participare quidem ipſa intellectuali facultate atq́ꝫ aëre putat; uerùm quòd alia denſitate, alia humiditate redundent, neq́ꝫ intelligere, neq́ꝫ ſenſibus percipere, ſed ſimiliter uelut furioſos affici, principali animæ parte aberrante. *Bruta etiam rationalia eſſe*

Quanto tempore animalia in utero efformentur. Caput XXI.

EMpedocles in hominibus coarticulationẽ à ſexta & trigeſima die incipere cenſet, perfici autem & abſolui per omnes partes ab undequinquageſima. Aſclepiades in maſculis, propterea quòd calidiſsimi ſint, coarticulationem fieri à ſexta & uigeſima die aſſerit: mul-
B tas uerò etiam ante hoc tempus, uerùm quinquageſima die omnibus partibus cõpleri. Fœmellas autem in bimeſtri temporis ſpacio coarticulari, in quadrimeſtri uerò perfici, propter caloris inopiam. Cæterùm brutorum animantium partes ex toto ſimul abſolui, propter elementorum temperaturas. *Fœtus articulationis ac perfectionis tẽpus*

Ex quot elementis ſingulæ generales in nobis partes conſtent. Caput XXII.

EMpedocles carnes internarum quatuor elementorum temperamento generari cenſet. Neruos autem ex igne & terræ duplo mixtis. Vngues uerò in animalibus generari, neruis ea parte qua aëri expoſiti ſunt perfrigeratis. Oſſa autem uidentur ex aqua & interna terra conſtare. Ex partibus uerò ex his quatuor contemperatis, ſudorem ac lachrymam proficiſci, corporis mole hoc modo colliqueſcente. *Carnium generatio. Neruorum. Vnguium. Oſsium. Sudoris & lachrymarum.*

Quando & quomodo homo perfici incipiat. Caput XXIII.

HEraclitus & Stoici, homines circa ſecundum annorũ ſeptenatium perfici incipere cenſent, quo tempore genitale ſemen excernitur. Nam arbores tunc perfici incipiunt, quum ſemina generare incipiunt. Imperfectæ autem ſunt, quum immaturæ & infructuoſæ ſunt. Quare etiam homo tunc perfectus eſt. Sed & boni ac mali intellectus, & ad diſcendum aptitudo, circa ſecundum ſeptenarium contingit.

Quomodo ſomnus & mors fiat. Caput XXIIII.

ALcmæon receſſu ſanguinis in confines uenas ſomnum fieri dicit: expergiſcentiam uerò eſſe ſanguinis diffuſionem: receſſum autem ipſius totalem eſſe mortem. Empedocles perfrigeratione caloris in ſanguine moderata, ſomnum fieri cenſet: totali uerò mortem. Diogenes, ſi in totum ſanguis diffundatur, & impleat quidem uenas, uerùm contentum in ipſis aërem ad pectus & ſubiectum uentrem propellat, ſomnum fieri exiſtimat, & pectus calidius euadere. Si uerò omnis aër ex uenis deficiat, mortem ſequi. Plato, Stoici, remiſsione ſenſitiui ſpiritus, nõ ſecundum relaxationem, quemadmodum in terra contingit, ſed delatione ad intermedium ſuperciliorum ad principem animæ partem, ſomnum fieri putant. Quum autem remiſsio ſenſitiui ſpiritus totaliter fiat, tunc conſequi mortem.

Vtrius ſomnus & mors ſit, animæ an corporis. Caput. XXV.

ARiſtoteles ſomnum animę ac corpori communem eſſe dicit. Eſt autem ſomnus, humiditas à pectore & ſubiecto alimento exhalans ad locos circa caput, & caliditas in cor-

C de perfrigerata. Mortem autem perfectam perfrigerationem eſſe dicit, eſſeq́ ſolius corporis mortē, non etiam animæ, hæc enim immortalis exiſtit. Anaxagoras corporeæ actionis ſomnum fieri cenſet: eſſe enim corporalem affectionem, non animalem. Mortem autem eſſe animæ à corpore ſeparationem. Empedocles mortem fieri aſſerit per ſeparationem elementorum, ex quibus humani corporis miſcella cōſtat: ut iuxta hunc mors corporis & animę communiter ſit. Somnum autem fieri per caloris ignei receſſum.

Quomodo augeſcant plantæ, & an ſint animalia. Caput XXVI.

PLato & Empedocles etiam plantas animatas ac animalia eſſe cenſent. Idipſum uerò manifeſtum fit ex eo quòd cōmouentur, & ramos porrectos habent, & quòd adductæ cedant, ac rurſus laxatæ ad locum ſuum redire geſtiant, quò in ipſum coëant ac contrahantur. Ariſtoteles animatas quidem eſſe ſentit, non tamen animalia: animalia enim eſſe appetitiua, & ſenſitiua ac rationalia. Stoici & Epicurei animatas eſſe negant. Nam animalia quædā appetitiuam ac cōcupiſcentem animam habere, quædam uerò rationalem. Verùm plantas ſua ſponte ac temerę quodāmodo productas eſſe, non per animam. Empedocles prima ex animalibus arbores è terra emerſiſſe dicit, antequàm ſol expanderetur, & priuſquàm nox &

Plantarum ſexus. dies diſcerneretur: uerùm ob temperamēti æquabilitatē, ipſas & maris & fœminæ rationem habere, augeſcere autē à calore qui ab ipſa terra eleuatur: quapropter partes eſſe terrę, quem-

Fructus quid. admodū etiam fœtus in utero, uteri partes exiſtunt. At uerò fructus ſuperfluitates eſſe aquę ac ignis in plantis ipſis. Et quæ quidem humorem defectuoſum habēt, eas ęſtate humore re-

Arbores quædam cur folia non abijciant. ſiccato folia abijcere: quę uerò humore abundent, eis folia permanere ac nō defluere, quemadmodum in lauro & olea ac populo uidere eſt. Saporum autem differentias fieri: iuxta alterationes multiplicitatis partium ac cauſarum, quæ pro partium nutrientis multiplicitate dif-

Solum saporē præbet. ferentias habent, uelut in uitibus cernere datur. Non enim uitium differētiæ bonum uinum faciunt, ſed nutritij ſoli alimentum.

De alimento & augmento. Caput XXVII.

EMpedocles animalia per familiaris alimenti ſubſtantiam nutriri cenſet, augeſcere uerò

D per caloris præſentiam, minui autem ac corrumpi per utriuſq́ defectum. Cæterùm ho-

Hominum primi ſeculi magnitudo. mines qui nunc ſunt, infantium rationem obtinere, ſi ad primos illos comparentur.

Vnde appetitus animalibus contingant, & unde uoluptates. Cap. XXVIII.

EMpedocles appetitus animalibus fieri putat iuxta defectus elementorum ſingula perficientium. Voluptates uerò ex humido, itemq́ periculorum ac conſimilium motus. Vexationes autem ac turbationes, propter intemperaturas.

Quomodo febris fiat, & an conſequens ad alios morbus ſit. Cap. XXIX.

Febris quid. ERaſiſtratus definit febrem hoc modo: Febris eſt motus ſanguinis præterlapſi in uaſa ſpiritus, inuoluntariè factus. Quemadmodū enim in mari, ubi nihil ipſum mouerit, quies contingit, uento uerò uiolento præter naturam inſpirante, ex toto conturbatur: ſic in corpore, ubi ſanguis commouetur, in ſpirituum uaſa illabitur, ibiq́ exardeſcens totum corpus calefacit. Placet autem ipſi febrem acceſſorium morbum eſſe. Diocles autem inquit: Ea quę apparent, obſcurorū indicia exiſtunt. Ad ea uerò quę apparent, febris cōſequi ac accedere conſpicitur, uelut ſunt uulnera, inflammationes, & inguinum tumores ſiue abſceſſus.

De ſanitate, morbo, ac ſenecta. Caput XXX.

ALcmæon facultatum humidi, calidi, ſicci, frigidi, amari, dulcis, ac reliquarum æquabilitatem, ſanitatis conſeruatricē eſſe dicit, monarchiam autem & unius illarū principatū, morbū inducere. Monarchia enim ſingularū, corruptionis & morborū cauſa exiſtit. Et cauſa quidē à qua, eſt caliditatis aut frigiditatis exceſſus. Cauſa uerò ex qua, propter multitudinem aut inopiam contingit, uelut in quibuſdam ſanguinis aut cerebri inopia cōtingit. Sani-

Morborū cauſæ. tas autem eſt congruens ac moderatum qualitatum temperamentū. Diocles plurimos morbos propter inæqualitatem elementorum in corpore, & ſtatus aëris, fieri cenſet. Eraſiſtratus morbos propter alimenti multitudinem, cruditatemq́ ac corruptionem oriri aſſerit: uerùm

Senecta ex caloris defectu. modeſtiam & ſufficientiam eſſe ſanitatem. Stoici concorditer aſſerunt, ſenectam ob caloris defectum fieri. Qui enim plus caloris habent, diutius uiuentes amplius ſeneſcunt. Aſclepia-

Æthiopes cur uitæ breuis ſint. des Æthiopas citò ſeneſcere dicit, anno uidelicet triceſimo, propterea quòd à ſole combuſta corpora ipſorum ſuperexcaleſcant. Verùm in Britannia homines ad centeſimum uiceſi-

Britanni cur longæui. mum ætatis annū peruenire, propterea quòd loci quidem frigidi ſint, homines uerò calorē in ſeipſis cōſtrictum habeant. Etenim Æthiopum corpora rariora ſunt, propterea quòd à ſole ſint laxata: ſeptentrionales autē denſa corpora habent, & ob id diuturniora.

DE CAVSIS NATVRALIBVS PLVTARCHI.

QVam ob cauſam aqua marina non cedit in arborum nutrimentum. Prob. I

Quare ſemina maiora incrementa ab imbribus, quàm ab aquis, quas nos rigando aſpergimus, ſuſcipiunt. Problema II

Quare paſtores ouibus ſalem obijciunt. III

Quare ex imbribus præſtantiores ad riganda ſemina, qui poſt tonitrua fulgurationesq́; cadunt, quos ob id Aſteropæos appellant. IIII

Quare, quum ſaporum octo ſint genera, ſalſum quem uocant in nullo fructu, qui terra naſcatur, deguſtare licet. V

Quare qui continenter per roſcida arbuſta incedunt, hæ partes corporis quæ rorulentis flagellis tanguntur, lepra fœdari ſolent. VI

Quare hyberno tempore naues tardius in fluminibus ambulant, in mari non item. VII

Cur, quum omnes humores, dum agitantur iactanturq́;, frigeſcunt, ſolum mare fluctibus quaſſatum calidius euadit. VIII

Quare mare hyeme minus amarum guſtatu deprehenditur. IX

Quare uino adfundunt marinam: & piſcatoribus oraculum datum aiunt, quod iubeat Bacchum in mare mergendum: qui uerò procul à mari habitant, gypſum è Zacyntho torrentes inijcere conſueuere. X

Quare uomitant nauſea correpti, magis qui mare, quàm qui flumina, etiamſi nulla tempeſtas ſit, nauigant. Problema XI

Quare cum in mare oleum funditur, ipſum & dilucidum & tranquillum euadit. XII

Quare piſcatorum retia hyeme magis, quàm æſtate putredinem ſentiunt, quum cætera per æſtatem huic malo ſint magis obnoxia. XIII

Quare apud Dorienſes non commoda fœni ſolet eſſe conuectio: aut quam ob cauſam, cùm pluuium eſt cœlum, fœnum haud bene comportatur. XIIII

Qua de cauſa tritici ferax eſt pinguis & ſolidus ager, tenuior autem terra hordeum magis profert. XV

Quare triticum in luto, in puluere uerò hordeum ſerendum eſſe aiunt. XVI

Quare in funiculos piſcatorios, ὁρμιὰς Græci uocant, ſetas ex equorum, quàm ex equarum caudis malunt. XVII

Quare cùm loligo apparet, magnæ tempeſtatis indicium eſt. XVIII

Quare polypus colorem uariat. XIX

Quam ob cauſam ſuum agreſtium lachryma dulcis, ceruorum autem & ſalſa & improba. XX

Cur ſcrophæ ſiue clementes porcæ & ſæpius & alijs atque alijs anni partibus fœtæ ſunt, quum ſues feræ omnes & ſemel tantùm quotannis & propè circa idem tempus, nimirum cùm æſtas appropinquat, pariant. XXI

Cur urſi manum dulciſsimam, & carnem illam eſui gratiſsimam eſſe perhibent. XXII

Cur ueris tempeſtate difficulter feras indagare licet. Prob. XXIII

Quare circiter plenilunia ferarum ueſtigia indagine perſequi haud facile eſt. XXIIII

Cur, cùm per frigora ros cadit, ferarum indagatio difficilis exiſtit. XXV

Cur beſtiæ, cùm incommodis adficiuntur, facultates, à quibus auxilium expectant, quærunt & explorant. XXVI

Cur muſtum, cùm frigus dolia, quibus continetur, occupat, dulce diu permanet. XXVII

Quare præ reliquis feris urſus minimè caſſes rodit, quũ & uulpes & lupi dentibus eos lacerent. XXVIII

Quid eſt quamobrem aquæ frigidæ nihil mirabile habent, calidæ autem habent. XXIX

Quare uites, cùm nimia ubertate laſciuiunt, & minus feraces ſunt, & aliquando exareſcunt: cuius rei cauſam quidam in ſyderationis morbum referunt. Prob. XXX

Cur uitis uino, quod tamen in primis ex ſe ſibi familiare habet, rigata areſcit. XXXI

Cur inter omnes arbores ſola palma contra impoſitum onus adſurgit. XXXII

Quare aqua de puteis hauſta minus alit, quàm quæ de fonte aut cœlo manat. XXXIII

Cur Zephyrus uentorum omnium celerrimus fertur. Prob. XXXIIII

Cur apes fumum ferrè nequeunt. XXXV

Cur apes citius pungunt, qui ſtuprum dudum fecerunt. Prob. XXXVI

Quare canes, relicto homine qui iecit, lapidem morſu inſectantur. XXXVII

Cur lupæ certo anni tempore omnes, intra duodecim dies pariunt. XXXVIII

Cur aqua in ſumma parte alba, in fundo uerò nigra ſpectatur. XXXIX.

Plutarchi de cauſis naturalibus Liber.

GYBERTO LONGOLIO INTERPRETE.

Quòd marina aqua non nutriat arbores. I.

QVAM ob cauſam aqua marina non cedit in arborum nutrimentum? An ob id, quòd ne terreſtria quoq; animantia alere poſsit? Etenim animal terreſtrē quandam ſtirpem eſſe, cum Platone & Anaxagora Democritus exiſtimauit. Non enim quòd animalibus marinis, ut piſcibus, utilis eſt, & in alimentum deſideratur, ob id quoq; terreſtres ſtirpes & arbores nutrire poſſe credenda eſt. Nam quum craſſa ſint radicum capillamenta, aqua nõ ſubintrat, neq; ſuſtolli grauitatis cauſa poteſt. Ipſa uerò grauitas & terrea eius ſubſtantia, præter multa indicia, quibus comprobari poſſet, accedit quòd naues leuius in ea ſidunt, & natantes facilius ſuſtinet. An ob id, quòd ea quæ ſiccitatem adferunt, arbores mediocriter lædunt? at marina aqua ſiccandi facultate prædita eſt. Sales enim non mediocriter putredini obſiſtunt. Item cutis eorum corporum quæ marina ſe lauant, confeſtim aridior aſperiorq; tangentibus deprehenditur. An quia ut oleum arboribus inimicum, quibus adfunditur, corrumpit: ita mare pinguedinis non exiguum habens (ſcintillare aliquando uidetur; & prouerbio dicere ſolemus, Marinam aquam in flammas non eſſe infundendam) eadem facultate noxium ſit? An quia ſit minus apta quæ potetur, & propter terræ exuſtæ admixtionem, autore Ariſtotele, amarior reddatur? Nam lixiuium fit, cùm ad cineres aqua dulcis adfunditur. Ab ea uerò deductione quicquid in aqua ad uſum potumq; eſt, perditur & corrumpitur: quemadmodum inſitum noſtrum humorum febres in bilem commutant. At quod plantas & ſtirpium aliquot in rubro mari creſcere adſerunt, uerum quidem id eſt, ſed fructum non ferunt; aluntur autem limo illo, qui per oſtia fluuiorum in mare uehitur. quare non longè à terra, ſed prope littora plurimùm creſcunt.

Animal terreſtris planta.

Aqua marina craſſa & grauis.

Sal putredini obſiſtit.

Mare pingue.

Prouerbium, marina nõ infundenda flammis.

Lixiuium.

Confutatio.

Semina pluuijs aquis magis quàm alijs gaudere. II.

QVam ob rem ſemina maiora incrementa ab imbribus, quàm ab aquis, quas nos rigando aſpergimus, ſuſcipiunt? Vtrum impetus ille imbrium ictu terram diuidens, & meatus (ut Laito uiſum fuit) reſerans, aditum ad radices faciliorem præbere poteſt? An hoc cum ueritate non conſentit, latuitq; Laitum, multas etiam paluſtres ſtirpes, ut tipham, phleon, uluam, ſine incremento, cùm ſuo tempore aquæ pluuiæ de cœlo non manant, ſquallere? Ariſtoteles rectius cenſuit, qui imbres recentem planè & nouam, paluſtrem & nuperam, & ueterem aquam eſſe dixit. An uerò & hoc magis opinioni quàm ueritati conſonare dicendum? Siquidem & fontanam & fluuialem recentem planè & modò ortam nemo negare poteſt. Nam fluuium eundem, ut Heracletus dicere ſolebat, nemo facilè bis fuerit ingreſſus. Etenim continuò noua adlabitur, & ſufficitur in illo aqua. Sed & iſta minus quàm pluuia nutrire ſolet. An uerò cœleſtis aqua leuis eſt, & aëris ſpiritusq; plena? quare celerem ſua leuitate uiam ad plantas facit. Quòd uerò aëre plena ſit, indicant bullæ quæ ex illius commixtione, quum decidit, creantur. An quod ab alito ſuperatur & conficitur, maximè nutrit? Hæc enim eſt concoctio, cui contraria eſt cruditas, quam concoquendi defectum nominamus, quum alimenta uehementiora ſunt, quàm ut quicquam cedant. An quia leuia, ſimplicia, ſaporis expertia, citius magisq; commutantur? At tales imbres ſunt: nam in aëre uentoq; creati, integri & nullus rei mixtione uitiati de cœlo cadunt. Fontana uerò cum terra qua profluit, & loci quibus labitur, adfinitatem quandam habet: quo fit, ut pluribus naturis prædita, minus bona cenſeatur, & nutrimento minus conueniens, tardiusq; ab illius quod nutritur facultate ſuperata concoquatur. At quòd facilè in nutrimentum conuertatur, putrefactio indicat: nam longè citius quàm uel fluuialis, uel quæ ex puteo hauritur, corrumpitur. at concoctio, putrefactio quædam eſt; quod Empedoclis teſtimonio firmatur:

Vinum eſt putreſcens ſub ligni cortice lympha.

An quòd in promptu ſit eius cauſæ inueſtigatio illis, qui dulcedinem uſumq; pluuiæ aquę, cùm ſtatim flatu de cœlo præcipitatur, animaduertunt, exputamus? Videmus enim & pecudes hac magis delectari. Ranæ cùm eandem expectant, præ gaudio mirificè uocem tollunt,

Plato in Cratylo.

Pluuia aqua ſpiritoſa.

Concoctio.

Cruditas.

Simplicia concoctu faciliora.

Concoctio putrefactio eſt.

Ranæ cur ſub pluuiã coaxãt

quaſi

A quaſi ſcilicet hæc condimentum paluſtris aquæ, eiuſdemq́ ſeminarium quoddam dulcedinis exiſtat. Id autem futuræ pluuiæ ſignum Aratus indicat: ſic enim ait,

Aut cùm progenies miſerabilis, eſca colubris,
Ranarum patres ex undis uoce coaxant.

Quæ ſit cauſa, quam ob rem paſtores ouibus ſalem obijciunt. III.

QVare paſtores ouibus ſalem obijciunt? An quia illas copioſiore alimento, quò citius pleniores & farctæ reddantur, uti cupiant? Nam cibi cupiditatem acredo excitat, & meatus reſerans, ut per totum corpus commodè nutrimentum digeratur, procurat. Quam ob cauſam graciles, & quibus cibus nihil præſtat nutrimenti, Apollonius Herophili diſcipulus, non dulciarijs, non halica, ſed ſalſamentis muria aliquantulum conditis alebat. corporis enim exilitas (ceu fictitios palpebræ pilos ſufficimus) cibos meatibus reſeratis ſibi apponit. An potius ſanitatis gratia ſales lingunt, quò ſcilicet nimia pinguedo præcidatur? Nam ſupra modum obeſæ in morbos incidunt: pinguedinem autem ſales colliquant & diſcutiunt. hoc & laniones obſeruantes, tum plerunq́ excoriare illas ſolent: facilius enim à carne cutis tum ſoluitur. Nam & tenuis & infirma redditur ab acredine, quæ prius pinguedine conglutinata & ueluti alligata fuerat. Quinetiam earum ſanguis attenuatur, neq́ ſales quenquam ex internis humoribus concreſcere patiuntur. Animaduertendum etiam num id fertilitatis ratione faciant, quò uidelicet ſalaciores reddantur. Nam & canes cùm ſalſamentis ueſcuntur, citius grauidantur: & in nauibus marinis murium copiam numeroſiorem, quàm in fluuiatilibus, uidetis, quòd ſcilicet in his magis laſciuiant.

Acredo appetentiam cibi excitat.

Sal pinguedinis mala caſtigat.

Sal ad conceptionem facit.

Pluuia à tonitru, rigando utilior cæteris. IIII.

CVr ex imbribus, ad riganda ſemina, præſtantiores qui poſt tonitrua fulguraq́, quos ob id Aſtropæos appellant, cadunt? An quia flatibus & ſpiritu ex aëris perturbatione & confuſione pleni ſunt? Flatus autem humorem agitans, ut admittatur digeraturq́, in cauſa eſt. An quòd tonitrua fulguraq́ calore contra frigus pugnantia creantur, ob id hyberno tempore cœlum minimè, uerna uerò tempeſtate & autumno propter temperiei inæqualitatem plurimùm tonare ſolet. Caliditas autem quum percoquendi facultatem habeat, hu-
B morem utiliter admodum, ut plantæ ſibi eo oblato potiantur, parat. An quia tonitrua fulminaq́ maximè uere contingere ſolent? Verni uerò imbres cùm æſtatem anticipant, ſeminibus utiliores multò, magisq́ neceſſarij ſunt. Quamobrem regiones, in quibus frequentes imbres per ueris tempeſtates exiſtunt (quemadmodum eſt Sicilia) numeroſos & generoſos fructus producere ſolent.

Aſtropæi.

Calor concoctionis parēs.

Sicilia ferax.

Salſum ſaporem in plantis non eſſe. V.

QVare, quum ſaporum octo ſint genera, ſalſum quem uocant, in nullo fructu, qui terra naſcatur, deguſtare licet? Etenim oliua primò quidem amarũ profert, uua acidum, quibus commutatis, illa quidem pinguem, hæc uerò uinoſum ſuppeditat. Quinetiam in palmæ fructu ſapor acerbus, in punico mâlo auſterus, in dulcem commutantur. Sunt & mâla punica, quæ, quantum in ipſis eſt, acidum producunt. nam acris quàm ſit in multis radicibus copioſus, norunt omnes. An quia ſalſum nihil generet, ſed corrumpat? quare omnibus, quæ plantis ſeminibusq́ oriuntur, ad alimoniam inutile exiſtit. Quòd autem quibuſdam condimentum eſt, & ſuauitatem conciliat, fit quòd gulam ſatietate oppreſſam irritat. An quemadmodum marinam coquentes, ſalſum & quod mordendi facultatem habet, auferũt, ita in calidis ab æſtu ſalſuginoſum euaneſcit? An quia ſapor, ut Plato docuit, eſt humor per plantas excolatus? Nam & marina colata (eſt enim terreæ ſubſtantiæ & craſſarum partium) ſalſedinem exuit. Hinc eſt, ut qui in littore fodiant, plerunque in potabiles ſcaturigines incidant. Ad hæc multi aquam dulcem de mari uaſculis cereis, excolatam ab omni ſalſedine terreaq́ ſubſtantia, hauriunt. Ipſa autem tranquillitas & diutina flatuum ſuppreſsio, excolatam aquam, quia terream illam qualitatem cogit, neque miſceri ſinit, potabilem reddit. Atqui cùm iſta ſic ſe habent, probabile ſanè eſt, plantas nec ſalſedinem aliunde ad ſe admittere: quòd ſi autem admittant, & ad incrementum illis faciat, excernere tamen in fructum non poſſunt, quum terreum & craſſarum partium, per meatuum tenuitates non tranſcoletur. An ſalſedinem amaritudinis quoq́ ſpeciem adſeremus? quemadmodum Homerum feciſſe apparet:

Sal condimentum.

Sapor quid.

Salſedo ſpecies amaritudinis.

Salſam ore expuit undam, & amaram,
Quæ ſtrepitu numeroſa, ſuo de uertice fluxit.

Et Plato utrunq́ hunc ſaporem extergendi eliquandiq́ facultatem habere adſerit: ſed ſalſum

C tamen minus id poſſe, minusq́; aſperum eſſe. Ruſum amarum aritudinis potentia excellentiorem, quum tamen utrunq; adſiccet.

Leproſi cur fiant, qui per roſcidas herbas nudi incedunt. VI.

Ros attenuantis uirtutis & exſiccantis.

QVare qui continenter per roſcida arbuſta incedunt, his partes corporis, quæ rorulentis flagellis tanguntur, lepra fœdari ſolent? An quia ros attenuante facultate cutis humorem ſiccat, quod Laito uiſum fuit? An, ſicut rubigo ſemina nōdum ſicca tentat, ſic quoq; à rore humidis & teneris in ſuperficie ceu ſcalpello tactis partibus & eliquatis, leuis quędam aſpergo hinc expreſſa excarnes & exangues plurimùm corporis partes, ut crura, pedesq́;, qua cutis, lancinat & arrodit? Etenim quòd arrodendi uim ros habeat, teſtantur illi, qui ob gracilitatem meatuum medendam, bibere rorem ſoliti ſunt. Quinetiam mulierculæ obeſiores, ueſtibus & molliuſculis lanis rorem excipientes, corporis pondus illo ſe eliquare poſſe arbitrantur.

Ros rodendi uires habet.

Ros obeſitatis remedium.

Naues cur hyeme tardius agantur in fluminibus. VII.

QVare hyberno tempore naues tardius in fluminibus ambulant, in mari non item. Vtrum fluuiatilis aër, quum ſemper tardus & grauis ſit, hybernis frigoribus tenuior molliorq́; redditus, nauigantibus magis obſiſtit? an eam impreſsionem potius in ipſos fluuios aër facit? Frigus enim aquam ſubigens, illam grauem corpulentamq́; reddit. Id autem à clepſydris diſcere licet: tardius enim aquam hyeme quàm æſtate ſubducunt. Theophraſtus autor eſt, in Thracia nō longè à Pangęo fontem eſſe, qui hyeme æquali ſcaturigine plenus, pondus duplo maius quàm æſtate ferre poteſt. Quòd autem denſitas undæ nauigia fluuiatilia tardiora reddit, indicium eſt, quòd & onera longè grauiora hyeme ab his ferri ſoleant. Etenim aqua quo denſior grauiorq́;, hoc magis reſiſtit. At mare ne denſetur, calor in cauſa eſt. Raritas autem, mollities quædam eſſe uidetur: à qua quæ abſunt, denſari nequeunt.

Fons in Thracia miraculoſus.

Quòd humida quæuis quum agitantur frigent, mare ſolum calet. VIII.

CVr quum omnes humores dum agitantur iactanturq́;, frigeſcunt, ſolum mare fluctibus quaſſatum calidius euadit? An quia in alijs ferè rebus humidis caliditas acceſſoria eſt & peregrina, quæ motione exprimitur & diſcutitur: at caliditas mari innata, à uentis excitatur

D magis aliturq́;? At quòd mare calidum ſit, & frequens ſcintillatio eius, & quòd glacie, quantumuis ſit terreum & graue, non concreſcit, teſtatur.

Mare calidum

Quòd hyeme mare non ſit adeò amarum. IX.

QVare mare hyeme minus amarum guſtu deprehenditur? Hoc enim à Dionyſio, qui de aquæductibus tractauit, ſcriptum proditur. Quòd uerò non omnino expers ſit & indigens dulcedinis amaritudo maris, numeroſa illa, quæ influunt in mare, flumina efficiunt. Sol autem dulcedinem, & id quod potabile propter leuitatem in ſuperiores tendit partes, exſugit, atq; id æſtate uehementius. Cęterùm hyeme, cùm leuius iſtud propter æſtus abſentiam à ſole perſtringitur, dulcedinis portione bona in illo relicta, amarum immodicè illud & medicamentoſum temperatur. Hoc autem & paulò minus potabilibus aquis cōtingere ſolet. Etenim per æſtatem leuiſsimo illo & dulciſsimo, quod in ſe habent, ab æſtu diſcuſſo, improbiores euadūt. Secus per hyberna tempora ſe habent: effluit enim noua & recens, ueluti ex fontibus ſeritur: cuius & mare participem fieri, quum & continuò agitetur, & tanta fluuiorū uis ſe continuò in illud eluant, credibile eſt.

Vinum marina dilutum melius euadit. X.

Bacchum in mare mergendum.

QVare uino adfundunt marinā, & piſcatoribus oraculum datum aiunt, quod iubet Bacchum in mare mergendum: qui uerò procul à mari habitant, gypſum è Zacyntho torrentes inijcere conſueuere? An quòd calor aduerſus perfrigerationem proſit? An quia illam maximè à uino extrahit, & extinguendo uires eius minuit? An quòd aquoſum flatuoſumq́;, quod uino admixtum, & periculoſiſsimæ mutationi obnoxium eſt, ſiſtit, terreasq́; partes, quæ adſtringi facilè ſolent, attenuat? Sales autem & marina quum id quod in uino extraneum & ſuperfluens eſt attenuent, eliquentq́;: tum neque odoris infacætiam, neque corruptionem gigni ullam in uino ſinunt. Accedit ad hæc, quòd quicquid terreum craſſumq́;, id grauioribus ceu implicatum deorſum trahitur, & ſedimen fęcemq́; in fundo conſtruens, uinum perpurgatum relinquit.

Nauſeabundi qui mare nauigant. XI.

Nauſeæ pericula.

QVare uomitant nauſea correpti magis, qui mare, quàm qui flumina, etiamſi nulla tempeſtas ſit, nauigant? Nauſeam, pręter reliqua, maximè ex ſenſibus odor, ex animi perturbationibus pauor creant. Nam qui periculi imminentis cogitatione tanguntur, tremunt

horrentq́;,

A horrentq́, & aluus his humectior euadit. At qui in fluuijs naui uehuntur, nihil horum perci piunt. Olfactus enim humanus ad dulcem & potabilẽ aquam cōmodè adſueuit: ipſa quoq; nauigatio ab omni periculo libera eſt. In mari ſe omnia aliter habent: nam odorẽ propterea, quia non adſueuere, peſsimè ferunt, & in præſenti, quanquam periculum nullum, metu tamen uenturi caſus terrentur. Quam ob cauſam exterior tranquillitas nihil planè profuerit, quum anima motionibus agitata, ipſa deinde corpus uexet & perturbationes concitet. *Timentibus aluus ſoluitur.*

Oleum mare translucidum & pacatum facit. XII.

QVare cùm in mare oleum funditur, ipſum & dilucidum & tranquillum euadit? Vtrum ſpiritus (hæc eſt autem Ariſtotelis ſententia) à leuitate excidens, neq; ictum neq; agitationem parit? An hoc ad exteriores rationes probabiliter ab eo dictũ eſt? Verùm cùm urinantes, ut adſerunt, oleum ore continent, quod in fundo lucis & perſpicuitatis cauſa cum flatu expuant, nemo his è ſpiritus lapſu cauſam dicere poteſt. Quam ob cauſam conſiderandum tibi eſt, num mare, quum ſit terreum & inæquale, propter denſitatem oleum extrudat & diſsipet: atque cùm in ſeſe redit & concurrit, exigui meatus, qui intermedij relinquuntur, efficiant, ut & oculis lucida uia & perſpicuitas tribuatur. An aër, qui mari commiſcetur, propter caliditatem lucidus eſt, turbato autem illo & inæqualis & obſcurus euadit? Quum itaq; oleum ſua denſitate inæqualia leuiget, rurſus ad æqualitatem & perſpicuitatem redit.

Retia piſcatorum hyeme magis quàm æſtate putrent. XIII.

QVare piſcatorum retia hyeme magis quàm æſtate putredinem ſentiunt, quum reliqua per æſtatem huic malo ſunt magis obnoxia? Vtrum, ut Theophraſtus cenſet, calor à frigore ſuppreſſus & ſubiectus introrſum arctatur & cogitur, & ob id, quæ in ipſo maris fundo ſunt, non aliter ac in terra fieri ſolet, calidiora efficit? Hinc & fontana per hyemẽ tepidiora plerunq;: quinetiam lacus & flumina per idem temporis in frequentiores uapores ſoluuntur. Etenim in profundo concluſus eſt à uincente ſuperanteq; frigiditate calor. An putrefactio quidem non ob id contingit, uerùm cùm aqua rigidior eſt, & in glaciem ui frigoris concreſcit, exiccata retia à procellis magis atteruntur, quare corruptioni & putrefactioni propè æqualia patiuntur? Etenim ut arcuum nerui cùm acrius contenduntur, diſrumpuntur: ita *In fundo maris caliditas maior quàm in ſumma parte.*
B & retia hyemis tempeſtate rigida, cùm turbatius mare eſſe ſolet, plerunque magis laborant. Qua de cauſa & colorum tincturis illa cōdenſare conſtringereq;, ueriti ſcilicet ne diſſoluantur, pergunt: quum tamen non ignorent, ad fallendos piſces multò, ſi neq; tingantur neque liniantur, eſſe magis accommodata: utpote quum aëris quendam colorem, & qui planè in mari fallere poſsit, linum repræſentet.

Cur pluuiæ fœno obſunt. XIIII.

QVare apud Dorienſes non commoda fœni ſolet eſſe conuectio? aut quam ob cauſam, cùm pluuium eſt cœlum, fœnum haud bene cōportatur? Etenim cùm adhuc uireſcit, neq; ſiccatum eſt, meti ſolet: qua de cauſa, cùm humectum euadit, computreſcit. At ſegetes ante meſſem cùm pluuijs rigantur, non mediocrẽ aduerſus calidos auſtrinosq; flatus opem reperiunt: nam hoc modo fructus in ſpica iam conformatus conſtitutusq;, concreſcere & denſari non permittitur: uerum concretio illa explicatur, & à calore diſſoluitur, niſi terra rigata, humiditas ſpicam frigidiorem aquoſioremq; reddat.

Triticum cur pingui, hordeum uerò tenui agro gaudet. XV.

QVa de cauſa tritici ferax eſt pinguis & ſolidus ager, tenuior autem terra hordeum magis profert? An quòd ſemina illa, quæ ualentiora ſunt, alimento pluri & copioſiore egent, imbecilliora uerò tenui leuiculaq; cōtenti ſunt? Hordeum autem imbecillius rariusq; eſt tritico: qua de cauſa neq; alimentum copioſum graueq; ſuſtinere poteſt.

Triticum in luto, in puluerem hordeum ſeri oportere. XVI.

QVare triticum in luto, in puluere uerò hordeum ſerendum eſſe aiunt? An quia illud alimento, ut paulò antè diximus, copioſiore plenioreq; opus habet, hoc autem ubertatis & uliginis eſt impatiens? An quòd denſius lignoſiusq; triticum in locis humectioribus mollius laxiusq; redditum, ſpecioſius creſcit: hordeo uerò, quia rarius eſt, ager ſiccior accommodus & utilis ab initio exiſtit? An quòd calor ad temperamentũ, ne quid noxiæ hordeum admittat, conſentiens faciat? etenim frigidius hoc eſt. An quia uerentur, ne dum triticum in ſicco triturant, in id formicæ impreſsionem, ut ſolent, faciant: hordeum, quoniam & grauius eſt, portatu difficilius, minus impetere ſolent.

Pili ex equorum caudis aptiores ad funiculos piſcatorios, quàm equarum. XVII.

QVare in funiculos piſcatorios, ὁρμιὰς Græci uocant, ſetas ex equorũ, quàm ex equarũ

C caudis malunt? An propterea quòd fœminis mares, ut in reliquis omnibus corporis partibus, ita quoqꝫ in pilis firmiores multò ſunt? An quòd lotio frequenter rigatæ & conſperſæ, deteriores equarum ſetæ reddi exiſtimantur?

Mares fœminis longè firmiores etiam in quibuslibet corporis partibus.

Loligo apparens & polypus, tempeſtatis indicium. XVIII.

QVare cùm loligo apparet, magnæ tempeſtatis indicium eſt? An quia omnia mollia, propterea quòd carne nuda teneraqꝫ ſunt, utpote neqꝫ teſta, neque cute, neque ſquama ueſtita (quicquid enim illis duri & oſſeum eſt, id totum intus habent: qua de cauſa & mollia nominari meruêre) rigoris perquàm ſunt impatientia? At iſta quia faciliter à tempeſtate adficiuntur, citò illam uenturam præſentiunt. Hac eadem de cauſa cùm polypum in terram recurrere, & calculos flagellis comprehendere cõſpexeris, uentorum, quanquam nondum flatum ullum animaduertere licet, tibi certum ſit indicium. At loligo, quòd carnem habet in primis mollẽ & attritu facilẽ, propter frigus & maris conturbationes è fundo exilit.

Mollia μαλάκια uocata piſciũ genera, frigoris & turbationis impatientia.

Polypus cur colorem mutat. XIX.

QVare polypus colorem uariat? An quòd, iuxta Theophraſti opinionem, animal eſt natura timidum: itaqꝫ cùm perturbatur, commoto ſpiritu, colorem inſtar hominis commutare conſueuit. Hinc illud quod dici ſolet, profectum eſt:

Nanqꝫ mali color immutatur.

An Theophraſtus ſatis quidem probabiliter, quod ad mutationem attinet, explanauit: ad ſimilitudinis uerò expreſsionem non omnino ſatis? Etenim colorem mutat, ſed tamen in hunc modum, ut quibuſcunqꝫ ſe applicuerit petris, has colore imitetur. Ad quod uidetur reſpexiſſe Pindarus: Marinæ, inquit, beluæ colori mentem in primis adaptans, omnibus ciuitatibus te accommoda. Et Theognis:

Sit tibi mens polypi, uario qui corpore petras,
Quas capit, adnatans, haſce colore refert.

Homines polypi. Tali quoqꝫ ingenio præditos eſſe perhibent, qui uerſutia & calliditate facilè exuperant cæteros, quiqꝫ latendi & fugiendi artes non aliter ac polypus callent omnes. An quemadmodum nos ueſtitu quolibet utimur, ita is colorem quem uelit facilè induat? Vtrum uerò timo-
D rem tanquam adfectionis quidem principium rectè Theophraſtus coniectauit: quæ uerò ad cauſam propriè ſpectant, in alijs inueſtiganda ſunt? Itaqꝫ ad Empedoclem animum conuertens, uide quæſo quid is dicat:

Noſcens defluxus rerum quæcunqꝫ creantur.

Ab omnibus rebus defluxiones cadere. Non enim ab inanimantibus duntaxat & plantis, non à terra mariqꝫ ſolùm, uerumetiam à ſaxis, ab aëre, à ferro continuò multa defluunt. Eius rei ſignum eſt, quòd paulatim uitiantur, pereuntqꝫ omnia: fluunt enim perpetuò & intereunt. At defluxionibus ipſis attractiones impreſsionesqꝫ moliuntur, cùm hij quidem harum implicationes, alij ictus, alij uerò impulſiones circunductionesqꝫ ſubſtituunt. Maximè uerò à petris littoralibus, cùm à mari alluente rigantur lauanturqꝫ, fruſta multa & fragmina exilia continuò defluunt, quæ alijs atqꝫ alijs coloribus inſignia, non ad quodlibet corpus applicari poſſunt. Nam quæ meatibus denſiora ſunt, propterea quòd recipi per illos nequeunt, ab ijs dilabuntur: quæ uerò rariores eos habent, illos ſanè ſubingrediuntur. Iam uerò polypus carne planè foraminoſa, meatibusqꝫ pluribus diſtincta, atqꝫ ob id defluxionum capax conſpicitur: atque cùm timore percellitur, ſpiritu mutato fugiens, ubi applicuit alicubi corpus & coniunxit, defluxionibus quæ uiciniores fuerint, ad ſe receptis & attractis, his ſe planè tegit. Nam aſpritudo cum mollitie coniuncta, flagella ad particulas quæ inferuntur extendit. Hinc, quod non diſsipantur hæ, ſed coaceruatæ ſimul in corporis ſuperficie hærent, colorem proximæ cuiuſqꝫ rei repræſentant. Clarum autem eius rei indicium eſt, quòd niſi in timore, adfectioni huic non eſt obnoxius polypus: neqꝫ Chamæleon etiam unquam album colorem induit. Quamobrem uterqꝫ illas tantùm defluxiones admittit, quæ poris ſuis conuenientes & reſpondentes exiſtunt.

Chamæleon.

Aprorum lachryma dulcis, ceruorum ſalſa. XX.

QVam ob cauſam ſuum agreſtium lachryma dulcis, ceruorum autem & ſalſa & improba? Horum certè cauſa eſt animantium iſtorum calor frigusqꝫ. Etenim ceruus natura frigidus eſt: ex contrario aper animal eſt feruidum & æſtuoſum. Quam ob rem ille fugax eſt: ſus uerò contra inſectantem ſe defendere non ueretur, quo tempore, quia exardeſcit in furorẽ, lachrymã quoqꝫ fundit: nam plurimo calore ſurſum in oculos, ut dictum eſt, ſublato,

Erigit & ſetas, & flammas lumine ſpargit.

& quod tum eliquatur, dulce reddi par eſt. Sunt quoque nonnulli, qui ut à lacte ſerum, ſic à

ſanguine

A ſanguine turbato lachrymas prolici putarunt: in qua ſententia & Empedoclē eſſe uideo. Quãdoquidē ergo aprorũ ſanguis & craſſus & ater, ui caloris exiſtit, ceruin' uerò tenuis & aquoſus; meritò id, quod in furore & trepidatione alterutrius excidit, eiuſcemodi quoq; habetur. *Lachrymæ unde.*

Sues uillaticæ ſæpe, ſyluestres rarò pariunt. XXI.

CVr ſcrophæ ſiue clementes porcæ & ſæpius & alijs atque alijs anni partibus fœtæ ſint, quum ſues ferè omnes & ſemel tantùm quotannis, & propè circa idem tempus, nimirũ cùm æſtas apptopinquat, pariant? quod & uerſiculus iſte, qui uulgò dicitur, comprobat:

Amplius haud pluit, ut fœtum ſus edit agreſtis.

An ob cibi copiam? etenim ſatietatis comes Venus eſt: quoniam ex alimenti ubertate excrementum genitale & plantis & hominibus ſufficitur. At uerò ſues, quæ manſuetæ non ſunt, non tantùm ſibi ipſæ uictum comparant, ſed timore occupati facere hoc coguntur, quum interim ſcrophis, quæ domi aluntur, omnibus horis cibus, partim quem natura ſuppeditat, partim qui à ſubulcis apparatur, ſuppetat. An id in ocij exercitijq; rationem conferendũ eſt? Nam illæ pigritia ſegnes, à ſubulcis nõ latè pabulandi cauſa uagantur: porrò hæ per montes & inuia errantes, cùm perpetuò curſitant, quicquid excrementi è cibo reſtat, facilè diſcutiũt, & in corporis molem abſumũt. An ob id, quòd ſimul & gregatim cum fœminis mares educati, uenereorum memoriam inuicem ſibi excitant, & appetitionem eliciunt, non aliter atq; Empedocles in hominum genere id fieri ſolere aſſerit: *Venus ſatietatis comes.*

Hinc hominum generi ex aſpectu naſcitur ardor.

A feris autem, quia non gregatim, ſed ſparſim uictum quæritant: quod amorē conciliare ſolet, abeſt: & quia rarius cõmiſcentur, omnis appetitus Veneris obtundiť extinguiturq;. An uerũ eſt quòd Ariſtoteles ab Homero aprũ χλούνην appellari cenſet, quòd altero teſtiũ careat? fieri enim ex attritione (paſsim enim ſe truncis arborũ affricat) uti teſticuli eius collidantur. *Ex aſpectu naſcitur amor.* *Chlunes cur aper ab Homero uocatur.*

Vrſi manus carnem cur dulciſsimam habeat. XXII.

CVr urſi manum dulciſsimam, & carnem illam eſui gratiſsimam eſſe perhibent? An propterea, quòd corporis partes, quæcunq; alimentũ bene coquunt, carnem in primis ſuauem habent? At uerò optimè concoquit, quod digerit commodè: digerit uerò commodè,
B quod cõtinuò agitatur exercitaturq;. Vrſus autē quum pedibus anterioribus non incedat, & currat duntaxat, uerùm ijs ut manibus in comprehendendo utatur, fit ut eam corporis partem plurimum mouendo exerceat.

Vernum tempus indagini ferarum minus aptum. XXIII.

CVr ueris tempeſtate difficulter feras indagare licet? Vtrum canes, ut ait Empedocles,

Naribus indagando ex corpore fruſta ferarum,

defluxiones, quas in ſyluis paſsim feræ relinquunt, excipiant: has uerò ſtirpium fruticumq; halitus per uer frequentes obſcurant confunduntq;, & ſenſum uehementia uerberantes, ne feras de odore deprehendere poſsint, cõturbant, atq; ita canes in errorem inducunt? Hac de cauſa circa Ætnam montem neminem in uenationem incumbere perhibent: quia continuò iſtic prata colleſq;, ut in uiridario flores extrudunt: & odoris ſuauitas circunquaq; ſe diffundens, halitum ferarum intercipit. Extat & fabula, à Plutone Proſerpinam iſtic flores legentem raptam: quare pr̨ loci, qui tanquam aſylum quoddam ſit, ueneratione neminem iſtic animantia, quæ ibi pabulantur, uiolare audere. *Circũ Ætnam incõmoda uenatio.*

Plenilunium indagandis feris incommodum. XXIIII.

QVare circiter plenilunia feratum ueſtigia indagine perſequi haud facile eſt? An ob eam ipſam cauſam, quam modò recenſuimus? etenim copioſiorem luna, quum plena eſt, rorem creat. Quam ob rem Alcman rorem affatus, Iouis Lunæq; filiam illam uocat: O Iouis & almæ Lunæ filia Ros paſcendo adſis. Etenim ros pluuia quædam eſt, ſed debilis & exigua: quemadmodũ quoq; Lunę calor imbecillus eſt. Quare inſtar ſolis quidē illum de terra ſurſum trahit, uerùm in altum rapere nõ ſatis ualidè poteſt, ſed ut demittat rurſus oportet. *Ros Iouis & Lunæ filia.*

Ros hybernus, hoc eſt, pruina, indagationem difficilem reddit. XXV.

CVr cùm per frigora ros cadit, ferarum indagatio difficilis exiſtit? An propterea, quòd cùm non longè à luſtris, frigoris uitandi cauſa, feræ abſcedunt, nulla de ſe indicia præbeant? Quamobrem pleriq; illas à proximis abſtinere locis adſerunt, neq; in paſtum uaſtius excurrere, ne dum longius per hyemem errant, in calamitatem aliquam grauiorem incidãt. An quòd indagantibus feras canibus, locorum ueſtigia obſeruauiſſe ſatis non eſt: ſed & odorum halitus requiruntur? at hi niſi ſuauiter à moderato calore laxati ſolutiq; ſint, diſpergi nequeunt. Eoſdem autem frigus uehementius compingens, nec fluere, nec ad ſentiendi

C inſtrumenta ſurrepi patitur. Hac eadẽ de cauſa neq; uina neq; unguenta per hyemẽ tam eſſe redolentia ferunt. Etenim aẽr frigore concretus, halitus eorum claudit, & diſsipari prohibet.

Bruta cùm ualetudine laborant, ſua quærunt remedia. XXVI.

CVr beſtiæ quum incommodis adficiuntur, facultates à quibus auxilium expectant, quærunt & explorant? ut canes nauſea correpti, cum bilem per uomitum expellere conantur, gramen appetunt: ſues ad fluuiatiles cancros properant, quos ubi deuorauere, dolor capitis, quo torquebantur, tollitur: teſtudo, guſtata uipera, origanum rodit: urſus (ut aiunt) languidus formicas lambendo mandit, atq; eo remedio malum abolet. Atqui hęc quidem neq; experimentis neq; caſu aliquo docti cognouere. An quemadmodũ faui apes, cadauera uultures, quamuis remotos odore ad ſe trahunt alliciuntq;: ita quoq; cancri ſues, origanum teſtudinẽ, urſum formicę, & conuenientibus quibuſdã & natiuis odoribus fluxionibusq; trahunt: cogitatione autem, quæ ſenſu utilitatis ratione ſuſcipitur, nõ tanguntur? An quòd corporũ tẽperamenta acredines, dulcedines, aliasq; inſolentes & alienas humoribus mutatis qualitates, uarias & diuerſas appetitiones animantibus, unde ęgrotare cõtingit, pariant? Perſpicuũ id eſt in grauidis mulieribus, quibus & lapides, & terrã præbent. Et medici qui paulò urbaniores ſunt, ad eos qui faſtidio ciborũ laborant, homines guloſos & corpore ualẽtes adducere cõſueuerũt. Traditũ à Mneſitheo medico, eum qui ab initio inflãmationis pulmonũ cepas cõcupierat, ex morbo ſeruatũ: qui uerò ficus optabat, interijſſe propterea, q; appetitus ipſe tẽperamenta, tẽperamenta uerò adfectiones ſequanť. Idcirco uerſimile planè eſt, quotieſcũq; ferę nõ in exitiales & extremos incurrũt morbos, eiuſcemodi adfectione tẽperamẽtoq; pollere, quib⁹ ad ſalutaria appetitui ſibi cõuenienti auxilia & ducanť & aganť.

Muſtum frigori expoſitum, dulce diu permanere. XXVII.

Concoctio à frigore prohibetur.

CVr muſtum, cùm frigus dolia, quibus continetur, occupat, dulce diu permanet? An quia muſti concoctio in uinoſam qualitatem mutatio quædam eſt: frigus autem concoctionem, utpote quæ à calido fit, prohibet? An è contrario naturalis & proprius uuæ ſuccus dulcis eſt? quam ob rem cum dulcedinis particeps fit, matureſcere dicitur. At frigus, quũ difflationem intercipiat, calorem, qui in muſto eſt, conſeruat, & diſcuti non ſinit. Atq; hæc

D quidem eadem eſt cauſa, quòd cùm per uindemiam pluit, muſtum minus ſerueat: ſeruor enim à calore procuratur, frigus autem uim caloris cogit, & ut ſe contrahat facit.

Vrſus incidens in caſſes, eos minimè arrodit. XXVIII.

QVare pręreliquis feris urſus minimè caſſes rodit, quum & uulpes & lupi dentibus eos lacerent? Vtrum quòd profundius dentes illi conſtituti, lina uix queunt arripere? & labra quoque craſſa grandiaq; obſtant, quo minus dentibus ad ea pertingat. An quòd manibus expeditior, diuellere potius plagas & diſrumpere conatur? An quòd & manibus & ore ſimul utitur, quum illis perrũpere lina, hoc uerò ſe à uenatoribus defendere cõtendit? Cùm uerò nulla ratione ſe iuuari à corporis rotatione ſenſerit, mauult rumpendis retibus totus incumbere (ſic enim plerunq; & ſe euoluit & liberat) quàm dentibus uti.

Aquas frigidas miraculo non eſſe, ſed tantùm calidas. XXIX.

QVid eſt quam ob rem aquæ frigidæ nihil mirabile habent, calidæ autem habent? Perſpicuum autem eſt, ut harum cauſa caliditas eſt, ita illarum frigiditatẽ eſſe. Non enim, ut quidam arbitrantur, illa æſtus eſt, hæc uerò caliditatis priuatio: quaſi illius, quod non ſit, cauſa eſſe quod exiſtit, uideatur: ſed natura demirationem iſtam raritati adſignauit. Hinc quoq;, quæ rarius fiunt, magis cognoſcere auemus.

Rara miratio ni magis ſubiecta.

Altum uides & infinitum hunc æthera,
Et quam tenet complexus ulnis humidis.

Qualia per noctem ſpectacula præbent, qualem interdiu pulchritudinem, quam admiramur, dum naturam harum inſpicimus, habent. Etenim & irides, & uariæ nubium picturæ, quæ bullarum inſtar, dum radijs nubes finduntur, ornatæ ſunt, per diem conſpiciuntur.

Vites laſciuientes præ pinguedine terræ exareſcunt. XXX.

QVare uites cùm nimia ubertate laſciuiunt, & minus feraces ſunt, & aliquando exareſcunt? cuius rei cauſam quidam in ſyderationis morbum referunt. An hoc eo modo fit, quo hirci, cùm pinguitudine nimia grauantur, minus ſunt fœcundi, & ad ſaliendum uix efficaces? Semen enim redundantia eſt alimenti eius, quod in corporis appoſitionem alioqui cedere debebat. Itaq; cùm animal aut ſtirps cum corporis bona habitudine pingueſcit, & plena fit, indicium eſt, quòd nutrimentum in ſe conſumat, neq; ex eo quicquam omnino ſuperfluere, aut ſi quid redundat, id & exiguum & ignobile eſſe.

Semen alimẽti redundantia.

Vitis

A *Vitis uino rigata areſcit.* XXXI.

CVr uitis uino, quod tamen in primis ex ſe ſibi familiare habet, rigata areſcit? Vtrum quemadmodum in ebrioſis, calore uini humorem capitis diſcutiente, caluitium accedit? An calidum natura putrefactionem molitur? Nam, ut ait Empedocles,

Vinum eſt putreſcens ſub ligni cortice lympha.

Itaqꝫ cùm adfunditur extrinſecus plantæ, ignis uim in uitem exerit, & nutrientis humidi facultatem exurit omnem. An aſtringendi poteſtate prȩditũ cùm penetrarit ſe in radices, neqꝫ floridam, & quæ alioqui liberaliter creſcit, ſtirpẽ, aquã ingredi patiatur? An quòd id uiti præter naturã ſit, ut quod ex ea manauerit, in ipſam rurſus recipiatur? Nam humor qui in ſtirpe florenti exiſtit, alere quidem poteſt, uerùm poſtea neqꝫ adponi, neqꝫ pars eius amplius fieri.

Ebrij caluitio obnoxij.

Palma arborum una contra pondus adſurgit. XXXII.

CVr inter omnes arbores ſola palma cõtra impoſitũ onus adſurgit? Vtrum quòd ignea & ſpirabilis facultas, qua maximè pollet, cùm tentatur & irritatur, ſeſe exercẽs magis & magis erigit? An quoniã pondus ramos ſubitò urgens, aërem omnem qui in his eſt, oppreſſum cedere retrò cogat, qui deinde reſumptis paulò uiribus, aduerſum onus acrius rurſus inſtat? An molles & teneræ uirgæ impetum non ſuſtinentes, cùm onus quieſcit, paulatim ſe erigunt, & ſpeciem, quaſi contra illud adſurgant, præbent?

Hactenus Aldinum exemplar ſumus ſecuti, quæ ſequuntur ex Mediolanenſi ſunt exẽplari.

Aqua de puteis hauſta minus alit, quàm cœleſtis aut fontana. XXXIII.

QVare aqua de puteis hauſta minus alit, quàm quæ de fonte aut cœlo manat? An quia frigidior magis ſit, & parum quoqꝫ aëris habeat? An quòd ſalis multum immixta ſibi de terra habeat: ſal autẽ maciem, ſi quid aliud, facit? An quòd pigra nec curſu exercitata, qualitatem aliquã malã acquirat, quæ ſtirpibus & animantibus contraria, in cauſa eſt, quòd nec bene concoquatur, nec nutrire quicqꝫ poſsit? Hinc & ſtagnantes aquæ minus probȩ cenſentur, quòd iniurias, quas uel ab aëris mala qualitate, uel à terra accipiunt, digerere nequeant.

Zephyrus uentorum omnium celerrimus. XXXIIII.

CVr Zephyrus uentorum omnium celerrimus uulgò fertur? & Homerus;

Nos quoqꝫ cum Zephyri curramus flatibus unà.

B An quòd aëre perpurgato & minimè nebuloſo, flare ſoleat? Aëris enim denſitas & impuritas, uentorum curſum non mediocriter impedit. An quòd ſol radijs ſuis flatum frigidum perſtringens, quò uelocius feratur, autor eſt? Quicquid enim frigidi uentorum ui contrahitur, id à calore ueluti hoſte ſuperatum, longius & citius propelli credendum eſt.

Aër nebuloſus uentorum curſum inhibet.

Apibus fumus hoſtis XXXV.

CVr apes fumum ferre nequeunt? Quòd meatus ſpiritus uitalis ſaneqꝫ anguſta habeant. At is fumo interceptus & cõcluſus, angit, & propèmodũ ad mortẽ apes adigit. An acredo amaritudoqꝫ fumi in cauſa eſt? gaudẽt enim dulcibus apes, neqꝫ alio nutrimento aluntur. Itaqꝫ, ut contrariã & noxiã rem propter amaritudinẽ, fumũ deteſtanẽ. Qua de cauſa mellarij, cùm fumũ abigendis apibus faciunt amaras herbas, ut cicutã & centaurũ, incendere ſolent.

Apes aculeo in mœchos ſæuiunt. XXXVI.

CVr apes citius pungunt, qui ſtuprum dudum fecerunt? An quòd animal eſt munditiæ & elegantiæ perquàm ſtudioſum, prȩterea olfactus ſenſu ualet plurimum? Quum itaqꝫ impuri congreſſus, propter impudicitiam & immoderatam libidinem, ſoleant eſſe immundiores, & citius ab apibus deprehenduntur, & odium uehementius aduerſus illos concipiunt. Vnde apud Theocritum iocoſe Venus ad Anchiſem à paſtore ablegatur, uti apum aculeis propter adulterium commiſſum pungatur.

Apes animal munditiæ ſtudioſum.

Te confer ad Idam.
Confer ad Anchiſen, ubi quercus atqꝫ cypirus
Creſcit, apum ſtrepit atqꝫ domus melliflua bombis.

Et Pindarus: Paruula fauorũ fabricatrix, quæ Rhœcũ pupugiſti aculeo, domãs illiꝰ perfidiã.

Canes, relicto homine, lapidem inſectantur. XXXVII.

QVare canes, relicto homine qui iecit, lapidem morſu inſectantur? An quia neqꝫ cogitatione comprehendere quicquam, nec reminiſci (quibus ſolus homo uirtutibus ualet) poteſt? itaqꝫ quum mente non diſcernat, à quo iniuria fuerit illata, id tantùm quod ob oculos minaciter uerſatur, inimicũ eſſe exiſtimat, deqꝫ eo uindictã ſumere parat. An lapidem, dum per terram mittitur, feram aliquam eſſe autumans, pro ingenio hanc prius capere conatur, deinde cùm uiderit ſe opinione ſua fruſtrari, hominem rurſus inuadit? An quòd & id quod miſſum fuerit, & hominem ipſum ȩqualiter odit, & id quod proximius eſt inſectatur?

C

Lupæ omnes certo anni tempore pariunt. XXXVIII.

CVr lupæ certo anni tempore omnes intra duodecim dies pariunt? Antipater in libro de Animalibus, partum lupas proijcere adſerit cùm glãdiferæ arbores florem abijciũt, quo guſtato, uteri illarum reſerantur: cùm eius copia non eſt, partum in ipſo corpore emori, nec in lucem uenire poſſe: præterea regiones illas à lupis non uaſtari, quæ glandium quercuumq́ feraces nõ ſunt. Quidam ad fabulam Latonæ referunt, quæ cùm uterum ferret, nec uſpiam tuta præ Iunone eſſe poſſet, duodecim diebus, quibus in Delum proficiſcebatur, in lupum à Ioue mutata, ut deinceps omnes lupæ eo ipſo tempore parere poſsint, impetrauit.

Aqua in ſuperficie alba, in fundo nigra. XXXIX.

CVr aqua in ſumma parte alba, in fundo uerò nigra ſpectatur? An quòd profunditas nigredinis mater eſt, ut quæ ſolis radios prius quàm ad eam deſcẽdant, obtundat & labefactet? Superficies autem, quoniam continuò à ſole adficitur, candorem luminis recipiat oportet, Quod ipſum & Empedocles approbat.

CAROLVS VALGVLIVS IN PLVTARCHI MVSICAM, AD TITVM Pyrrhinum.

QVERITVR comœdia uetus, cuius licentia increpandi mores erat liberior, in Muſicam fuiſſe iniectam labem: & execratur polluendæ eius autores, alioqui elegantis ingenij, poëtas, quòd auctis fidibus, & uarietate concentuum, dithyrambisq́ conditis biſoribus, ac iucunda fraude gratis uulgo uerſibus, ex forti illa, ſeuera, decora, atque ſimplici Muſica, mollem quandam, illecebroſam, calamiſtratam, ac uariam intuliſſent. At quid inde mali? dicet aliquis. Ingens profectò atque latiſsimè manans, & quidem in res potiores. Nulla'ne ſunt mala, emolliri & languefieri animos ciuium? nulla'ne amiſsi pudoris, & corruptorum morum? At quid id intereſt morum? Sanè plurimum. Nam animus noſter quaſi Tetrachor-
D dum quoddam, intellectu, ratione, phantaſia, ac ſenſibus (ſi Platonicis credimus) conſtat.
Intellectus. Intellectus diuinus eſt, in quo nil eſt niſi ſimplex ac purum & uniforme. Imaginatio ac ſenſus mortales partes ſunt, proinde mutationibus, uarietatibusq́ refertæ. Media ratio propria humanæ eſt naturæ, arbitriumq́ anceps habet inclinandi ad diuina & ad mortalia. Si igitur ratio, ut Meſe neruus, cum diuina illa parte quaſi neruo quodam ſe temperauerit, admirabiles morum concentus, ſimplices uidelicet, graues, decoros creabit. Sin ſe conſociauerit cum mortalibus, uarios, molles, indecoros pariet. Tanta enim eſt uis canticis modis in utranque partem, ut quales ipſi in animos præſertim teneros illapſi fuerint ciuium, decori, graues, ſeueri, aut contrà leues, languidi, uarij, ac molles, ita rationem ancipitem ac dubitantem ad conſortionem optimorum aut peſsimorum ſtipantium latera ipſius conſultorum, quorum cõſilijs uel elegantes uel degeneres mores finguntur, pertracturi eſſe uideantur. Neminem autem eſſe puto tam ſtupidum, tamq́ plumbeum, qui cantu non moueatur. Præclarè Theophraſtus in ſecundo Muſicæ inquit, naturam muſicæ eſſe motum animæ inuecta à perturbationibus mala ab ea depellentem: quod ni muſica efficeret, ut uidelicet animum quô uellet pertraheret, naturam ipſius omnino nullam futuram. Hoc loco noſtri muſicam temporis lamentarer, ni iampridem complorata foret, facile id patiente Franchino Gaffuro noſtri æui præſtanti muſico, cuius libros & eleganter & eruditè compoſitos, ferè nemo noſtrorum cantorum legit, tum quòd pleriq́ grammaticam ignorent, tum liuore, quo plurimo id hominum genus laborare Heſiodus autor eſt. Hoc autem à me ſolùm dictum ſit cohortandi eos quos ea mala tangunt. gratia, ut omni conatu ignorantiam, inuidiamq́, uelut peſsimas feras ab animo depellant. Nam hæc me fari coëgit amor muſicæ muſicorumq́, quo incredibili teneor. Eorũ ars & ſcientia omnis in paucis quibuſdã eſt ſyllabis: cantus nulli ferè ſunt ſine conſpecto libro, in quo nihil eſt deſcriptum præter certas notas & charactêres: quòd ſi uerba cantilenarum quandoq́ proferuntur, de medio ea uulgo pleraq́ accepta dices. Sed qualiſnam erat apud ueteres Muſica iſta? dicet aliquis. A Plutarcho diſces, ſi ipſum accuratè
Muſica ueterum qualis. legeris; longæ mihi explicandæ ambages forent, & alieno loco. Quicquid enim canebant, ferè eruditum, elegantiſsimum, & metrico rhythmo compoſitum erat, ſiue laudes deorum, quales Hymni Orphei, qui extant etiam nunc: ſiue decora clarorum uirorum, uictoresq́ in Olympia certaminum, & reliquarum celebritatum, quales Pindari, & aliorum; ſeu nuptiæ,

ut

A ut Pæanes eiuſdem, canerentur. Innumera alia argumenta, funebria, complorationes, amato
ria, apta epulis alia, ad deprecandam peſtilentiã alia, materiæ tragicæ & comicæ, perq; omnia
genera, atq; omnes rhythmicas uarietates poëmata condita ad tibiam fidéſue cantabantur,
rhythmis, pulſibus, modulis, concẽtibus, humana uoce, cunctis ſimul materiæ congruentes
mores exprimentibus. Sed ut ſummatim dicam, ut autor eſt Lucianus, argumenta & mate-
riæ canticorum cantilenarumq; erant, ab orbe condito ad Cleopatræ uſq; tempora geſtæ
res, quales Ouidius in Metamorphoſi cecinit: ad quarum cantum ueteres etiam ſaltabant.
Ex quo patet, neminem exercere muſicam ſaltationémue temporibus illis potuiſſe, quin ea
dem opera animum multa cognitione priſcarum rerum compleret. Operæprecium facturũ
me duxi canticum unum de ueteribus proponendo, quod Pythicum certamen uocabant.
Argumentum erat pugna Apollinis cum dracone Pythone. Delona nomen toti cantico.
Partium eius nomina: Exploratio, Prouocatio, Iambicum, Spondeum, Saltatio. In prima
Apollo contemplatur, an opportunus ſit dimicationi locus. In ſecunda prouocat draconem
in certamen. In Iambico iam pugnatur. Hæc pars continet Odontiſmon uocatum, quia dra-
co frendens ſecat dentes, uulnera iam accipiens in corpus. Quarta uictoriam Apollinis.
Quinta ſaltantem ouantemq; uictoriæ ergò eundem declarat. Et hæc eſt una de legibus ti-
biarum, in qua rhythmi & moduli, eorumq; mores in canendo mutantur, prout partes eius
uarios actus continentes poſtulant. Et quoniam legis mentionem fecimus, aliquid de le-
ge muſica, deq; alijs quibuſdam, quæ ad intelligentiam Plutarchi opem aliquam præſta-
bunt, breuibus dicere conſtitui. Deinde calumniam quandam falſamq; accuſationem ab
Ariſtoxeno philoſopho, Ariſtotelisq; diſcipulo, & Theophraſti æmulo, ac muſicorũ longè
nobiliſsimo, deprecabor. Lex itaq; muſica modus canticus eſt, præſcriptã harmoniam ſiue *Lex muſica*
concentum & rhythmum definitum habens. Nomen autem inditum legis propterea, quòd *quid.*
quaſi lege præſcriptum eſſet, uocum fidiúmue tenſiones mutare non licebat: quanquam
Ariſtotelem dubitare non ignorem, num quia ueteres, quòd literis carerent, quarum mo-
numentis crederent ſuas leges, canebant eas, ne obliuioni mandarent, atq; ita abolerentur,
ideo omnes cantus leges appellatæ fuerint. Legum aliæ erant propriæ tibijs, aliæ citharæ,
B fidibusq;, aliæ communes utriſq;. Nomen cuiq; ſuum aut à gentibus, ut Æolia, Bœotia: aliæ
à rhythmis, ut Orthia, Trochæa: à tropis, ut acuta, Tetracœdia: ab inuentoribus amatoribusq;
eorũ, ut Terpandria, & Hieracia: aliæ ab argumento, ut Pythicum certamen, & Curulis, ſum
ptum habent. Partium citharicæ legis ipſo partiẽte Terpandro, hæc nomina erant: Eparcha, *Partium citha*
Eparchia, Metarcha, Catatropa, Metacatatropa, Omphalos, Sphragis, Epilogos. Quorũ no- *ricæ legis no-*
minum ratio etſi à me in præſentia non explicatur cauſa breuitatis (& certè difficilis eſt eius *mina.*
coniectatio) hunc tamen uſum præſtabunt, ut hinc quoq; non nimiũ tardi homines, quàm
erudita omnia apud ueteres muſicos eſſent, omnes intelligant. Orthia Palladis lex erat, argu *Orthia.*
mentum bellicum continens, quod nomen Palladis declarat duellis aptæ deæ: omnia, uox,
cantus fidium, rhythmus, materia, bellicum concinebant, & perſonabãt. Hanc legem quum
Timotheus caneret, uir omnium regum atq; Imperatorum clariſsimus, Alexander Macedo
perpulſus eſt ad capeſſenda arma, & exclamauit eiuſmodi eſſe cantica regia oportere. Or-
thiorum ſeptem ſpecies erant, in quibus lex Palladis, quam dixi: & Trochæus dictus tubæ
cantus ſignum militibus dantis. Curulis quæ dicitur lex, id ideo nacta eſt nomen, quoniam
raptarum bigis Hectorem argumẽtum habebat. Caſtoriæ legis cantu ſub Embaterio rhyth-
mo compoſitæ, Spartani utebantur ad excitãdum ardorem Martis in animis militum. Con-
ſtabant autem leges illæ carmine numeroſo, & ad alios atq; alios affectus commouendos
accõmodatæ erant. Pauca hæc de lege muſica pro re præſenti dicta ſufficiant. De uoce Me- *Melos.*
los, quamuis uulgò nota eſſe uideatur, aliquid tamen dicendum duxi. Melos prima ſignifi-
catione membrum corporis dicitur. Quemadmodũ enim multa uariaq; membra in uno ani
mantis corpore ſunt, uaria atq; diuerſa officia præſtantia, quæ tamen finem eundem uitæ
conſeruandæ ſpectant: ſic quia diuerſæ uoces mixtæ concorditer concentum unum con-
ficiunt, cantum prouenientem inde Græci melos, nos modum modulumq; uocamus. Aut
quia melos ſignificat quod cuiq; curæ eſt, quaſi nihil maiori curæ homini eſſe debeat quàm
cantus & muſica, ſiquidem tantopere homines atq; deos commouet melos, cantum dixere.
Nec abſolutè quemcunq; cantum, ſed harmonia tantummodo conſtantem. Eſt autem har-
monia, ratio compoſitorum corporum primò: inde ratio mixtorum, ut uocum. Compoſita
enim ſeruant nomina partium, ut ſi diceremus, corpus animantis carnibus, oſsibus, neruis,
ſanguine compoſitum eſſe: mixta uerò non ſeruant. Vt mulſum neque uinum eſt, neque

C mel,ſed tertia quædam natura,quanq; eſt utriuſq; mixtione confectum:ita concentus neq; acuta uox eſt neque grauis, ſed tertium quiddam, quod neque acuta neq; grauis uox dicatur. Harmoniarũ nomina uariarum apud ueteres uſurpata hæc ſunt: Doris,Ias,Æolis,Phrygia,Lydia,Locrica,à Philoxeno inuenta. Harmonia aliquot locis pro enharmonio Plutarchus uſus uidetur. Pythagoras eam ſic definiuit, multimixtorũ & diuerſa ſentientium unio. Rhythmus uerò pater eſt metri,ut interpres inquit Ariſtophanis. Dionyſius muſicus de Pythagoręorũ ſententia in libro de ſimilitudinibus,ſic de rhythmo inquit: Rhythmi & cantici moduli una propè eſt atq; eadem eſſentia apud eos quibus graue tardum, & acutum celere uidetur: illi autem ſunt Pythagorei. Quum autem interualla cantica in rationibus numerorum ſtatuant, omnesq; rhythmi in aliqua una ratione numerorum cenſeantur (alij enim ſunt duplares, ſeſquialteri alij, in rationeq; alij alia) eiuſdem eſſe naturæ modulus & rhythmus uidentur. Quumq; præterea conſonantia quæ de interuallis proficiſcitur uocum, eorundem dogmate diapaſon in dupla ſtatuatur, diapente in ſeſquialtera, & ſic de reliquis; quum item rhythmici pedes omnes ijſdem rationibus diſtincti ſint (nam pleriq;, & elegantiſsimi quiq; in diapaſon ac diapente cõſonantia ſunt conſtituti) cognationem inter ſe quandam, atq; familiaritatem habere uidebuntur. Hæc Dionyſius. Differunt tamen: eſt quidem rhythmus harmoniæ ſemper comes,ex qua modulus & cantus oritur: cæterùm modulus in acuto & graui, rhythmus uerò in celeri & tardo motu ſpectatur. Qui motus in oratione conſideratus, longum ac breue dicitur: in cæteris uerò rebus, celere ac tardum: ut quum pedes ſublati depreſsiq; alternis,apto & mediocri niſu pulſant terram,is motus celer & tardus nominatur: in metricis rhythmicisq; pedibus,qui quidem ſunt apta ſyllabarum compoſitio, quanq; inde acceperint pedum nomen,breuis dicitur,atq; longus. Eſt autem in eo diſcrimen atq; momentum,quòd acutum & graue qualitates ſunt,celere uerò ac tardum quantitates,ut infrà dicetur. Ariſtoxenus: Rhythmorum,inquit,ductus innumeri ſunt,quemadmodũ & uocum tenſiones,tametſi ſemper definiti terminatiq; ſumuntur in uſum,ut primi, diſemi,triſemi,ac cætera temporum nomina rhythmicorum. Proſodiacus, carminis cantusq; genus eſt à rhythmi genere appellatum,in quo erat Martis lex. Spondeum genus & ipſum

D moduli & carminis ſub eo rhythmo cõpoſitum. Huius tres ſpecies erant, Epibomiũ unum, dictum ab ara: Teleſterium aliud,ab ſacrificijs myſticis: Cureticum aliud,à Curetibus. Ad res diuinas ſpecies omnes accõmodatæ erant. Per dactylũ modulus eſt ſub rhythmo dactylico compoſitus. Sic reliqua à Plutarcho huiuſmodi nomina cõmemorata cantus poëtici ſunt, indepti ab rhythmis appellationẽ, ut quod dicitur primum, procriticũ, maron, heroum, embaterium, creticũ: hoc genus à Curetibus Cretẽſibus,ut interpres inquit Ariſtophanis, quòd ſub eo rhythmo canentes cõpoſitum carmen, quatientes arma ſaltarent. Hactenus de rhythmo.

Virginalia. Virginalia ſpecies eſt poëmatis & cãtus & ſaltationis,ut Epithalamia,quę dicuntur poëmata ad uirgines ſpectantiũ.

Epithalamia.

Proſodium. Proſodiũ poëmatis & cantici genus eſt adhibitũ celebritatibus potiſsimũ deorũ. Proſodij huius principiũ meminit interpres Ariſtophanis: Quid pulchrius incipientibus,quid'ue deſinentibus,quàm deum canere actores equorũ?

Pæanes. Pæanes cantus & poëmatis genus eſt libationibus & nuptijs accõmodatum,quales hymni Pindari. Pæanũq; aliud genus anteq; cum hoſte cõſererent manus,ueteres Marti canebant. Apollini parta iam uictoria aliud.

Procemia. Procemia genus & ipſa poëmatis.

Hyporchema. Hyporchema, poëmatis & ſaltatiõis. Gymnopodię chori erant Spartæ puerorũ,qui nudis pedibus cum tripudio laudes deorum canebant in honorem Spartanorum,qui pro patria in Theræis occubuerant.

Endymatia. Similiter Endymatia Argolica celebritas & ſaltatio.

Endrone. Sic & quę dicitur Endrone.

Carnia. Carnia feſtum Apollinis apud Lacedæmonios.

Strobilus. Strobilus ſpecies ſaltationis.

Pyrrhias. Pyrrhias nomen ſerui,à quo poſtea ſerui Pyrrhiæ dicti.

Scolion melos Scolion melos,genus cantus erat quod accubantes ad epulas,ordine accubantiũ non ſeruato, canebãt. Dicæarchus in libro de muſicis certaminibus: Tria,inquit,erant apud ueteres genera canticorum: unum quod ſine diſcrimine ab omnibus deinceps atq; ordine cantabatur: alterum quod à peritiſsimis ac ſcientiſsimis nõ deinceps,ſed altero ſemper præterito,& hoc Scolion ab ordine tali dicebatur. Ariſtoxenus uerò & Phyllis muſicus hæc tradidere de Scolio. In celebritatibus nuptiarum ad unam menſam plurimis poſitis ſellis,accubantes ramum myrteum laureum'ue tenentes manu,proximo ſubinde pręterito ſententias & amatoria ſyntona canebant. Periodus illa propter ordinem non rectum canentium, Scolia, hoc eſt,non recta appellabatur. Hæc interpres Ariſtoph. qui & principium hoc Scolij unius Timocreontis Rhodij refert: Vtinam ô cæce Pluto nec terra, nec mari, nec continenti apparuiſſes,ſed Tartarum incoluiſſes. & Acherontem: nanque te propter cuncta mortales

circunſtant

A circunſtant mala. Cyclij chori, Cyclia dicebantur cantica, quæ eandem materiam còntinebant. Lagus ſiue Laſſus Hermionenſis primus exiſtimatur conſtituiſſe Cyclios choros, & dithyrambum in certamen deduxiſſe. Conditores Dithyramborum, corruptores eſſe Muſarum, ſophiſtasq; appellabant: de quorum numero Philoxenus, Cineſias, Cleomenes fuere, quos increpat comicus Ariſtophanes. De quibus Callimachus loquens: Spurij, inquit, & adulteri florent cantus. Erant enim illi Cyclicorũ magiſtri chororum, eorumq; ſcripta multos habebant flexus atq; reflexus, quos muſici ſtrophas, antiſtrophas, & epodos uocant. Autor eſt horum interpres Ariſtophanis. Sciendũ enim eſt, in Tragœdijs atq; Comœdijs ſaltationes & choreas duci ſolitas eſſe proprias cuiq;: ut, quæ Emmelia dicitur, propriè erat Tragœdię dicata, Cordax uerò Comœdiæ. Erat autẽ Cordax ſatyrica ſaltatio, à Libero patre inſtituta India domita, ut autor eſt Arrianus in rebus Alexandri, quem nos in latinũ ſermonẽ uertimus. Tibicines fidicinesq; illis Cyclij dicti adhibebanť, cantusq; accõmodati metricis rhythmis. Partes porrò Muſicę ſunt harmonia, rhythmica, metrica, organica, poëtica, ſaltatio. Hæc eſt diuiſio uniuerſalis Muſicæ: harum partiũ artifices omnes muſici appellantur, ſed poëtæ, & poëtica per excellentiã. Per dictionem Tonus tria ſignificaoť: Tonus enim dicitur interuallum, tanq; menſura quædã ipſius loci uocis, qua ſignificatione tonum diapente maiorẽ eſſe tono diateſſaron dicimus. Dicitur item tonus uniuerſus locus ſyſtematis, quod nos (ſi modò rectè) complexionẽ interpretamur, accipiens perfectam, ut inquit Ariſtoxenus, complexionem illatabilis, ut Dorius tonus, Phrygius, & reliqui huiuſmodi tropi. Tertio dicitur tonus ipſa qualiſcunq; & quãtacunq; tentio: qua ſignificatione qui canunt, alij tono graui, alij acuto dicuntur uti. Nec prætermittendum eſſe putaui admonere, Cruma, quem pulſum percuſſionemq; Latini interpretanť, eſſe ſpeciem etiam cantus quandam tibijs ac tubis cõmodati. Nunc ad defenſionem Ariſtoxeni, quem falſo accuſatũ reprehenſumq; fuiſſe diximus, deſcendamus. Damnatur quòd tonum in duas æquas partes, quas ſemitonia æqua nominant, diuidi poſſe cenſuerit: urgentq; ipſum & oppugnant acriter atq; importunè rationibus numerorũ mathematicis Pythagoræi, & qui eorũ ſectam tuentur: de qua prius aliquid libandũ eſſe exiſtimaui. Qua re propoſita & cognita, in promptu erit abſolutio Ariſtoxeni.

[Margin notes: Cyclij chori. — Emmelia. — Cordax. — Muſicæ partes — Tonus tria ſignificat. — Cruma.]

B Complures factiones muſicorum fuere, ut Archeſtratia, Hermippia, & aliæ: ſed duæ longè cæteris pręcelluere, Pythagoria, & Ariſtoxenia. Pythagoras quum ab operibus omnibus naturæ, ab agendis contemplandisq; rebus omnibus, ab uita quoq; ipſa temeritatẽ atq; inconſtantiã exterminare, & in ordinem ea certum, cõſtantemq; rationẽ redigere conaretur, conſonantias uocum, ut eas ab infido incertoq; aurium arbitrio ad cõſtans certumq; mentis iudicium reuocaret, ratis rationibus numerorũ accõmodauit, conſilia hunc in modũ agitans, ut autor eſt in Muſica introductione Heraclides, ſic ſcribẽs: Pythagoras, ut inquit Xenocrates, cogitando inuenit muſica interualla ſine numero ortum habere non poſſe, quòd reſpectus forent quanti ad quantum. Reputabat enim qua natura eueniente re, & cauſa conſona atq; obſona interualla efficerentur, aſcendensq; ad originem uocis motum eſſe genitorẽ ipſius cõperiebat, ac motũ ſine numero eſſe nequire: igitur & uocem ipſam cum numero coniunctam, proinde quantitatem, acutumq; & graue eſſe quantitates. Reliquam eius orationẽ breuitatis gratia prætermittimus. Ptolemais mulier Cyrenẽſis, Archytas, Ælianus, Panætius iunior eadem teſtantur, quorum ſeriem orationis Porphyrius fidei gratia ad uerbum recitat. Igitur conſonantiam diapaſon uocatam in ratione dupla, diapente in ſeſquialtera, tonum in ſeſquioctaua ſtatuebat, & reliqua uulgò nota. Porphyrius in cõmentarijs in harmonica Ptolemæi æditis, inſtructus opibus clariſsimorũ philoſophorum, Platonis, Ariſtotelis in primis, Theophraſti, Panætij, adſcriptis ad uerbum eorum ſententijs longa oratione explicatis, fertur aduerſus Ptolemæum aſſerentem, in uoce acutum & graue quantitates eſſe, & interualla muſica quanta, ſentientem cum Pythagoræis: & eſſe qualitates, & qualia, apertiſsimè demonſtrat. Quibus omnibus in præſentia prætermiſsis, unius autoritate Panætij contentus ero, ſic in libro de Geometriæ atque Muſicæ rationibus & interuallis ſcribentis: Qui ſpacium, inquit, acutum inter atque graue diuidi media quadam uoce exiſtimat poſſe, ſimilis dicenti eſt, inter calidum & frigidum, candidum atque nigrum, ſectionem mediam poſſe fieri. Facultas nanque conſonantiarum non in magnitudinibus uocum, ſed in qualitatibus ſpectatur. Quare quum mathematici dicunt, diapaſon in ratione dupla conſiſtere, non hoc dicunt quòd magnitudo uocis nerui, puta Netes, auctior eſt parte dimidia magnitudine Hypates: ſic de reliquis. Argumento eſt, ſi fides illæ uel acrius uel languidius ambæ, aut altera leuius, altera uehementius percutiantur, nihilominus idem remanet interuallum,

[Margin notes: Muſicorum olim factiones plures. — Diapaſon. — Diapente. — Tonus.]

C tametſi pulſi nerui maiorem ſonum reddunt, propterea quòd qualitatem non mutant. Quo
fit perſpicuum, interualla uocum non eſſe magnitudines, ſed qualitates. Verùm, inquiunt,
totam magnitudinem nerui dimidiatæ ſuæ magnitudinis partis, quæ pulſæ concentum dia-
paſon ædunt, duplam eſſe. De reliquis eodem pacto conſonantijs. His iactis quoad fieri po-
tuit breuiter & explicatis, facile calumnia Ariſtoxenum liberabimus. Tonum in duas ęquas
partes, quæ ſemitonia paria dicantur, ſecari non poſſe, id quod poſſe fieri Ariſtoxenus cen-
ſet, ſic rationibus numerorum demonſtrare ſe putant, qui eum accuſant: Tonus, inquiunt,
in ſeſquioctaua eſt ratione: ſeſquioctauum interuallum in quo eſt tonus, in duas æquas par-
tes ſecari non poteſt, ergo nec tonus. Inter ſenaſdenas & octonaſdenas unitates contineri di
cunt ſeſquioctauum interuallum, id nihil interſecare niſi unitatem unam indiuiſibilem, quæ
ſit ſeptimadecima. duo interualla ex uno facta neceſſariò inæqualia eſſe: maius enim ſemper
interuallum eſſe, quod minores numeros intercedit, quàm quod maiores. Maius igitur futu
rum ſemitonium quod eſt inter ſenaſdenas & ſeptenaſdenas unitates, eò quòd ſeptenïſde-
nis & octonïſdenis interiacet. Vera hæc dicuntur, neminiq; dubia ſunt docto uiro, haud ta-
men efficiunt quod uolunt: nec propterea ſequitur, tonum non poſſe in duo paria diuidi,
tametſi interiacens unitas ſeſquioctauam rationem in numeris non poſsit ſecari. At neruus
ipſe, in quo tanquam in regula alijs atq; alijs partitionibus ritè factis concentus uocum ua-
rij formantur, quoniam magnitudo perpetua eſt & continua, quacunque in parte, quoto-
cunque in ſpacio ſecari poteſt, ergo & æquas in partes. Suprà dictum eſt enim de ſententia
Panætij, Theophraſti,, Porphyrij, & aliorum, & certè patet latiſsimè ipſa per ſe res, conſonan
tias diapaſon, diapente, diateſſaron, tonum, & reliquas haudquaquã ideo ſtatui in numero-
rum rationibus atq; magnitudinibus, quia ipſæ uoces uocumq; interualla ſint numeri, ma-
gnitudinésue, & reſpectum inter ſe quantũ habeant, quum manifeſtiſsimè ſint qualitates,
ſed quia neruus, partesq; ipſius quæ uoces ædunt, habet illos inter ſe reſpectus quantos.
Quid igitur obſtat quo minus ſpacium illud nerui ſeſquioctauum, in quo ſtatuunt tonum,
in duas æquas portiones, quæ ſemitonia paria ſint, diuidi queat, quum quantamcunq; por-
tionem continuæ quantitatis in infinita ſecari poſſe mathematici demonſtrent? Mihi quo-
D que promptum eſſet in monochordo, quod Canona Pythagorici appellant, idem mathema
ticè demonſtrare, ni ſatis perſpicuũ foret quod propoſui, falſo Ariſtoxenũ accuſari, quòd to-
num cenſuerit in duo ſemitonia æqualia poſſe diuidi. At uerò ignorabat arithmeticam Ari-
ſtoxenus, qui uolumina de ea ipſa facultate conſcripſit: aut dogmata Pythagorica eum latue
re, qui Xenophanẽ nobilem Pythagoræũ pręceptorem habuit. Sed hæc hactenus. Neq; ue-
rò pati æquo animo poſſum Ptolemæum rendentem aduerſus Pythagoram importunis qui
buſdam argumentis, quòd ipſarum diapaſon & diateſſaron coniunctarum extremos termi-
nos, hoc eſt, uoces non efficere conſonantiam dixerit, quaſi conſilia Pythagorę ignoraſſe ui
deatur. Diuinus ille uir Pythagoras, quem prouidentia numinis diuini demiſſum in terras
fuiſſe puto, ſimplicia, pura, impermixta omnia adamabat, & cunctis in rebus quoad materia
earum pateretur, eiuſmodi requirebat & expoſcebat, quòd in ipſis conſtantia & æternitas
eſſet. Impura uerò, mixta uariaq; repudiabat, & à rebus deprecabatur, quoniam temeritatem
atq; inconſtantiam illis dominari intelligebat. Quocirca ſolos eos concentus admiſit, qui
ſimplicisſimis numerorũ rationibus conſentanei eſſent, puriſsimamq; eorum naturam ſape
rent: quales concentus omnes illi ſunt, qui multiplicibus & ſuperparticularibus congruunt,
ut diapaſon, diapente, & reliqui. Reiecit uerò illos de numero conſonantiarũ, qui à tali na-
tura abhorrebant, qualis eſt diapaſon & diateſſaron, qui concentus nihil olet ſimplicitatis,
& puritatis multiplicis, & ſuperparticularis, ſed cõſors eſt permixtionis impuritatisq; ſuper-
partientis analogiæ. Attamen Ptolemæus conatur demonſtrare extremas uoces illas conci-
Cõcentus tres. nere, ac tripertitam diſtinctionem, triplicemq; ordinem concentuum facit, ut alius ſit om-
nium perfectiſsimus, quem Homophonum uocat: alter, quem Symphonum, degenerans à
primo: tertius, quem Emmelem, degenerans à ſecundo. Non hæc ignorabat, bone uir, Py-
thagoras: quin multas quoq; alias ſciebat concinere auribus mixtiones uocum, quæ aut nul
lis numerorum rationibus, aut deterrimis congruant, qualibus noſtri æui cantores, quas ter
tias & ſextas uocant, utuntur. Sed diuinus ille uir, & elegantiſsimus, ut apis puriſsimum cœ
leſtem ſolùm rorem carpit, ita ſola nobiliſsima & ſimpliciſsima admittebat in rebus. Et quo-
Harmonici. niam Plutarchus meminit harmonicorum, ſciendum eſt harmonicos uocari eos, qui plus au
Canonici. rium quàm rationis iudicio tribuunt autoritatis, ut Ariſtoxenij. Canonicos uerò, qui pri-
mas in iudicando partes, longéque ratas maximè, rationi adſcribunt, ut Pytagoræi, genere
tamen

A tamen & ipſi harmonici. Ptolemæus mediam quandam uiam eſt ſecutus: tantum enim tribuit ſenſibus autoritatis, quantum Ariſtoxenij: ac tantum rationi, quãtum Pythagoræi. Verum enim tum fieri in muſicis iudicium demonſtrat, cùm ſenſus atque ratio nihil inter ſe diſcrepare uidentur. Id quod in Aſtronomia quoq; demonſtrauit, cùm uidelicet iudicium rationis cum oculorum iudicio cõſentit. Hæc ad te potiſsimum ſcribenda Tite putaui, percupiens in hac quoq; te diſciplina, quanquam non ſine approbatione auditorum te canere intelligo, ut in cæteris quoq; omnibus optimarũ artium ornamentis, excellere. Nam & ipſe Ariſtoteles in libris de Republica, præcipit Muſicam ſtudioſe pueris eſſe diſcẽdam, ut proni nus rectè lætari cõſueſcant. Eiusq; utilitatem in tria genera partitur, ut aliud ad eruditionem diſciplinamq; pertineat, ad purgationem animorum aliud, tertium ad iucundè traducẽdam in ocio atq; trãquillitate ætatem, grauioribus curis inceſſentibus ſæpe animos, muſica emol litis & expulſis. Tria quoq; genera modorum, quos melos Græci uocant, à philoſophis tradita proponit, quorum alios inquit moribus, ijs reor qui uirtutibus manſuetioribus continentur, congruentes, alios rebus gerendis accõmodatiores, alios quaſi numine occupandis animis aptos. Itaq; morales quos nominat præcipuè accõmodatos eſſe ei utilitati, quæ ſpectat ad eruditionem. Afflantes & corripientes conuenire expianti & perpurganti ui cõmotorum, quum eas mentes ſubeunt, quæ nimium pronæ molleſq; ſunt admittendis affectibus, illis præſertim quibus conſternatione formidinis atq; miſerationis deijciuntur, & affliguntur: nam & hos perfundere eiuſmodi animos innoxio quodam gaudio tradit. Harmonias præterea, quarum uis atq; natura uaria eſt, alias, inquit, moralibus quos uocant modis, & diſciplinæ utilitati, alias purgantibus & afflantibus modis, cæteris alias congruere arbitratur. Atqueadeo alios alijs modis & utilitatibus natura addictos & accommodatos & conſpiratos concentus eſſe contendit, ut Philoxenum conatum fabulas in Dorio concentu dithyrambo condere, impotentè ſui, & quaſi ſecundo amni in aduerſum renitentem, in Phrygium delatum fuiſſe prodiderit, uelut ſeuerus Dorius grauisq; concentus abominatus & abhorrens præfractam mollitiem materiæ, & carminis illecebras, libens appetenti & importunè tanquam in ſuam poſſeſsionem ſeſe ingerenti, Phrygiæ harmoniæ ceſsiſſe uideretur.

Muſicæ utilitatis tria genera.

Modi muſici tres.

B At hæc præclara & erudita cognitio cõpluribus iam ante ſeculis funditus exoleuit. Verùm quoniam neq; uirgula diuina in mentes ueterum ea ſcientia defluxerat, ſed inuentum humanorum ingeniorum extitit, tui muneris Tite atq; officij fuerit, qui omnibus curis præterquàm diſciplinarum percipiendarũ uacuus es ac liber, omni ſtudio eniti & elaborare, ſi opè partim mea adiutus, partim Plutarchi, ut poëticam, muſicam excellentiſsimam, & diuiniſsimam omniũ, quũ iſta quæ uulgò celebratur, pro tua uirili parte coniungas atq; componas.

STEPHANVS NIGER ANTONINO
ac Gulielmo Pratis ſalutem.

QVVM pater ueſter uir clariſsimus, & qui maximum ſui deſiderium in citeriore Gallia, ob eam qua in adminiſtrandis rebus utitur æquanimitatem, reliquit, hinc eſſet abiturus, ei pollicitus ſum, me de fraterna beneuolentia opuſculum compoſiturum, ac ſub ueſtro utriuſq; nomine in lucem æditurum: quod & quàm primum perfecimus, & ſtatim ad uos ferendum curauimus, ut mei erga uos amoris perpetuum eſſet monumentum. Supereſt ut id quamſæpiſsimè perlegatis, eius monitis libenter pareatis. Quod ſi, ut ſpero, feceritis, æternam nominis memoriam apud poſteros quoq; aſſequemini. Nam, ut inquit Ouidius, Fratrum quoq; gratia rara eſt. Valete.

STEPHANI NIGRI DE FRATERNA BENEVOLENTIA OPVSCVLVM, ANTONINO AC GVLIELmo, *illuſtriſsimi uiri Antonij Prati, utriuſque Galliæ magni Cancellarij filijs, dicatum.*

ACHILLES atq; Helene, quum alter ad Troiam, altera in Ægypto moraretur, licet amoris incendium intuitu maximè excitetur, uno tamen aurium ſenſu ad eam compulſi ſunt inter ſe beneuolentiam, ut poſt obitum eorum manes in Leuce Ponti inſula mutua frui conſuetudine à Philoſtrato dicantur. Odatis quoq; Omartæ ultra Tanaim imperantis filia, & Zariadres Hyſtaſpis Mediæ regis frater, ex nocturna tãtum uiſione ſe mutuò uſqueadeo (ut refert Athenæus) dilexerunt, ut eam Zariadres patri cum ſponte aſſequi non ualuiſſet,

C inuiſſo ſurripuerit. Accidere enim ſolet, ut cùm alicuius probitatem, uirtutesq; audimus, ita
neſcio quo pacto afficiamur, ut haud ſecus eum diligamus, ac ſi non modò ſępe uidiſſemus,
uerùm & eius conſuetudine iandiu uſi fuiſſemus. Non erit itaq; mirandum, ſi ego quoq; au
dita ueſtra uirtutis indole, & quæ præ uobis probitatis inſignia feratis, ea, uos licet nunquã
conſpexerim, ſim beneuolentia proſequutus, quæ me ad hoc de fraterna beneuolentia opu
ſculum ad Plutarchi æmulationem elaborandum adegerit. Quod utriq; ueſtrûm fore non
ingratum ſperamus. Ea etenim continet, quæ ſi quandoq; perlegere haud moleſtum fuerit,
plurimũ ad cõtrahendum, atq; indies magis augendum inter uos amorem ſunt profutura.
Quare ut ad te ſermonem cõuertam, nihil eſt quod te magis deceat Antonine puerorum iu
cundiſsime, quàm ita uitam agere, ut omnes tuo merito fateãtur, cum cæteris re quidem ho
minibus amicè ſimul ac beneuole uiuere, fratrem uerò ea proſequi beneuolentia ac pietate,
Fraterna charitas. ut ad amorem nil omnino accedere poſsit. Quid enim fraterna charitate præclarius? quid il-
luſtrius excogitari poteſt? quid contrà, odio, ſimultate, ſeditioneq; turpius, & à quo magis
ipſa abhorreat natura? Nam ſi rectè conſiderabimus, naturam idcirco nobis fratres tribuiſſe
cõperiemus, ut externis amicitijs minus indigeremus. Cui enim rectius ac liberius, tutiusq;
noſtra cõmittemus conſilia, noſtras aperiemus uoluntates, quàm his qui & eodem utero æ-
diti, & ſub hiſdem parentibus educati, eademq; menſa à tenella ętate alti, trimodiũ, ut aiunt,
ſalis nobiſcum ederint? Sed nõnulli ad eam interdum rediguntur inſaniam, ut omiſſa dome-
ſtica neceſsitudine, neglectis fratribus, in quærẽdis externis amicitijs ſatagant: qui profectò
nil aliud mihi agere uidentur, quàm ſi innatum ſibi membrum ſpontè abſcinderent, facti-
tiumq; pro eo concinnare inſertareq; niterentur. Ipſa nanq; amicitiarum ac cõſuetudinum
innata nobis cupiditas maximo eſſe documento debet, ut fratres obſeruemus ac colamus,
eorumq; amicitiam in perpetuum cõſeruemus, quando ἄφιλοι, καὶ ἄμικτοι, ἢ μονότροποι nullo
pacto uiuere poſſemus. Cæterùm quid externis multis'ue opus eſt amicitijs, cui fraterna nõ
deſit? Sunt enim multæ uarięq; amicitiæ, ſi ad eam quam inter fratres uoluit eſſe natura, com
parentur, umbræ quædam ac ficta ueræ neceſsitudinis idola. Cuius arctiſsimum natura uin
culum ſi quis diſſoluerit ac contempſerit, qua tandem fide externas amicitias culturus ſpera
D bitur? Nam mihi penitus deſipere atq; inſanire uidebitur, qui ſibi firmã, cõſtantem, ueramq;
amicitiam cum eo fore perſuaſum habebit, qui fraternã prodiderit. Quis enim Eteoclis ne-
ceſsitudinem, Atrei cõſuetudinem non abhorreat ac deſpiciat? Quis contrà Pollucis amici-
tiam non expetat, libenterq; amplectatur? qui apud ſe in fratrem ſuſurrantem quendam pu
gnis interemit, & quum immortalitate à Ioue optimo maximo donaretur, ſemideum ſe fieri
maluit, ut Caſtori diuinitatẽ impertiret. Nullus eſt præterea, ne improbus quidem, qui Cha-
ridem Antiochumq; Ponticos non contemnat ac criminetur, qui quum paterna inter ſe di
uiderent bona, poculum argenteum conciderunt, ueſtemq; mediam abſciderunt, ut neuter
altero ditior opulentiorq; abiret. At egregium barbarorum fratrum non de argenteo crate-
re, uiliſsimoq; indumento, ſed de Perſarum imperio iudicium memoratu dignum quis non
ſummis proſequatur laudibus? Dario enim Perſarũ rege defuncto, alij quidem Ariamenem
natu maiorem rerum potiri dignum iudicabant, pars uerò ad Xerxem Atoſſæ Cyri filiæ ac
Darij filium imperium deferebant. Ariamenes igitur ex Medis nõ hoſtilem in modum, ſed
placidè ac benignè, perinde atq; ad æquum iudicium deſcendebat. Xerxes uerò præſens re-
gia omnia obibat munia: aduẽtanti autem fratri, quum diadema capiti detraxiſſet, tiaramq;
inſigne regium depoſuiſſet, obuiam proceſsit, eumq; benignè ſalutauit, donaq; ei mittens,
ferentibus ut his uterentur uerbis imperauit: His te in præſentia Xerxes frater decorat mu-
neribus: quòd ſi Perſarum ſuffragio conſenſuq; rex declarabitur, tibi primum apud ſe lo-
cum fore pollicetur. Ariamenes autem: Ego, inquit, munera quidem libenter ſuſcipio, ſum-
mam uerò rerum ad me ſpectare contendo, primam autem ſecundùm me dignitatem fratri-
bus conſeruabo, primoq; omnium Xerxi. Itaq; Perſæ huiuſce diſceptationis arbitrium Ar-
tabano Darij fratri demandarunt. Xerxes multitudinis ſuffragio fretus, iudicium detrecta-
bat, ſed à matre tandem impulſus, Artabani arbitrium ſubijt: qui quum utriuſque rationes
audiuiſſet, ac ſecundùm Xerxem iudicaſſet, Ariamenes ſtatim exurgens, fratrem adora-
uit, apprehenſaq; eius dextera in ſolio eum regio collocauit, ſeq; illi in poſterum beneuo-
lum exhibuit. Maximam igitur fraternæ charitatis pietatem in eo pectore habitaſſe par eſt
exiſtimare, propter quam ſe regia dignitate defraudari pro nihilo duxerit. Quapropter ſi
tantum fraternæ beneuolentiæ ſpecimen barbaris fuiſſe ingenijs exploratum habemus,
quis humanitatis profeſſor non erubeſcat, minimam quoque ſimultatis fraternæ ſcintillam

A animo inſidere? Quid Pittacus ille, nónne quanto fratris teneretur deſiderio facile oſtendit? qui quum eſſent'ne ſibi pecuniæ, interrogatus eſſet, duplo ſibi plures eſſe quàm uellet, reſpõdit, quòd ſcilicet fratrem germanum ſibi fata rapuiſſent. Cæterùm quid externis exemplis diutius immoror? quum Aphricanus Scipio nos manifeſtè doceat, nullam eſſe amicorum tantam iucunditatem, quæ fraternæ non ſit charitati poſtponenda. Lucio enim Scipioni fratri Aphricanus ipſe, nondum Aſiatico, legatus in Aſiam proficiſci maluit, quàm ut ab eo prouinciæ ſors in Lælium arctiſsimo ſibi familiaritatis uinculo iunctum transferretur. Marcus quoq; Fabius tanto beneuolentiæ ſtudio fratrem proſecutus traditur, ut inſignem ampliſsimi triumphi honorem ob eius deſiderium recuſauerit. Nam quum deuictis Veientibus ſummo ſibi ſenatus populiq; Romani conſenſu triumphus decerneretur, quod in eo prælio Q. Fabius ſtrenuè ſe inter primos gerens cecidiſſet, habitu triumphali urbem ingredi non ſuſtinuit. Quæ animi moderatio tantam ei ex ſpreto triumpho gloriæ amplitudinẽ attulit, quantam nullus unquam currus, nulla laurea afferre potuiſſet. Nónne Lælius & Scipio, Theſeus & Pirithous, Achilles & Patroclus, Oreſtes & Pylades, Phintias & Damon, Epaminondas & Pelopidas, qui inter amicorum paria recenſentur, propterea tantùm ab utriuſque linguæ grauiſsimis autoribus ęternæ poſteritatis memorię plurimum commendati ſunt, quod licet iĳſdem non eſſent orti parentibus, inter ſe tamen fraterna dilexerint beneuolentia? Quid impulit Horatium poëtam eximium, ut Proculeium equitem Romanum his carminibus immortalitate donaret:

Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente ſolui
Fama ſuperſtes?

Ea nempe qua erga Scipionem ac Murænam fratres uſus eſt pietas, quibus bello ciuili ſpoliatis, patrimoniũ de integro diuiſit, quod cum eis antea quoq; poſt cõmunis patris obitum diuiſerat. Sed ut exempla, quæ omnia exequi longum eſſet, Antonine iam mihi chariſsime, miſſa faciamus, nihil eſt quod tibi maiores ad colendam fraternam beneuolentiam ſtimulos
B addere debeat, quàm ea qua parentes ex hac re afficiuntur oblectatio. Quæ enim filiorum opes, qui honorum gradus, quæ dignitates maiori eſſe parentibus oblectamento poſſunt, quàm quum gnatos ſuos eodem conſilio, eadem uoluntate, ſumma demum concordia, mutuaq; charitate uiuere intuentur? Quare Apollonidem, regis Eumenis, triumq; aliorum, Attali, Phileteri, & Athenæi matrem ſe felicem ac beatam iudicaſſe, maximasq; dĳs immortalibus egiſſe quamſępiſsimè gratias ferunt, non ob ingentes diuitias, regiamq; dignitatem, ſed quòd tres filĳ natu maximum comitarentur, eiusq; latera armati munirent, ipſeq; inter eos tutò ac ſine ulla proditionis ſuſpicione inermis uerſaretur. Vt contrà Xerxes quum Ochum filium fratribus inſidias parantem cognouiſſet, animi ſolicitudine interĳt: quod nulla proculdubio admiratione dignum exiſtimandum eſt. Nam quum fratrum ſeditiones fœdæ ſint ac truculentæ, parentibus fœdiſsimæ ac truculentiſsimæ uidentur. Qui enim fratres odio ac maleuolentia proſequitur, is parentes contemnat neceſſe eſt. Fratres contrà qui mutuò ſe diligunt, quin parentes colant, facere non poſſunt. Vnde Piſiſtratus quum nouercam filĳs iam natu grandioribus ſuperinducturus eſſet, ait ſe eos optimos ac ſapientiſsimos arbitratum atque expertum, plurimorum ſimilium patrem fieri uelle. Æquitate enim ac probitate præditi filĳ, non ſolùm in parentum gratiam ſe mutuò diligent, ſed & parentes ipſos certatim uenerabuntur, hoc aſsiduè ſecum & reputantes & meditantes, ſe quidem parentibus cùm ob alia multa, tum ob fratres in primis quamplurimum debere, tanquam ex paternis bonis hoc precioſiſsimum ac dulciſsimum arbitrentur. Quod Telemachus haud ſecus eſſe ratus apud Homerum conqueritur, ὅτι τὴν ἑαυτοῦ γενεὴν ἐμούνωσε Κρονίων, hoc eſt, quòd unicus eſſet Vlyſsi filius. Sed tu hoc deplorare non poteris: es enim à parentibus uno iam & eo optimo fratre donatus, quippe qui ea ſit morum probitate inſignitus, ea futuræ doctrinæ ac prudentiæ indicia unà tecum præ ſe ferat, ut uniuerſa Gallia ueſtram utriuſq; indolem admiretur, optimam de utroq; ſpem concipiat. Quare iſtiuſmodi te fratrem non diligere ſolùm, ſed & uehementer amare (ut facis) æquum eſt. Quid de parentibus loquar? quorum alterius quidem tam uariæ ac multiplices ſunt uirtutes, ut quum Prata ſit ortus familia, ἀρετῶν λειμὼν, hoc eſt, uirtutum pratum meritò appellari poſsit. Nam ut in uirenti prato uarĳ ac diuerſicolores cum ſumma animi oblectatione ſpectantur flores, ita in patre tuo grauiſsimo uitæq; *Pratorum familia.*

integerrimo uiro, quæcunq; ad excolendum animum faciunt uirtutes, clariſsimè elucent Cuius in utroq; iure peritiam ſi reſpexeris, utriuſq; Galliæ oraculum: ſi in iudicãdis prudentiam & æqu itatem, Rhadamanthum atq; Ariſtidem: ſi in dicendo facundiam, Gorgiam nõ iniuria appellaueris. Altera uerò à teneris uſq; annis adeò ſe intra caſtitatis ac pudicitiæ terminos continuit, ut ſi priſcis illis temporibus naſci contigiſſet, eam populus Romanus, pace Sulpitiæ pudiciſsimæ dixerim, ad Veneris ſimulachrum ex Sibyllinis libris dedicandum fuerit electurus. Quare ſummopere tibi Antonine mi nitendum eſt, ut iſtiuſmodi parentibus, quum in cæteris omnibus, tum uel maximè in obſeruanda fraterna beneuolentia morem geras. Quod ſi feceris, & à tam præclaris parentibus minimè degeneraſſe uideberis, & fraternam charitatem externis ac futilibus amicitijs, tuo ſummo decore præpoſuiſſe ab omnibus exiſtimaberis.

FINIS.

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA

20 SET 1969